Nº A
6 - 27

7-a-2—11

Nº 3
22-50

Sala A
Estante 6
Tabla
Número 235

235

2 1744066x

del Colegio de la Compª de Jesus de Granada
R- 5835

DISPVTATIONVM

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI,

S. R. E. CARDINALIS,

DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE FIDEI,

Aduersus huius temporis Hæreticos.

Tomus Secundus.

Editio vltima, ab ipso Auctore aucta & recognita:

ACCESSIT ACCVRATIOR DE EXEMPTIONE Clericorum disputatio, & de cultu sacrarum imaginum libelli cuiusdam refutatio.



Mº de Moral

VENETIIS, MDCIII.

Apud Societatem Minimam.





ROBERTI BELLARMINI POLITIANI S.R.E. CARDINALIS DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE FIDEI

DISPVTATIONVM

LIBER PRIMVS, DE CONCILIIS, ET ECCLESIA.

PRÆFATIO.

SACRORVM CONCILIORVM AVCTORITATEM, quæ semper in Ecclesia magna fuit, aduersus multiplices hæreticorum fraudes, & calumnias, his libris pro viribus defensurus, antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca quædam putaui esse dicenda de summa, atque incredibili calliditate, quam ad hanc eleuandam auctoritatem Satanæ administri nostris temporibus adhibuerunt. Etenim quoniam sacrosancta Conciliorum auctoritas in Ecclesia Catholica, vt par erat, semper eminuit, & sæpe in maximis rerum perturbationibus, ad dissipandas errorum tenebras, quasi fulgor quidam salutaris illuxit, non existimauit hostis humani generis posse diutius se discordias in Ecclesia serere, & schismata, atque hæreses conseruare, & propagare, nisi iudicia Ecclesiastica de medio tolleret; & cathedram illam euerteret, ex qua Christus ipse per homines sonans, & iudicans, omnes fidei controuersias litesque componit.

Itaque Lutheranos excitauit homines, vt ad fallendum paratos, ita proiectos ad mentiendum; qui quidem, cùm initio nullo modo fieri posse crederent, vt Summus Pontifex ad indicendum generale Concilium adduceretur, cęperunt ipsi magna contentione simul, & Pontificem grauiter accusare, & aduersus eundem Pontificem Concilij generalis opem implorare. Ita enim fore arbitrabantur, vt & quæcunque vellent scelera, atque flagitia, quamuis falsa, & incredibilia, de Pontifice liberè spargere, & eum apud omnes Christianas nationes reum maximorum cri-

minum facere sibi liceret, & ipsi interim non Ecclesiæ hostes esse, vt re ipsa erant, sed viri amantes pietatis, fideique zelum habere, quippe qui Concilij auctoritatem agnoscerent, ab omnibus iudicarentur. Quocirca tot, & tam atrocibus calumnijs, & maledictis, & voce, & litteris Christi vicarium onerauerunt, vt permultis, magnisque nationibus planè persuaserint, eum non Christianum Præsulem, sed Christi iuratum hostem, atque adeo ipsum verum, & propriè dictum Antichristum esse.

Orationem certè immensam susciperem, si ea mendacia percensere vellem, quibus hæretici huius temporis in omnibus penè libris, & sermonibus suis Apostolicæ sedis Pontificem impudentissimè asperserunt, vnum solùm, aut alterum exempli caussa attingam. Martinus LVTHERVS in libro de Ecclesia propè extremo: *Papa*, inquit, *Scripturam sacram, in cœno, & puluere sepelijt, & doctrinam Christianam penè integram deleuit*. Extat libellus de primatu Papæ scriptus nomine totius Synodi SMALCHALDICAE, auctore, vt arbitror, Philippo, quo in libro, præclara illa Synodus Lutheranorum ab hoc mendacio exorditur: *Papa*, inquit, *arrogat sibi auctoritatem condendi leges de cultibus, de mutatione Sacramentorum, de doctrina, & vult suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus Diuinis*. Et infrà: *Arrogat sibi Papa Diuinam auctoritatem, quia sumit sibi ius mutandi doctrinam Christi, & cultus à Deo institutos, & suam doctrinam, & suos cultus vult obseruari, tanquam Diuina*.

Ad quod Sacramentum, quem cultum à Deo institutum, quem doctrinæ articulum Papa mutauit? Et quis ille Pontifex fuit, qui suas leges diuinis legibus exæquauit? an non videmus quotidie Pontificias leges, vel ab ijsdem, qui tulerunt, vel à successoribus, si tempus id postulet, abrogari? Quæ verò diuina lex ab vllo vnquam Pontifice legitur abrogata? sed nolo in eiusmodi nugis tempus amittere. Hoc affirmo, similibus mendacijs plenos esse libros Lutheranorum, eaque apud illos, non vt res saltem dubias, sed vt oracula certissima literis, & sermone omnium celebrari. Qui tamen initio, vt dicebam, ne omnino alieni ab Ecclesia Catholica esse viderentur, quanto plus auctoritatis detrahebant Pontifici, tanto amplius Concilio tribuebant. Extat Lutheri ipsius ad generale Concilium prouocatio. Extant Comitia Imperialia, Augustana, Norimbergensia, Spirensia, Ratisponensia, Vvormatiensia, aliaque nonnulla, in quibus Lutherani Generale Concilium sæpius postularunt.

At ne fortè molestum sit, si tempus in tam varijs tot comitiorum actis recitandis conteramus, proferam tibi, Lector, ipsorum Protestantium testimonium, quod ad initium eius libri, qui *Protestatio aduersus Concilium Tridentinum inscribitur*, continetur: *Profitemur*, inquiunt, *ac protestamur nos adhærere, ac semper adhæsisse protestationi, & appellationi Reuer. Patris D. LVTHERI ab iniustissimo, violentissimoque iudicio Pontificis, ac omnium eius factionis iudicum*,

iudicum, ad liberum Christianum, legitimum, ac in Spiritu sancto congregatum Concilium. Qui processus, protestatio, & appellatio fuit postea vnanimiter, ac multoties à nostris Ecclesijs renouatus, & in aliquot etiam Imperialibus conuentibus ab omnibus statibus comprobatus. Hæc ipsorum sunt verba, quibus, vt vides, affirmant, Lutherum primò, deinde Ecclesias suas, postremò etiam Principes sibi addictos, à Pontificis sententia ad Concilij iudicium sæpius appellasse.

Sed quamdiu existimas, in sententia ista expetendi Concilij permanserunt? quamdiu nullum futurum esse Concilium sperauerunt. Nam simul ac PAVLVS Pontifex eius nominis Tertius, Concilium generale ad Tridentum indixit, & eiusdem Concilij fundamenta iaci, & initia quædam apparere cœperunt, continuò illi mutata sententia, vel potius, quem antè simulauerant, apertè prodita, Concilium improbare, à Concilijs appellare, nec solùm recentia, sed etiam vetera omnia reprehendere, & ipsum Tridentinum vixdum inchoatum inuectiuis, censuris, protestationibus, calumnijs quoque & mendacijs opprimere studuerunt, vt si fieri posset, prius Concilium illud hæreticorum astutia solueretur, quàm Catholicorum diligentia coalesceret.

Ita verò esse, vt dico, testes mihi sunt omnes, qui legerunt librum de Concilijs à Luthero illo ipso tempore conscriptum, libellum PHILIPPI Melanchthonis de caussis, cur Lutherani ad Concilium non accesserint; librum Protestationis XXXIV. Ministrorum: librum Illyrici de norma ac praxi Concilij: Denique Martini Kemnitij examen Tridentini Concilij, Concilium Caroli Molinæi super eodem non admittendo Concilio; Antidotum Ioannis Caluini contra eiusdem venena Concilij. Sed operæprecium erit ex istis ipsis, quos nominauimus, auctoribus, aliquid proponere, vt ex eorum verbis & testimonio cognoscas, quanti fiant ab illis Ecclesiæ Concilia, quæ paulò antè tantoperè flagitauerant.

Igitur Martinus LVTHERVS, cùm fama accepisset, indictum esse Concilium, continuò arrepto calamo, librum confecit, atque inscripsit, de Concilijs: credo, vt ageret Deo gratias, & Ecclesiæ gratularetur, atque omnes ad Concilium inuitaret. Nihil minus; summa enim libri est, nihil esse opus Concilijs, cùm etiam vetera illa sanctissima & celeberrima errauerint, & quilibet Parochi & Ludimagistri non minus possint in Ecclesia, quàm quæuis maxima, & numerosissima Concilia. ORDITVR à Concilio illo sine controuersia antiquissimo & sanctissimo, quod Apostoli Hierosolymis celebrauerunt: & quoniam in eo Concilio Apostoli decreuerunt abstinendum esse à sanguine & suffocato, ad has angustias nos redigit, vt vel ab his cibis nos abstineamus, vel apertè fateamur, liberum esse Concilio summo ac primo non obedire. DEINDE, grauiter exponit quanta calamitas esset, non vesci deinceps capreis, leporibus, ceruis, cuniculis, anseribus, turdis, ceterisque auiculis, & quod miserius est, abstinere lucanicis, alijsque farciminibus, & iusculis etiam quibusdam, quæ

non solùm pipere condiuntur, sed etiam sanguine (vt ipse loquitur, qui ista bene norat) vel liquido tinguntur, vel crasso, & coagulato infarciuntur.

Quia verò tam grauis iactura nullo modo subeunda Luthero esse videbatur, inde effecit, non esse Apostolico decreto obtemperandum. Ex quo rursum ita concluſit; ergo liberum est nobis omnia alia Concilia relinquere, & sic liberi sumus ab omnibus Concilijs. Præclarè omnino: quasi verò quia non tenemur ea Concilij lege, quæ solùm ad tempus data fuerat, iam nullis alijs Conciliorum legibus teneamur.

Pergit deinde ad NICAENVM I. Concilium, cuius in Ecclesia Catholica semper summa auctoritas fuit, ac de canonibus eius Concilij loquens: *Hi omnes*, inquit, *articuli, fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt*. Et infrà: *De illis ligneis articulis reliquiæ manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo Paschatis.* Hic nimirum est honor, quem habet Lutherus antiquissimo & celeberrimo Concilio, vt eius decreta ligna, fœnum, stipulas, titiones appellet. Sed parum esset, si tantùm non necessarios, ac superuacaneos eos canones diceret, & non etiam periculosos, impossibiles, inter se contrarios ac pugnantes esse contenderet. Quia enim vetat Concilium, ne qui se abscíderunt, sacris Ordinibus, initientur, & simul imperat hominibus sacratis, ne vllam omnino domi suæ fœminam habeant, præter matrem aut sororem: *Hic prorsus*, inquit Lutherus, *non intelligo Sanctum Spiritum in hoc Concilio. si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio Ecclesiastico, qui seipsos castrant ad vitanda libidinum incendia; & rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad euincendos carnis stimulos habent, aut ducunt vxores; quò res tandem cadet? An debebit Episcopus, aut Concionator illum intolerabilem ardorem, & æstum amoris illiciti sustinere, & neque coniugio, neque castratione se ab his periculis liberare?* Quasi verò, Luthere, nihil sit medium, inter coniugium & castrationem: quo pacto igitur, Paulus, Ioannes, Iacobus, Apostoli cæteri, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, & quid enumero singulos homines? quo pacto, inquam, tot millia Sanctorum, neque se ipsi abscíderunt, & tamen vsque ad vitæ finem vxoribus caruerunt? nimirum precibus, ieiunijs, labore assiduo, non membrorum abscissione gloriosa certamina superantur.

Sed audiamus, quàm honorificè de hoc eodem Nicæno Concilio sub finem huius loci loquatur LVTHERVS: *An verò*, inquit, *nihil aliud est negotij Spiritui sancto in Concilijs, quàm vt impossibilibus, periculosis, non necessarijs legibus suos ministros obstringat, & oneret?* Quæ cùm ita sint, vides certè, Lector, quanti faciat Lutherus Conciliorum auctoritatem, cùm decreta Nicæni Concilij, quo nullum est magis à Patribus omnibus laudatum, lignea, non necessaria, periculosa, impossibilia, inter se pugnantia, ac demum stramen, fœnum, stipulas, titiones ore impudentissimo appellare non vereatur; quid, quod omnia Concilia ita extenuat, vt cum eis Parochorum industriam, & Ludimagistrorum auctoritatem comparet:

ret: *Putasne*, inquit, *adeò esse tenue, aut angustum officium Parochi, aut Ludimoderatoris, vt non possint aliqua ex parte conferri ad Concilia; dicam & quiddam amplius, maius lumen accedit doctrinæ Christianæ ex Catechismo puerili; quàm ex omnibus Concilijs.* Et infrà: *Et quid opus est verbis, etiam si omnium Synodum decreta possent per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimis parum conferunt.* Egregia sanè conclusio, & digna tam graui Theologo, qui paulò antè tam seriò videbatur Concilij generalis iudicium appellare. Omitto quod dicit de Secunda, Tertia, & Quarta Synodo, cùm similia sint prioribus, & ego breuitati studeam.

Venio igitur ad ea mendacia, quæ ad extenuandam Concilij Tridentini auctoritatem aduersarij sine vllo pudore effutiunt, nec tamen omnia, nec etiam plurima, id enim infiniti operis esset, sed pauca de multis proferam: *Illi Sycophantæ*, inquit LVTHERVS in libro de Concilijs, *qui parasitantur Papæ, adeo sunt dementati, vt hoc paradoxum audacissimè defendant, Concilia potestatem habere condendi nouos articulos fidei, & mutandi veteres.* At qui sunt isti Sycophantæ? Cur nemo nominatur? vbi, quando, quo teste dixerunt, aut scripserunt, posse à Concilijs fidei articulos immutari?

Matthias ILLYRICVS in libro de norma ac praxi Concilij Tridentibi: *Clamant illi*, inquit, *Concilij scilicet Patres, Ecclesiam, idest, Pontificem cum suis spiritualibus esse supra Scripturam, & Papam posse ex plenitudine potestatis contra Apostolum, & totum vetus Testamentum dispensare.* Hæc ille. Sed extat Concilium, legatur diligenter, nusquam inuenientur eiusmodi portenta.

Martinus KEMNITIVS in examine Concilij Tridentini, ita diues mendaciorum est, vt quattuor sententiolis, quinque mendacia comprehenderit: *Dicunt*, inquit, *Patres, videlicet Concilij, quòd Papa habeat voluntatem pro ratione, in his, quæ vult; quòd possit formam Sacramentorum ab Apostolis traditam immutare, quòd contra Epistolas Pauli possit statuere, quòd dispensare possit contra quattuor prima Concilia, & contra verba Euangelij.* Quis crederet tam impudentes homines reperiri potuisse, qui de Tridentino Concilio tam audacter mentirentur, cùm & ipsius acta passim legantur, & adhuc viuant plerique eorum, qui ipsi per se Concilio interfuerunt.

Sed restat adhuc aliud splendidum omnino, & sæpius repetitum aduersariorum mendacium. Multis de caussis Lutherani HOSIVM Cardinalem, virum æterna memoria dignum, implacabili odio persequuntur, sed eò præcipuè, quòd Legatus Apostolicæ Sedis Concilio Tridentino præsederit, atque eidem Concilio industria & sapientia sua non parum ornamenti, atque etiam emolumenti contulerit. vt igitur simul, & Legati, & Synodi auctoritatem deprimerent, verba quædam, quæ is Cardinalis in libro de expresso verbo Dei, nomine Schuuenckfeldij hæ-

resiarchæ protulerat, & ideo protulerat, vt indicaret, quàm tetri errores ex Lutherana hæresi, quasi venenati fructus ex corrupta radice pullulassent; illa, inquam, verba, tanquam si Cardinalis ipsius sententiam continerent, boni isti viri magna cum execratione vbique disseminauerunt; ac primum in libro Protestationis XXXIV. Ministrorum, ita legimus: *Sed iam audiamus istius glorioſi gubernatoris præſentis Conciliabuli verba, quomodo, & ſecundum quam regulam ille cum ſuis ſodalibus velit de Eccleſiæ & Religionis controuerſijs iudicare, & ſtatuere: ſic enim in blaſphemiæ verba erumpit, inquiens: Nos verò Dei de cœlo ſententiam exſpectabimus, ac tum iſtos pro ſua, non pro Scripturarum ſententia dimicantes, tum ipſas etiam Scripturas faceſſere iubebimus. Non oportet Legis, aut Scripturæ eſſe peritum, ſed à Deo doctum. vanus eſt labor, qui Scripturæ impenditur. Scriptura enim creatura eſt, & egenum quoddam elementum, non conuenit Chriſtiano nimium creaturæ addictum eſſe.* Quibus recitatis subijciunt Protestantes. *Hæc iſte neſarius Antichriſti Cardinalis Legatus, & impij Conciliabuli Gubernator, contra viuentem Deum blaſphemat.*

ILLYRICVS verò in libro de norma & praxi Concilij Tridentini, posteaquam illa eadem verba ex libro Cardinalis deprompta repetiuit, ita illi bene precatus est: *Dominus* IESVS, inquit, *obſtruat igne infernali iſta blaſphemia ora Antichriſti; & eius mancipiorum, & vindicet gloriam ab eorum tyrannide.* Quid tibi videtur, candide Lector, an non est scelus inauditum, & audacia planè incredibilis in caussa tam atroci, & tam perspicua tam impudenter mentiri? Est in manibus liber, nec vlla est in verbis eius obscuritas, & si testimonium auctoris requiritur, ego ipse doctissimum illum senem aliquando dicentem audiui: *Ego ita ſentirem? ego talia ſcriberem? ſi mea illa verba eſſent, verè dignus eſſem, qui in medio foro cremarer.* Et placuit tamen non vni, aut duobus; sed triginta quattuor simul Ministris verba illa optimi viri in alienum sensum ita detorquere, vt quæ Suuenckfeldij sunt, Cardinalis ipsius esse crederentur; qui mihi similiter feciſſe videntur, ac si aliquis modo contenderet illa blasphema verba Iudæorum de Christo: *Ecce homo vorax, & potator vini, non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit, reus eſt mortis, tolle, tolle, crucifige eum.* Atque alia his similia, non esse verba Iudæorum, sed Matthæi aut Ioannis, quòd in eorum Euangelijs reperiantur. Habes igitur, quàm parui æstiment Concilia aduersarij, & quot fraudibus, & calumnijs eorum auctoritatem eleuare conentur, qui tamen paucis antè annis generale Concilium tanquam vnicum remedium præsentium diſſidiorum expetere videbantur.

SED dicet aliquis fortasse, optabant illi quidem, atque optant etiam nunc generale Concilium, sed non eiusmodi, quale Tridentinum fuit. Ita est, optant illi generale Concilium, sed quale nunquam fuit. Explicat enim conditiones Concilij Philippus Melanchthon in eo libello, quem inscripsit, de caussis cur Lutherani ad Concilium non acceſſerint.

ſerint. ſed potiſſimum duæ ſunt. ALTERA, vt ius ſuffragij etiam deciſiui habeant omnes homines docti, ſiue Sacerdotes, ſiue Laici ſint; quod eſt in Eccleſia Chriſti ad hunc diem inauditum, nec talis Concilij vllum exemplum proferent, præſertim, cùm doctos homines vocent, qui dum loquuntur, aut ſcribunt, aliquot verba Græca, aut Hebraica, Latinis admiſcent. ALTERA conditio eſt, vt detur ab Imperatore ſaluus conductus, non ſolùm perſonis, ſed etiam cauſſæ, hoc eſt, vt nec perſonæ poſſint puniri, ſi nolint obtemperare Concilio, nec fides, & confeſſio Lutheranorum poſſit damnari, etiamſi Theologi Lutherani eam defendere non potuerint; quæ conditio & cum ſuperiore apertiſſimè pugnat, & eſt ipſa per ſe inepta & ridicula. Nam ſi nec perſonæ, nec ſententiæ damnari poſſunt, nihil omnino in Concilio decernetur.

Quorſum igitur attinebat petere, vt etiam Laici ſuffragium habeant deciſiuum, ſi nihil eſt in Concilio decidendum? Et quorſum tot ſumptus, tot pericula, tot labores in Concilio congregando? Quorſum ex toto orbe terrarum Epiſcopi & Doctores vexantur, vt ad Concilium veniant? Quorſum tot dies in quæſtionibus fidei proponendis, diſcutiendis, definiendis conſumuntur: ſi poſteaquam ſunt omnia parata, adhuc licet vnicuique Concilij decretum in controuerſiam reuocare? Neque Philippus Melanchthon ſolus hoc docet, docuit ante eum Martinus Lutherus, docuere poſt eum Ioannes Caluinus, Ioannes Brentius, Martinus Kemnitius, Lutherani & Caluiniſtæ omnes: *Capite*, inquit LVTHERVS artic. 115. ex quingentis articulis, *hoc Euangelium, quia neque Papæ, neque Concilijs, neque vlli hominum commiſſum eſt, vt concludat, quid ſit fides. Ideo debeo dicere, Papa tu concluſiſti cum Concilijs; nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, necne.* Et CALVINVS libro quarto Inſtitut. capit. 9. §. 8. *Quoties*, inquit, *Concilij alicuius decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum ſit, qua de cauſſa habitum, & quo conſilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipſum, de quo agitur, ad Scripturæ amuſſim examinari, idque in eum modum, vt Concilij definitio pondus ſuum habeat, ſitque inſtar præiudicij; neque tamen examen, quod dixi, impediat.*

Itaque vult Caluinus, Concilij ſententiam, præiudicium, non iudicium eſſe, deque ea ſententia poſſe, ac debere quoſcunque, & maximè priuatos homines iudicare. Quod idem alijs verbis Kemnitius, Brentius, & ceteri omnes docent. Quid verò eſt hoc aliud, quàm nolle iudicium vllum fieri? nolle controuerſias vnquam finiri? nolle pacem & concordiam, ſed bella, ſchiſmata, diſſenſiones, lites vigere perpetuò? Sed bene habet, niſi aliud dicerent, facilius laterent: hæretici certè non haberentur. Nunc verò ita ſe produnt, vt planè nunc ſint cæci, qui eos hæreticos eſſe non vident; nam cùm hæreſis ab electione dicatur, nulla eſt nota clarior, nullum certius ſignum hominis

nis hæretici, quàm cum Ecclesiastico iudicio non acquieſcit, ſed ipſe ſibi eſt dux, ipſe iudex, ipſe dogma proprium eligit, quod ſequatur. Fidei, obedientia comes eſt, mater humilitas. Hæreſeos ſoror, contumacia, mater ſuperbia eſt.

Quæ cùm ita ſint, noſtræ iam partes erunt, vt quantum operæ, induſtriæ, laboris in Eccleſiaſtica auctoritate labefactanda hoſtes fidei ponunt, tantum nos in eadem aſſerenda, ac vindicanda ponamus, & quoniam ea in Summo Pontifice, & Epiſcoporum Concilijs præcipuè cernitur, & nos iam de Pontifice quinque libris, pro ingenij noſtri tenuitate, diſſeruimus, nunc de Concilijs, quanta maxima poterimus claritate, DEO duce atque auſpice, diſſeremus.

INDEX LIBRORVM SECVNDI TOMI.

Primæ Controuersiæ generalis,

De Conciliis, & Ecclesia,

LIBER I. De natura & causſis Concilij.
II. De potestate Conciliorum.
III. De Ecclesiæ natura & proprietatibus.
IV. De notis veræ Ecclesiæ.

Secundæ Controuersiæ generalis,

De membris Ecclesiæ,

LIBER I. De Clericis & Sacerdotibus.
II. De Monachis & Religiosis ceteris.
III. De Laicis, ac potissimum de Magistratu politico.

Tertiæ Controuersiæ generalis,

De Ecclesia, quæ purgatur in locis subterraneis,

LIBER I. De Purgatorio; an sit.
II. De loco, tempore, pœnis, & alijs, quæ ad Purgatorium pertinent.

Quartæ Controuersiæ generalis,

De Ecclesia, quæ triumphat in cœlis,

LIBER I. De Beatitudine & cultu Sanctorum.
II. De eorum reliquijs & imaginibus.
III. De Basilicis, festis diebus, alijsque rebus, quibus Sanctorum memoria a mortalibus colitur.

INDEX LIBRORVM SECVNDI TOMI.

Primæ Controuersiæ generalis,

De Concilijs, & Ecclesia,

LIBER I. De natura & causis Concilij.
II. De potestate Conciliorum.
III. De Ecclesiæ natura & proprietatibus.
IV. De notis veræ Ecclesiæ.

Secundæ Controuersiæ generalis,

De membris Ecclesiæ,

LIBER I. De Clericis & Sacerdotibus.
II. De Monachis & Religiosis ceteris.
III. De Laicis, ac potissimum de Magistratu politico.

Tertiæ Controuersiæ generalis,

De Ecclesia, quæ purgatur in locis subterraneis,

LIBER I. De Purgatorio; an sit.
II. De loco, tempore, pœnis, & alijs, quæ ad Purgatorium pertinent.

Quartæ Controuersiæ generalis,

De Ecclesia, quæ triumphat in cœlis,

LIBER I. De Beatitudine & cultu Sanctorum.
II. De eorum reliquijs & imaginibus.
III. De Basilicis, festis diebus, alijsque rebus, quibus Sanctorum memoria a mortalibus colitur.

PRIMA CONTROVERSIA GENERALIS,

DE CONCILIIS, ET ECCLESIA MILITANTE.

QVATTVOR LIBRIS COMPREHENSA.

PRIMA

CONTROVERSIA

GENERALIS,

DE CONCILIIS,

ET ECCLESIA MILITANTE.

QVATTVOR LIBRIS

COMPREHENSA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Concilijs & Ecclesia.

PRAEFATIO.

CAP. I. *Ordo disputationis.*
II. *Qui scripserint de Concilijs.*
III. *De nomine Concilij & origine.*
IV. *Partitio Conciliorum duplex.*
V. *Concilia generalia approbata.*
VI. *Concilia generalia reprobata.*
VII. *Concilia partim confirmata, partim reprobata.*
VIII. *De Concilio nec manifestè probato, nec manifestè reprobato.*
IX. *De vtilitate veletiam necessitate celebrandorum Conciliorum.*
X. *Concilia generalia vtilia esse, & suo quodam modo necessaria, non tamen absolutè & simpliciter.*
XI. *Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria.*
XII. *Cuius sit congregare Concilia.*
XIII. *Soluuntur argumenta aduersariorum.*
XIV. *Explicantur dubitationes quædam.*
XV. *Quinam sint ad Concilium conuocandi.*
XVI. *Soluuntur obiectiones aduersariorum.*
XVII. *Quod Episcopi requirantur ad generale Concilium.*
XVIII. *Episcopos in Concilijs non Consiliarios, sed Iudices esse.*
XIX. *Cuius sit generali Concilio præsidere.*
XX. *Soluuntur argumenta aduersariorum.*
XXI. *Explicantur conditiones, quas Lutherani requirunt in Concilio celebrando.*

LIBER SECVNDVS.

De Conciliorum auctoritate.

CAP. I. *Argumenta & partitio huius libri.*
II. *Concilia generalia à Pontifice confirmata, errare non posse, ex Scripturis demonstratur.*
III. *Idem probatur ex Patribus.*
IV. *Idem ostenditur argumentis à ratione ductis.*
V. *Concilia particularia, à Pontifice approbata, errare non posse.*
VI. *Soluuntur argumenta ex Scripturis deprompta.*
VII. *Soluuntur argumenta petita ex testimonio veterum Patrum.*
VIII. *Soluuntur argumenta ex Conciliorum erratis.*
IX. *Soluitur obiectio ducta ex ratione.*
X. *Concilia particularia, non probata à summo Pontifice, non omnino certam fidem facere.*
XI. *Concilia generalia, ante confirmationem summi Pontificis errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis institutionem.*
XII. *An sit maior auctoritas Concilij, quàm Scripturæ.*

XIII. *An Concilium sit supra Pontificem.*
XIV. *Explicantur opiniones diuersæ.*
XV. *Summum Pontificem caput esse totius Ecclesiæ.*
XVI. *Non esse in Concilio summam potestatem.*
XVII. *Summum Pontificem absolutè esse supra Concilia.*
XVIII. *Pontificem non posse subijcere seipsum sententiæ coactiuæ Conciliorum.*
XIX. *Soluuntur argumenta aduersariorum.*

LIBER TERTIVS.

De Ecclesia militante toto orbe diffusa.

CAP. I. *De nomine Ecclesiæ.*
II. *De definitione Ecclesiæ.*
III. *De non baptizatis.*
IV. *De Hæreticis & Apostatis.*
V. *De Schismaticis.*
VI. *De excommunicatis.*
VII. *De prædestinatis.*
VIII. *De non perfectis.*
IX. *De magnis peccatoribus.*
X. *De infidelibus occultis.*
XI. *Proponitur altera controuersia; An Ecclesia sit semper visibilis, siue, an errare & deficere possit.*
XII. *Ecclesiam esse visibilem.*
XIII. *Ecclesiam visibilem non posse deficere.*
XIV. *Ecclesiam non posse errare.*
XV. *Soluuntur argumenta, quibus astruitur Ecclesia inuisibilis.*
XVI. *Soluuntur argumenta, quibus aduersarij probant, Ecclesiam posse deficere.*
XVII. *Soluuntur argumenta, quibus aduersarij probant, pastores Ecclesiæ omnes simul errare posse.*

LIBER QVARTVS.

De notis Ecclesiæ.

CAP. I. *Tractationem de notis Ecclesiæ vtilissimam esse.*
II. *Refellitur sententia hæreticorum.*
III. *Proponuntur veræ notæ Ecclesiæ.*
IV. *Explicatur prima NOTA.*
V. *NOTA secunda.*
VI. *NOTA tertia.*
VII. *NOTA quarta.*
VIII. *NOTA quinta.*
IX. *NOTA sexta.*
X. *NOTA septima.*
XI. *NOTA octaua.*
XII. *NOTA nona.*
XIII. *NOTA decima.*
XIV. *NOTA vndecima.*
XV. *NOTA duodecima.*
XVI. *NOTA decima tertia.*
XVII. *NOTA decima quarta.*
XVIII. *NOTA decima quinta.*

DE CONCILIIS ET ECCLESIA

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Ordo disputationis.

DISSERVIMVS hactenus de capite militantis Ecclesiæ: nũc de ipsa Ecclesia disserendũ erit. Quia verò Ecclesia bifariam considerari potest, vt in Concilijs congregata cernitur, & vt toto orbe terrarum diffusa est, propterea nos quoque primum de Concilijs, tum de ipsa ecclesia disputabimus. Præponimus autem disputationem de Conciljs, disputationi de Ecclesia, licet ordo naturæ contra suadere videretur, quoniam disputatio de Concilijs magis connexa est cum disputatione de summo Pontifice, quæ iam præcessit: quam disputatio de Ecclesia.

Igitur controuersia de Concilijs duabus in rebus posita est, in definitione legitimi Concilij, & in eiusdem Concilij auctoritate: Hæretici enim huius temporis fingunt nouam formam Conciliorum, & ijs deinde nullam ferè tribuunt auctoritatem. Nos tamen his duabus partibus addemus tertiam.

Itaque in tres partes diuidetur vniuersa disputatio. In PRIMA præmittemus quædam, quæ ipsi disputationi quasi aditum aperiãt: qui scripserit de hac materia, quid sit Concilium, quotuplex, quot, & quæ hactenus celebrata sint: quæ omnia tractabimus sine cõtentione ad modum simplicis narrationis. In SECVNDA definiemus, quid propriè postulet natura legitimi Concilij: ubi tractabitur de materia, forma, fine, & efficiente Conciliorum, necnon de ijs, quæ aduersarij requirunt in Concilijs. In TERTIA disseremus de auctoritate Conciliorum, tum absolutè, tum etiam per comparationem ad Scripturæ, & Summi Pontificis auctoritatem.

CAPVT SECVNDVM.

Qui scripserint de Concilijs.

VT igitur ordiamur à primo: de hac materia tractant in primis libri ipsi Conciliorum, qui tñ negligenter conseruati sunt, & multis vitijs scatẽt, quæ corrigenda sunt ex veterum lectione: deinde multa extant in decretis Gratiani, Iuonis, Burchardi, Martini Bracharẽsis: item pauca quædam legi possunt apud Hilarium libro de Synodis, Isidorum lib. 6. Etymolog. c. 16. Bedam in lib. de sex ætatibus, in Constãtino IV. Freculphum in fine Chronici, Ioãnem Pselum, & Photium libro de septem Synodis.

Præter hos veteres scripserunt multi recentiorum, vt Thomas VValdensis lib. 2. doctrinal. fidei, c. 26. & 27. Ioannes de Turrecremata lib. 3. summæ de Ecclesia: Ioannes Gerson in tractatibus varijs de potestate Ecclesiæ & Conciliorum: Dionysius Carthusianus in libris tribus de Concilijs: Ioãnes Eckius in Enchiridio: Iodocus Clichtouæus in defensione Concilij Senonensis: & Iodocus Tiletanus in defensione Cõcilij Tridentini: Ioannes Cochlæus in libro de Concilijs: Ioannes Roffensis, contra articulum Lutheri 28. & 29. Caietanus in opusculis: Albertus Pighius lib. 6. hierarch. Ecclesiasticæ: Cardinalis Hosius in explanatione Symboli, c. 24. & lib. 2. contra prolegomena Brentij, Petrus à Soto in defensione suæ Confessionis contra Brentium: Ioannes Antonius Delphinus lib. 2. de Ecclesia, Melchior Canus li. 2. de locis Theologicis: Hugo in opere inscripto, Synodia Hugonia: Item Iacobatius in opere de Concilijs, & Gaspar Villalpandæus in disputationibus nouem pro Concilio Tridentino: Alphonsus à Castro lib. 4. de hæresibus: Gulielmus Lindanus li. 3. c. 7. Panopliæ Euangelicę.

CAPVT TERTIVM.

De nomine Concilij, & origine.

PORRO Concilij nomine idem significatur in Ecclesia, quod nomine comitiorum in regnis: nam quemadmodum cum oritur controuersia in Republica, conueniunt in vnum Principes Regni, vel Magistratus, ac statuunt quid facto opus sit: Ita in Ecclesia cum oritur controuersia aliqua de religione, conueniunt Præsules Ecclesiarum, & simul collatis sententijs, statuunt quod bonum videtur. Ita actũ videmus Act. 15. vbi primum cęperunt Concilia Christiana celebrari, ac deinceps singulis ætatib.

Hanc aũt originem Cõciliorum, etsi Albertus Pighius lib. 6. de cęlesti hierarchia, c. 1. contẽdat esse planè humanam, & naturali ratione excogitatam, probabilius tñ est diuinam esse. Nam Concilium Chalcedonense in epist. ad Leonẽ, & VI. Synodus, actione 17. & Celestinus Papa in epist ad Concilium Ephesinũ, & Cõcilium Toletanum III. non procul ab initio, docent concilia esse demonstrata à Christo in illis verbis, Matth. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.*

Deinde, credibile est Apostolos, qui pleni erãt Spiritu Sancto, non nisi ipso Spiritu sancto admonente primum Concilium congregasse. Vnde etiam dicũt:

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Visum est Spiritui sancto & nobis, Act. 15. Præterea, etsi ratio naturalis dictat, vt in rebus dubijs Princeps consulat homines peritos, tamen vt soli Episcopi conuocentur, & ij non sint consiliarij, sed iudices, non videtur solius humanæ rationis inuentum. Deniq. certum est Conciliorum celebrationem, quæ omnibus seculis in Ecclesia fuit de Apostolica traditione descendere: Apostolicas vero traditiones ego quidem humana inuenta appellare non auderem. Sed hactenus de origine. Nunc de nominibus vno verbo.

Nomen Latinum Concilij, inuenitur passim in Testamento veteri, & nouo, pro congregationibus Iudæorum, sed Græcè nomen, id est, σύνοδος, non inuenitur in Scripturis, vbi enim Latinè legimus Concilium, in Græco textu vbique est συνέδριον vel συναγωγή. inuenitur autem nomen Synodi primum in canonibus Apostolorum can. 38. vbi iubentur Episcopi singulis annis bis Concilia celebrare. Deinde inuenitur apud Eusebium libr. 5. hist. cap. 23. ac deinceps in omnibus auctoribus.

CAPVT QVARTVM.

Partitio Conciliorum duplex.

SVNT autem quatuor genera Conciliorum: quædam enim sunt generalia, quædam nationalia, quædam prouincialia, & quædam diœcesana. Mẽbrorum trium primorum meminit Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donatistas, ca. 3. vbi dicit Concilia pronunciarum, vel etiam maiora, qualia sunt regionum, emendari a Concilijs plenarijs. Vltimi membri memi nit Concilium Toletanum IV. cap. 25.

GENERALIA dicuntur ea, quibus interesse possunt & debent Episcopi totius orbis, nisi legitime impediãtur, & quibus nemo recte præsidet, nisi summus Pontifex, aut alius eius nomine. Inde enim dicuntur œcumenica: id est, orbis terræ Concilia.

NATIONALIA dicuntur, in quibus conueniunt Archiepiscopi, & Episcopi vnius regni, vel nationis, quibus præest aliquis Patriarcha, vel Primas, qualia sunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana, de quibus illud notandum est, ea, licet sint reuera distincta a generalibus, & prouincialibus: tamen vtrorumque nominibus interdum appellari.

Vocantur enim sæpe Concilia VNIVERSALIA, vt patet ex Concilijs Romanis sub Symmacho, vbi semper dicitur: *Symmachus Concilio generali præsidens*: & tamen aderant solum Episcopi Italiæ. Sic in Concilio Toletano III. cap. 18. dicitur: *Præcipit hæc sancta, et vniuersalis Synodus*: & tamen solum aderant Episcopi Hispaniæ, idem patet ex Cõcilio IV. Carthaginensi. Dicuntur ergo ista generalia, siue vniuersalia, quia sunt generalia in eo regno, non autem absolute. Dicuntur autem prouincialia ista eadem a Gratiano dist. 3. can. Porro. quia certis prouincijs continentur, non autem ad omnes Christianos pertinent, sicut vere generalia.

PROVINCIALIA dicuntur, in quibus conueniunt tantum Episcopi vnius prouinciæ, quibus præest Archiepiscopus, siue Metropolitanus, & huius generis sunt plurima in tomis Conciliorum. De his videtur loqui VII. Synodus actio. 3. cum ait, se amplecti etiam decisiones localium Conciliorum.

DIOECESANA sunt, in quibus conueniunt tantum Presbyteri vnius Episcopatus, & ijs Episcopus præest. cuius generis paucissima exstant, nec immeritò: nam vix dici possunt Concilia, cum in eis ordinariè nullus sit, qui iurisdictionem habeat, præter vnum Episcopum qui præest.

ALTERA partitio Conciliorum complectitur item quatuor membra: quædam enim sunt ab Apostolica sede approbata atque ab Ecclesia vniuersa recepta, quædam omnino reprobata, quædam partim approbata, partim reprobata, quædã nec approbata, nec reprobata. Quod membrum postremum in Concilijs particularibus potissimum locum habet.

CAPVT V.

Concilia generalia approbata.

CONCILIA generalia approbata numerantur hucusq. decem & octo. PRIMVM est NICÆNVM, quod quidẽ celebratũ est ab anno Dñi CCCXXVII. vsque ad annum CCCXXX. qui fuit annus XV. Syluestri Papæ, & vicesimus Constantini Imperatoris: cõuenerunt Episcopi CCCXVIII. è quibus erant Patriarchæ, Alexander Alexandrinus, Eustathius Antiochenus, Macarius Hierosolymitanꝰ, & Metrophanes Constantinopolitanus, quamuis hi duo postremi non erant eo tempore Patriarchæ, sed diu postea eam dignitatem adepti sunt. Quidam etiam Metrophanem non per se, sed per legatum Alexandrum, qui postea ei successit in Episcopatu adfuisse volunt. Vide Metaphrastem in oratione de rebus gestis apud Niceam. Ac duę potissimum controuersiæ definitę sunt: Vna de die Paschatis: Altera de Diuinitate Christi aduersus hæresim Arianorum, ipso Ario Principe hæreseos, post annos decem in latrinis dum aluum purgaret, fœdè defuncto.

Sed quia hæc omnia in dubium reuocari possent propter discrepantes scriptorum sententias, paucis singula demonstranda sunt. PRIMVM, de tempore Concilij mira est opinionum varietas, sed veritas nostrę sẽtentiæ hac ratione confirmari potest. Constat Concilium Nicenum finem accepisse anno XX. Imperij Cõstantini. Id enim scribit Eusebius lib. 3. de vita Constantini, & Socrates lib. 1. historiæ, ca. 12. cepit autem Constantinus imperare anno Christi CCCXI. vt ex Chronico sancti Hieronymi, ex Gregorio Haloandro, alijsque Chronologis patet. Efficitur igitur, vt anno Christi CCCXXX. fuerit annus Constantini XX. & finis Nicæni Concilij.

ITEM inchoatum est Concilium Paulino, & Iuliano consulibus, vt Socrates refert libro 1. capite 9. alias 13. & Nicephorus libr. 8. cap. 26. Durauit autem annis tribus, vt idem Nicephorus ibidem testatur. Porro consulatum Paulini, & Iuliani Cassiodorus annotauit anno XVII. Constantini, ex quo sequitur finitum Concilium fuisse anno XX. eiusdem, proinde inchoatum anno Christi CCCXXVII. finitum anno CCCXXX. Sanè Onuphrius Panuinus, quia cõsulatũ Paulini, & Iuliani ponit anno Christi CCCXXV. hoc ipso anno ponit initium Synodi Nicænæ.

DEINDE incidisse Concilij tempus in Syluestri Pontificatum, non Syluestri & Iulij, vt Photius docet in libro de septem Synodis, vel Iulij solus, vt Sozomenus scribit lib. 1. cap. 16. & ex Sozomeno Caluinus libr. 4. Institut. cap. 7. §. 1. & Ioachimus Camerarius in historia Nicænæ Synodi, vbi se diligentissimum scriptorũ veterum lectorem fuisse affirmat, facile demonstrari potest. Nam, vt supra diximus, anno vicesimo Constãtini, finis Concilio impositus est, quod etiam fatetur Camerarius libro citato. Syluester autem creatus est Pontifex anno sexto Constantini, vt ex Chronico Eusebij, ac Hieronymi patet, & sedit in Apostolica sede supra XX. annos, vt Damasus, Onuphrius, & omnes omnino scriptores testantur: Igitur annus XX. Constantini, & finis Nicæni Concilij in Syluestri Pontificatum necessario incidit.

Præterea Milthiades Syluestri prædecessor sedit eodem Constantino imperante, vt testantur Optatus li. 1. contra Parmenianũ, & Augustinus in epist. 162. & 165. & ipse etiam Constantinus apud Eusebium lib. 10. hist. cap. 5. non igitur potuit Syluester nisi post inchoatum

choatum Cõstantini imperium Apostolicam sedem adipisci, tenuit autem eam omnium consensu supra XX. annos: Ergo vicesimo anno Cõstantini, qui fuit postremus Niceni Concilij, non Iulius, sed Syluester Apostolicam sedem moderabatur. Quare rectè Damasus in Põtificali, Hieronymus in Chronico, Theodoretus lib. 1. histor. cap. 3. sexta Synodus, act. 18. & Concilium Florentinum sess. 3. alijque permulti auctores Nicænam Synodum Syluestri Papæ temporibus factam esse scripserunt.

De Nvmero Episcoporum, qui eidem Concilio interfuerunt, videntur esse sententiæ variæ. Nam Eusebius lib. 3. de vita Constantini dicit conuenisse Episcopos supra CCL. Athanasius lib. de sententia Niceno Synodi ait, fuisse Episcopos plus min⁹ CCC. Eustachius apud Theodoretum lib. 1. cap. 8. histor. dicit numeratos supra CCLXX. Sozomenus lib. 1. c. 16. ponit circiter CCCX. Vera tamen, & cõmunis, sententia est, fuisse CCCXVIII. Nam Epiphanius hæresi 69. scripsit, vsque ad sua tempora fuisse conseruata nomina singulorum Episcoporum, & fuisse precisè CCCXVIII. Hilarius quoque in libro de Synodis propè extremo, & Ambrosius præfatione librorũ de fide, mysticum & sacrum dicunt esse numerũ Patrum Cõcilij Nicæni, & multo antea præfiguratum in illis CCCXVIII. militibus, quibus Abraham victoriam de quinque regib. reportauit. Denique Hieronymus in Chronicho, Sulpitius lib. 2. hist. Theodoretus lib. 1. cap. 7. & omnes alij cõstanter hunc numerum ponunt.

Iam verò duas fuisse causas eius Concilij, quæstionem videlicet de Paschate, & quæstionem de Christi Diuinitate, testantur Eusebius lib. 3. de vita Constantini, Athanasius in libro de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & Epiphanius hæresi 70. quæ est Audianorũ.

Denique, vtrum Nicænum Concilium ante mortem probosam Arij celebratum sit, non est omnino certum. Epiphanius enim hæresi 69. apertè scribit, Concilium post mortem Arij celebratũ fuisse: at contrarium scribunt historici. Ruffinus lib. 10. cap. 13. Socrates lib. 1. c. 19. & 25. & ceteri. neque possunt hæ sententiæ conciliari, si dicamus duos Arios fuisse, vt significat Sulpitius li. 2. sacræ historiæ. Nam etiamsi duo Arij fuerint, vnus tamen est ille, qui perijt in latrinis. hunc autem ipsum Epiphanius ante Concilĩ, Ruffinus & ceteri post Concilium ponũt. & sane videntur historici melius sensisse, præsertim cùm in V. Synodo tractatum sit, an liceat hæreticos post mortẽ damnare: quod certè in dubium venire non potuisset, si Arium iam mortuum Synodus Nicæna damnasset. Sed res non est tanti momenti, vt propterea oporteat nos plus temporis in ea consumere.

Secvnda Synodus est Constantinopolitana, quæ celebrata est aduersus Macedonium negantem Spiritus sancti diuinitatem, Theodosio seniore Imperatore, ac Damaso summo Pontifice. Conuenerunt autem Episcopi ex diuersis prouincijs CL. è quibus Patriarchæ fuerunt Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexãdrinus, Meletius Antiochenus, & Cyrillus Hierosolymitanus.

Porrò tempus Synodi huius secundæ incidit, Prospero teste in Chronico, in consulatum Gratiani & Theodosij Augustorum, hoc est, in annum Domini CCCLXXXIII. vel in annum sequentẽ, vt vult Socrates, qui lib. 5. hist. cap. 8. scribit, Concilium conuenisse Coss. Syagrio & Eucherio, hoc est in annum CCCLXXXIV. vel si rationem Onuphrij sequaris, in annum CCCLXXXI. quos ex eodem Prospero & Cassiodoro, & alijs constat Consulatũ gessisse post consulatum Gratiani & Augusti. Psellus in libro de septem Synodis ponit interuallum annorũ LVI. inter primam & secundam Synodum. Si autem ad numerum annorum CCCXXVII. quo tempore diximus inchoatam fuisse Synodum primam, addas numerum annorum LVI. efficies numerum annorum CCCLXXXIII. qui est numerus, quem Prosper in Chronico annotauit.

Est verò animaduertendum, in hoc Concilio, neminem adfuisse ex prouincijs Occidentalibus. Siquidem Damasus Papa Romæ coegerat Synodum Occidentalium, atque ad eũ locum inuitauerat Episcopos, qui Constantinopoli conuenerant, vt eo modo Romæ celebraretur Concilium plenissimum: sed qa patres Orientales iustis de causis Romã venire non potuerunt, accepit Damasus excusationẽ eorum, & animis ac sententijs duæ illæ Synodi coniunctæ sunt ac si vna & eadem fuissent. Atque propter huiusmodi coniunctionem habita est Synodus Constantinopolitana vna ex Oecumenicis & legitimis Synodis. Vide Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. & 10.

Tertia Synodus est Ephesina I. quæ coacta est Theodosio iuniore Imperatore, & Celestino I. summo Pontifice: conuenerunt Episcopi CC. ex quib. Patriarchæ fuerunt Cyrillus Alexandrinus, qui locum ẽt Rom. Pontificis obtinebat, Ioannes Antiochenus, & Iuuenalis Hierosolymitanus, quamquam Ioãnes, quia se adhuc in itinere constituto Concilij decretũ factũ fuerat, initio dissentire cœpit à Cyrillo, postea tñ reconciliati sunt, atque idem senserunt. Caussa Cõcilij fuit Nestorij Episcopi Constãtinopolitani noua hæresis, q̃ Christum in duas personas diuidebat.

Celebratum vero Concilium est, Basso & Antiocho Consulibus, vt Prosper in Chronico, & Socrates lib. 7. c. 34. indicarunt: is autem erat annus Domini CCCCXXXIV. Quid sequuti sint Psellus, qui ponit solum interuallum annor. XL. inter secundam & tertiam Synodum, & Onuphrius, qui annotauit hãc Synodum celebratam anno Domini CCCCXXX. Coss. Theodosio decimum tertium & Valẽtiniano. tertium, non possum dicere, præsertim cũ in ipsa Synodo tomo 2. ca. 1. disertis verbis legamus Synodum inchoatam post Consulatum Theodosij decimum tertium, & Valentiniani tertium, nec ignorare potuerit Onuphrius, non esse idem Coss. Theodosio decimum tertium, & Valentiniano tertium, & post Cõsulatũ Theodosij decimũ tertiũ, & Valẽtiniani tertiũ.

Adde, quod Vincentius Lyrinensis in libro de profanis vocum nouitatibus propè extremo, qui ipso tpe uixit: *Ante triennium fermè in Asia apud Ephesum celebratum Concilium est, viris clarissimis Basso, Antiochoque Consulibus.* Quid clarius? De tota hac Synodo vide Liberatum in Breuiario, c. 5. 6. 7. 8. & seqq. Socratem lib. 7. c. 34. Euagrium lib. 1. c. 4. & ipsam Sinodum nuper ex Græco in Latinum sermonem conuersam, ac tomis duobus comprehensam.

Qvarta, Synodus est Chalcedonensis, quæ collecta est aduersum hæresim Eutychetis Archimãdritæ, quæ vnam tantũ in Christo naturam asserebat post incarnationem, Acta verò est hæc Synodus Leone I. Pontifice Maximo, & Martiano Augusto, Cõsulatu eiusdem Martiani, vt ipsum Concilium testatur actione prima: incidit autem is Martiani Consulatus in annum Christi CCCCLIV. iuxta cõputum Matthæi Palmerij, & Gregorij Haloandri, vel CDLII. iuxta Marianum Scotum & Sigebertum, vel CDLI. iuxta Onuphrium in libro de Romanis Pontificibus. Psellus XXX. annos interponit inter tertiam & quartam Synodum, sed is, vt superiori numero detraxit annos decem, ac posuit XL. pro L. ita nunc addidit annos decem, ac posuit triginta pro viginti, nisi sit error Librariorum. Porrò Episcopi adfuerunt DCXXX. ex quib. erant Patriarchæ, Dioscorus Alexandrinus, qui tamen mox electus est, Maximus Antiochenus, Anatholius Constãtinopolitanus, & Iuue-

nalis Hierosoly. Vide Liberatū in Breuiario, ca. 11. & sequētibus, & Euagrium libro 2. histor. cap. 2. 3. & 4.

QVINTA Synodus generalis non est, vt multi putant, ea quæ sub Agapeto & Menna celebrata est, quę que in secundo tomo Conciliorum sub nomine quinte Synodi quatuor actionibus continetur, siquidem illa particularis fuit, & quintā Synodum antecesit, vt diserte verbis docent Ioannes Zonaras in vita Iustiniani, & Nicephorus lib. 17. cap. 9.

Coacta est autem quinta Synodus vera apud Constantinopolim, Vigilio summo Pontifice, & Iustiniano seniore Imperatore, anno duodecimo post Consulatum Basilij, vt initio eiusdem Synodi legimus, qui est annº Dominicę incarnationis DLIII. vel DLVI. iuxta Psellum, qui annis CII. vult posteriorem esse quintam Synodum quarta. Conuenerunt Episcopi CLXV. vt idem Psellus tradit, è quibus erāt Patriarchæ Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexādrinus, Domninº Antiochenus, & Eustochius Hierosolymitanus, qui tamen non per se, sed per Legatos interfuit. Summus autem Pontifex, nec per se, nec per Legatos interfuit. Synodum tamen per libellum confirmauit, vt Nicephorus scribit lib. 17. c. 27.

Causa congregandi Concilij fuit Origenis hæresis, quæ tunc inualescebat. Itaque damnatus est Origenes, & simul Dydimus & Euagriº eius sectatores: necnō Theodori Mopsuesteni, & Theodoreti Cirensis scripta, & epistola, quæ dicebatur Ibæ ad Marim Persam. Vide de hac Synodo Zonaram loco citato, Nicephorum li. 17. c. 27. S. Gregorium lib. 1. epis. 24. Euagrium lib. 4. c. 38. & Liberatū in Breuiario, c. 23. & 24. tametsi quæ Liberatus dicit valde cautè legenda sunt, aut enim non sunt ipsius, aut ipse falsa alia relatione deceptus fuit. Certè non congruunt cum aliorum Catholicorum Patrum narrationibus.

SEXTA Synodus celebrata est apud Cōstātinopolim anno duodecimo Cōstantini IV. teste Paulo Diacono in vita eiusdem, qui quidem erat annus Domini DCLXXXI. vel DCLXXXV. iuxta Psellū, qui annos CXXIX. ponit inter quintam & sextam Synodum. Quod verò in ipso Concilio passim adscribitur annus XXVIII. eiusdem Constantini, non est error Typographorum, vt censet Illyricus Cent. 7. c. 9. Nam etiamsi non imperauit Constantinus post mortem patris, nisi annis XVII. tamen imperauit etiam annis multis cum patre suo, vt Zonaras significauit, dum ait ab ipso patre coronatum fuisse ante discessū in Siciliam. Itaque Concilium numerat annos Constantini à prima coronatione. Paulus verò Diaconus à morte Constantis patris Constantini.

Conuenerunt Episcopi CCLXXXIX. vt idem Paulus Diaconus testatur, & consentit numerus, qui habetur in VII. Synodo, act. 3. Beda tamen in libro de sex ætatibus, prope finem, Rhegino libro 1. Ado Viennensis, & Freculphus in Chronico, solùm centum quinquaginta Patres numerant. Patriarchæ fuerunt duo, Georgius Constātinopolitanus, & Macharius Antiochenus. Nam Alexandrinæ & Hierosolymitanę Ecclesiarum solùm Legati quidā adfuerunt. Summus quoque Pontifex Agatho per Legatos suos interfuit, & præsedit. In ea Synodo damnata est hæresis eorum, qui vnam tantùm in Christo voluntatē esse volebant. Vide de hac Synodo præter citatos auctores, Albertum Pighium in Diatriba, & Franciscū Turrianum in Apologia pro VI. & VII. Synodo. Albertus enim has duas Synodos sextam & septimam, vt modo extant, adulterinas, & suppositicias esse concedit. Contrà Turrianus veras & germanas esse docet. Quid nobis verius videatur in lib. 4. de Pontifice, cap. 11. iam explicauimus.

SEPTIMA Synodus apud Nicæam congregata est anno VIII. Constantini & Irenæ, vt scribunt Paulus Diaconus lib. 23. rerum Romanarum, & Cedrenus in compendio historiarum. Fuit autē is annus Christi DCCLXXXI. si Paulo Diacono credimus, vel DCCLXXXVI. si credimus Cedreno. Onuphrius ponit annū Cōstantini X. & Chri DCCLXXXIX. Psellus annos dūtaxat LX. inter sextam & septimā Synodum esse voluit, quod nullo modo cum veritate coheret. Ideo quidam mendum esse putant Librariorum, ac Psellum ipsum annos centum scripsisse. Conuenerunt Episcopi, vt idē Psellus habet CCCL. è quibus Patriarcha vnus fuit Tharasius Constantinopolitanus, ceterorum Patriarcharum solùm Legati adfuerunt. Adrianus Papa per Legatos suos præsedit, ac vna cum reliqua Synodo eos damnauit, qui sacras Christi & Sanctorū imagines omni honore spoliabant. De hac Synodo vide, si placet, quæ nos disseruimus, cum ageremus de Concilio Francofordiensi, in disputatione de cultu imaginum.

OCTAVA Synodus est Concilium IV. CONSTANTINOPOLITANVM, quod celebratū est Adriano II. summo Pōtifice, & Basilio Augusto, anno tertio eius dē Basilij, vt in ipsa Synodo, act. prima significatur, qui annus erat Domini DCCCLXX. Conuenerunt Episcopi CCCLXXXIII. è quibus vnus Patriarcha Photius, ac deinde Ignatius Constantinopolitanus, ceteri per Legatos adfuerunt.

Est autē hoc loco animaduertēdum, tres Synodos in causa Photij Cōstantinopoli celebratas. VNA, tēpore Nicolai I. Pōtificis, & Michaelis Imperatoris celebrata est, in qua depositus fuit Ignatius, & ordinatº Photius. cuius Synodi meminit Zonaras in vita Michaelis: nec est dubium, hanc fuisse profanam Synodum, vt patet ex epistolis Nicolai I. & Adriani II.

ALTERA Synodus est ea, quam nos diximus octauam, quæ exstat, quamuis imperfecta, in tomis Conciliorum, in quo depositio Photio, iterum restitutus est Ignatius, atque huius Synodi meminit Zonaras in vita Basilij Imperatoris.

TERTIA est ea, quam tēpore eiusdem Basilij celebrauit per Legatos suos Ioannes VIII. Adriani successor, in qua Synodo, defuncto iam Ignatio, iterum restitutus est Photius, &, si vera sunt, quæ Græci dicunt in Concilio Florentino, sess. 6. & quæ refert ex hac Synodo Frāciscus Turrianus in lib. de actis VI. VII. & VIII. Synodi, rescissa planè acta præcedentis Synodi, sub Adriano, quin etiam statutum, vt tollerētur de Symbolo illa particula (FILIOQVE) sed id nullā habet verisimilitudinē. Idcirco facilē mihi persuadeo, aut esse omnia conficta, quæ dicuntur de Ioanne VIII. vt S. Antoninus docet in Sūma historiali, part. 3. tit. 22. c. 13. §. 10. aut certè verum quidem esse, Photium à Ioanne VIII. per Legatos restitutum in sedē Constantinopolitanam post mortem Ignatij, at cetera suppositicia & adulterina esse, & a Græcis cōficta, vt ex Manuele Calleca Turrianº ostēdit libro citato.

Confirmor autem in hac sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photij, non autem abrogationis Concilij VIII. nec ablationis illius particulæ (*Filioq;*) ex Symbolo, tum etiam, quia Græci in Concilio Florentino sess. 6. non agnoscūt pro Synodo Oecumenica Cōcilium illud sub Ioāne VIII. etsi illis multum prodesse potuisset, si legitimum & germanum Conciliū fuisset. Atque hactenus de Cōcilijs Oriētalib. nūc addemus breuiter Occidētalia.

NONVM Conciliū est LATERANENSE Primum, Episcoporū DCCCC. & amplº, anno MCXXIII. contra Saracenos, pro recuperanda terra sancta, tempore Calisti II. & Henrici V. Imperatoris. Platina, Onuphrius. non extat.

DECIMVM est LATERANENSE II. Episcoporum mille, anno MCXXXIX. contra Antipapas, & pro iure Cleri, tempore Innocētij II. & Lotharij Imperatoris

peratoris. Platina, Onuphrius. non exstat.

VNDECIMVM est LATERANENSE III. Episcoporum ferè CCC. pro reformatione Ecclesiæ, & contra VValdenses, anno MCLXXX. tempore Alexandri III. & Friderici I. Imperatoris. Platina, Onuphrius, item Gulielmus Tyrius, qui interfuit, lib. 20. de bello sacro, cap. 26.

DVODECIMVM est LATERANENSE IV. Patrum MCCLXXXIII. ex quibus erant Episcopi CDLXXIII. anno MCCXV. contra varias hæreses, & pro terra sancta, tempore Innocentij III. & Friderici II. Matthæus Palmerius, Onuphrius, Platina.

TERTIVM DECIMVM est LVGDVNENSE Primũ, anno MCCXLV. contra Imperatorem Fridericum, & pro terra sancta, tempore Innocentij IV. & Friderici II. Matthæus Palm. Platina, Onuphrius. Exstant huius Concilij aliqua decreta in Sexto decretalium.

DECIMVMQVARTVM est LVGDVNENSE II. Patrum ferè mille, ex quibus Episcopi erãt D. anno M. CCLXXIV. contra errorem Græcorum, tempore Greg. X. & Rodulphi Imperatoris. Matthæus Palm. Platina, Onuphrius. Exstant ex hoc Concilio quædam in Sexto decretalium.

DECIMVMQVINTVM est VIENNENSE, Episcoporum CCC. anno MCCCXI. contra varias hæreses, tempore Clementis V. & Henrici VII. Imperatoris. Palmerius, Platina, Onuphrius. Exstant ex hoc Concilio decreta, quæ dicuntur Clementinæ.

DECIMVM SEXTVM est FLORENTINVM, (Omitto Pisanum, Constantiense, & Basiliense de quib. postea) anno MCDXXXIX. Patrum CXLI. qui subscripserunt, & multorum aliorum, qui ante subscriptionem discesserant, vt in fine Concilij annotatur, contra errores Græcorum, tempore Eugenij IV. & Alberti Imperatoris. Matth. Palmerius, Platina.

DECIMVM SEPTIMVM est LATERANENSE V. Patrum CXIV. contra schismata, & pro varijs negotijs, tempore Iulij II. & Leonis X. & Maximiliani Imperatoris, cepit anno MDXII. finẽ habuit MDXVII.

DECIMVM OCTAVVM est TRIDENTINVM, anno MDXLV. inchoatum, anno MDLXIII. finitum, contra hæreses Lutheranorum, tẽpore Pauli III. Iulij III. ac Pij IV. & Caroli V. ac Ferdinandi Imperatorum. Numerus Patrum his verbis describitur a Gaspare Villalpandæo, disputatione quinta de Concilio Tridẽtino *Adsunt*, inquit, *sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales ordinum ministri septem, Episcoporũ procuratores plurimi.*

Ex his Concilijs nullum est, quod non sit a Pontifice probatum, & a Catholicis recipiatur: nã de primis octo Concilijs patet ex decreto, dist. 16. can. Sancta octo. De nouem sequentibus Synodis, ex eo patet esse probatas, q̃ in eis præfuerit summus Pontifex. De vltima patet ex confirmatione Pij IV. At Græci tantum recipiunt prima septem Concilia, vt notum est ex Concilio Florentino sess. 5. & 6. Lutherani autem tantum recipiunt prima sex, vt patet ex Magdeburgensib. centu. 8. cap. 9. & cent. 9. c. 9. Eutychiani, qui adhuc inueniuntur in Asia, tantùm recipiunt prima tria. Nestoriani, qui etiam in Oriente reliqui sunt, tãtum recipiunt prima duo. Trinitarij, qui in Hungaria & Polonia nunc versantur, nullum recipiunt.

CAPVT VI.

Concilia generalia reprobata.

PRIMVM generale opinione Arianorum reprobatum, est Conciliũ Antiochenũ anno CCCXLV. in anno quinto Constantij, vt dicitur a Socrate lib. 2. cap. 5. & Sozomeno lib. 3. cap. 5. in quo damnatus est Athanasius, & via patefacta ad euersionem Concilij Nicæni Primi.

NOTANDVM est autem, a summa Conciliorum, & alijs confundi hoc Concilium cum alijs quibusdã, sex enim fuerunt Concilia Antiochena. Primum, & secundum contra Paulum Samosatenum, tempore Dionysij Papæ. circa annum CCLXIX. Vide Eusebium lib. 7. histor. c. 23. 24. 25. & 25. Tertium Arianorum, tempore Iulij I. anno CCCXLV. vt suprà diximus. Quartum est Macedonianorum pro sua hæresi anno CCCLXVII. tempore Liberij Papæ. Hieronymus in Chronico. Quintum est Catholicum prouinciale Episcoporum XXX. cuius canones 25. habẽtur in tomo 1. Conciliorum. Videtur fuisse tempore Iouiani, & Liberij. Vide Sozomenum lib. 6. cap. 4. Sextum est insertum act. 14. Concilij Chalcedonensis.

SECVNDVM generale est MEDIOLANENSE Eporum plusquam CCC. anno CCCLIV. tẽpore eiusdẽ Constantij, in quo etiam oblique fides Catholica dãnata est. Ruffinus lib. 10. c. 20. Socrates lib. 2. cap. 29.

TERTIVM generale est ARIMINENSE Eporum DC. sub eodem Constantio anno CCCLXIII. vt notat Hieronymus in Chronico, in quo sublatum est de Symbolo nomen ὁμοούσιος. huius Concilij fuit quasi pars q̃dam Seleucienſe in Oriẽte. Vide August. li. 3. contra Maximinũ, c. 14. Hieronymum contra Luciferianos. Ambrosium epist. 32. Ruffinum li. 10. c. 21. Socratem lib. 2. ca. 29. Basiliũ epist. 52. ad Athanasiũ.

QVARTVM est EPHESINVM II. tpe Theodosij iunioris anno CCCCXLIX. in quo, factione Dioscori, occisus est S. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugati, ac demum hæresis Eutychiana confirmata. Reprobata est hæc Synodus a Leone in epistola ad Clerũ & populum Constantinopolitanum, Item ad Theodosiũ: Item ad Pulcheriam, quæ sunt 22. 23. 24. 25. & Vide Breuiariũ Liberati, c. 12. & Euagrium li. 1. c. 9. & 10.

QVINTVM est Concilium CONSTANTINOPOLITANVM sub Leone Isauro contra sacras imagines anno DCCXXX. qui fuit tertius decimꝰ impij eiusdẽ. Conciliũ est reprobatũ: nã nõ interfuit vllus Patriarcharũ, excepto S. Germano, qui tamen non consensit, & ideo a sua sede Cõstãtinopolitana deiectus est.

SEXTVM est Concilium CONSTANTINOPOLITANVM sub Constantino Copronymo, & anno DCCLV. conuenerunt autem Episcopi CCCXXXVIII. sed nullus adfuit Patriarcharum, excepto Pseudoepiscopo Constantinopolitano. Definitum est in Concilio, abolendas esse Christi & Sanctorum imagines. Reprobatum est hoc Cõciliũ in VII. Synodo, act. 6. Vide de his duobus Concilijs Constantinopolitanis Paulum Diaconum lib. 21. & 22. rerum Romanarũ, & Zonaram in annalibus.

Illud etiam obseruabis, hanc Synodum falsò a nõ nullis vocari tertiam Ephesinam, vt ab auctore surnamæ Conciliorum in principio VII. Synodi, & a Sixto Senẽsi lib. 5. bibliothecæ sanctæ annot. 247. Nam omnes antiqui eam vocant Constantinopolitanam, & idipsum clarissimè patet ex isto ipso Cõcilio, quod insertum legitur in VII. Synodo, act. 6. Causſa erroris videtur fuisse, quia isti profanæ Synodo præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus.

SEPTIMVM est Cõciliũ PISANVM anno MDXI. congregatum ab Imperatore & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalib. contra Iulium II. & reprobatũ paulò pòst in Cõcilio Lateranẽsi sub Iulio II. sess. 2. & 3.

OCTAVVM numerari potest Concilium VVITTEMBERGENSE, quod Lutherani generale vocant, CCC. Pastorum præside Luthero anno MDXXXVI. Vide Cochlæum in actis Lutheri, & Sutium in commentario rerum in orbe gestarum anno MDXXXVI.

CAPVT VII.

Concilia partim confirmata, partim reprobata.

PRIMVM generale partim confirmatum, partim reprobatum est SARDICENSE Concilium, Episcoporum CCCLXXVI. anno Domini CCC. LI. tẽpore Constantij & Iulij I. ex quibus CCC. Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quã exponit Hilariꝰ in libro de Synodis, reliqui LXXVI. Episcopi Orientales fidem Arianam scripserunt. Vide Socratem lib. 2. cap. 16. Sozomenum lib. 3. histor. cap. 10. & 11. & Theodoretum lib. 2. cap. 7. & 8.

SECVNDVM est Concilium SYRMIENSE, quod celebratum est annis quinque post Sardicense, hoc est, B anno Domini CCC. LVI. Liberio summo Pontifice, & Constantio Imperatore. In hoc enim Concilio duæ formulæ fidei dissentientes inter se æditæ sunt. VNAM composuit Græcè Marcus Arethusius, qui postea sub Iuliano illustre martyrium pertulit, quæ quidem ea esse videtur, quam Hilarius in libro de Synodis propè extremo, vt Catholicã explicat. ALTERAM alij composuerũt Latinè plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis, non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hæresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiæ probauerunt. Vide Socratem lib. 1. c. 24. & sequentib. & Sozomenum lib. 4. cap. 5. & 6. vide etiam Epiphanium hæresi 71. qui tamen in eo lapsus videtur, quod Sardicam pro Syrmio acceperit. C

TERTIVM est Concilium QVINSEXTVM, in quo continẽtur canones Trullani. Sciendũ est. n. ex Tharasio disputante in septima Synodo, act. 4. sexta n Synodum, quæ tempore Constantini IV. celebrata est, nullos canones edidisse, sed post annos aliquot tempore Iustiniani Episcopos redijsse Cõstantinopolim, & in Palatio, quod dicitur Trullum 102. canones edidisse, qui dicuntur Trullani, & a Balsamone vocatur Cõciliũ Quinisextũ, quia nõ est hæc Synodus quinta nec sexta, sed c nones addidit qntæ & sextę Synodo.

Quo tempore hæc Synodus habita sit, nõ est adeo certum. Nam Theophanes quidam historicus, quem citat Fraciscus Turrianus in libro de VI. Synodo, docet celebratam hanc Synodum anno XXVII. a veræ sextæ Syn di dissolutione, nimirũ anno secundo Im D perij Iustiniani instaurati. At Tharasius in VII. Synodo, act. 4. & Epiphanius in eadem Synodo, act. 6. tomo 1. dicunt post quinque annos a dissolutione Concilij hos canones editos. quod certe probabilius mihi videtur, nam alioqui non video, quæ fuerit illa erratica Synodus Constantinopoli a Iustiniano habita tẽpore Sergij Papæ, & quam idem Papa reprobauit, teste Beda libro de sex ætatibus, Paulo Diacono lib. 6. cap. 4. Othone Frisingensi lib. 5. c. 13. Rhegione li. 1. & Adone Viẽnẽsi in Chronico. nã in anno XXVII. a dissolutione Concilij sexti, non sedebat Sergius, sed Constantinus Papa, & certè Beda, & Tharasius antiquiores Theophane sunt, quin etiam Beda ipsõ tempore vixit, quo Sergius Papa sedebat.

Hos ergo canones dicimus partim reprobatos, qa non interfuit summus Pontifex, nec per se, nec per legatos, dum isti canones fierent. Et aperte Sergius Papa, qui tunc sedebat reprobauit erraticam istam Synodum, vt ait Beda in lib. de sex ætatibus in Iustiniano. Partim autem approbatos, quia etsi canones illi ex se nullam vim habeant, tamen aliqui postea probati sunt a Pontifice, aut alijs legitimis Concilijs, qualis est can. 82. de pingendis imaginib. receptus ab Adriano Papa, & VII. Synodo, vt patet ex ipsa septima Synodo, act. 2. & 4. Vide quæ disseruimus aduersus hãc Synodũ Quinisextã q. 2. de summo Pontifice, ca. 18. A QVARTVM est Concilium FRANCFORDIENSE, quod celebratum est anno DCC. XC. IV. iuxta Rheginonem lib. 2. Adriano I. Pontifice, & Carolo Magno Rege Francorum, quod Concilium ab Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem, in qua definitur Christum nõ esse Filium Dei adoptiuum, & ab eodem reprobatur, quantum ad alteram partẽ, in qua ex errore damnatur septima Synodus. Vide quæ nos diximus in 2. lib. de Concilijs, cap. 9.

QVINTVM est Conciliũ CONSTANTIENSE Patrum ferè mille, ex quibus Episcopi amplius CCC. anno M. CD. XIV. inchoatum sub Ioãne XXIII. & anno M. CD. XVIII. finitum sub Martino V. & Sigismundo Imperatore. Plat. Palmerius. hoc Concilium quantum ad primas sessiones, vbi definit Concilium esse supra Papam, reprobatum est in Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo: quantum ad vltimas sessiones, & ea omnia quæ probauit Martinꝰ V. ab omnibus Catholicis recipitur.

SEXTVM est Cõcilium BASILEENSE inchoatum anno M. CD. XXXI. & continuatum Basileæ, ac deinde Lausannæ vsque ad annum M. CD. XLIX. quo tempore cessit Nicolao V. Pontifici, tam Concilium, quàm Papa Felix V. in schismate ab ipso Cõcilio creatus. Vide acta Concilij, & Bullam annexã Nicolai V. Pontificis. Huius Concilij nihil est ratum & probatum, nisi quædam dispositiones circa beneficia Ecclesiastica, quæ a Concilio factæ fuerant, quas (pacis & vnitatis gratia) Nicolaus prædictus approbauit. Concilium vero ipsum reprobatur in concilio Lateranen C si vltimo, sess. 11.

CAPVT VIII.

De Concilio nec manifestè probato, nec manifestè reprobato.

GENERALE nec approbatum, nec reprobatum, videtur esse Conciliũ PISANVM, quod anno M. CD. IX. deposuit Gregorium XX. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. siquidẽ S. Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3. summæ historialis, asserit, conciliabulum illegitimum, non verũ Ecclesiæ Concilium fuisse, & euentus idem ostendisse videtur: coactum enim Concilium fuit ad schisma tollẽdum, & D tamen illud non sustulit, sed auxit. Si autẽ sine dubio fuisset reprobatum, etiam sine dubio Alexander VI. se non sextum, sed quintum appellasset. ADDE, quod est fermè communis opinio, Alexandrum, & qui ei successit, Ioannẽ fuisse veros Põtifices. At certè ex tribus, qui tũ se pro Pontificibus gerebant, isti maximè vt veri Pontifices colebantur. Hæc de generalibus.

De Concilijs particularib. vide tomos Cõciliorũ, & Gratiani decretum dist. 16. cano. sexta Synodus. et dist. 20. canon. de libellis. Item Chronicõ Onuphrij, & secundum librum Chronographiæ Genebrardi.

CAPVT IX.

De vtilitate vel etiam necessitate celebrandorum Conciliorum. E

HIS igitur præmissis, explicanda sunt ea quibus legitima Concilia cõstãt, ea vero ad quatuor causas reduci possunt, ad finem, efficientem, materiam, & formam Conciliorum. Ac vt a fine, quæ prima causarum est, incipiamus; Primum exponendæ breuiter erunt causæ, ob quas Concilia celebrari solent, deinde ex ijs iudicandum erit, vtrum Conciliorum congregatio sit necessaria, an solùm vtilis. Porro causæ præcipuæ, ob quas Concilia celebrantur, sex numerari solent.

PRIMA

PRIMA causſa eſt hæreſis noua, id eſt, nunquã antea iudicata pp quam cauſſam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia. Semper.n. Eccleſia tanti fecit periculum nouarum hæreſum, vt non putauerit aliter poſſe reſiſti, quam ſi omnes aut certè permulti principes Eccleſiarum coniunctis viribus, & quaſi agmine facto irruerent in hoſtes fidei.

SECVNDA eſt ſchiſma inter Romanos Pontifices. hac.n. de cauſſa celebratum eſt Concilium tempore Cornelij. Item aliud tempore Damaſi, & rurſum alia temporibus Symmachi, Innocen. II. & Alexãdri III. & Piſanum, atque Conſtantienſe temporibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. nullum enim eſt potẽtius remedium, Concilio, vt ſæpiſſimè probatum eſt.

TERTIA eſt, reſiſtentia communi hoſti totius Eccleſiæ. hoc modo coacta ſunt Concilia ab Vrbano II. Calixto II. Eugenio III. alijsque Pontificibus, p bello contra Saracenos. Item ad deponendum Imperatorem celebrata ſunt Concilia à Gregorio III. cõtra Leonem III. Iconomachum: a Gregorio VII. contra Henricũ IV. ab Innocen. IV. contra Federicum II.

QVARTA cauſſa eſt ſuſpicio hæreſis in Romano Pontifice, ſi fortè accideret, vel etiam tyrannis incorrigibilis: tunc.n. deberet congregari generale Concilium, vel ad deponendũ Pontificem, ſi inueniret hæreticus, vel certè ad admonendum, ſi in moribus videretur incorrigibilis: nã vt dr in VIII. Synodo, act. vlt. can. 21. debent generalia Concilia cognoſcere cõtrouerſias circa Romanum Pontificem exortas, non tamen audacter in eum ſententiam ferre. ob iſtã cauſſam legimus celebratũ Conciliũ Sinueſſanũ in cauſſa S. Marcellini, & Romana Cõcilia in cauſſa Damaſi, Sixti III. & Symmachi, & Leonis III. & IV. quorũ nullus à Concilio dãnatus fuit, ſed Marcellinus ſibi ipſi coram Concilio pœnitentiam iniunxit, reliqui ſe purgauerunt. Vide Platinam, & tomos Cõciliorum.

QVINTA cauſſa eſt, dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim Cardinales non poſſent, aut nõ vellent Pontificem creare, aut certè omnes ſimul perirent. aut aliunde fieret verè dubium, ad quos pertineret eiuſmodi electio, ad Cõcilium generale ſpectaret decernere de electione futuri Pontificis, quanquã non eſt veriſimile id aliquando euenturum.

SEXTA eſt reformatio generalis abuſuum & vitiorum, quæ in Eccleſiam irrepunt: tametſi enim ſolus Pontifex poteſt leges toti Eccleſiæ præſcribere, tamẽ longè ſuauius res agitur cum approbante Concilio generali ſummus Põtifex eiuſmodi leges præſcribit. Hinc videmus omnia ferè generalia Concilia canonẽs edidiſſe de reformatione. Vide Ioannem de Turrecremata lib. 3. c. 9. & 10.

CAPVT X.

Concilia generalia vtilia eſſe, & ſuo quodam modo neceſſaria, non tamen abſolutè, & ſimpliciter.

EX his cauſſis, ob quę Concilia cõgregari diximus facile erit iudicare, ſintnè modo vtilia, an ẽt plane neceſſaria Cõcilia ad Eccleſiæ cõſeruationẽ. Et qdem de gñalib. Cõcilijs ita ſtatuo, eiuſmodi Conciliorum conuocationes vtiliſſimas & ſuo quodã modo neceſſarias, non tñ abſolutè, & ſimpliciter neceſſarias eſſe. Id quod mihi facilè perſuadeo, Primũ ex eo, quod primis trecentis annis caruit Eccleſia Concilijs generalib. nec tñ perijt. Quemadmodum enim annis illis CCC. Eccleſia ſine Concilijs generalibus incolumis manſit, ſic ẽt potuiſſet ſine dubio alijs CCC. & rurſum alijs DC. atque alijs mille permanere, nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreſes, multa ſchiſmata, multa vitia, atque abuſus, quæ tamen oĩa Eccleſiam Catholicam, tametſi Conciliorum generalium præſidio deſtitutam, opprimere non potuerũt.

Denique accedit etiam illud, quod nulla ex enumeratis cauſſis generale Concilium abſolutè neceſſariũ eſſe conuincit. Nam primum emendatio vitiorum & abuſuum, (vt à poſtrema cauſſa incipiamus) fieri poteſt ſatis commodè, tum per leges ſummi Pontificis, tum per Conciliorum prouincialium decreta, licet ſuauius id fiat, vt diximus, per Concilia generalia.

Illa autem cauſſa de electione ſummi Põtificis fieri non põt, ſi moraliter, non Metaphyſicè loquimur, vt vnquam vſu veniat. Quis.n. credat futurũ aliquando, vt Cardinales, aut non velint, aut non poſſint creare Põtificem? quod ſi etiam id accideret, vix dubium eſſe poſſet, ad quos pertineret electio. Nã cùm Romanus Epiſcopatus euectus ſit ad ſummũ Eccleſiæ Pontificatum, eorum ſine dubio eſt, ſummum Põtificem eligere, quorum eſt Romanum Epiſcopum eligere. Quorum autem ſit Romanũ Epiſcopum eligere, nõ magis dubium eſſe poſſet remotis Pontificum conſtitutionib. quàm ad quos pertineat aliarum ciuitatum Epiſcopos eligere. Sed de hac re alibi dicendum erit.

Illud conſtat, propter eiuſmodi cauſſam nullũ hactenus Conciliũ generale cõuocatum eſſe. Qđ idem de quarta cauſſa dici põt. Nam propter ſuſpiciones de doctrina, & vita Pontificũ, nunquã conuenerunt, niſi prouincialia, aut nationalia cõcilia. Nec ſane videtur maiori Concilio opus eſſe: nam dum eſt verè Pontifex, non poteſt ab vllo Concilio iudicari, niſi fortè tribuat ipſe Concilio poteſtatem examinandi cauſſam ſuam, & ſententiam diſcretiuam, non tamen coactiuam ferendi: hanc autem poteſtatem æquè poteſt Papa tribuere Concilio particulari, atque vniuerſali.

Iam verò tertia cauſſa duplici nomine non exigit neceſſariò generale Concilium: primum, quia nõ eſt abſolutè neceſſarium, vt cõmuni hoſti, qualis eſt Turca, reſiſtatur. Si enim Eccleſia conuerſari potuit ſub immaniſſimis perſecutionibus Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani, cur non poſſet etiam ſub perſequutione Turcarum? Deinde quis non videt etiam ſine generali Concilio poſſe bellum indici communi hoſti, quemadmodum ſæpe factum eſt?

Denique nec primam, aut ſecundam cauſſam neceſſariò poſtulare Concilij generalis cõuocationem, teſtantur præterita tempora. Nam ſi ad extinguẽdas ſeptem hæreſes celebrata ſunt ſeptem Concilia generalia, pluſquam centum hæreſes extinctæ ſunt a ſola Apoſtolica ſede, cooperantibus Conciliis particularibus: & ſi vnum ſchiſma ſublatũ eſt per generale Concilium Conſtantienſe, ſchiſmata ſupra quinque & viginti ſine Concilio generali ſublata ſunt.

At S. AVGVSTINVS lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 12. affirmat, paucas quaſdam hæreſes fuiſſe, ad quas ſuperandas neceſſarium fuerit concilium plenarium Occidentis, & Orientis. Sanctus quoque LEO in epiſt. 43. ad Martianum, laudat Martianum Auguſtum, quod Synodum generalem a ſe poſtulatam, etiam ipſe neceſſariam iudicauerit.

S. ISIDORVS in præfatione Conciliorum ſcribit, ante Conſtantini tempora, Chriſtianam Eccleſiam in varias hæreſes diuiſam fuiſſe, quod propter Imperatorum perſecutiones non liceret Epiſcopis Concilia celebrare: vbi ſine dubio de generalibus Conciliis loquitur. Conſtat enim ante tẽpora Conſtantini, multa Concilia particularia celebrata fuiſſe, Quare velle videtur Iſidorus, Concilia generalia ſimpliciter eſſe neceſſaria ad hæreſes extirpandas.

Item S. EVGENIVS Epiſcopus Carthaginenſis, vt Victor teſtis eſt, libro ſecũdo de perſecutione VVandalica, cùm vrgeretur a Rege Hunerico, vt de fide cũ Arianis Epiſcopis conferret, reſpondit, cauſſam fidei communem eſſe toti Catholicæ Eccleſiæ, proinde cõuocandos eſſe Epiſcopos ex omnibus Eccleſię partib. ac præcipuè ſignificandam rem totam eſſe Eccleſiæ

Romanæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum. Qua A
rñsione significauit Eugenius, ad explicandas qõnes
fidei Concilium gñale omnino necessarium esse.

Denique, antiqua illa quæstio, essentne rebaptizan
di ab hæreticis baptizati? nunquam finiri potuit, do-
nec accessit snĩa Concilij generalis, etsi multæ præ-
cessissent Concilioruct particularium, & sedis Apo-
stolicæ definitiones: vr igitur ad controuersias fidei
terminandas simpliciter necessaria Synodus generа-
lis. De qua re sic loquitur S. AVGVSTINVS lib. 1. de
Baptismo contra Donatistas, c. 7. *Quæstionis*, inquit,
*huius obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schis
ma Donati magnos viros, & magna caritate præditos Pa
tres Episcopos ita inter se compulit, salua pace, disceptare,
& fluctuare, vt diu Conciliorum in suis quibusque regio-* B
*nibus diuersa statuta mutauerint, donec plenario totius or
bis Concilio, quod salub errimè sentiebatur, etiam remo-
tis dubitationibus firmaretur.* Et cap. 18. *Hoc*, inquit, *de
Baptismo piè credamus quod vniuersa Ecclesia à sacrile
gio schismatis remota custodit. In qua tamen si aliud alij
& aliud alij, adhuc de ista quæstione, salua pace, sentirent
donec vniuersali Concilio vnum aliquid eliquatum since-
rumq; placuisset, humanæ infirmitatis errorem excusa-
re caritas vnitatis.* Et lib. 2. cap. 4. *Nec nos*, inquit, *tale
aliquid auderemus asserere, nisi vniuersa Ecclesia cõcor-
dissima auctoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet,
si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata, &
declarata per plenariũ Concilium solidaretur.* Hæc August.

Sed ad primum testimonium AVGVSTINI, nõ est
difficile respondere, nec. n. docet Augustinus, Concili-
a generalia vllo vnquam tpe fuisse simpliciter necess C
saria, sed solum necessaria quodam modo, hoc est, vt
suauius, & maturius pax Ecclesijs redderet. Si quidẽ
Augustinus quo in loco scripsit, ad hæresim quandã,
hoc est, Arianam comprimendam, necessarium fuis-
se Concilium generale, in eodem scripsit, hęresim Pe
legianam, aliasque plurimas sine Concilio generali
comprimi potuisse. Si autem quæras, quare magis e-
guerit generali Cõcilio caussã Arianorum, quam Pe-
lagianorum, non respõdebit Augustinus, quia obscu
rior fuerit quæstio ab Arianis in Ecclesiam introduc-
ta, quam à Pelagianis: id enim non vr esse verum, cũ
multò plura & clariora sint in scripturis testimonia
pro diuinitate CHRISTI aduersus Arianos, quam p
peccato originali aduersus Pelagianos: sed quia Pela-
gianorum hæresis, DEO sic volente ac disponẽte, bre D
ui damnata fuit ab vniuersa Ecclesia, cũ summa pace
& consensione id ipsum decreuerit Apostolica sedes
Romæ, Concilia Orientalium in Palæstina, & Occi-
dentalium in Africa. Hæresis aũt Ariana multos Epi
scopos patronos ab ipso suo exordio hr cepit, qui nõ
videbantur facilè quieturi, nisi summa totius Eccle-
siæ auctoritate obruerentur. Itaque ad hæresim Pela
gianã extinguẽdã non fuit necessariũ gñale Concili-
um, necessarium aũt fuit ad extinguẽdam hæresim
Arianam: qm illa commodẽ, & facilè ab Apostolica
sede, cooperantib. Concilijs prouincialibus variorũ
locorũ, cõpressa est: hæc aũt etsi tandem ab eadẽ Apo
stolica sede, & prouincialibus Concilijs comprimi po
tuisset, non tamen æquè commodè ac facilè.

Idem ad testimonium S. LEONIS responderi po- E
test. Iudicauit enim S. Leo, necessarium Conciliũ ge
nerale Chalcedonense, vt eius auctoritate distrui pos
set id, quod perperam egerat Concilium generale E-
phesinum secundum. At hanc non fuisse absolutam
necessitatem, sed aliqualem dũtaxat, perspicuum est
ex Concilij Ariminensis irritatione. Fuit enim Ari-
minense Concilium generale, & frequentissimũ, ac
longè celebrius Ephesino secundo, & tamen à Ponti
fice Damaso sine illius generalis Concilij præsidio ir
ritatum fuit. De qua re vide epistolã Damasi ad Epi-
scopos Illyrici, & epist. 52. Basilij ad Athanasium.

Eodem modo exponere cogimur testimoniũ ISI-
DORI: nam quod ipse ait, ante Constantini imperiũ
Ecclesiam diuisam fuisse in varias hæreses, quia non
dabatur Episcopis facultas congregandorũ Concilio
rum, & eo modo plebium docendarum: si absolutè
intelligatur, apertissimè falsum est. Nam & ante tem
pora Constãtini plurimæ hæreses sunt à Cõcilijs E-
piscoporum penitus sublatæ, & extinctæ, & post tem
pora Constãtini, non defuerunt hæreses nouæ, quæ
Ecclesiam longissimo tempore vexauerunt. Certè
Nestorianæ, & Eutychianæ hæreses nunquam peni-
tus eradicari potuerunt, & tamen post Constantini
tempora exortæ sunt, & in ijs extirpandis Concilia
generalia sæpius laborarũt. Id igitur solum Isidorus
significare voluit, tempore Constantini Concilia ge
neralia celebrari cœpisse, atque eam rem ad compri-
mendas hæreses vtilissimam exstitisse.

Iam verò quid S. EVGENIVS sibi voluerit, explicat
ibidem Victor Vticensis. Scribit enim Eugeniũ mẽ-
tionem fecisse Concilij generalis, & trãsmarinarum
Ecclesiarum, cum vocaretur ad conferẽdum de fide
cum Arianis: non quod non essent in Africa viri do-
ctissimi, qui tutò possent committi cũ Episcopis A-
rianis, sed quod existimabat transmarinos doctores,
si in Africam venissent, liberius acturos causam fidei
cum nõ essent subiecti Regi VVandalorum, cui Afri
cani Episcopi subiecti erant. Nec tamen mentitus est
Eugenius, cum ait, caussam fidei esse communem, &
se non posse sine transmarinis Episcopis caussam illã
susc ipere: nam etsi absolutè licebat ei conferre cum
Arianis de fide, vt sæpe alias in eadem regione contu
lerant Catholici cum Donatistis, tamen non expedie
bat eo tempore, & proinde nec licebat sine manife-
sto periculo. Itaque verè non poterat Eugenius sine
transmarinis collegis prouinciam illam susc ipere, nõ
quia deerat auctoritas, sed qa deerat oportunitas: nec
iniquitas, sed prudentia fuit, tyranni illius petitionẽ
sententiæ ambiguitate eludere.

Restat VLTIMA illa obiectio, de Baptismo hæreti
corum, quæ soluitur duobus modis. PRIMVM enim
fortasse non est verum, quod Augustinus putabat, q
stionem illam non potuisse finiri ante Concilij gene
ralis sententiam. Nam Concilium generale primum
fuit Nicænum tempore Constantini celebratũ. S. cri-
bit autem S. HIERONYMVS in Dialogo contra Luci D
ferianos, illos ipsos Episcopos, qui cum Cypria-
no decreuerant hæreticos esse rebaptizandos, postea
contrarium protulisse decretum. Ex quo colligitur,
eos Episcopos tandem sententiæ Stephani Romani
Pontificis acquieuisse, qui tamen omnes mortui sunt
ante tempora Niceni Concilij.

Idem quoque Hieronymus in libro de scriptorib.
Ecclesiasticis, scribit Dionysium Alexãdrinũ in sen
tentiam Cypriani de rebaptizatione concessisse: q. ét
indicat Eusebius lib. 7. historiæ, c. 4. & tñ constat eun
dem Dionysium paulo post mutasse sniam, nec fuisse
ausum rebaptizare quendam hominem, quem certò
constabat ab hæreticis baptizatum, vt idẽ refert Eu-
sebius lib. 7. historiæ, c. 8. Quid, quod ipse etiam Au-
gustinus in epist. 48. ad Vincentium suspicatur Cy
prianum retractasse sententiam suam? Itaque proba
bile est, ét ante Nicænum Cõcilium, auctoritate sedis
Apostolicæ, quæstionem illam apud eẽs Catholicos
fuisse finitã, sed ét si qõ finita non fuisset vsque ad Cõ
cilij plenarij determinationem, vt Augustinus dicit,
non tñ inde colligere oporteret, nõ potuisse finiri: nã
licet Apostolicæ sedi cooperantibus prouincialibus
Concilis controuersiam illam finiendi auctoritas nõ
deesset, maluerunt tamen sancti illi Pontifices differ
re in tempus aliud magis oportunum absolutam de-
terminationem eius quæstionis, quam tot magnos vi
ros ab Ecclesia separare: qa verò tẽporis oportunitas

non

non ante se obtulit, quam cum Nicænum Concilium celebraretur: idcirco Augustinus toties repetit, in Cõcilio plenario orbis terræ, quæstionem illam tandem esse finitam.

At, inquies, Stephanus Papa, congregato Concilio quodam particulari, iussit non rebaptizari, & excommunicandos censuit eos, qui rebaptizarẽt, vt scribit Dionysius Alexandrinus, Eusebio teste lib. 7. hist. cap. 4. & Augustinus libro de vnico Baptismo, cap. 14. Igitur quæstionem Papa cum particulari suo Concilio finire voluit, nec potuit. Proinde necessaria videntur omnino Concilia generalia.

Respondeo, vt lib. IV. de Pontifice, cap. VII. iam ante respondi, Stephanum quidem iussisse, ne ij rebaptizarentur, qui essent ab hæreticis baptizati, ac censuisse etiam rebaptizatores esse excommunicandos, non tamen re ipsa illos excommunicasse, id quod manifeste colligitur ex multis antiquis auctoribus. Nam ipse inprimis Cyprianvs in epistola ad Pompeiũ, non ait, Stephanum excommunicasse, sed excommunicandos putasse, qui contra facerent: *Sacerdotes*, inquit, *Dei veritatem, Christi, & Ecclesiæ vnitatẽ tuentes, abstinendos putat.* Et in epistola ad Iubaianum dicit, se cum collegis suis contrarium sentientibus pacem habere. quod certe non diceret, si aut ab illis ipse excommunicatus fuisset, aut ipse eos excommunicasset: *Nos*, inquit, *quantum in nobis est, propter hæreticos, cum collegis, & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam, & dominicam pacem tenemus.*

Hieronymvs in Dialogo contra Luciferianos de Cypriano sic loquitur: *In communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant.* Avgvstinvs lib. 1. de Baptismo, cap. 7. dicit magnos viros, & Ecclesiæ Patres atque Episcopos, hoc est, Stephanum, & Cypriani, salua pace, & caritate dissensisse. Pacianvs epist. 2. ad Sympronianum: *Cyprianus*, inquit, *in concordia omnium, in pace communi, in cõfessorum grege passus est.* Vincnetivs Lyrinensis in iuo libello: *O rerum*, inquit, *mira conuersio, auctores eiusdem opinionis, Catholici: consectatores verò, hæretici iudicantur. Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filij regni erunt: assertores vero gehennæ suscipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium, & Episcoporum, & Martyrum lumen beatissimum Cyprianum, cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius auctoritate Concilij rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum Diabolo?*

CAPVT XI.

Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria.

Qvamvis autem generalia Concilia, non sint absolute necessaria, tamen Concilia aliqua, siue generalia, siue particularia sint, omnino necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in quæstionem reuocari posse dubito. Nam si *necesse est, vt veniãt scandala*, vt ait Dominus, Matth. 18. & *oportet hæreses esse*, vt Apostolus ait, 1. Cor. 11. certe necesse est etiam, vt in Ecclesia sit certum aliquod iudicium, quo & scãdala tolli, & hæreses damnari possint, alioqui breui tempore Ecclesia vniuersa in partes scinderetur & periret: Nam *omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur.* Matth. 12.

Etsi vero summus Pontifex iudex est, vice Christi, omnium controuersiarum, eique obtemperare debet fraternitas vniuersa, vt Cyprianus loquitur lib. 1. epi. 3. & nos in libris de Pontifice multis argumentorum generibus demonstrauimus: tamen non debet Pontifex in controuersijs fidei diiudicandis, aut solo suo iudicio fidere, aut exspectare diuinam reuelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, & ordinaria media: & tum demum exspectare assistentiam Spiritus sancti, & directionem diuinam.

Porro medium ordinarium, ac proinde necessariũ, esse Concilium, magnum aut paruum, unum uel plura, prout ipse iudicauerit, facile probari potest.

Primvm ex diuina illa promissione, Matth. 18, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Hunc enim locum de Concilijs intelligit Synodus Chalcedonẽsis in epist. ad Leonẽ, & aliæ Synodi, quas in sequenti libro adferemus.

Secvndo, ex facto Apostolorum, qui cum possent etiam seorsum singuli definire controuersias, tamen ne uiderentur negligere medium ordinarium, & à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controuersiam de legalibus Antiochiæ exortam definire uoluerunt, Act. 15.

Tertio, ex consuetudine totius Ecclesiæ, atque omnium seculorum. Semper enim fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas Cõcilia Episcoporum haberentur. Et ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim nouam sine nouo Concilio damnauerunt, ut cognoscere poterit, qui uel tomos Conciliorum, uel historias Ecclesiasticas euoluere uoluerit. Quod autem semper, & ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, & reuera esse?

Sed accedat confirmatio ex Patribus. Cyprianvs lib. 2. epist. 1. ad Stephanum: *Necesse*, inquit, *habuimus, conuenientibus in vnum pluribus sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium.* Gelasivs in tomo de vinculo anathematis: *Si præcessit*, inquit, *consensus Pontificis, doceatur a quibus, & vbi ille sit gestus. si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus. si maiorum more prolatus. si competenti examinatione depromptus, vbi proculdubio requirendum est, si synodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati, & depulsione Catholici, quia noua est causa, fieri certissimum est.*

Denique, Concilium Toletanum XI. in ipsa præfatione multis verbis demonstrat Conciliorũ in Ecclesia necessitatẽ. Sed illa summa est, si Concilia desint, necesse esse, vt omnia uitijs, & errorib. continuo repleantur. Itaque & si posset Deus per absolutam potentiam suam Ecclesiam sine Concilijs conseruare: tñ secundum ordinariam prouidentiã eius, necessaria Cõcilia sunt ad bonam Ecclesiæ gubernationem.

CAPVT XII.

Cuius sit congregare Concilia.

Exposvimvs de fine, nunc de caussa efficiente explicemus, oportet. Igitur conuenit inter nos, & aduersarios Concilia Diœcesana ab Episcopo, Prouincialia ab Archiepiscopo, Nationalia a Patriarcha, vel primate conuocari debere. Id enim cum Augustino epistol. 217. ad Victorinum, Catholici omnes uerum esse fatentur. Idem fatetur Caluinus lib. 4. Insti. c. 7. §. 8. & Illyricus cent. 4. c. 7. col. 534.

At de Concilio generali maxima controuersia est, si quidem Catholici, munus conuocandi Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere uolunt, sic tamen, ut possit etiam alius, Pontifice consentiente, Concilium indicere, quin etiam satis sit, si indictionem factam, ipse postea ratam habeat, & confirmet: at si nec ipse indicat Concilium, nec aliquis alius de eius mandato, uel consensu, nec ipse saltem approbat indictionem, illud non Concilium, sed conciliabulum fore.

Hæretici autem huius temporis eam auctoritatem Imperatori attribuunt. Ita disertè Lutherus libro de Concilijs, pag. 58. ubi etiam dicit, ideo uocati Cõcilia

vniuersalia, quia ab vniuersali omnium domino Imperatore cogebantur. CAROLVS Molineus in cõsilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §. 6. inde probat non esse recipiendum Tridentinum Concilium, quia non ab Imperatore, sed a Pontifice indictũ fuit. ITEM libellus Protestantium, quo rationem reddunt, cur ad Concilium Tridentinum non venerint. IDEM docẽt Caluinus & Magdeburgenses loco notato: nec non Brentius in Prolegomenis contra Petrum a Soto, & ante hos omnes NILVS in libro de primatu Papæ.

ESSE autem reuera Pontificis, nõ Imperatoris congregare Synodum generalẽ: primo demonstrari põt ex diuinis literis; nam Concilium Ecclesiæ nõ est legitimum, nisi congregetur in nomine Christi, vt dicitur Matth. 18. & Caluinus admittit lib. 4. Inst. ca. 9. §. 1. & 2. congregari ãt in nomine Christi, nihil vr esse aliud, quam congregari auctoritate Christi, hoc est, ab eo, qui a Christo habeat congregandi auctoritatem. nam quod Caluinus dicit, congregari in nomine Christi, es se ita congregari, vt solus Christus præsideat, & nullũ collegam habeat, sed omnes subiectos, nec est secundum Scripturas, nec est nota sufficiẽs ad discernenda legitima Concilia. non est, inquam, secundũ Scripturas: nam in Scripturis, illud, *In nomine*, vbiq. fere accipitur pro eo, quod est, ex auctoritate, vt Marci vlt. *In nomine meo dæmonia eiicient.* Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Matt. 7. *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* Actor. 4. *In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis?* Nec vllus fortasse occurret locus, vbi aliquid facere in nomine Christi, significet Christum habere præsidem sine collega. Sed quidquid de hoc sit, illud est certum, non posse hac nota discerni legitima Concilia: nam verum quidem est in legitimo Cõcilio oportere Christum ita præsidere, vt nullus sit ei collega, sed omnes subiecti: at quis iudicabit, quis discernet, n Christus ita præsideat cum cogitur Concilium, an non? nec enim Christus visibili forma in Concilijs præsidet.

Respondet CALVINVS, facile id posse discerni: tunc enim Christum sine collega præsidere, cum totum consessum verbo, & spiritu suo moderatur: hoc est, cum nihil de suo capite, sed omnia secundum Scripturæ regulam Episcopi definiunt.

AT hoc ipsum est ambiguum, & obscurum, nam & aduersarij in suis Concilijs, & Catholici in suis affirmant, se nihil ex proprio capite cõminisci, sed omnia ex diuinis literis depromere. Quis igit iudicabit, vtri verum Concilium faciant? quare si congregari in nomine Christi, est Christum præsidem habere, vt Caluinus exponit, fieri non potest, vt legitima Concilia a non legitimis vlla ratione discernamus. Maneat igitur quod diximus, congregari in nomine Christi, nihil aliud esse, quam ab eo congregari, qui habet a Christo auctoritatem congregandi.

PORRO, Christus cum in cœlum ascendit, ac visibilem suam præsentiam Ecclesiæ abstulit, non commisit Ecclesiam gubernandam, ac proinde etiam cõgregandam Tyberio, qui tunc imperabat, sed Petro Apostolo, cui dixit: *Pasce oues meas.* Igitur qui congregantur ab eo, qui Petro succedit, in nomine Christi cõgregantur, non autem ij, qui ab eo congregantur, qui succedit Tyberio. AD HÆC, Petrus & qui Petro legitime succedit, Pastor est omnium Christi ouium, proinde etiam, Regum, Imperatorum, Sacerdotum, omnes. n. comprehendit, qui nihil excepit, cum ait: Simon Ioannis, pasce oues meas. Vnde S. LEO sermon. 3. anniuersario suæ assumptionis. *De toto*, inquit, *mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctis Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* At quis non videt, ouine conueniat congregare Pastores, an Pastori potius congregare oues? Igitur cum Pontifex pastor sit, Imperator ouis, non ad Imperatorem, sed ad Pontificem spectabit munus Concilia Episcopalia conuocandi.

SECVNDO, Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere, at nullus vnquam Imperatorum totam Ecclesiam subiectam habuit, etiam quoad actiones ciuiles, vt eam habet Pontifex quoad actiones spirituales: nam Imperatores latissime dominabantur tempore B. Leonis, & B. Prosperi, & tamen tunc maior erat orbis Christianus subiectus Papæ, quam orbis Romanus subiectus Imperatori. Sic enim loquitur S. LEO serm. 1. de sancto Petro & Paulo *Per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta* (Roma) *latius præsidet religione diuina, quam dominatione terrena.* Et PROSPER libro de ingratis ita canit.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

Nunc autẽ Imperator, vix vnius prouinciæ Episcopos ad Concilium cogere posset, nec enim Itali, Hispani, Galli Imperatori subijciuntur, sed habent suos proprios Reges, vel Principes temporales. Quid si nullus esset Imperator, immo etiam nullus Princeps Christianus, num ideo Concilia fieri non possent?

TERTIO, Concilia prouincialia indicuntur a Metropolitano, & nationalia a Primate vel Patriarcha, vt supra ostẽdimus, etiam testimonio aduersariorum, igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed a summo Pontifice indicenda sunt. Nam si Imperator indicere deberet generalia Concilia, deberet Rex, aut Dux, aut Magistratus ciuilis indicere Concilia prouincialia, vel nationalia. Vt enim se habet Imperator orbis terrarum ad Concilium generale, ita se habet Rex aut Dux vnius prouinciæ ad Concilium illius prouinciæ, vel nationis. quemadmodum igitur fatentur Concilia prouincialia non conuocari a Principe illius prouinciæ politico, sed ab Ecclesiastico, cur non eadem ratione fatentur, Concilia generalia non debere cogi a principe totius orbis terræ politico, sed ab Ecclesiastico? Esse autem Papam Romanum totius orbis Christiani Ecclesiasticum Principem, paulo ante ex magno Leone audiuimus, & nos in libris de Pontifice fusissime demonstrauimus.

Adde, quod etiam si non esset Romanus Pontifex, verus Princeps, & Monarcha Ecclesiasticus, vt nos docemus, sed esset solum primæ sedis Episcopus, seu primus inter primarios Patriarchas, vt Nilus existimat: adhuc ad eum pertineret ius indicendi Concilia generalia. Primates enim non imperant proprie alijs Episcopis, & ta nen quia primum locum inter Episcopos nationis suæ tenent, iure suo Concilia nationalia indicere possunt. Nam ideo Metropolitanus indicit Synodum prouincialem, quia toti prouinciæ præest, at summus Pontifex toti orbi præest, vt patet ex Leone serm. 3. de anniuersario die assumptionis suæ ad Pontificatum, & epist. 84. ad Anastasium in fine.

QVARTO probatur, ex illo antiquissimo canone, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari. hunc enim canonem Apostolicum esse scribit B. Marcellus Papa in epistola ad Episcopos Antiochenæ prouinciæ. Eundem renouauit Concilium Nicænum I. vt testatur Synodus Alexandrina in epistola ad Felicẽ, & Iulius I. in epist. ad Episcopos Orientales, cuius meminerunt Socrates lib. 2. cap. 13. Sozomenus lib. 3. cap. 9. & Nicephorus lib. 9. cap. 5. Si erg sine Romani Pontificis consensu non licet Concilia celebrare, sequitur eius potissimum esse illa conuocare.

CALVINVS respondet loco notato, ex illo canone id solum effici, debuisse vocari ad Synodum etiam Romanum Pontificem, quia erat vnus ex præcipuis Patriarchis. At si ita esset, tunc etiam potuisset fieri ca-

non,

non, ne præter consensum Episcopi Alexandrini, vel Antiocheni cogeretur Concilium: nã isti etiam erãt præcipui Patriarchæ, & Romano Pontifici æquales, vel maiores secundum Caluinum. A

MAGDEBVRGENSES Centur. 4. c. 7. col. 533. aliam excogitarunt solutionem. Dicunt enim verba Socratis non significare, præter Romani Pontificis sententiam non debere celebrari Concilia, sed non debere Ecclesias dedicari. Sic enim ĩ Græco habetur, μὴ δεῖν παραγνωμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. At falluntur Magdeburgenses, nã κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, non potest significare, dedicare templa, sed canonicum cętum conuocare, siue Concilium indicere, quomodo loquuntur Marcellus, & Iulius Pontifices, qui Latinè videntur scripsisse, & quomodo in Socrate, & Sozomeno Latinè vertit Cassiodorus in historia Tripartita lib. 4. c. 9. & 19. quomodo etiam intellexit Nicephorus lib. 9. cap. 5.

Sed clarissimè res tota ex epistola Iulij, quã Socrates adducit, demonstrari potest. siquidem in ea epist. Iulius reprehendit Orientales, q̃ sine suo consensu concilium Antiochiæ celebrassent. rationem autem reddere volens, cur meritò eos reprehenderet, istum canonẽ in mediũ adducit. Vel igitur canon de Concilij celebratione intelligi debet, vel stultum sanè fuisse Iulium necesse est. vtrum autem horum sit verius, quis non videt? Adde, quod nullus veterum meminit eiusmodi canonis, quo prohibẽtur Ecclesiæ dedicari præter sniam Romani Pontificis: immò nec fuit vnquam, nec est nunc vsus in Ecclesia istius canonis. B

QVINTO probatur, ex Concilio Calcedonensi act. 1. vbi Dioscorus Alexandrinus iubetur nõ sedere inter Epos, eò q̃ Synodum facere ausus fuisset sine auctoritate Apostolicæ sedis: *Quod*, inquit, *nunquam licuit, nunquã factum est.* Sit e quid habemus in Concilio VII. generali, act. 6. vbi irritũ iudicatũ est Cõciliũ quoddam Constantinopolitanum, quia sine cõsensu Rom. Pontificis coactum fuisset ab Imperatore. C

SEXTO probatur, ex Concilio Roma. IV. sub Symmacho, in quo cum Rex Theodoricus diceret se Synodum conuocasse, vt iudicaretur caussa Symmachi Papæ: Responderunt Episcopi omnes, à Papa, non à Rege debuisse vocari Synodum, etiam si Papa accusaretur. Rex verò ait, se ex voluntate, & consensu Põtificis Synodum conuocasse: Episcopi verò non prius acquieuerunt, quam Rex literas Pontificis proferret, & Pontifex ipse præsens testaretur ita esse.

SEPTIMO probatur, testimonio antiquorum Pontificum B. LEO epistola ad Turbium, quæ est 93. c. 17 *Dedimus*, inquit, *literas ad fratres, & Coepiscopos nostros, eisque Concilium Synodi generalis indiximus.* PELAGIVS II. in epist. 1. ad Orientales: *Generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari priuilegio tradita est.* SIXTVS III. qui & Pelagium, & Leonem præcessit, in epistola ad Orientales: *Valentinianus*, inquit, *Augustus nostra auctoritate Synodum conuocauit.* ADRIANVS II. in epistola ad Basilium Imperatorem, quæ lecta est in VIII. Synodo, act. 1. *Volumus*, inquit, *per tuæ pietatis industriam Constantinopoli numerosum conuocari Concilium.* D

His accedat Valentinianus Imperator, qui cũ ab Episcopis rogaretur, vt permitteret eis Concilium celebrare, respondit, ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 7. *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari, sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocunque voluerint loco conueniant.* ACCEDANT vltimò multi alij Canones, qui habentur dist. 17. & plurimæ rationes, quas facit Ioannes de Turrecremata lib. 3. capit. 6. & Concilium Lateranense vltimum sub Leone X. sess. 11. vbi asseritur, Romani Pũtificis esse, generalia Cõcilia indicere: quod decretum factum est vno anno, ante quam Lutherana hæresis nasceretur. E

CAPVT XIII.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SVPEREST argumenta soluere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas. Argumenta Caluini, & Magdeburgensium sumuntur ex indictionibus primorum generalium Conciliorum, quæ ab Imperatoribus, non à Pontificibus indicta fuere. De NICÆNO I. ait Ruffinus lib. 1. historiar. c. 1. *Tum Constantinus apud vrbem Nicænam Episcopale Concilium conuocat.* CONSTANTINOPOLITANVM I. testatur Theodoretus lib. 5. Historiarum, c. 9. à Theodosio seniore indictum fuisse. EPHESINVM I. testatur Euagrius lib. 1. cap. 2. hist. nutu Theodosij iunioris conuenisse. CHALCEDONENSE, testatur B. Leo epist. 43. & alijs nonnullis, à Martiano Imperatore imperatum. SARDICENSE quoque ab Imperatore Constantio indictũ testatur Theodoretus lib. 2. cap. 4.

Confirmatur hoc argumentum à NILO testimonio S. Leonis I. Is enim in epist. 42. ad Theodosium Augũstum supplicat Imperatori, vt iubeat intra Italiam prouinciale conuocari Concilium. Confirmant idem argumentum Magdeburgenses testimonio Liberij Papę, qui apud Theodoretum lib. 2. c. 16. cõcessit, in Imperatoris potestate esse conuocare Concilia. Confirmat rursum Carolus Molinæus in consilio de non recipiendis decretis Concilij Tridentini, §. 6. testimonio S. Hieronymi lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, vbi loquens de Synodo quadam, sic Hieronymus ait: *Dic, quis Imperator hanc Synodum iusserit conuocari?* Addamus quartam confirmationem, ex eo, qđ simul cœperunt esse Imperatores Christiani, & cogi generalia Concilia: si enim absque Imperatoribus celebrari possunt, cur primis trecentis annis nulla celebrata fuerunt?

Ad hæc respondeo, PRIMO ista argumenta posse à nobis meritò contemni: nã aduersarij nostri nolunt argumenta peti efficacia ex traditionibus, aut consuetudine Ecclesiæ, sed solum ex diuinis literis: ista autẽ argumenta omnia petita sunt ex mera traditione, & praxi Ecclesiastica sine vllo Scripturæ testimonio. SECVNDO dico, posse nos opponere consuetudinem consuetudini: si enim quatuor aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura quam duodecim indixerunt Pontifices, vt aduersarij etiam fatentur. TERTIO dico, nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum, id est, sine consensu, & auctoritate Romani Pontificis: id quod breuiter de illis quinque sigillatim ostendo.

Ac primum de NICÆNO I. legimus in sexta Synodo, act. 18. Constantinum, & Cyluestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse. Damasus quoque in Pontificali scribit, cum Syluestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium. Et Ruffinus lib. 10. histor. cap. 1. dicit Constantinum ex sententia sacerdotum Concilium indixisse. Ex quibus non solum habemus quod volumus, sed etiam obiter colligimus falsum esse, quod ait Pighius lib. 6. cap. 1. de Ecclesiastica hierarchia, Conciliorum generalium conuocationem esse inuentum magni Constantini. nõ enim hoc ipse per se excogitauit, sed sacerdotum sententiã sequutus est.

De CONSTANTINOPOLITANO I. Theodoretus refert, Theodosium non tam illud indixisse, quam literas Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebat, ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt Episcopi congregati in illo Concilio ad Damasum Põtificẽ apud Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. *Mandato*, inquiunt, *literarum superiore anno à vestra reuerentia ad sanctissimum Imper. Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus.* Licet ergo Theodosius indixerat Concilium, tamen

indixit

indixit ex mandato Apostolicarum literarum. Quare A in VI. Synodo act. 18. Patres dicunt, Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum, sicut paulo ante dixerat, Constantinum & Syluestrum coegisse primã Synodum vt obsisteret Ario.

De EPHESINO I. Prosper in Chronico indicat Synodum Ephesinam factam esse Cyrilli industria, & Celestini auctoritate. Constat etiam ex Euagrio lib. 1. cap. 4. & ex epistola Celestini ad Cyrillum, quæ habetur inter opera Cyrilli, & ex Photio in lib. de septem Synodis, Cyrillum profectum esse ad Concilium tanquã legatũ Apostolicæ sedis, qđ est argumẽtũ certũ eã Synodum non sine consensu Pontificis coactam esse.

De CHALCEDONENSI patet ex epis. Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense: in qua Imperator indicturus B Concilium, rogat Pontificem, vt ipse veniat, & Concilium faciat, vel si nolit venire, per literas significet, quid agi velit: & in fine cõcludit, se scripturum ad omnes Episcopos, vt ad certum locum conueniant: *Et quæ Christianorum*, inquit, *religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definiuit, sua dispositione declarent.* Extat etiam inter epistolas ad Chalcedonense Concilium pertinentes, quædam epistola Episcoporum secundæ Mesiæ ad Leonem Imperatorem, vbi sic aiunt: *In Chalcedonensium ciuitate multi sancti Epi conuenerunt per iussionẽ Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporũ.*

Denique GELASIVS in epistola ad Episcopos Dardaniæ, dicit, solam Apostolicam sedem, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sua auctoritate decreuisse. Vbi C Magdeburgensium lapsus notandus est, qui Centur. 5. cap. 7. col. 786. non intelligentes quid illud (SOLA) excluderet, putauerunt excludi Imperatorem, & ideo vociferantur Gelasium esse impudenter mentitum. Sed Gelasius per (SOLA) non excludi Imperatorem, sed alias sedes Episcopales. Non enim sedes Alexandrina, vel Antiochena, vel Hierosolymitana, aut etiã Constantinopolitana, sed sola Romana sedes eam Synodum fieri voluit, & re ipsa effecit, quanquãm non sine ope pij Imperatoris Martiani.

De SARDICENSI Concilio, quod a Iulio Papa indictum fuerit, potest intelligi ex Socrate lib. 2. c. 16. vbi dicit, Orientales Episcopos culpã absentiæ suæ a Sardicensi Concilio in Iulium Episcopum Romanum contulisse, eo quod nimis angustum tempus præscriptum esset. Ex quo apparet, non ab Imperatore solo, sed etiam a Iulio Pontifice, & ab eo potissimum Concilium indictum.

Habemus ergo prima illa Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum sententia, & consensu. Cur autem tunc non solus Pontifex indixerit, vt postea factum est, ratio non erat, quia sine auctoritate Imperatoris Concilium coactum, non esset futurum ratum apud Christianos, vt somniant aduersarij, cum aperte dicat Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes: *Quando vnquam iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Sed pr pter multas alias iustissimas causas: quarum PRIMA erat, quia tũc adhuc vigebat lex illa Imperialis antiqua, quæ prohibebat omnia collegia, & frequentes hominum con- E uentus sine Imperatoris auctoritate, eo quod metuerent Imperatores, ne seditio aliqua fieret, Vide l. 1. ff. de collegijs illicitis, & l. conuenticula, C. de Episcopis & Presbyteris.

SECVNDA, quia etiam si lex illa nõ fuisset, cum Imperatores eo tempore in magna pace orbi terræ imperarent, non poterat fieri Concilium nisi in aliqua vrbe Imperiali, nulla autem ratio sinit, vt in aliquo loco ex toto orbe conuentus fiat sine licentia Domini illius loci, sicut etiam modo, si Concilium non fieret in terris Pontificis, sed in Gallia, Hispania, vel Germania, fine dubio peteretur consensus eius, cuius est illa ciuitas, vel prouincia.

TERTIA, quia eo tempore Concilia generalia fiebant sumptibus publicis, præsertim quoad trãsuectiones Episcoporum ad locum Concilij: vehebantur. n. equis, aut vehiculis ciuitatum, sine dispendio Ecclesiarum, vt constat ex lib. 3. de vitã Constantini, vbi etiam Eusebius addit, toto tempore Concilij Imperatoris sumptibus omnes Episcopos vixisse. Idem etiam patet ex Theodoreto lib. 2. cap. 16. vbi cum Liberius peteret generale Cõcilium, respondit quidam, non sufficere censum publicum subuectioni Episcoporum. Item ex epistola Constantini IV. ad Pontificẽ Romanũ, quæ habet initio sextę Synodi, idẽ patet.

QVARTA ratio est, quia eo tempore Pontifex etsi B in spiritualibus esset caput omnium etiam Imperatorum, tamen in temporalibus subijciebat se Imperatoribus, & ideo non poterat inuito Imperatore aliquid agere: & cum tantum debuisset petere ab Imperatore auxilium ad conuocandum Synodum, vel vt permitteret Synodum conuocari, tamẽ quia Dominum suum temporalem eum agnoscebat, supplicabat, vt iuberet conuocari Synodum, at post illa tempora istæ omnes caussæ mutatæ sunt, nam nec illa lex nunc viget, nec Imperatores in toto orbe dominantur, nec sumptibus publicis fiunt Concilia, nec sunt Gentiles, qui impedire possint, & Pontifex, qui est caput in spiritualibus, non est subiectus in temporalibus, cum etiam ipse in suis prouincijs sit Princeps supremus temporalis, sicut sunt Reges & Principes alij, id quod diuina prouidentia factum est, vt Pontifex libere munus suum exe C qui possit.

Ad PRIMAM confirmationem ex NILO, cuius librum in Latinam linguam Illyricus vertit, respõdeo, duas fraudes in eo testimonio sancti Leonis, quod ipsi proferunt, inesse: vnam Nili, alteram Illyrici. Nam S. Leo in epist. 24. & 25. ad Theodosium disertis verbis petit generale Concilium: *Generalem*, inquit, *Synodũ iubeatis intra Italiam celebrari.* Nilus autem hanc sententiam Græcè referens, pro generalem posuit ἰδικὴν id est, propriam seu specialem, cum dicere debuisset οἰκουμενικὴν. Et quia verbum illud Nili ἰδικὴν potuisset in bonum sensum exponi, vt significaret Synodũ specialem, id est, speciali de caussa congregatam, Illyricus ad tollendam omnem ambiguitatem, illud Nili D ἰδικὴν vertit *prouincialem*, vt necessario cogeremur intelligere Synodum non generalem, sed particularem, a S. Leone postulatam ab Imperatore.

At refellitur ista fraus, tum ex verbis Leonis iam citatis, tum etiam ex epistola Valentiniani ad eundem Theodosium, quæ habetur inter præambulas ad Concilium Chalcedonense, vbi Valentinianus de eodem Concilio loquens dicit, S. Leonem voluisse intra Italiam ex toto orbe Episcopos conuenire. DENIQVE illa ipsa epistala Leonis ad Theodosium, qua Conciliũ intra Italiam postulatur, nomine Synodi prouincialis Romæ iam conuocatæ scripta est: sic enim habet inscriptio: *Leo Episcopus, & Sancta Synodus, quæ in vrbe Romæ conuenit Theodosio sæper Augusto.* Si ergo Leo Synodum prouincialem iam intra Italiã conuocaneE rat, cur id ab Imperatore postularetur? Cur aũt generalẽ Synodum ab Imperatore peteret, iam dictũ est.

Ad ALTERAM confirmationem dico, mentiri Magdeburgenses, cum dicunt, Liberium concessisse Imperatori potestatem conuocandi Synodum, id est, agnouisse illam potestatem propriã esse Imperatoris, vt ipsi intelligunt, nam in toto illo Dialogo Liberij cum Imperatore, nulla mentio fit huius quæstionis, cuius sit conuocare Synodum, sed tantum Liberius petit ab Imperatore potentissimo, & Ariano, ac proinde sibi infesto, vt fieret Synodus, quia sciebat inuito Imperatore fieri non posse.

Ad

Ad TERTIAM confirmationem dico, Hieronymũ illud dicere, quia reuera tunc ob causſas dictas Imperatores Synodos conuocabant, licet non ſine conſenſu Pontificum.

Ad QVARTAM confirmationem dico, ante Conſtantinum non eſſe facta vlla generalia Concilia, non quia deeſſet auctoritas, ſed quia deerat opportunitas: nec enim Chriſtianis licebat ex multis prouincijs in vnum locum conuenire propter aſsiduas perſecutiones, vt adnotauit Iſidorus lib. 6. Etymologiarum c. 16

CAPVT XIV.

Explicantur dubitationes quædam.

PRÆTER hæc argumenta hæreticorum ſolent Catholici quædam dubia proponere. VNVM, an non liceat Concilium indici ab alio, quam a Papa, quando ſit neceſſarium Eccleſiæ, & tamen Papa nolit illud indicere. ALTERVM, an non liceat Concilium indici ab alio quam a Papa, quando Papa non debeat illud indicere, eo quod ſit hæreticus vel ſchiſmaticus. TERTIVM dubium, an non liceat Concilium indici ab alio, quã a Papa, quando Papa non poſſet illud indicere, eo quod eſſet captiuus apud infideles, vel mortuus, vel inſanus effectus, aut renunciaſſet.

Ad PRIMVM reſpondet Turrecremata lib. 3. cap. 8. vix eſſe poſsibilem eum caſum: non enim credibile eſt, vllum Pontificem fore tam malum, qui non velit Concilium celebrari, ſi apertè conſtet id eſſe neceſſarium Eccleſiæ conſeruationi, quod ſi etiã ipſe ex ſe talis eſſet, tamen Deus, qui Eccleſiam conſeruat, ſine dubio, vel eius mentem mutaret, vel eum de medio tolleret. DICIT ſecundo, ſi nihil horum fieret, poſſe eum haberi tanquam ſuſpectũ de hæreſi: nam vt dr̃ di. 83. can. Error, & alijs ſequẽtibus, qui errori manifeſto nõ reſiſtit, cum poſsit & debeat, eum approbare cẽſetur.

Ad SECVNDVM & TERTIVM reſpondeo, in nullo caſu ſine Pontificis auctoritate poſſe conuocari verum, & perfectum Concilium, de quali hic nos diſputamus, quod videlicet auctoritatem habet definiendi quæſtiones fidei. Precipua enim auctoritas eſt in capite, ſiue in Petro, cui imperatum eſt, vt confirmet fratres ſuos, & ideo etiam pro eo Dominus orauit, ne deficeret fides eius, Luc. 22. Poterit tamen in illis duob. caſibus congregari Concilium imperfectum, quod ſufficiet ad prouidendum Eccleſiæ de capite. Eccleſia. n. ſine dubio habet auctoritatẽ prouidẽdi ſibi de capite, q̃uis nõ poſsit ſine capite ſtatuere de multis, de quib. poteſt cum capite, vt recte docet Caietanus in opuſculo de poteſtate Papę, c. 15. & 16. & multo ante Presbyteri Romanæ Eccleſiæ in epiſtola ad Cyprianum, quę eſt 7. lib. 2. in operibus Cypriani. Porro Concilium iſtud imperfectum, fieri poterit, ſi vel indicatur a collegio Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum vnum conueniant.

CAPVT XV.

Quinam ſint ad Concilium conuocandi.

DISSERVIMVS hactenus de cauſſa finali, & efficiente Conciliorum: nunc de his, ex quib. Concilia præcipue conſtant, quia quaſi materia dici poſſunt, diſſerendum eſt. Sunt autem initio annotanda duo. VNVM eſt, Eccleſiam vniuerſam quatuor contineri hominum generibus: ſunt enim aliqui clerici, aliqui laici, & rurſum ex clericis, alij prælati, alij non prælati, item ex laicis alij principes, alij priuati: hæc diſtinctio, tametſi ex parte ab hæreticis huius temporis non recipiatur, tamen ex parte etiam recipitur: nam illi etiam fatentur eſſe quoſdam certos homines dedicatos miniſterio Verbi, quibus ex officio conuenit docere, & paſcere populum, quos ipſi miniſtros vocant, & rurſum inter eos alios eſſe maiores, quos vocant ſuperintendentes, alios minores, quos tantum miniſtros appellant.

ALTERVM eſt, in Concilijs multis de cauſsis aliquos intereſſe poſſe, alij enim interſunt, vt iudices, qui dicuntur habere ſuffragium deciſiuum, alij vt diſputando examinent difficultates, qui dicuntur habere ſuffragium conſultiuum, alij vt miniſtrent, quales ſunt notarij, cuſtodes, & alij, vt defendant Concilium, & dent operam, vt intus & extra omnia ſint pacata. Quæſtio igitur eſt, qui ſint ex illis quatuor hominum generibus vocandi ad Concilium, & qua de cauſſa.

Aduerſarij noſtri duo dicunt. PRIMVM, ex omni genere hominum debere intereſſe eos, qui eruditi ſunt, & omnes debere eſſe iudices, atque habere ſuffragium deciſiuum, quidquid ſit de alijs muneribus. Ita diſerte ſcribit LVTHERVS in libro de Concilijs, parte 2. pag. 264. vbi vult ex omnibus locis debere congregari ad CCC. homines doctos in ſacra Scriptura. IDEM ſcribunt Proteſtantes in eo libro quem inſcripſerunt: Cauſſa cur Electores, & ceteri Confeſsioni Auguſtanæ addicti, ad Concilium Tridentinum non accedant. Poſtquam enim dixerant, primam cauſſam eſſe, quia Concilium fuerat indictum a Pontifice, ponunt ſecundam cauſſam, quia in eo non habuerant ſuffragium niſi Cardinales, Epiſcopi, Abbates, & Generales ordinum, cum debuiſſent omnes viri docti etiam laici ſuffragium habere deciſiuum. IDEM prorſus docet Carolus Molinæus in ſuo conſilio de Concilio Tridentino non recipiendo, §. 28. Idem Magdeburgenſes Centur. 1. lib. 2. cap. 9. col. 548. vbi explicãt hiſtoriam Concilij Apoſtolorum, de quo Actor. 15. & dicunt in eo Concilio, poſtquam dictæ ſunt ſententiæ, a tota Eccleſia collata fuiſſe ſuffragia, & eorum iudicio definitum, hominẽ iuſtificari ſola fide ſine operib.

SECVNDO dicunt, Concilium Eccleſiæ non conſtare niſi ex vere pijs, & electis, id quod aperte docet Brẽtius in Confeſsione VVirtenbergenſi, capite de Concilijs, vbi poſtquam dixerat Concilia debere cedere Scripturis, reddit rationem, quia de Scripturis certi ſumus, quænam ſint, & quod ſint infallibilis veritatis: at de Concilijs non item, quia non quilibet cœtus hominum eſt vera Eccleſia, cum non omnium ſit fides, neque omnes ſint electi. idem etiam tenentur dicere Confeſsioniſtæ & Caluiniſtæ, qui, vt infra videbimus, ſolos electos & ſanctos ad Eccleſiã pertinere volunt, & certe Concilium Eccleſiæ non niſi ex hominibus Eccleſiæ conſtat.

At CATHOLICORVM ſententia eſt, ſolos Prælatos maiores eoſque omnes, id eſt Epiſcopos in Concilijs generalibus & prouincialibus habere ius ſuffragij de ciſiui ordinariè, ex priuilegio autem & conſuetudine, etiam Cardinales, Abbates, & Generales ordinum, licet Epiſcopi non ſint: ex Presbyteris autẽ & alijs Clericis minoribus tantum vocari aliquos viros doctos, qui iuuent in diſputando, vel alijs miniſterijs: Principes autem vocari, tum vt Concilium defendant, tum vt teſtes & conſcij decretorum Concilij, poſtea tranſgreſſores & cõtumaces penis corporalibus puniant. Denique, ex priuatis Laicis tantum vocari aliquos, qui videantur vtiles, vel neceſſarij ad aliquod miniſterium Concilij. Hanc ſententiam eſſe Catholicorum, patet, tum ex perſonis, quæ interfuerunt Concilio Tridentino, tum ex Ioanne de Turrecremata lib 3. capit. 12. & 15. & alijs Catholicis auctoribus.

Nunc ad probationem accedamus ſententię noſtrę & refutationem contrariæ, ac primum ſententia illa poſterior non eget refutatione, tum quod refutãda ſit in queſtione de Eccleſię definitione, tum etiam, quod tam falſa ſit, vt ſeipſam deſtruat: nam quod dicit, Concilium conſtare ex electis & ſanctis, affirmat aliquod

eſſe

esse Concilium,& nullum esse Concilium:nam ponit esse Concilium, dum explicat, ex quibus hominibus constet: immo Brentius adeo præsupponit esse, vt dicat,magnam esse auctoritatem Conciliorum:& tamẽ cum dicit ex electis constare, cogitur dicere, nullum esse Concilium. Concilium enim facere, est homines inter se coniungi & coire in vnũ, electi autem in hoc mundo nõ possunt inter se coniungi,cum nemo sciat, quinam sint electi,quod si qui aduersariorum non requirunt in veris Ecclesiæ membris electionem, requirunt tamen internam fidem ac pietatem, ac proinde non poterunt vnquam ostendere vllum Concilium, quod certo dici possit Christianum Concilium, cum internam fidem ac pietatem in alijs nemo videat.

PRIOR autem sententia refellenda nũc est, ac PRIMO,ratione desumpta ex Scriptura sancta:definire in Concilijs ea,quę sunt credenda,vel agenda;proprium est munus pastorum: id enim propriè est pascere: est enim docere, & docere ita, vt teneantur alij credere. Porro docere,esse pascere,patet Hieremiæ 3. *Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Item ad Ephes.4. *Alios autem pastores & doctores.* Vbi notat Hieronymus in hunc locũ, & Augustinus epist. 59. ad Paulinum,coniunctum esse nomẽ pastoris cum nomine doctoris, quia proprium est pastorum docere. At non sunt pastores laici, nec Ecclesiastici quicunque, sed soli Episcopi: sic enim legimus Actor.20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei.* Et Ioan.vlt.Petro dicitur:*Pasce oues meas.*

Si quis autem contendat, omnes Christianos esse Episcopos,& quod dictum est Petro, omnibus Christianis esse dictum: is demonstrare debebit, quinam sint illi, qui in Ecclesia dicuntur oues: si enim omnes sint pastores, vbi oues? quod si quidam sunt pastores, id est,Episcopi,& quidã oues,id est,Laici,& soli pastores in Concilijs conuenire debent, vt definiant, quæ sint bona pascua, quæ vero noxia:certe sequitur, non Laicorum,sed Sacerdotum esse Cõcilia. ADDE,quod Philippus in Locis, ca. de numero Sacramentorum, & Caluinus lib.4.Instit.c.14.§.20.ponũt ordinationẽ Pastorum,qui dedicantur ad pascendum,id est,docendum populum,inter Sacramenta Ecclesiæ. Et aperte dicit Caluinus, hoc Sacramentum non esse commune toti Ecclesiæ, sed tantum quibusdam, qui per illud initiantur. proinde ex eorum confessione, Laici non ordinati nõ sunt pastores, sed oues tãtũ:ergo nõ cõuenit eis docere,pʃertim ea auctoritate,vt fit in Cõcilijs.

Probatur SECVNDO,testimonijs veterum. Prima Concilia in Ecclesia celebrata fuerunt tempore Victoris Papæ,super quęstione Paschatis: de ijs sic loquitur Eusebius lib.5.hist.ca.23. *Ob quã causam* inquit, *conuentus Episcoporum, & Concilia per singulas quasq; prouincias conuocantur.* Hæc ille. Qui non quorumuis eruditorum, sed Episcoporum dicit congregata esse Concilia: quod idem docent Cyprianus in initio epistolæ ad Iubaianum, Hilarius libro de Synodis, Ambrosius epist.32.Hieronymus lib.2. Apologiæ contra Ruffinum,Augustinus epist.119. Leo epist.16. & sequentibus,Ruffinus lib.10.hist.cap.1. Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, alijq. Patres,qui passim asserunt,Concilia Episcoporum esse.

Præterea Theodosius iunior in epistola ad Ephesinam Synodum, quæ exstat in 1. tomo eius Concilij, cap. 32. *Illicitum est*, inquit, *eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum,Ecclesiasticis immiscere tractatibus.* PVLCHERIA quoque Imperatrix in epistola ad Strategum Bithynię,quę habetur ante Concilium Chalcedonẽse,iussit,vt Clerici, Monachi,& Laici,etiam vi repellerẽtur,a Concilio exceptis paucis illis,quos Episcopi secum duxerant. In Concilio Chalcedonensi,act.1.cum ad Martinum Archimandritam mitteretur,vt subscriberet, respondit, non esse suum, sed Eporum tm̃ subscribere. Et in eodẽ Cõcilio cũ ꝓ Dioscoro Monachi & Laici ingressi essent,sæpius Patres clamarũt:*Mitte foras superfluos,Cõciliũ Eporũ est.*

TERTIO probatur ex Concilijs hactenus celebratis:nam omnium Conciliorum decreta ab Episcopis solis facta esse,patet ex subscriptionibus, vbique enim inueniuntur soli Episcopi subscripsisse, exceptis paucis generalibus,quibus Imperator etiam subscripsit, sed alia forma,quam Episcopi: Episcopi enim definiẽdo vt Iudices, Imperatores consentiendo subscripserunt:& quibusdam etiam paucissimis, vt Florentino, Lateranensi, & Tridentino, quibus subscripserunt Abbates,& Generales ordinum,ceteri, quamuis optimi & doctissimi essent,nunquam sunt admissi,nisi ad consultandum, excepto Concilio Basileensi,vbi Presbyteri admissi sunt ad suffragium decisiuum,sed perperam & contra morem omnis antiquitatis, nec illud Concilium fuit legitimum,vt supra diximus.

QVARTO probatur rationibus: nam in primis negotia Ecclesiastica & publica,a personis Ecclesiasticis & publicis tractanda sunt,vt notum est,tales autẽ soli sunt Epi. Deinde, si omnes homines docti admitti deberent,vel nunq̃ essent Concilia generalia,quia vix possent omnes docti totius Ecclesiæ conuocari: vel si tandem congregarentur, esset impossibile regere tale Concilium,propter nimiam multitudinem:præterea tunc sine dubio plures essent in Concilio inferiores, quam superiores:& proinde tunc vere vinceret maior sententia meliorem, & in Ecclesia regerentur superiores ab inferioribus,non è contrario,quod absurdissimum est. ITEM si ita esset, tunc facile posset vnus Princeps,in cuius regione sit Cõcilium,definire quid quid vellet: posset enim facillime colligere omnes Presbyteros & doctos homines suæ prouinciæ, & in Concilium introducere,id quod non possent alij Principes,qui longe abessent. DENIQVE,nulla est Respublica, quæ ratione naturali docente, non habeat aliquem ordinem in comitijs, ita vt non quicunque de plebe, sed tantum Principes & capita ceterorum, locum & suffragium habeant.

CAPVT XVI.

Soluuntur obiectiones aduersariorum.

AT obijcitur PRIMO a Protestãtib. in libello, qui inscribit, Causſa,&c. testimoniũ Lucæ,Act.15. ubi S. Lucas loquens de primo Cõcilio Apostolorũ, ait:*Cõuenerunt Apostoli & Seniores uidere de verbo hoc.* Et infra: *Tunc placuit Apostolis,& Seniorib.cum omni Ecclesia*, vbi videmus,non solùm Apostolos, sed etiã Presbyteros & Laicos in primo Concilio adfuisse.

RESPONDEO, in isto Cõcilio interfuisse Apostolos,tanq̃ iudices,ad definiendũ, Presbyteros autẽ ad consultandũ, plebem aũt non esse vocatã, sed tm̃ adfuisse,& consensisse, non quidẽ definiendo,vel disputando,sed tm̃ audiendo,& non reclamando.quod ita esse probatur dupliciter. PRIMVM, ex consuetudine Ecclesiæ,q̃ est optima Scripturarum interpres: nam cùm in oĩb. Concilijs, quæ post Apostolica tempora celebrata,hunc ordinem obseruatũ esse constet, vt soli Epi fuerint iudices, licet præsentes adfuerint multi alij,vel Clerici,vel Laici,idem oĩno in Apostolico Concilio seruatũ esse credere debemus. Nec.n. Ecclesia vniuersa,ac pręsertim primis illis temporib. ab Apostolorum exemplo & traditione discessisset.

DEINDE, hoc idem ex ipso contextu demonstrari potest:nã quod Apostoli & Presbyteri tantum vocati sint,patet ex eo,quod ibi dicitur. *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* vbi nulla mentio fit plebis. DEINDE,quod tam Apostoli, quàm Seniores loquuti sint,donec discutiebatur cõtrouersia, col-

ligitur

ligit' ex verbis illis (*& cum magna disquisitio fieret*) qd A
verò post disputationem, in qua Apostoli & Presbyteri loquuti erant, soli Apostoli sententias definitiuas dixerint, patet ex eo, quod soli Petrus, Paul⁹, Barnabas, & Iacob⁹ introducunt' a Luca loquētes. Et quod nulli alij sententias dixerint, patet ex continuatione textus: nā post Petri sniam, mox subdit': *Tacuit autē omnis multitudo, & audiebat Paulum & Barnabam.* Deinde subdit': *Et postquam tacuerunt*, nimirum Paulus & Barnabas, *respondit Iacobus dicens*, & mox finita Iacobi oratione subiungitur: *Tunc placuit Apostolis, &c.*

Itaque mendacium est, quod Magdeburgenses dicunt. omnes qui ibi erant, sententiam suam dixisse. quod autem sequitur: *Placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia*, intelligitur de consensu tacito, qui B
debet dari ab omnibus, qui sunt in Cōcilio. Vide Cōcilium Carthaginense in operib. Cypriani: nam etiā in eo Concilio adfuerūt cum Episcopis etiam Presbyteri, Diaconi & Laici permulti, & tamen soli Episcopi sententias dixerunt.

Secvndo, obijciunt ijdem ibidem, Concilium generale vniuersam Ecclesiam repræsentat, ergo debēt esse ibi homines ex omni genere, ideſt Episcopi, Presbyteri, Principes, Priuati, Clerici, Laici, &c.

Respondeo, multis modis posse aliquid repræsentari, sed optimum modum esse, quo per Principes repræsentantur populi. Sicut enim in comitijs generalibus multorum statuum congregari solent consules vel domini ciuitatū, sic in comitijs Ecclesiæ generalibus congregantur omnes Episcopi: nam quilibet Episcopus personam gerit suæ Ecclesiæ, vt patet ex Cypriano lib. 4. epist. 9. vbi dicit, Ecclesiā esse in Episcopo. Quare Eusebius lib. 3. de vita Cōstantini, Concilium episcoporum CCCXVIII. vocat conuentum orbis terrarū. Et Augustinus lib. 1. de Baptism⁹, c. 18. eiusdem Concilij episcoporum consensum, vocat totius ecclesiæ consensum.

Tertio, obijciunt ijdem ibidem, communis causa communibus votis & viribus iuuanda est, sed causa fidei est communis omnibus Christianis, nec enim minus fides ad Laicos, quàm ad Clericos pertinet: igitur ad Concilia etiā Laici conuocandi sunt. Respondeo, causā fidei ad omnes pertinere, sed diuerso modo: nam ad Prælatos pertinet vt doctores, ad ceteros vt discipulos, sicut in bello causa victoriæ ad totum D
exercitum pertinet, tamen ducum est præcipere & ducere exercitum, ceterorum pugnare.

Si quis obijciat illa verba Nicolai I. in epistola ad Michaelem, quæ habentur etiam dist. 96. can. Vbinā: *Vbinam*, inquit, *legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forte in quibusdā, vbi de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnū communis, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & omnes omnino pertinet Christianos?* Respondeti potest, Nicolaum ex eo, quod fides communis est omnibus, recte collegisse, Imperatorem debere interesse, non quidem vt Iudicem, sed vt eum, cui incumbit defendere communem fidem edictis ac legibus, & si oporteat, etiam gladio.

Qvarto, obijciunt iidē, & Carolus Molinæus locis notatis, necnon Brentius in confessione VVirtembergica, c. de Conciliis, & Hermānus Hamelmānus li. 3. Prolegomenorū, c. 6. sæpe vnius hominis ēt Laici sententia prępositа est sententiæ totius Concilij, quia Scripturæ auctoritate magis munita erat, & sine dubio etiam deinceps præponenda est: ergo debent ad Concilium vocari etiam Laici, & quicunque alij.

Antecedens probant, Primo ex Gratiano 36. q. 2. can. vlt. vbi legimus, Hieronymi auctoritatem Scriptura sacra munitam, toti Concilio generali præiudicasse. Secvndo, ex Panormitano in c. Significasti, de electione, & ex Ioanne Gersone, par. 1. de examinatio ne doctrinarum: quorum ille dicit, vnius priuati sententiam præponendam esse sententiæ Papæ, si ille priuatus moueatur meliorib. auctoritatib. Testamenti veteris & noui: iste autem docet, quemcunque hominem doctum posse & debere toti Concilio resistere, si videat illud ex malitia, vel ignorantia errare.

Confirmatur hoc argumentum, quia ratio, cur episcopi præcipuè vocentur, est, quia existimātur esse doctiores ceteris: si ergo multi Laici inueniantur doctiores episcopis, vel æquè docti, cur non vocabuntur ad Concilium?

Respondeo ad primum: Sētentiam vnius priuati posse anteponi sententiæ concilij generalis ante definitionem, dū causa discutitur: in discussione enim eruditio, non auctoritas personæ primas tenet, præterea etiam post definitionem, quando constat, Concilium fuisse illegitimum: at nullo modo post definitionem Concilii legitimi.

Ad illud ex Gratiano, dico Primo, mentiri Hermannum, cùm ait, secundùm Gratianum anteponi Hieronymum Concilio generali, non enim de generali, sed de particulari loquitur Gratianus. Secvndo dico, illa verba, quæ Gratianus Hieronymo tribuit, nusquam inueniri in operibus Hieronymi, nec videri eius verba. Tertio dico, Gratianum eo loco lapsum esse, non enim pugnant Hieronymus & Concilium, vt Gratianus putauit. Hieronymus enim tantùm dixit, secundum legem veterem licuisse raptori ducere in vxorem mulierem a se raptam, si pater eius consentiat. Concilium autem statuit, vt non obstante lege illa veteri, quæ iudicialis est, & Christianos nō obligat, nō liceat raptori in vxorē ducere eā, q̄ rapuit.

Ad illud ex Panormitano & Gersone dico Primo, eos loqui conditionaliter, sicut Apostolus, cùm ait ad Gal. 1. *Si nos, aut Angelus de cœlo euangelizet, &c.* Sicut ergo ex conditionali sententia Apostoli non licet colligere, ergo Apostoli & Angeli poterant euangelizare aliquid contrarium Euangelio Christi, ita quoque ex eo, quod Panormitanus & Gerson dicūt, licere vnicuique resistere Concilio, aut Papæ, si eos errare videat, non licere colligere, ergo absolutè Concilia & Pontifices errare possunt, & ideo priuati homines ad Concilia vocandi sunt. Dico Secvndo, eos loqui de resistentia, quæ potest fieri Concilio vel Papæ, tempore discussionis ante decisionem, vel etiam postea, quā do Concilium est illegitimum.

Ad confirmationem dico, Episcopos quidem debere eligi quàm doctissimos & optimos, tamē eos auctoritatē iudicandi habere, non quia docti sunt, sed quia sunt personæ publicæ. i. Principes habentes Ecclesiasticam iurisdictionem, quemadmodum etiā in Principibus & Iudicibus secularibus, requiritur quidē iurisprudentia & probitas, tamen nō propterea licebit priuato homini meliori, & doctiori deturbare Principem, aut Iudicem de sua sede, & eam occupare.

Qvarto, obiicit Hermānus Hamelmānus lib. 3. Prolegomenorum, c. 10. multa veterum testimonia, quod coram populo tanquam iudice causæ fidei disputatæ sint. Sic enim disputarunt Apostolus Petrus & Simon Magus apud Clementem lib. 1. & 2. recognitionum, Archelaus Episcop⁹, & Manichæus, apud Epiphanium hęresi 56. Syluester Papa & Iudęi, apud Zonaram in vita Constantini, Athanasius & Arius, apud Vigilium Episcopum Tridentinum, Augustinus & Maximinus, apud Augustinum lib. 1. cap. 1. contra Maximinum. Quod etiam in Nicæno Cōcilio multi fuerint Laici docti & eloquentes, patet ex Nicephoro lib. 8. cap. 14. Denique, quòd populus sit iudex, diserte habet Ambrosius in epistola 32. vbi sic loquitur. *Causam fidei*, inquit, *in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat.* Et paulo post: *Iste populum indicat, cuius in corde lex diuina est, non huma-*

humana: Lex non atramento scripta, sed Spiritu Dei viui. Et infra: *Sed Auxentius*, inquit, *certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen.*

Pro solutione duo notanda sunt. PRIMO, duplex esse iudicium, publicum & priuatum. Publicum est, quod profertur à publico iudice cum auctoritate, ita vt teneantur ceteri illi iudicio acquiescere. Priuatum est, ea sinia, quam quisque eligit vt veram, sed neminē obligat: quomodo in disputationibus Theologorum & Philosophorū, auditores sunt iudices, audita enim vtraque parte eligunt quod volunt, sed neminem cogere possunt, vt similiter sentiat.

NOTA SECVNDO, iudicium publicum in caussa fidei nunquam esse tributum populo, iudicium autem priuatum aliquando esse tributum etiam à pijs & sāctis hominibus: sed tunc solùm, cùm aliud fieri non potuit: tenentur. n. populi sequi iudicium pastorum suorum: tñ qñ hęretici impunè versantur cum Catholicis, & multos seducunt, expedit qñque publicas disputationes coram populo cum eis inire, & relinquere iudicium populo, vt sequatur, quos viderit melioribus rationibus niti: quomodo fecit Helias lib. 3. Reg. cap. 18. qui cum non posset aliter reuocare populum à cultu Baal, instituit certamen cum Prophetis Baal, præsente populo, & ait: *Qui exaudierit per ignem, ille sit Deus, si Dominus est Deus, sequimini illum, si Baal est Deus, sequimini eum.*

His notatis, dico ad illa omnia loca, in illis disputationibus datum esse populo iudicium priuatum, non publicum, & hoc quia nō poterat aliter fieri. Id quod ex illa epist. 23. AMBROSII intelligi potest. Sic enim ait: *Veniant planè si qui sunt, ad Ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisquam iudex resideat: sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, & eligat quem sequatur.* Vbi vides negari populo iudicium publicum, tribui priuatum, cur autem tribueretur priuatum: caussa erat, quia tunc Mediolani Imperator Arianis fauebat, nec poterat aliud obtineri. Hoc in genere ad illa omnia loca dici potest. In particulari autē, ad illud de Nicæno Concilio, sciendum est, Laicos non esse vocatos nec interfuisse actis Concilij: sed per se venisse, vt extra Concilium disputarent cum Episcopis, quos audierant ex toto orbe eò conuenisse. Vide Ruffinum libro decimo cap. 3.

CAPVT XVII.

Quot Episcopi requirantur ad generale Concilium.

PRÆTER hęc argumenta hæreticorū, mouent Catholici vnum dubium de his, qui interesse debent in Concilio: nam vel ad generale Concilium faciendum requiruntur omnes Episcopi totius orbis, vel aliqui tantum: si omnes, nullum fuit ergo hactenus Cōcilium generale, neque etiam videtur deinceps futurum: si aliqui tantum, quinam illi sunt? non enim videtur maior ratio de vno, quam de alio.

RESPONDEO, non posse istam qōnem solui melius quam ex consuetudine Ecclesiæ, & ex ijs Concilijs, q̄ cium consensu generalia fuerūt, qualia sunt quatuor prima. Ex consuetudine aūt Ecclesiæ colligimus quatuor cōditiones & sufficere & requiri ad generale Cōcilium. PRIMA est, vt euocatio sit generalis, ita vt innotescat omnibus maioribus Christianis prouincijs. Id enim constat semper fuisse seruatum, adeò vt septima Synodus, act. 6. ideo iudicauerit Concilium Constantinopolitanum contra imagines, non fuisse generale, quia non exijt sonus eius in omnem terram.

SECVNDA, vt ex Episcopis nullus excludatur, vndecunque veniat, modò constet eum esse Episcopum & non excommunicatum.

TERTIA, vt adsint per se, vel per alios, quatuor prę cipui Patriarchæ, præter summum Pontificem videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, quia istis suberant omnes alij Episcopi. id patet tum ex vsu, tum ex VII. Synodo, act. 6. vbi censetur, Constantinopolitanum contra imagines, non fuisse generale Concilium, quia non habuit Patriarchas: & in VIII. Synodo, act. 9. recipitur cum gaudio Vicarius Patriarchæ Alexandrini, tanquam sine illo aliquid defuisset Synodi plenitudini. Porro hęc tertia non omnino necessaria, sed tantum ad bene esse iudicabatur: nam Synodus tertia sine Patriarcha Antiocheno damnauit Nestoriū Constantinopolitanum: & Synodus Chalcedonensis, sine Patriarcha Alexandrino omnia fere concluſit: & nunc nō sunt necessarij isti Patriarchæ, quia hæretici vel certe schismatici sūt.

QVARTA, vt saltem ex maiori parte Christianarum prouinciarum aliqui adueniant, & si quidem Cōcilium fit in Oriente, semper visum est sufficere, si ex prouincijs omnibus Orientis Episcopi conueniant multi: ex toto autem Occidēte mittantur aliqui a summo Pontifice, qui suppleant aliorum locum. Et è contrario, si celebretur in occidente, conueniant, ex omnibus prouincijs Occidentis multi: ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum. Sic in Concilio Nicæno I. ex Occidente solùm fuerunt duo Presbyteri missi ex Italia, vnus Episcopus ex Gallia, vnus ex Hispania, vnus ex Africa. In Concilio II. & III. nulli fuerunt ex Occidente, sed tamen Pontifices Damasus & Celestinus Concilia illa confirmarunt, nomine suo, & aliorum Episcoporum Occidentis, quos ipsi Romæ collegerant. In Concilio IV. solum fuerunt legati Leonis, & præterea misit ipse consensum aliorum Episcoporum Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, qui in suis prouincijs celebratis Concilijs ad Leonem scripserant, se in omnibus sententiam eius sequi. Vide tomos Conciliorum.

E contrario vero ad Concilia Occidentis, vt Lateranense sub Innocentio III. Lugdunēse, sub Gregorio X. Viennense, sub Clemente V. ac nuper Tridentinum venerunt Episcopi frequentes ex toto Occidente, ex Oriente vero pauci quidam duntaxat. Ex quo sequitur, posse interdum Concilia nationalia esse multò maiora generalibus, quoad numerum Episcoporū, & tamen minora quoad auctoritatem: nam Concilium II. tantum habuit C L. Episcopos ex varijs prouincijs, & nationibus, & Concilium Carthaginense nationale ex sola Africa, tempore B. Augustini, habuit Episcopos CCXVII. vt refert Prosper in Chronico anni CCCCXX.

CAPVT XVIII.

Episcopos in Concilijs non Consiliarios, sed Iudices esse.

SEQVITVR postrema quæstio de forma Conciliorum, quæ tamen bipartita erit. PRIMO namque explicandum occurrit, an Concilia habeant formam iudicij, an tantū inquisitionis. SECVNDO, hoc definito, quod habeant formam iudicij, quis debeat esse ordo inter iudices: vt enim in corpore forma dicitur figura, siue ordo omnium membrorum suo loco positorum, ita in cœtu hominum forma dicitur ordo quidam, quo præest, qui debet præesse, subest, qui debet subesse. Est ergo prima pars quæstionis: An Cōcilium sit verū iudicium, & Episcopi veri iudices, ita vt standum sit eorum sententię, quia ipsi sic statuerunt, quomodo statur sententiæ Prætoris in caussis politicis: an vero tantum sit inquisitio quædam, & tantum valeat decretū Concilij, quantum valet eius ratio: quomodo loquimur de decisionibus Doctorum, quas vel in scholis, vel in suis commentarijs faciunt.

Hæretici

Hæretici huius temporis in hoc ferè omnes conue niunt, quod Concilium non sit, nisi inquisitio, & qđ solus Christus, & verbum eius scriptum habeat suffragium decisiuum, & ideo dicunt, non esse attendẽdum numerum suffragiorum, & sæpe magis sequendum vnum, qui pro se Scripturam adferat, quam totum reliquum Concilium. Et inde etiam deducunt, licere vnicuique examinare decreta Concilij, & recipere, vel non recipere, vt voluerit. Ita Lutherus docet in assertione art. 29. & apud Cochlæum in quingentis articulis art. 115. Idem vult Caluinus lib. 4. ca. 9. §. 8. Instit. Idem scribit Brentius in Confessione Virtembergica, c. de Scriptura, & c. de Concilijs. Kẽnitius quoque in Examine 4. sess. Concilij Tridentini, passim Catholicos reprehendit, quod tribuant Epi copis prætoriã auctoritatẽ iudicandi de cõtrouersijs.

Denique, libellus Protestantiũ, vbi explicant causas cur ad Concilium non venerint, diserte docet, nõ debere in Concilio conueniri, vt votis & suffragijs qõnes definiantur, sed vt inter tam multos aliquis reperiatur, qui ex Scriptura ostendat, quid sequendum sit, & aliquem talem præponendum Concilio numerosissimo, etiamsi arenarum numerum vinceret. Hac sentẽtia ostẽdunt hæretici, quã paruifaciant Cõcilia, & q, verè nihil aliud cupiant, q̃ qõnes nunq̃ finiri.

Nos ergo dicimus, consessum Episcoporum in Concilijs legitimis esse verum Iudicum consessum, & eorum decreta & leges necessariò sequendas. Probatur Primo tribus Scripturis. Prima est Deut. 17. vbi iubentur, qui dubia habent, recurrere ad Sacerdotum Concilia, &: *Qui non obedierit eorum sententiæ, morte condemnetur.* Secunda Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Hic enim locus, etsi varias explicationes admittat, tamen cum Concilium legitimum omnium consensu maximè propriè dici possit Ecclesia, non potest vllo modo reijci hæc explicatio, qua asserimus, Dominum iussisse vt sententiæ legitimi Concilij obediamus. Tertia Act. 15. & 16. vbi Paulus pertrãsiens ciuitates varias, præcipiebat eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano. De quo concilio tria notanda sunt.

Primvm est, in eo Concilio non ex Scripturis, sed ad suffragia Apostolorum definitam esse quæstionẽ. Non. n. qõ erat, vt aduersarij fingunt, an sola fides iustificet, sed an circumcisio, & cæteræ legales ceremoniæ essent necessariæ Christianis. Id quod manifestè colligitur tum ex occasione Synodi, de qua sic loquitur S. Luc. Actor. 15. *Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Mosi. Conueneruntq; Apostoli & Seniores videre de verbo, &c.* Tum ex epistola Concilij, in qua nihil mandatur, nisi abstinentia à sanguine, suffocato, & immolatitijs, & liberantur Gentes ab omnibus alijs Iudaicis cæremonijs. Certè autem nihil horum in Scripturis habebatur: vbi enim, quæso, scriptum erat, vt Gentes non seruarent legalia, excepto mandato de abstinentia à sanguine, suffocato, & immolatitijs?

Alterum est notandum, Apostolorũ snĩam non fuisse permissam examini discipulorum, sed simpliciter imperatũ fuisse, vt obedirent, vt clarissimè cõstat ex locis citatis Act. 15. & 16. quare aduersarij, qui Cõciliorum snĩam examinari volunt ab vnoquoque homine priuato, cum Scriptura manifestissimè pugnãt.

Tertium est, Concilij Apostolici definitionem, veram legem fuisse obligantem in conscĩtia: de qua re supra diseruimus in quarto libro de Pontifice, & sanè id satis Lucas ostendit, cum modo præcepta, modo decreta, & dogmata appellet.

Secvndo, probatur ex ipsis Concilijs: nam Concilia omnia dicunt anathema non obtemperantibus: A vocant sua decreta, canones siue leges Ecclesiasticas: cum subscribunt, Episcopi dicunt: *Ego N. definiens subscripsi.* Præterea in Concilio Chalcedonensi, act. 4. cum decem Episcopi Ægyptij nollent acquiescere, iudicio maioris partis, pro hæreticis habebantur, quę omnia sunt apertissima argumenta, quod Concilia sint vera iudicia.

Probatur Tertio: nam si non esset in Concilijs agendum suffragijs, sed disputationibus tantum, per peram fieret, vt soli Episcopi sententiam ferrent, cũ munus disputandi sit hominum eruditorũ, siue sint Episcopi, siue non. Cuius contrarium iam supra ostẽdimus. Frustra etiam vocarentur Episcopi aliqui rudes, & simplices, quales aliquos fuisse in Concilio Nicæno scribit Ruffinus lib. 10. hist. c. 3. Adde, q Protestantes in illo suo libello apertè secum pugnant: nam in eo libello docent, debere etiã Laicos cum Episcopis habere suffragium decisiuum, & ibidem paulò post dicunt, non debere in Concilijs aliquid definiri ex multitudine suffragiorum, sed tantum ex testimonijs Scripturarum. Multa alia adferemus postea, cũ disputabimus, an Concilia possint errare.

At Obiicvnt exemplum Paphnutij, qui apud Socratem lib. 1. c. 8. & Sozomenum lib. 1. cap. 22. toti Concilio Nicæno volenti prohibere Sacerdotibus vsum vxorum, solus liberè restitit, & preualuit. Lvtherus art. 115. ex quingentis, apud Cochlæum in septicipite, c. 34. *Res*, inquit, *est insana, quod Concilia concludere & statuere volunt, quid credendum sit: cum sæpe nullus vir ibi sit, qui diuinum Spiritum, vel modicũ olfecerit, sicut contigit in Concilio Nicæno, vbi tractabant & volebant leges condere super statu Ecclesiastico, ne essent in Matrimonio: ibi iam omnes erant falsi: tunc procedebat vnus tantum homo Paphnutius, & refutauit hoc totum, & dixit. Non ita, hoc non est Christianum, tunc totum Concilium oportuit ab ista conclusione desistere.*

Respondeo. Primvm, incertum esse hanc narrationem, cum eius non meminerint antiquiores, Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Ruffinus, &c. Secvndo si vera sit narratio, Paphnutium ante definitionẽ Cõcilij restitisse, ut ipsimet auctores testantur, proinde hoc exemplum non esse ad propositum. Tertio dico, Paphnutium nõ allegasse Scripturam, sed solum auctoritate sua contendisse, & idcirco, iudicio aduersariorum, non debuisse audiri. Qvarto addo, Paphnutium solum cupiuisse, non interdici vsum vxorũ ijs, qui eas habebant: tamen hortatum esse Synodũ, vt seuerè interdiceret Sacerdotibus & Monachis, ne post sacram Ordinationem, vel professionem vxores ducerent, vt ibidem Socrates & Sozomenus testantur: ex quo mirum est, si non confundantur Lutherani, qui contra Paphnutij sententiam vxores ducunt, etiamsi Monachi & Sacerdotes fuerint.

Addo postremò, Concilium statuisse planè contrarium eius, quod isti ex Paphnutio referunt. Nam statuit can. 3. ne in domibus Sacerdotum sint vllę fęminæ, præter matrẽ, sororem vel amitam. Vnde Epiphanius hæresi 59. dicit, esse contra canones vt Sacerdos, aut Diaconus, vel Subdiaconus liberos gignat: quocirca Lutherus more suo secum pugnãs, in lib. de Concilijs par. 1. apertè dicit, Concilium Nicęnũ prohibuisse Sacerdotibus vsum vxorum, ac se non intelligere Spiritum sanctum in eo Concilio, cum & castrationem prohibeat, & contubernium fœminarũ.

Objiciunt Secvndo aliqui Catholici: Si omnes Episcopi essent Iudices, teneretur Pontifex, qui Concilio præsidet, in decretis faciendis sequi maiorẽ partem Episcoporum: at falsum est, cum Damasus irritauerit acta Concilij Ariminensis, quibus maior pars Episcoporum consenserat, vt patet ex epistola Damasi ad Episcopos Illyrici: & Leo irritauerit quoddam decretum Concilij Chalcedonensis, cui etiam maior

pars Concilij assenserat, vt ipse Leo testatur epistola 53.54.& 55.

Respondeo PRIMO, nunquam fortasse adhuc acci disse, vt Pontifex sequeretur minorem partem in Cō cilio, quando remota fraude & dolo, sententias dixe runt. Quod dico propter Concilia Ariminense & Chalcedonense, quæ fraude non caruerunt: nam in Ariminensi deceptos fuisse Catholicos verbi Græci obscuritate, testatur Ruffinus lib. 10. c. 21. in Chalcedonensi autem fuisse fraudem, patet ex act. 16. eius Concilij, vbi vicarij Romani Pontificis conquerun tur, quod se absentibus fraudulenter factum esset il lud decretum.

Dico SECVNDO, Præsidem Concilij, vt Præsidem, debere sequi in decreto formando maiorem partem suffragiorum, tamen Pontificem, non vt Præsidem, B sed vt Principem Ecclesiæ summum posse retractare illud iudicium: & consequenter, si ipse sit Præses Cō cilij, posse, non vt Præsidem, sed vt Principem sum mum, non sequi maiorem partem, quemadmodum in temporalibus iudicijs debet Præses a Rege consti tutus, sequi maiorem partem Iudicum, tamen Rex, tanquam Superior, potest totum iudicium irritare. Et hoc maxime locum habet in Pontifice, cuius est confirmare, & dirigere fratres suos, & ad hoc habet assistentiam Spiritus sancti, ne erret, iuxta illud Lu cæ. 22. *Rogaui pro te, &c.* Vide Ioannem de Turrecremata lib. 3. ca. 63. & 64. & Canum. lib. 5. c. 5. quæst. 2.

CAPVT XIX.

Cuius sit generali Concilio præsidere.

ALTERA pars quæstionis est: An debeat aliquis præsidere, & quis ille sit. Hæretici nostri tempo ris docent, ordinarium Præsidem Conciliorum debe re esse Imperatorem, vel aliquem ab eo missum, vel si nullum ipse mittat, debere ab ipsa Synodo constitui. Et re ipsa, dicunt, in Concilijs generalibus antiquis non præfuisse fere vnquam Romanum Pontificem, sed vel Imperatorem, aut eius Legatos, vel antiquio rem Patriarcham, aut Episcopum eius loci, vbi fiebat Concilium. ita docent Magdeburgenses Centur. 4. cap. 7. col. 536. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 1. & 2. Carolus Molinæus in consilio de Concilio Tridenti no non recipiendo, §. 4. vbi aperte mentitur, cum ait, D Legatos Pontificis post omnes episcopos in Concilijs semper sedisse, cum in nullo Concilio inueniantur vl timo loco sedisse. Hermannus Hamelmannus lib. 3. Prolegom. cap. 8. & Brentius in Prolegom. contra Pe trum a Soto.

Catholici omnes id munus proprium esse docent summi Pontificis, vt per se vel per Legatos Synodo præsideat, & tanquam supremus Iudex omnia mode retur. Dicimus autem, per se vel per Legatos, quia sū mus Pontifex nunquam interfuit Concilijs Orienta libus per se, neq. id factum est casu, sed certa ratione, vt patet ex epistola Leonis 17. ad Theodosium, & 47. ad Concilium Chalcedonense, vbi dicit, se non veni re ad Synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec vlla prædecessorum habet de hac re exempla. E

Adde, quod Vigilius Papa erat Constantinopoli, cum fieret in ea ciuitate Concilium V. generale, & ta men noluit interesse, sed per libellum confirmauit a cta Concilij, vt scribit Photius in libro de septem Sy nodis. Ipsi etiam Imperatores cum indicebant Con cilia, alios omnes episcopos per edictum præcipiendo vocabant, Romanum autem inuitabant, vt dignare tur venire, si ei placeret, vt patet ex epistola Martiani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Chalcedonense. Quæ autem sit ratio hu ius rei, incertum est. Ioannes de Turrecremata lib. 3. cap. 11. ponit aliquot rationes, quæ mihi non mul tum probantur.

Ego suspicor, has duas fuisse causas inter alias VNAM, quia non videbatur conuenire, vt caput seque retur membra, cum potius membra sequi debeant ca put: itaque propterea interfuit Papa Concilijs Roma nis, & quibusdam alijs, quæ ipse conuocauit ad se, id est, ad locum, vbi ipse erat, non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata.

ALTERA ratio est, quia in Concilijs Orientalibus semper interfuit Imperator, aut aliquis eius Legatus: & quamuis nec Imperator, nec Legatus eius præside ret Concilio proprie vt Iudex, tamen præsidebat sal tem quoad locum materialē: & etiamsi summus Pon tifex ibi fuisset, ad huc voluissent illi eo modo præside re, vt patet ex Concilio Florentino, in initio, vbi Græ ci omnino contendebant, vt in summo loco sederet e orum Imperator, & summum Pontificem præcede ret. At quamuis vtcumque tolerabile sit, vt Principes seculares in Concilio sedeant ante alios episcopos, ta men nullo modo conuenit, vt ante ipsum summum Pontificem, ne ergo vel hoc tolerandum esset, vel tu multus excitandus, non ibat ad ea Concilia, sed Lega tos tantum mittebat.

Sed his omissis, ad summū Pontificē iure pertine re præsidentiam in Concilijs generalibus, probatur PRIMO, ratione ex Scriptura petita. Summus Ponti fex est pastor & pater Ecclesiæ vniuersæ, adeo vt etiā episcopi & Principes oēs, respectu summi Pontificis, oues & filij dicantur, vt notum est ex illo Ioannis vlti C mo: *Pasce oues meas.* Et confirmatur ex eo, quod Con cilia vocant Pontificem patrem, & ipse vocat Episco pos in Cōciliis congregatos, aliquando filios, vt patet ex Theodoreto lib. 5. hist. cap. 10. vbi Damasus respō dens Episcopis Concilii secundi generalis, sic incipit: *Quod*, inquit, *Apostolicæ sedi debitam reuerentiam exhi betis, vobis ipsis magno honori est filij honorat issimi.* Item ex epistola Concilii Antiocheni ad Iulium, quæ sic in cipit: *Domino beatissimo & honorabili patri Iulio, &c.* Et Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis, cum tri bus Conciliis ita scribunt: *Domino beatissimo & sancto Patri Patrum Damaso, &c.* Et Concilium Chalcedo nense in epistola ad Leonem: *Rogamus*, inquiunt, *tuis decretis, nostrum honora iudicium, vt firmitas tua filijs, quod decet, adimpleat.* At quis, quæso, ambigere potest, D vtrum patres filijs, & pastores ouibus præsidere de beant, an filij patribus, & oues pastoribus?

SECVNDO, probatur ex Concilio Apostolico, Act. 15. in quo Petrum præsedisse affirmat Hieronymus in epistola ad Augustinū, quæ est 11. inter epistolas Au gustini: & idē ex eo colligit, quod Petrus primus sur git, primus loquitur, primus quæstionē definit, & om nes, vt Hieronymus dixit, sententiam eius sequū tur.

Probatur TERTIO, ex actis octo generalium Concilioru . : nam quod in alijs Romanus Pontifex præ fuerit, etiam aduersarij fatentur. Primū generale fuit Nicenum. de Præside huius Concilii, quatuor sunt opi niones. Aliqui volunt præsedisse Imperatorem: ita Brētius. Alii Eustathium Antiochenū: ita Magdebur genses loco notato, & Lutherus in libro de Conciliis, E parte secunda. Alii Athanasium: ita Caluinus loco etiam notato. Alii Hosium Episcopum, & Vitum ac Vincentium Presbyteros Legatos Romani Pōtificis

PRIMA opinio falsissima est. Nam in primis Con stantinus post omnes Episcopos subscripsit, vt testa tur Basilius Imperator in fine VIII. Synodi: at Præses primo loco subscripsit. Deinde Constantinus non au sus est sedere, nisi in sede humiliori, quam essent Epi scoporum, & annuentibus Episcopis, vt colligitur ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. hist. & Eusebio libr. 3. de vi ta Constantini. PRÆTEREA, Constantinus in ip so Concilio professus est, se debere ab Episcopis iu

dicari,

dicari, eisq; subiectũ esse, non prępositũ, vt scribit Ruf A finus li. 10. c. 2. Quomodo igitur non secum ipse pugnasset: si in episcopali iudicio præsidere voluisset?

Ad hæc AMBROSIVS epist. 32. dicit, Constãtinum in Concilio Niceno, non se fecisse iudicẽ, sed liberum reliquisse iudicium Sacerdotibus. Item ATHANASIVS in secunda Apologia dicit, non posse haberi Synodũ, in qua non Episcopus, sed Comes aliquis præsederit. Et in epistola ad solitariam vitam agentes, arguit vehementer Constantium, quod in Concilijs primas partes tenere vellet: *Si*, inquit, *iudicium Eporum est, quid cum eo cõe habet Imperator?* Et in præcedentibus refert Hosium scripsisse eidem Constantino: *Ne*, inquit, *nobis in hoc genere pcipe, sed ea potius a nobis disce: tibi Deus imperiũ commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Et non procul a fine: *Quis enim*, inquit, *videns eũ in decernendo principem se facere Episcoporũ, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non merito dicat, illum ea ipsam abominationem desolationis esse, quæ a Daniele prædicta est?* B Vbi aperte vocat Constantium Antichristum, quia ausus est præsidere in iudicio Ecclesiastico. Scribit quoque SVIDAS in vita Leontij, quod cum Leontius Constantium in Concilio præsidentem, & loquẽtem videret, dixit ad eum, mirari se, quod ille propriorum negligens, id est, bellorum, aliorumque ciuilium negotiorum, se in alienis, id est, Ecclesiasticis, tam curiosum præberet. At certe nec Athanasius, nec Hosius, nec Leontius reprehendissent in Constantio, quod Synodis præsidere voluisset, si antea pater eius Constantinus in Concilio Nicæno præsedisset.

Quod EVSTATHIVS non fuerit præses, probatur. PRIMO, quia in subscriptione Eustathius non inuenitur primus, nec secundus, nec tertius, sed inter alios C inferius positus. SECVNDO, quia cum esset in Concilio Alexander Alexandrinus Epus, Antiocheno maior & dignior, nulla ratio sinebat, vt ipse præcederet.

AT inquiunt Magdeburgenses, apud Eusebium li. 3. de vita Constantini, legimus eum, qui primus sedebat a dextris Imperatoris, orationem habuisse de clauibus Imperatoris: Eum autem, qui orationem habuit, constat, fuisse Eustathium, ex Theodoreto li. 1. hist. cap. 7. RESPONDEO, Eustathium fuisse primum dextri ordinis episcoporum, vt Eusebius dicit, non tamen primum immediate post Imperatorem. Constat enim ex Athanasio in epistola ad solitariam vitam agentes, Hosium fuisse Principem eius Concilij, & proinde ante Eustathium sedisse.

Itaque (si coniectare licet) tres ordines sedium erãt D in Concilio: vnus a dextris, alter a sinistris, & tertius in capite aulæ totius, & quidem in hoc tertio sedebat medius Imperator inter Episcopos Hosium Legatũ Pontificis, & Alexandrum Episcopum Alexandrinum, nec non Vitum & Vincentium Legatos item Apostolicos. Deinde primus ordinis eius, qui erat a dextris, sedebat Eustathius Episcopus Antiochenus. Alterius autem ordinis, qui erat a sinistris, sedebat primus Macharius Episcopus Hierosolymæ, atque hac ratione seruabatur ordo dignitatis inter primarios Patriarchas: quem certe valde probabile est seruatum fuisse in ea Synodo. vel certe, si id placet, respondere possumus, Eustathio datum esse locum digniorem ob antiquitatis, & sanctitatis eius meritum, sed non propterea eum Concilio præsedisse. Nam a- E lioquin Imperator præsedisset in Concilio IV. & VI. qui in summo loco sedebat. Itaque non tam ex loco, quam ex subscriptione colligenda est præsidentia: sæpe enim honoris gratia ille sedet primus, qui reuera primum locum non tenet.

Quod vero Athanasius non fuerit præses, vix eget probatione, solus enim Caluinus, & sine vlla ratione id asserit: & præterea constat, Athanasium tunc fuisse Diaconum, & iuisse ad Concilium cum Episcopo suo Alexandro, & nec sedisse, nec subscripsisse. Vide Ruffinum lib. 10. hist. cap. 14. & Sulpitium libr. 2. sacræ historiæ, Gregorium Nazianzenum oratione in Athanasium, & ipsum Athanasium in secunda Apologia. PORRO Diaconum sedere, nedum præsidere in Synodo Episcoporum, nisi locum teneat Episcopi sui, est omnino inauditum. Non autem tenebat locum Episcopi Athanasius, cum Episcopus ipse Alexander adesset præsens: denique inter subscriptiones inuenitur quidem subscriptio Alexandrini Episcopi Alexandri, proxime posita post subscriptionem Romanorum Presbyterorum, at subscriptio Athanasij nusquam reperitur.

Quod ergo præsides fuerint Legati Pontificis episcopus Hosius, Vitus & Vincentius Presbyteri, pbatur PRIMO, ex subscriptionibus. Hi enim tres primi omnium subscripserunt. SECVNDO, ex Cedreno in compendio historiarum, & Photio in libro de septem Synodis, qui dicunt Syluestrum per suos Legatos Cõcilio Niceno auctoritatẽ contulisse. TERTIO, ex Athanasio in epistola ad solitariam vitã agentes, vbi dicit, Hosium Principem fuisse in eo Concilio, & ipsum esse, qui composuit Symbolum, quod dicitur Nicenum. Cum autem Hosius fuerit simplex episcopus, & proinde inferior omnibus Patriarchis, qui erant in eo Cõcilio, sine dubio nunquam habuisset primum locum, nisi vicem gessisset Romani Pontificis. Itaque in præfatione quadam Concilij Sardicensis, quæ habetur in primo tomo Conciliorum, & fortasse est Dionysij Exigui, viri doctissimi, disertis verbis habetur, Hosium Cordubensem in Nicæno Concilio Legatum egisse Romani Pontificis. quod etiam ex codice Græco intelligi potest, qui in Vaticana Bibliotheca habetur: cuius testimonium vide in libro secundo de Concilio Nicæno, edito ab Alphonso Pisano, Societatis IESV, Coloniæ anno M.D.LXXXI.

SECVNDVM Concilium generale fuit CONSTANTINOPOLITANVM I. in quo constat non præsedisse Imperatorem, sed tantum misisse ad episcop s literas Romani Pontificis, quibus ad Concilium vocabant, vt patet ex epistola Cõcilij ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. c. 9. constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium episcopum Constantinopolitanum. cuius rei causa est, quia Romanus Pontifex non interfuit, nec per se, nec per Legatos. Pontifex. n. Damasus conuocauerat quidem episcopos Orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, vbi ipse coegerat Synodum episcoporum Occidentalium, vt Romæ fieret plenissimum Concilium. Ceterum Orientales excusauerunt se iustas ob causas, & coniunxerunt se animis, & sententijs cum Occidentalibus, non autem præsentia corporali. Vide epistolas Damasi ad Concilium Constantinopolitanum, & Concilij ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. & 10. quod autem, si Damasus ad fuisset, sine dubio præsedisset, patet ex eisdem epistolis, vbi illi Damasum, vt caput suum agnoscunt, & ipse filios eos vocat.

TERTIVM Concilium fuit EPHESINVM I. in quo certum est, non præsedisse Imperatorem, sed Romanum Pontificem per Legatos suos. Quod non Imperator, nec aliqs nomine eius, patet ex epistola ipsius, videlicet Theodosij Iunioris ad Synodum Ephesinam, quæ habetur tomo 1. eius Concilij, c. 32. vbi dicit, se misisse Candidianum Comitem, ad Concilium, non vt misceret se quæstionibus Ecclesiasticis, sed ad Synodi defensionem. Vide epistolam Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem. Quod Romanus Pontifex Celestinus præsederit per Legatum suum sanctũ Cyrillum, testantur omnes historici: Euagrius lib. 1. cap. 4. Photius in libro de septem Synodis, Prosper in Chronico, Nicephorus libr. 14. cap. 34. & Liberatus Ab-

bas in breuiario, c. 15. Denique Iustinianus in edicto, & Nicolaus I. in epistola ad Michaelem, & ipse Celestinus in epistola ad Cyrillum, quæ extat in hac Synodo, tom. 1. c. 16. & inter opera Cyrilli.

At Calvinus respondet, Celestinum aliquo artificio quæsiuisse saltem nomen præsidētiæ, cum rem habere nō posset, & ideo cum mitteret illuc suos, Cyrillo, qui alioqui præfuturus erat, vices suas delegasse, vt saltem per illum præsidere videretur.

At figmentum istud Caluini, quod sine vlla ratione profert, facile refellitur. Primum, ex Prospero, qui dicit, Nestorio præcipue restitisse Cyrilli industriam, & Celestini auctoritatem. Secvndo, ex epistola Celestini, qua videmus mandari Cyrillo vices Romani Pontificis: multo ante, quàm Legati ceteri mitterentur. Tertio, ex Nicephoro loco notato, qui dicit, adeo magni fecisse Orientales hoc priuilegium datum Cyrillo a Celestino, vt deinceps Cyrillus mitram, & nomen Papæ, atque vt iudex orbis vniuersi appellaretur, acceperit, & hæc ornamēta etiam ad successores trāsmiserit. Qvarto, ex epistola Cyrilli ad Constātinopolitanos, in qua dicit, quod si Nestorius intra terminum a sancto Celestino Papa præscriptum, non resipuerit, communione Ecclesiæ priuabitur. Qvinto, ex ipsa Synodo, quæ vt refert Euagrius lib. 1. c. 4. & ex ipsa sententia, quæ habetur tomo 2. cap. 10. huius Synodi, cum damnationem in Nestorium pronunciare vellet, præmisit se cum aliis Ecclesiæ canonibus, tum præcipue literis Papæ Celestini, necessario compulsam ad tam seueram sententiam. Denique, extat epistola Synodi ad Celestinum, in qua referunt iudicio ipsius Celestini causā Ioannis Episcopi Antiocheni, vt ipse in eum sententiam ferat, quæ omnia sunt certa argumēta, quòd Celestinꝰ re ipsa fuerit Præses & Princeps in eo Cōcilio.

Qvartvm Concilium est Chalcedonense, in quo initio, id est, in prima actione, Imperator Martianus interfuit, & sedit primo loco, non tamen præsedit, vt Iudex, vt ipsemet testatus est in oratione ad Synodum, quæ extat act. 1. vbi ait, se venisse ad confirmandam fidem, sicut olim fecerat Constantinus Magnus, id est, non venisse ad explicandā fidem, & controuersias iudicandas, sed ad hoc, vt fides a Concilio explicata, firma ac tuta constiteret, defensa videlicet Imperatoris ope & auctoritate. Interfuerunt denique nomine Imperatoris in alijs actionibus quidam Iudices seculares, qui non erant Iudices controuersiarum fidei, sed tantum, an omnia fierent legitime, sine vi, fraude & tumultibus. Quia enim in Concilio Ephesino II. Dioscorus Episcopus militibus introductis, vi coegerat Episcopos ad subscribendum: In hoc Concilio interfuerunt vel Imperator, vel Vicarij eius ad impediendam violentiam. Id quod ex toto Concilio apparet, nunquam enim sententiam ferūt, nunquam subscribunt, & in omnibus sententijs Episcoporum acquiescunt.

Præfuerunt autem reuera vt Iudices Ecclesiastici, Legati Leonis Papæ. Ipsi enim in omnibus actionib. primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt, ipsi sententiam definitiuā in Dioscorum proferunt nomine Papæ & totius Concilij, act. 3. his verbis: *Sanctissimus ac beatissimus Papa caput vniuersalis Ecclesiæ Leo per nos Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli prærogatiua dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei & cœlestis regni ianitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudauit & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.* Denique B. Leo & Concilium totum id fatetur. Leo epist. 47. ad Concilium Chalcedonense, sic ait: *In his, inquit, fratrib. Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.* Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, quæ habetur, actio. 3. in quibusdam exemplaribus in alijs post finem Concilij: *Quibus*, Episcopis Concilij, *tu quidem si ut membris caput præerans in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præstares. Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant, &c.*

Calvinvs respondet, in hoc quidem Cōcilio præsedisse Legatos Pontificis Romani: sed ex priuilegio Imperatoris quod extorserat Leo Papa: *Cùm enim fieret Concilium Ephesinum II.* inquit Caluinus, *non est ausus Leo petere primam sedem in Concilio, sed missis Legatis, & passus est eos subesse Dioscoro Alexandrino Episcopo Præsidi, quia vero res male cessit, & Dioscorus non recte nauim gubernauit, Leo, illa occasione accepta, petijt ab Imperatore, vt permitteret aliud Concilium fieri, cui Legati sui præessent. Imperator, quia videbat, nō esse in Oriente vllos idoneos Episcopos tanto oneri, ex defectu personarum, permisit Romanis Legatis præsidendam.*

Hæc historia, quam Caluinus sine vlla probatione recitat, plena est mendacijs: nam in primis, quòd Leo non sit ausus petere primam sedem in Cōcilio Ephesino, mendacium est. Scribit. n. Liberatus in breuiario, c. 12. Legatos Romani Pontificis noluisse in Concilio sedere, cum vidissent præsidere Dioscorum, & non datam sanctę sedi Romanæ præsessionem. Porro Dioscorū extorsisse contra fas ab Imperatore præsidentiam illam, scribunt Zonaras in vita Theodosij, & Euagrius lib. 1. c. 10. Vnde etiam Leo epist. 24. 25. & 26. ad Theodosium & Pulcheriam, frequenter repetit, Dioscorum in ea Synodo sibi vendicasse principatum, vbi etiam testatur, Flauianum Episcopū Constantinopolitanum appellasse a Concilio illo ad Apostolicam sedem, & libellum appellationis tradidisse Legatis Romanis, quomodo ergo nō auderet Leo in eo Concilio præsidentiā petere a quo ad se tanquam ad maiorem appellabatur? Deinde, quòd Leo petierit ab Imperatore, vt sui Legati præsent in Synodo Chalcedonensi, & quòd Imperator id concesserit de fectu personarum Orientalium, mendacia impudētissima sunt, nihil. n. tale ab vllo narratur, imò videmus Leonem Legatos misisse absolute, vt præsiderent, nullius consensu petito, nedum venia vel permissione.

Qvartvm Concilium fuit Constantinopolitanvm II. in eo præsedit non Menas, (vt falsò Caluinus docet) Concilium. n. a Mena celebratum, non generale, sed particulare fuit, vt supra demōstrauimus: sed Eutychius Menæ successor, qui tamen agnouit, & professus est, præsidentiam debitam fuisse Romano Pontifici, si is interesse Concilio voluisset. Vnde Zonaras in vita Iustiniani: *Sub hoc*, inquit, *quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Et ipse Eutychius Patriarcha in epist. ad Vigilium, q̄ habet in fine primæ collationis quintæ Synodi: *Petimus*, inquit, *præsidere nobis vestra Beatitudine de tribus capitulis queri & conferri.* Quæ verba Patriarchæ Eutychij non solū mendaciū Caluini refellunt, qui scripsit Menam in eo Concilio præsedisse, sed ēt alterum Illyrici, qui cent. 6. c. 9. col. 509. asseruit, Vigilium Papam noluisse Synodo interesse: ne cogeretur secundus Eutychio assidere. At qui hoc timere potuit, cum ipse Eutychius præsidentiam illi offerret?

Sextvm Concilium Constantinopolitanvm III. in eo Præsides fuerūt Legati Agathonis Romani Pōtificis, Petrus, & Georgius Presbyteri, ac Ioannes Diaconus. Id. n. affirmat Zonaras in vita Cōstātini IV. & præterea ex ipsa Synodo patet, vbi in singulis actionib. isti primi eorum nominantur, loquuntur, subscribūt. Interfuit in hac Synodo etiam Imperator Constantinus, cum nonnullis viris illustrib. & præsedit, id est, primo loco sedit, sed non fuit vllo modo Iudex, aut formaliter Præses, nam nullam sententiā tulit, &

vltimus

& vltimus omnium subscripsit, non definiens, sed A consentiens.

Septimvm Concilium est Nicænvm II. in quo sine controuersia Præsides fuerunt Legati Papæ Adriani I. Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas sãcti Sabæ. Isti enim primi nominantur, & primi subscribunt. Imperator nihil in hac Synodo esse legitur.

Octavvm Concilium est Constantinopolitanvm IV. in quo etiã sine controuersia Legati Adriani II. præsederunt, videlicet Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus, qui primi nominantur, & subscribunt, & in ipsa prima actione rogati a Concilio, vt ostenderent literas Papæ, quib. daret eis præsidentia, mox exhibuerũt literas Adriani. Denique, ad finem Concilij ita subscribit primus: *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis, locum obtinẽs* B *Domini mei Adriani vniuersalis Papæ, huic sanctæ & vniuersali Synodo præsidens, omnia, quæ superius leguntur, promulgaui, & manu propria subscripsi.* Imperator autem Basilivs adfuit quidem, sed in fine Concilij apertè testatus est longa oratione, non esse suum, nec vllius hominis Laici, miscere se Ecclesiasticis iudicijs, & tãdem subscripsit post omnes Patriarchas nõ definiens, sed suscipiens, & consentiens, præfatus ẽt antea se debuisse subscribere post omnes Episcopos, vt olim fecerunt Constantinus, Theodosius, & Martianus: tamen se subscripsisse immediatè post Patriarchas, quia tali eum honore Episcopi afficere voluerunt.

Si ergo his addamus reliqua generalia Cõcilia, in quib. omnib. sine cõtrouersia Põtifex Romanus præ C sedit, habebimus ex continua Ecclesiæ consuetudine, proprie ad Romanum Pontificem pertinere munus in Concilijs generalibus præsidendi. De ceteris, quæ ad formam pertinent Conciliorum, vt de ordine, quo ceteri sedere debent, de vestibus Episcoporũ in Synodo: de modo procedendi, &c. vide Ioannem de Turrecremata lib. 3. cap. 26. & 27. & Concilium Toletanum IV. capit. 3. Toletanum XI. capit. 1. & initium Conciliorum Constantiensis, & Basileensis.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

Argvmenta Calvini sumuntur a praxi Ecclesiæ. Proponit enim quinque Concilia, in quibus Pontifex Romanus non præfuit. Videlicet Nicænvm, cui præfuit Athanasius: Qvintvm generale, cui præfuit Menas: Ephesinvm secundum, cui præfuit Dioscorus: Carthaginense sextum, cui præfuit Aurelius: etiam si adessent Legati Pontificis: & Aqvileiense, cui non Damasus, sed Ambrosius præsedit. Sed ad prima tria iam est responsum.

Ad Qvartvm dico, solum in generali Concilio debere necessario Romanum Pontificem præsidere: in prouincialib. enim, vel nationalib. qualia sunt omnia Carthaginensia: non negamus deberi præsidentiam Archiepiscopo, vel primati eius loci. Porro Legati Romani Pontificis non fuerunt ad illud Concilium missi, vt præsiderent, sed vt quædam tractarent E cum eo Concilio nomine Romanæ Ecclesiæ.

Ad Qvintvm dico, argumentum conflari ex duobus mẽdacijs Caluini, quæ sunt maior & minor propositio: ex quibus quid potest colligi, nisi mẽdacium? Primvm mendacium est, quòd Aquileiense Concilium fuerit generale: nam primo, si fuisset generale, fuisset secundum, & proinde Constantinopolitanũ, quod postea sequutum est, non fuisset secundum, sed tertium, deinde vix interfuerunt episcopi XXX. qui certe non sufficiunt ad generalem Synodum faciendam. Denique, in epistola huius Concilij ad Imperatorem, dicunt Patres, nõ fuisse opus congregare Concilium generale, sed abundè satis fuisse ad id, pro quo vocati erant, paucos illos Episcopos, præsertim cùm essent ex varijs prouincijs Occidentis. Itaque Concilium fuit prouinciale, sed adiutum etiam aliquot Legatis quarundam aliarum prouinciarum.

Secvndvm mẽdacium est, quòd Ambrosius præsederit: nam primus nominatur Valerianus Episcopus Aquileiensis, secundus Ambrosius Mediolanensis, quod est argumentum, Valeriano datum esse primum locum: neque his repugnat, quod Ambrosius in eo Concilio fere solus disputat cum hæreticis: munus enim disputandi non Præsidi, sed Episcopo doctissimo demandari solet.

Brentivs argumenta petit ex Testamento veteri, in quo constat præcipuos Iudices, etiam in rebus spiritualibus, fuisse principes, siue Reges, vt patet de Mose, Iosue, Dauide, Salomone, Ezechia, Iosia. Accedit, quod Deus commisit Principibus custodiam legis diuinæ, vt dicitur Rom. 13. *Si male egeris, time: non enim sine caussa gladium portat.* Ergo Principum est iudicare de lege Dei, quomodo sit seruanda, & punire transgressores. Sed hoc argumentum iam est a nobis solutum in libro tertio de verbo Dei, & in libro primo de Pontifice. Quia tamen non piguit aduersarios eadem argumenta sæpius repetere, nec nos pigebit solutiones quoque sæpius repetere.

Respondeo igitur Primo: Mosem, non solùm Principem, sed etiam summum Sacerdotem fuisse, vt patet ex Psalm. 98. *Moses & Aaron in Sacerdotibus eius*, Iosue autem, Dauidem, Salomonem, & aliquos alios non solùm Reges, sed etiam Prophetas fuisse, quibus Deus quædam extraordinarie committebat, quæ ad Sacerdotes alioquin ex officio spectabant, hoc modo Salomon Rex amouit Abiathar a sacerdotio, & constituit Sadoc pro eo. 3. Regum 2. id enim fecit, non vt Rex, sed vt Propheta ex diuina inspiratione: vnde subiungitur ibidem caussa. *Vt impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli, in Silo.* Sed non propter ista extraordinaria, delenda est ex Deutero. cap. 17. lex illa generalis, qua iubentur omnes in dubijs circa legem recurrere ad Sacerdotes. neque illa Malachiæ 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.*

D Dico Secvndo, alios Reges Synagogæ, qui boni fuerunt, nunquam se miscuisse in negotijs sacerdotalibus eius, & si quando se miscuerunt, punitos fuisse, vt patet de Rege Iosaphat optimo, qui 2. Paralip. 19. apertè distinguit officia, & dicit: *Amarias Sacerdos & Pontifex in omnibus quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* E contrario autem Ozias Rex, 2. Paralipomenon 26. cum Sacerdotis officium vsurpare voluisset, mox a Deo percussus, leprosus factus est, & permansit vsque ad mortem.

Ad confirmationem, dico, Reges esse custodes Legis diuinæ, sed non interpretes, & proinde ad eorum officium pertinere, vt legibus & edictis suis iubeant eam fidem teneri, quam Sacerdotes tenendam docent, & hæreticos ab Ecclesia iudicatos coerceant pœnis temporalibus, vt Augustinus docet in epistola 48. 50. & 166. & pij Imperatores Constantinus, Theodosius, Martianus, alijque id sæpe fecerunt, vt patet ex l. Cunctos populos. C. de summa Trinitate & fide Catholica, & ex toto titulo de hæreticis in eodem Codice.

Argumenta Hermanni sumuntur ex varijs exemplis veterum. Primvm est ex disputatione Athanasij cum Ario, præsidente Probo iudice, homine laico, & nondum Christiano, quem Im-

perator Constantius deputauerat, quæ quidem extat imperfecta in operibus Athanasij, sed perfecta in operibus Vigilij Episcopi Tridentini, qui floruit circa annum Domini CCCCC.

RESPONDEO, nunquam fuisse talem disputationē re ipsa habitā: sed Vigilium eam composuisse per modum Dialogi, vt eo modo scriberet contra Arianos, vt ipsemet fatetur libr. 5. contra Eutychen, non procul ab initio, & præterea res ipsa clamat: nam disputatio habetur inter quatuor homines, Sabelliū, Ariū, Photinum, & Athanasium tunc Episcopum, vt patet ex epistola Imperatoris, quæ initio disputationis fingitur missa ad Probum: At Sabellius obijt antequam vllus ex alijs tribus orbi innotesceret, vt patet ex Eusebio libro 7. hist. cap. 5. Arius quoque obijt tempore Constantini, antequam Constantius regnare inciperet, vt patet ex Socrat. libr. 1. cap. 25. ergo non potuit cū Athanasio congredi, tēpore Cōstātij, vt hic fingit. Od vero quidā dicūt, duos fuisse Arios, & cū posterio re tm disputasse Athanasiū, refellit ex ipsomet Vigilio qui initio huius disputationis aperte testat, se loq de illo Ario, qui Arianam hæresim primus excogitauit.

Sed DICES, etiamsi Dialogus sit fictus, tamen apparet, non esse visum absurdum Vigilio, si iudex laicus præesset disputationi de religione. RESPONDEO, Vigilium ita Dialogum composuisse, vt ostenderet tantam esse vim Catholicæ veritatis, vt etiam sub iudice non Christiano vincere possit.

SECVNDVM exemplum est desumptum ex Zonara in vita Constantini, vbi legimus, ad petitionem Helenæ, quæ conabatur pertrahere Constantinum filiū a fide Christi ad Iudaismum, disputasse Sylvestrum cum Iudæis coram quibusdam senatoribus, tāquam iudicibus, ex mandato Constantini.

RESPONDEO, videri incertā istā narrationē, nēs. n. veteres Helenam laudant, vt fœminam Christianissimā, & non solum Catholici, sed ēt Magdeburgenses Cent. 4. col. 694. rident hanc narrationem, vt fabulosā, & ex Chronico Eusebij colligit anno CCCXXV. lignum crucis Dominicæ ab Helena inuentum, & Marianus Scotus sub annum CCCXXVII. scribit illam disputationem incidisse opera Helenę, tunc Christum persequentis, quæ nullo modo cohærent.

TERTIVM exemplum sumitur ex Optato Mileuitano, & Augustino, qui multis in locis scribunt, Donatistas in caussa Cęciliani ab Imperatore iudices postulasse: Imperatorem āt dedisse eis Romanū Episcopū cum alijs quibusdam Episcopis, sed eos appellasse, & ab Imperatore accepisse alios iudices in Gallia, quos rursum appellantes Imperator ipse iudicauit, ergo sūmus Iudex in caussis Episcoporum est Imperator.

RESPONDEO, bene habet quod hæretici argumentantur ex gestis hæreticorum maiorum suorum: nam quod male fecerint recurrendo ad Imperatorem tanquam Iudicem, & quod peius fecerint rursum ad eū appellando, Optatus, Augustinus, & Imperator ipse testes sunt. AVGVSTINVS epist. 48. dicit, hinc merito reprehendi Donatistas, quod apud Imperatorem accusauerint Cæcilianum, cum potius eum apud Episcopos Transmarinos conuincere debuissent. & ibidem addit, Imperatorem ordinatius egisse, qui Donatistas ad se venientes remisit ad iudicium Milthiadis Romani Episcopi.

OPTATVS lib. 1. contra Parmenianum refert, Imperatorem sic clamasse: *O rabida furoris audacia, sicut in caussis Gentilium fieri solet; appellationem interposuerunt.* Item AVGVSTINVS in epist. 162. *Qua in re*, inquit, *quem admodum detestetur illos Constantinus audiuistis, atque vtinam, vt eis ipse cessit, vt de illa caussa post Episcopos iudicaret, a sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, sic & illi aliquando cederent veritati.* Vbi vides Constantinum ægrè tulisse ad se appellari, & iudicasse post Episcopos coactum, vt vel sic frangeret furorem Donatistarum, cum viderent se ab omnibus condemnari: & præterea intellexisse Constantinum, se non posse iure suo iudicare, sed tātum ea spe, quod postea Episcopi veniam illi darent, a quibus eam petiturus erat. Quæ autem fuerit mens Constantini extra hos articulos necessitatis, patet ex Ruffino lib. 10. histor. cap. 2. vbi asseruit, se debere iudicari ab Episcopis, non eos iudicare.

QVARTVM exemplum est sumptum ex Breuiculo collationum circa principium, vbi sic AVGVSTINVS loquitur: *Cum Catholici Episcopi & partis Donati, iussu Imperatoris disputando inter se gestis apud Tribunum & Notarium Marcellinum cognitorem habitis, contulissent, &c.* Et in fine Breuiculi asserit, Marcellinum vt iudicem, sententiam tulisse pro Catholicis contra Donatistas.

QVINTVM exemplum sumitur ex Sozomeno lib. 4. c. 5. & ex Epiphanio hæresi 71. qui scribunt Photinum petijsse & impetrasse ab Imperatore iudices, coram quibus caussam suam ageret.

Respondeo ad QVARTVM exemplum, ex doctrina ipsius Augustini, collationem illam cum Donatistis extraordinariam, & quadam necessitate susceptā fuisse: nam vt scribit idem Augustinus libr. 3. contra Iulianum, cap. 1. cum Pelagiani vellent opera Imperatoris cogere Catholicos ad collationē eo modo, quo antea Catholici coegerant Donatistas: Augustinus respondit, Catholicos eam collationem modo extraordinario cum Donatistis necessario habuisse, eo quod illi totam Africam infestarent, nec possent aliter reprimi, vel ad Concilium cogi, nisi per temporales potestates, vt tunc factum est.

DICO præterea illud iudicium non fuisse tale, quale est, de quo nos agimus: non enim ita iudicauit Marcellinus, vt eius sententia totam Ecclesiam obligauerit, sed tantum vt repressérit audaciam Donatistarū: sententia enim Marcellini fuit, Donatistas ita a Catholicis confutatos, vt non habuerint quod respondere possent. Sicut etiam cum Augustinus disputauit cum Pascentio Ariano, arbitro Laurentio, vt patet ex epistola Augustini 174. & 178. sententia Laurentij non faciebat rem de fide, sed tantum valebat ad cōfusionem Pascentij, qui victus pronunciabatur: & idem dicendum est de disputatione Photini hæretici, & de similibus disputationibus. Nunquam enim in Ecclesia habitæ sunt pro legitimis definitionibus, qualia sunt decreta Conciliorum.

SEXTVM exemplum sumptum est ex Socrate li. 5. c. 10. & Sozomeno lib. 7. c. 12. vbi legimus, Imperatorem Theodosium iussisse, vt singuli Principes variarum religionum, id est, Catholici, Ariani, Eunomiani adferrent ad se scriptam formulam fidei suæ, quod cum factum esset, Imperatorem impensè Deum orasse, vt animum suum dirigeret in vera fide eligenda, & tum demum lectis omnibus confessionibus solam Catholicam approbasse, & eam seruari iussisse.

RESPONDEO, Theodosium non suscepisse aliquā nouam controuersiam definiendam, neque se iudicē vllo modo fecisse in caussa fidei, quod patet PRIMO, quia illa quæstio iam definita erat in Concilio Nicæno, cuius ipse adeo strenuus sectator erat, vt noluerit baptizari ab Epo Thessalonicensi, nisi prius intelligeret eum esse fidei Nicænæ, vt est apud Socratē li. 5 c. 6. nō ergo dubitare potuit, an esset verior fides Ariana, an fides Catholica. SECVNDO, quia Ambrosius in epist. tricesima secunda dicit, non esse Imperatorū in caussa fidei iudicare: & hoc probat testimonio Constantini, Valentiniani senioris, & Theodosij. item in Concilio Aquileiensi, idem Ambrosius dicit, Imperatorem Theodosium liberum reliquisse iudicium sacerdotibus. Theodosius igitur nihil iudicauit in caussa

causſa fidei, ſed tantum legit ſectariorum confeſſiones, vt eis acquieſceret, eisq; ſatisfaceret, ne videretur eos inauditos ſine ratione damnare.

Quod autem ſcribit Socrates, Theodoſium a Deo per orationes poſtulaſſe, vt ſe dirigeret in eligēda fide, falſum eſſe arbitror: nam cum orauerit ſecreto, vt idē Socrates affirmat, quis poteſt ſcire, quid orauerit? & præterea certum eſt eum non ſic oraſſe, quia ſic orādo peccaſſet peccato infidelitatis, dubitando de fide, quā ſemel acceperat: & tamen eum in hoc facto nihil peccaſſe, ſed laudabiliter egiſſe, omnes fatentur. Orauit igitur, non vt dirigeretur in eligenda fide, ſed vt dirigeretur in eo negotio, ne aliquid imprudenter ageret, & fortaſſe a Deo veniam petijt, quod alienum ius occupare videretur: & ſimul orauit, ne deciperetur legendo confeſſiones tot hæreticorum.

SEPTIMVM exemplum ſumitur ex Theodoreto li. 5. cap. 23. vbi legimus, quod cum Romani Pontifices nollent Flauianum eſſe Epiſcopum Antiochenum, tamen Theodoſius Imperator aliter iudicauit, & iuſſit Flauianum Antiochiæ eſſe Epiſcopum.

RESPONDEO, hanc hiſtoriam mirifice oſtendere Romani Pontificis primatū, & nihil plane obeſſe præſenti cauſſæ. Dico igitur, Pontificem iure noluiſſe, vt Flauianus eſſet Epiſcopus, Imperatorem autem, quod fecit, ex potentia, non ex iuſtitia feciſſe. Id quod probo, quia vt Socrates refert lib. 5. cap. 5. cum eſſet ſchiſma in Eccleſia Antiochena, & ſimul ſederent Meletius, & Paulinus, placuit tandem omnibus, vt ſimul ſederent: ſed cum alter moreretur, alter ſolus Epiſcopus eſſet, nemine ſuccedente Epiſcopo mortuo, idque iureiurando confirmauerunt: at nihilominus mortuo Meletio in eius locum Flauianus ſucceſſit, viuente ad huc Paulino, quod contra iuramentum, & proinde illicitum fuiſſe, omnibus notum erat. Quid ergo mirum, ſi id Romano Pontifici Damaſo diſplicebat?

Quocirca S. AMBROSIVS in epiſt. 78. ad Theophilū Alexandrinum de hac re loquens, ſic ait: *Scribit Sanctitas tua, Flauianum ad Imperialium reſcriptorum ſuffragia remeauiſſe: Fruſtra ergo tantorum ſacerdotum fuſus labor: iterum ad huius ſeculi iudicia reuertendum.* Et infra: *Sanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ.* Præterea CHRYSOSTOMVS quoque Antiochiæ non a Flauiano, ſed ab Euagrio Paulini ſucceſſore Presbyter ordinatus eſt, vt eſt apud Socratem li. 6. c. 3. quod ille nunquam paſſus eſſet, ſi Flauianum pro vero Epiſcopo habuiſſet. Item THEOPHILVS Alexandrinus Epiſcopus, vt refert Socrates li. 5. c. 15. Romanum Pontificem per Legatum ſuum rogauit, vt Flauiano peccatum, quod admiſerat, dimitteret. Et ſimilem operam apud Pontificem poſtea nauaſſe Chryſoſtomum, patet ex Sozomeno li. 8. c. 3. Ex quibus clariſſimum eſt, Flauianum peccaſſe, & iudicem eius ac ſuperiorem fuiſſe Romanum Pontificem. Item HIERONYMVS in epiſt. ad Damaſum, de nomine hypoſtaſis, loquens de eodem ſchiſmate, petit a Pontifice, cuinam eorum Epiſcoporum cōmunicare debeat: & aſſerit ſe ei communicaturum, qui cum Romano Pontifice coniunctus ſit.

Præterea tres optimi & ſanctiſſimi Pontifices, Damaſus, Syricius, Anaſtaſius, vt ſcribit Theodoretus li. 5. ca. 23. liberrime in ea cauſſa Imperatorem increparunt, ac dixerunt, eum quidem ſatis diligenter opprimere tyrannos, qui contra ſe inſurgunt: at ijs, qui contra Dei legem tyrannidem exercent, impunitatem concedere. Quam obiurgationem tam atrocem nunquam certe Pontifices tam ſancti adhibuiſſent, niſi Imperatorem grauiter errare vidiſſent. Quid, quod Imperator ea obiurgatione permotus, vt ibidē Theodoretus refert, non ſuccenſuit Romanis Pontificibus, ſed Flauianum bis Romam nauigare iuſſit, vt coram Pontifice ſe purgaret?

Denique, vt ibidem Theodoretus refert, etiamſi Imperator de potentia, vt diximus, non de iuſtitia, Flauianum Epiſcopum eſſe volebat, tamen nunquam finita eſt cauſſa illa, neque Epiſcopi Occidentis, & Ægypti Flauiano communicare voluerunt, donec Euagrio iam mortuo Pontifex Romanus Flauiano delictū condonauit, & Legatos eius ſe admiſſurum promiſit, & ipſe Epiſcopos illuſtriſſimos, & Presbyteros, ac Diaconos Antiochenos, Legatos Romam miſit.

Habemus ergo quid requiratur ad legitimum Cōcilium. Nunc breuiter appendicis loco annectemus, quale Concilium requirant Proteſtantes in eo libro, quem inſcribunt: *Cauſſæ cur Electores, Principes, aliiq; addicti Confeſſioni Auguſtanæ ad Concilium Tridentinum non accedant?*

CAPVT XXI.

Refutantur Conditiones, quas Lutherani requirunt in Concilio celebrando.

LVTHERANI, qui ſe Proteſtantes vocant, octo conditiones proponunt Concilij celebrandi: de quibus quoniam ſatis plene diſſeruit Gaſpar VVillalpandæus, nos eas breuiſſime refellemus.

PRIMO ergo requirunt, vt antequam fiat Synodus, irritentur omnia acta Concilij Tridentini. SECVNDO, vt Concilium fiat in Germania: eſt enim canon Eccleſiaſticus apud Cyprianum lib. 1. epiſtol. 3. vt illic lites iudicentur, vbi exortæ ſunt. TERTIO, vt Pontifex Romanus non indicat Concilium, nec ei præſit, ſed ſit altera pars litigantium, quandoquidem ipſe eſt qui accuſat, & nemo debet ſimul eſſe iudex, & pars. QVARTO, vt ex ſola Scriptura diuina ſententiæ ferantur, nō ex traditionibus, vel canonibus. QVINTO, vt deciſio non fiat penes ſuffragiorum pluralitatem, ſed vt iuxta normam verbi diuini pronuncietur. SEXTO, vt Romanus Pontifex abſoluat omnes Prælatos a iuramento fidelitatis, quo ei obſtricti ſunt. SEPTIMO, vt Theologi principum ac ſtatuum Confeſſionis Auguſtanæ, non minus, quam Epiſcopi in Concilio ſententias, ac voces deciſiuas proferre permittantur. OCTAVO, vt detur ſaluus conductus ab Imperatore, non ſolum perſonis, ſed etiam ipſi cauſſæ principali, id eſt, vt nec perſonæ poſſint puniri, ſi nolint Cōcilio aſſētiri, nec fides, & Confeſſio Lutheranorū poſſint dānari, etiāſi Theologi Lutherani eā defendere non potuerint. Cum his conditionibus dicunt, ſe Concilium toto pectore optare, & hoc vere pium, & liberum Concilium ſe vocare.

PRIMA conditio eſt iniqua, quia nihil debet irritum haberi, niſi legitimo iudici damnatum. Concilium autem Tridentinum eſt quidem accuſatum ab hereticis, ſed non damnatum in vllo legitimo iudicio. Sicut ergo Concilium Epheſinum II. damnatum eſt in Concilio Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitanū contra imagines damnatum eſt in ſeptima Synodo: ita Concilium Tridentinum ſi damnandum eſſet, deberet in alia Synodo examinari, & iudicari, non autem ante Synodi iudicium irritari.

SECVNDA conditio eſt etiam iniqua: vt enim Lutherani iure ſibi videntur petere, vt Concilium non fiat in Italia, vbi præualent Catholici, ita Catholici iure poſtulare poſſunt, vt non fiat in Germania, vbi præualent Lutherani, & ſane non poterat locus eligi melior atque aptior, quam Tridentum, quod eſt in finibus Germaniæ, & Italiæ, etiamſi Ethnici hominis iudicio quæſtio iſta relinqueretur.

Ad canonem autem qui eſt apud Cyprianum dico, intelligi eum Canonem de particularibus cauſſis, id eſt, de criminibus particularium hominum, quæ debent iudicari, vbi ſunt commiſſa, quia ibi facilius teſtes inueniri poſſunt: at de cauſſis fidei quæ ad totam

Ecclesiam pertinent alia ratio est. Vnde quæstio exorta Antiochię de legalium cessatione, Hierosolymę in Concilio Apostolorum terminata est, Act. 15. & hæresis Ariana exorta Alexandriæ in Ægypto, iudicata est Nicææ in Bithynia: hæresis Nestorij exorta Constantinopoli, damnata est Ephesi: hæresis Eutychetis nata Constantinopoli, damnata Chalcedone: hereses Origenistarum, Didymi & Euagrij, in V. Synodo iudicatæ sunt apud Constantinopolim, vbi minimè natæ fuerant: hæresis Monothelitarum, quæ nata erat Alexandriæ Cyro auctore, damnata est primùm Romæ in Concilio S. Martini Papæ: Deinde Constantinopoli in VI. Synodo. denique heresis Iconoclastarũ, quæ Constantinopoli vel exorta, vel mirificè aucta & confirmata fuerat, apud Nicæam Bithyniæ, & antea etiam Romæ in Concilio iudicata & damnata est.

ADDE, quod habuerũt etiã Lutherani in media Germania Concilia prouincialia non pauca, vt Colonien se, Moguntinum, & alia, in quibus damnati sunt. Neque obijcere debent aduersarij, ista Concilia Papistarum fuisse: idẽ enim omnes hæretici obijcere potuissent. semper enim in Ecclesia id seruatum est, vt controuersias iudicarent Episcopi, qui tunc erant, & non propter nouas quæstiones noui crearentur Episcopi.

TERTIA conditio iniqua est, quia Romanus Pontifex non potest priuari iure suo indicendi Concilia, & eis præsidendi, in cuius possessione iam fuit per M. D. annos, nisi prius in legitimo iudicio conuincatur, nõ esse summus Pontifex. Quod verò dicunt, non debere eundem esse iudicem, & partem, dico habere locũ in priuatis hominibus, nõ in Principe supremo. Princeps enim supremus donec non declaratur, vel iudicatur legitimè excidisse a principatu, semper est summus Iudex, etiamsi cum ipso litigetur.

Itaque solent priuati, qui cum principe suo litigant, interdum appellare ab ipso principe male informato, ad eundem melius informandum. & confirmatur hoc ex antiquis historijs, nam cum Marcellinus peccasset, & propter ipsum, Concilium congregatum fuisset, Episcopi omnes dixerunt, eũ non posse ab vllo damnari, sed ipsum debere esse iudicem, & reum, vt refert Nicolaus I. in epist. ad Michaelem. Item Sixtus III. cùm accusaretur de adulterio, Concilium cõgregauit Imperator, Pontifice consentiente, sed in eo Concilio nemo ausus est Pontificis caussam discutere, nisi prius ipse dixisset, velle se vt caussa discuteretur, etsi in suo arbitrio esset iudicari, vel non iudicari. Id patet tum ex actis Concilij, tum ex epistola eiusdẽ Sixti ad Episcopos Orientis.

Denique in Concilio IV. Romano sub Symmacho legimus, Episcopos omnes dixisse, Concilium nõ potuisse iure indici, nisi a Põtifice, etiamsi ipse esset, qui accusabatur. Adhæc, nonne Arius cum Alexãdro de fide litigabat? & tamen in Concilio Nicæno sedit Alexander, quia Episcopus erat, vt Iudex. Item in tertia Synodo præsedit iudicio Episcopali Cyrillus, qui tamen altera pars litigantium a Nestorianis dicebatur. Ita quoque in IV. Synodo, præsederunt Legati Leonis, cum tamen tota caussa inter Leonem, & Dioscorum versaretur. Accedit, quod Pontifex in Concilio non est solus iudex, sed habet multos collegas, id est, omnes Episcopos, qui si eum conuincere possent de hæresi, possent etiam eum iudicare, & deponere, licet inuitum. Nihil ergo habent hæretici, cur conquerantur, si Romanus Pontifex Concilio præsedit antequam damnatus esset.

QVARTA conditio iniqua est, quia non debent semel definita in dubium iterum reuocari, iuxta legem Martiani Imperatoris, l. nemo. C. de summa Trinitate, & fide Catholica. Constat autem in VII. Synodo generali definitum esse, traditiones non scriptas esse recipiendas. Quamuis autem ista conditio sit iniqua; posset tamen admitti, donec iterum in Synodo legitimè non esset definitum, eas esse recipiendas pro verbo Dei: Hinc enim est, quod Tridentinum Concilium, antequam ad alia progrederetur, definiuit Scripturas, & traditiones Apostolicas pro verbo Dei recipiendas.

QVINTA conditio tollit penitus formam Conciliorum, vt supra ostendimus, & propterea non potest fieri, vt aliquando ad finem controuersiarũ deueniatur, nisi detur locus maiori parti suffragiorum, cum enim vtraque pars proferat Scripturarũ testimonia, quomodo potest cognosci, quæ sit Concilij sententia, nisi colligantur suffragia, & plurium sentẽtia valeat?

SEXTA conditio est iniqua, & impertinẽs. Iniqua, quia non debent inferiores liberari ab obedientia superiorum, nisi prius ille legitimè deponatur, vel declaretur non esse superior, quemadmodum inuotum esset, vt quotiescunque fiunt Comitia Imperialia, Imperator deberet liberare a iuramento fidelitatis omnes Principes sibi subiectos. quod autem non sit nouum Episcopos iuramentum obedientiæ præstare Pontifici, patet ex B. GREGORIO lib. 1. epist. 31. & ex c. Significasti, extra de elect. Item ex Concilio Toletano XI. cap. 10. Impertinens autem, quia istud iuramentum non tollit Episcoporum libertatem, quæ in Concilijs necessaria est, iurant enim se foro obedientes summo Pontifici, quod intelligitur, donec Põtifex est, & dum iubet ea, quæ secundum Deum, & sacros canones iubere potest: sed non iurant, se non dicturos, quod sentiunt in Concilio, vel se non deposituros eum, si hæreticum esse conuincant.

SEPTIMA conditio, si intelligatur de voce propriè decisiua in forma iudicij, repugnat quintæ conditioni, & est contra formam omnium Conciliorum, vt supra ostendimus: si intelligatur improprie, & vocetur vox decisiua, Scriptura diuina in testimonium alicuius sententiæ in medium allata, conditio est æquissima, & nunquam negata Protestantibus, immo eis terobiata in Concilio Triden. nimirum sess. 13. 15. & 18.

VLTIMA conditio pro prima parte, id est, quod attinet ad saluum conductum personarum, oblata est Protestantibus, vt patet ex ijsdem locis Concilij Tridentini, id est, sess. 13. 15. & 18. pro secunda parte est prorsus inepta, & ridicula, est enim ac si apertè dixissent, volumus vexari Episcopos totius Christiani orbis, & sumptus facere, ac labores maximos pati, vt ad Concilium veniant, & tamen cum venerint, nolumus quidquam statui, neque lites vnquam finiri.

LIBER SECVNDVS DE CONCILIORVM AVCTORITATE.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum & partitio huius libri.

DE Concilii Definitione & causis hucusque, pro instituti operis breuitate disputatum est: restat auctoritas: & quoniam tum ex ipsis Concilijs, quæ exstant, tum ex lib. 4. de Pontifice constat, posse Concilia Episcopalia iudicare cõ trouersias, tum fidei, tum morũ, quę in Ecclesia pro tempore oriuntur, hac omissa quę stione, illud solum explicandũ suscipiemus: Sint ne certa, & infallibilia Conciliorum iudicia?

Erit autem hæc de auctoritate Conciliorum disputatio bipartita. Primum enim consideranda erit auctoritas Conciliorum absolutè: deinde comparata cũ alijs similibus principijs fidei, id est, cum Scriptura, Pontificijsque decretis.

De auctoritate absolutè considerata duæ sunt quę stiones. VNA, an Concilia a summo Pontifice confirmata possint errare. ALTERA, an Concilia à Pontifice nondum confirmata, sed alioquin omnino legitima, errare possint. Nam de Concilijs reprobatis, vel partim probatis, partim reprobatis, nihil est quod dicamus, cum illa sine dubio errauerint, de istis autem idem sit iudicium, quod de alijs, quæ vel confirmata sunt, vel reprobata.

CAPVT SECVNDVM.

Concilia generalia à Pontifice confirmata, errare non posse, ex Scripturis demonstratur.

ACVtà prima quæstione principium faciamus, hæretici huius temporis nullum Concilium esse volunt, quod errare nõ possit. Ita LVTHERVS asserit, art. 28. & 29. & in lib. de Concilijs. Brentius in Confessione VVirtembergensi, capite de Concilijs. Caluinus lib. 4. instit. cap. 9. §. 8. & in minori institutione, cap. 8. §. 163. & seqq. Catholici verò omnes constãter docent, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide explicanda, nec in tradendis morum præceptis toti Ecclesiæ communibus. De Concilijs verò particularibus videtur esse aliqua dissentio inter Catholicos: cum enim istorũ Conciliorum firmitas tota fere pendeat ex firmitate Pontificis, ij qui dicunt Pontificem errare posse, consequẽter dicere debent, etiam eiusmodi Concilia errare posse. quæ vt facilius, & clarius explicentur, duas propositiones constituemus.

Sit igitur prima propositio. *Fide Catholica tenendũ est, Concilia generalia à summo Pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide, nec in morib.* PROBATVR PRIMO, testimonijs diuinæ Scripturæ, quæ ad quatuor Classes reduci possunt. In prima, erunt testimonia propria: in secunda, illa quæ probant Ecclesiam non posse errare: in tertia, illa quæ probant Papam non posse errare: in quarta, illa quæ probant Episcopos omnes, & Doctores Ecclesiæ non posse errare.

Testimonia propria sunt tria. PRIMVM est, Matth. 18. *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* CALVINVS non adeo magni facit hoc testimonium, propterea quod ex eo videatur probari posse, etiam Concilium duorum hominum non posse errare. Sed is hoc testimonium non contẽnet, qui obseruarit, argumentum sumi non simpliciter ex his verbis, sed ex his verbis continuatis cum superioribus, & propterea addita argumentatione à minori ad maius. Dixerat enim antea Dominus de homine incorrigibili. *Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.* At ne qs Ecclesiam, siue congregationem Prælatorum contẽnendam putaret, adiunxit continuò: *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.*

Et ne quis dubitaret de assistentia Dei, quando Episcopi congregati aliquem damnant, vel absoluunt, subiungit: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorum sum.*

Quorum verborum hæc sententia est: Si duo vel tres congregati in nomine meo, obtinent semper qđ petunt à Deo, nimirum sapientiam, & lumen quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quæ ipsis necessaria sũt quantò magis Episcopi omnes congregati in nomine meo, semper obtinebunt, quod iustè petunt, id est, sapientiam, & lumen ad iudicanda ea, quę ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent?

Itaque siue pauci, siue multi, siue priuati, siue Episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habẽt Christum præsentem, & adiuuantem, & obtinent qꝫ eis conuenit obtinere. Sed in congregatione paucorũ & priuatorum adest Christus, vt eos adiuuet in reb. paruis, & priuatis: in congregatione autem Episcorum adest, vt eos adiuuet in rebus magnis, & publicis. Ita hunc locum exponit, & hoc argumẽto vtitur Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, quæ est post finem tertiæ actionis eiusdem Concilii. Item sexta Synodus, act. 17. Toletanum III. non procul ab initio. Item Innocentius Papa ad Gratian. dist. 20. can. de quibus. Celestinus in epistola ad Ephesinũ Concilium I. & Cyrillus in expositione Symboli Nicæni circa principium.

ALTER locus est Ioan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et ne putemus hoc dici solis Apostolis, & non etiam successoribus, cap. 14. apertè Dominus testatur spiritum sanctum mãsurum cum Apostolis in æternum, id est, cum eis, & cum successoribus perpetuò. At Episcopos seorsim existentes non docet Spiritus sanctus omnem veritatem, ergo saltem Episcopos omnes in vnum congregatos docebit omnes veritatem: & sanè cùm non sit in Ecclesia maior aliqua cathedra, per quam Deus nos doceat, quam summi Pontificis cathedra, adiuncto consensu generalis Concilij, si hæc etiam cathedra falli potest, cum vniuersam Ecclesiã docet, nescio quomodo vera sit illa promissio: *Docebit vos omnem veritatem.*

TERTIVS locus est Act. 15. vbi primum Conciliũ confidenter ait: *Visum est, Spiritui sancto, & nobis.* Si autem illud Concilium, ex quo formam acceperunt omnia alia Concilia, asserit decreta sua, esse decreta Spiritus sancti, certè idẽ asserere possunt cetera ltia Concilia, quæ vniuersæ Ecclesiæ regulas credendi, & operandi præscribunt. Illi enim Concilio adfuit Spiritus sanctus, quia id necesse erat pro Ecclesiæ conser-

uatione

tuatione: at non minus alijs temporibus nouis hæresibus exoriẽtibus id necessarium fuit, atque etiam erit.

Secvnda Classis testimoniorum continet omnia illa loca, quibus probatur Ecclesiam non posse errare, neque in credendo, neque in docẽdo: qualia sunt illa: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, Matth. 16. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, Matthæi vltimo. *Ecclesia Dei viui est columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. & similia.

Ex his. n. locis manifestè colligitur, Concilia generalia probata non posse errare, idque duobus modis. Primo, quia tota auctoritas Ecclesię, formaliter non est nisi in prælatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantùm in capite, ergo idem est Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, & Eos nõ posse errare: atqui, vt diximus, singuli seorsum errare possunt, igitur congregati in vnum errare non poterunt.

Secvndo, Concilium generale repræsentat Ecclesiam vniuersam, & proinde consensum habet Ecclesiæ vniuersalis: quare si Ecclesia non potest errare, neque Concilium œcumenicum legitimum, & approbatum potest errare: porrò Concilio generali vniuersam Ecclesiam repræsentari, Caluinus negat, sed facilè demonstrari potest. Nam in primis 3. Regum ca. 8. apertè vocatur tota Ecclesia Israel, cętus principum, qui cum Salomone conuenerant: nam nec fieri poterat, vt omnis Israel, qui superabat numerũ mille millium hominum, esset in eo templo simul: & initio capitis legimus conuenisse ad regem sacerdotes, & capita singularum tribuum.

Præterea Athanasius in epist. de Synodis Arimin. & Seleuciæ, & in epist. ad Episcopos Africanos. Epiphanius in fine Ancoratus. Eusebius lib. 3. de vita Constantini. August. lib. 1. contra Donatistas, c. 18. & lib. 2. c. 4. & lib. 4. c. 6. Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ. Gregorius lib. 1. epist. 24. ad Ioannem Eulogium, aliosque Patriarchas. Denique octaua Synodus, act. 5. vocant Concilium generale, cõuentum orbis terræ, vel consensum totius ecclesiæ. Præterea Martinus V. in fine Concilij Constantiensis iubet interrogari suspectos de hæresi: An non credant, Concilium generale vniuersam ecclesiam repræsentare. Itẽ B. Cyprianus libro 4. epistol. 9. cùm ait, ecclesiam esse in episcopo, sine dubio intelligit in omnibus episcopis esse omnes ecclesias. Denique, si in quolibet regno siue republica, id quod senatus, siue comitia statuunt, totius regni vel republicæ dicitur, cur nõ idem dicatur de ecclesiasticis decretis, quæ fiunt consensu omnium episcoporum?

Tertia Classis testimoniorum continet illa loca omnia, quæ probant Romanum Pontificem non posse errare in fide: quale est illud Lucæ 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* & si quæ sunt alia: quæ alibi explicata sunt, ex his enim colligitur euidenter Concilium a Papa confirmatum errare nõ posse. etsi enim sunt aliqui Catholici, qui existimant Põtificem errare posse, illi tamen dicunt tunc solum posse errare, quando non adhibet omnem diligentiam: at cum generale Concilium conuocatur, sine dubio adhibet omnem diligentiam in re illa inuestigãda: quid enim amplius facere potest? ergo saltem tunc omnium consensu non errabit.

Qvarta Classis testimoniorum continet illa loca, quę docent episcopos habendos esse, vt Pastores: audiendos, vt Magistros: sequendos, vt Duces: qualia sunt Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis:* Item illa, vbi dicuntur pastores, Act. 20. & Ephes. 4. cum enim illi iubentur pascere, nos iubemur eos sequi ad pascua: præsertim cum ad eum finem dicantur ab Apostolo constituti in ecclesia Pastores, vt non circumferamur omni vento doctrinæ. Item illa, quibus vocantur Doctores Matthæi vltimo. *Docete omnes Gentes.* Et 1. Timoth. 3. & ad Tit. 1. siquidem quo præcepto illi iubentur docere, eodem nos iubemur audire. Item illa vbi dicuntur speculatores: *Speculatorem domui Israel dedi te*, Ezechielis 33. quem locum de episcopis exponunt Hieronymus, & Gregorius in Ezechielem. Quare non immerito etiam dicuntur oculi episcopi in Concilio Toletano VIII. cap. 4. & ab Ambrosio lib. de dignitate sacerdotali cap. 6. & profectò si iubentur episcopi tanquam speculatores & oculi nobis viam ostendere, & nos iubemur per eam viam incedere, quam illi nobis ostenderint. Denique illa, vbi episcopi dicuntur patres, & ceteri dicuntur filij, vt Galat. 4. & 1. Ioan. 2.

Ex quibus omnibus locis ita possumus ratiocinari: Si nos iubemur à Deo audire & sequi episcopos, vt Præpositos, Pastores, Doctores, Speculatores, Patres, certè vel illi nos fallere non poterunt, vel nos poterimus culpam in Deum reijcere. At sine dubio singuli episcopi errare possunt, & aliquando errant, & inter se quandoque dissentiunt, vt nesciamus, quisnam eorum sequendus sit: ergo saltem omnes simul, præsertim in nomine Domini congregati, quando vno ore nos docent, errare non poterunt.

CAPVT III.

Idem probatur ex Patribus.

Accedat secundo testimonium, & traditio veterum Patrum. Ecclesia, & Patres multa de Concilijs passim scribunt: vnde constat, eos sensisse, Concilia generalia errare non posse. Affirmant primum, Concilij generalis sententiam esse in caussa fidei vltimum Ecclesiæ iudicium, a quo appellari non possit, quodque nullo modo irritari, vel retractari queat. Hinc autem apertissimè sequitur, eiusmodi Concilia non errare: nam alioquin iniquissimum esset cogere Christianos, vt non appellent ab eo iudicio, quod erroneum esse potuit.

Porrò hæc prima sententia frequẽtissima est apud veteres. Athanasivs in Epistola ad Epictetũ, quã etiam recitat Epiphanius hæresi 77. miratur quomodò illi audeant quæstionem mouere de rebus in Niceno Concilio definitis, cum non possint decreta eiusmodi Conciliorum mutari, nisi errando. Avgvstinvs in epist. 162. dicit vltimum iudicium ecclesiæ esse generale Cõcilium. Leo epist. 50. ad Martianum, petit, vt semel definita in Concilijs generalibus non retractentur. id quod lege sua sanxit idem Martianvs l. nemo, C. de sum. Trinit. & fide Cathol. Idem docet idem Leo epist. 61. ad Concilium Chalcedonẽse, & epist. 62. ad Maximum Antiochenum. Item Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ. Idẽ statuitur in Concilio Ephesino circa finem, & in Cõcilio Chalcedonensi, act. 5. can. vlt.

Secvndo docent Patres & Concilia, esse hæreticos, & excõmunicandos omnes, qui non acquiescunt Concilijs plenarijs. ex quo manifestè sequitur, eos putasse Concilia non posse errare, atque in primis omnia Concilia generalia dicunt anathema contradicẽtibus, vt Athanasius testatur de Nicæno in epistola ad episcopos Africæ, & de alijs patet in actis eorum.

Gregorivs Nazianzenvs in epistola priore ad Clidonium, cum Apollinaristæ negarent se esse hęreticos, & dicerent in Concilio quodam Catholico receptos, sic ait. *Ostẽdant*, inquit, *hoc, & nos acquiescemus, perspicuum enim erit eos rectæ doctrinæ assenturi, nec. n. se aliter res habere potest, si id consequuti sunt.* B. Leo ep. 78. ad Leonem Augustũ, docet, nõ posse inter Catholicos cõputari eos, qui resistũt Niceno, vel Chalcedonensi

nensi Concilio: & idem Leo epist. 77. ad Anatholiũ, iubet quendam Atticum Presbyterum, aut acquiescere Chalcedonensi Concilio, aut excommunicari. Basilivs epist. 87. in qua explicat fidem, docet suspectis de hæresi proponenda esse decreta Nicæni Cõcilij, inde enim apparebit hæretici ne illi sint, an Catholici. Præterea Avgvstinvs lib. 1. de Baptismo, c. 18. hac tãtum ratione excusat de hæresi Cyprianum, quod adhuc eo tempore non extiterit generale Concilium, quo definiri potuisset quæstio illa de Baptismo hæreticorum. Item Gregorivs lib. 1. epist. 24. dicit anathema non recipientibus generalia concilia quinque, quæ sola illo tempore celebrata erant.

Tertio Patres docẽt, esse diuina & à Spiritu sancto edita decreta legitimorum generalium Concilio rum. Ex quo sequitur, vt non possint esse obnoxia errori. Ita Constantinus in epistola ad Ecclesias apud Eusebium libro 3. de vita Constantini vocat cœlestia mandata Concilij Nicæni decreta. Athanasius in epistola ad Episcopos Africanos: *Verbum*, inquit, *Domini per œcumenicam Nicæa Synodum manet in æternum.*

Gregorivs Nazianzenus oratione in Athanasium, dicit, ad Concilium generale Nicænum Episcopos à sancto Spiritu congregatos. Cyrillvs lib. 1. de Trinitate, vocat decretum Concilij generalis Nicæni diuinum, & sanctissimum oraculum. Leo epist. 53. ad Anatholium, & 54. ad Martianum Imperatorem affirmat, Nicæni Cõcilij canones per sanctũ Spiritum ordinatos. Et epist. 37. ad Leonem Augustum asserit, Chalcedonense Concilium per Spiritum sanctum congregatum fuisse. Gregorivs lib. 1. epist. 24. affirmat, se venerari quatuor prima Concilia, sicut quatuor Euangelia. Nicolavs I. in epistola ad Michaelem, decreta Conciliorum vocat diuinitus inspiratas sententias. Denique Concilia ipsa affirmant, se in Spiritu sancto congregata.

Qvarto docent, potius esse moriendum, quàm recedendum à decretis generalium Conciliorum. ita Ambrosivs epist. 32. *Sequor*, inquit, *tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Hilarivs autem reipsa exilium passus est propter Nicænam fidem, vt ipse testatur in fine libri de Synodis: & Victor Africanus in libris tribus de Vandalica persequutione describit plurima celeberrima martyria Sanctorum, qui pro fide in Concilio generali explicata mortui sunt. Hieronymvs libro contra Luciferianos loquens de Athanasio, Hilario, Eusebio, alijsque sanctis Confessoribus: *Quomodo poterant*, inquit, *aduersum Synodum Nicænam facere, propter quam exilia sustinuerunt?*

CAPVT QVARTVM.

Idem ostenditur argumentis à ratione ductis.

Accedat postremò etiam naturalis ratio. Primvm, si Concilia generalia possent errare, nullum esset in Ecclesia firmum iudicium, quo controuersiæ componi, & vnitas in Ecclesia seruari posset. nihil enim est maius generali Concilio, legitimo, & approbato.

Secvndo, si non esset infallibile iudicium eiusmodi Conciliorum, possent meritò reuocari in dubium omnes damnatæ hæreses. Diceret enim Arius errasse Nicænum Conciliũ: Macedonius, Constantinopolitanum: Nestorius, Ephesinum: Eutyches, Chalcedonense.

Tertio, nulla esset certitudo de multis sacræ scripturæ libris: nam de epistola ad Hebræos, 2. Petri, 2. & 3. Ioannis, Iacobi, & Iudæ, & de Apocalypsi, quos libros etiam Caluinistæ recipiunt, tamdiu est dubitatum, donec à Concilio res declarata est.

Qvarto, si omnia Concilia possent errare, illud certè sequitur, vt omnia intolerabilem errorem admiserint, ac proinde nullo honore digna sint: nam error intolerabilis est, proponere aliquid credendum, tanquam articulum fidei, de quo non constet, an sit verum, vel falsum: at Concilia præcipua, vt Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, ediderunt noua Symbola fidei, aut certè nouas sententias, quas voluerunt haberi tanquam articulos fidei. quis autem dicere audebit, illa Concilia quatuor intolerabilem errorem continere, nulloque honore digna esse, cum ea videamus etiam ab aduersarijs cũ honore suscipi, & non raro in testimonium veræ doctrinæ adduci? Restat igitur, vt firma, & infallibilia esse credamus eorum iudicia.

CAPVT QVINTVM.

Concilia particularia à Pontifice approbata, errare non posse.

Altera propositio: *Cõcilia particularia, à summo Pontifice confirmata in fide & moribus errare non possunt.* Hæc propositio non est equè recepta, ac prior. illam nemo Catholicorum negat, hanc verò, non desunt, qui negent. Itaque ea solum de caussa non affirmamus, hanc propositionem fide Catholica esse tenendam, q̃ auctores, qui contrarium sentiunt, nondum videamus ab Ecclesia damnatos pro hæreticis. Constat etiam ex Eusebio lib. 7. hist. c. 2. 3. & 4. Cornelium Papam cum nationali Concilio Episcoporũ Italiæ statuisse non debere hæreticos rebaptizari, & eandem sententiam postea approbasse etiam Stephanum Papam, & iussisse, vt hæretici non rebaptizarentur: Et simul constat ex eodem Eusebio ibidẽ, Cyprianum contrarium sensisse, & mordicus defendisse, id quod etiam ipse fatetur in epistola ad Pompeianum, ubi arguit Stephanum Papam erroris, & tamen Cyprianus semper est habitus in numero Catholicorum.

Sed quidquid de hoc sit, de quo alibi diximus, cum ageremus de Pontifice, certè temerarium, erroneum & proximum hæresi est, existimare, Concilia particularia à Pontifice cõfirmata posse errare. Id quod Primvm probatur argumentis illis, quibus supra demõstrauimus, summum Pontificem in iudicandis ijs rebus quæ ad fidem, vel bonos mores pertinent, nõ posse errare. Si enim summus Pontifex errare non potest, certè nec Concilium, quamus exiguum, ab illo comprobatum.

Secvndo idem probatur ex eo, quod si eiusmodi Concilia errare possent, plurimæ hæreses, quæ damnatæ sunt a solis Concilijs particularibus, iterum reuocari possent in dubium, ut Pelagianorum, Priscilliani starum, Iouiniani, & aliorum.

Tertio, hactenus non est inuentum aliquod Cõcilium eiusmodi, quod errauerit.

Qvarto in VII. Synodo, act. 3. & VIII. Synodo, act. vlt. can. 1. dicunt Patres se venerari, & recipere etiam localium Conciliorum decreta: immò in eadẽ septima Synodo vocantur eiusmodi decreta diuinitus inspirata. Superest, vt argumenta aduersariorum proponamus, & diluamus.

CAPVT SEXTVM.

Soluuntur argumenta ex Scripturis deprompta.

Aduersarii quatuor argumentorum genera nobis obijciunt. Vnum ex Scripturis petunt. Alterum ex testimonijs Patrum. Tertium ex ipsis Concilijs, quæ vel cum alijs Conciliis, vel cum Scripturis

non

non rarò pugnare videntur. Quartum ex naturali ratione. Sed primum nullas ferè habet vires, ideò bretissimè refutabitur.

OBIICIT igitur Caluinus lib.4.instit.cap.9.§.3. illa loca testamenti veteris, in quibus omnes Pastores, & Sacerdotes, atque Prophetæ reprehenduntur non solum improbitatis, sed etiam ignorantiæ, & erroris. Quale est illud Isa.56. *Speculatores eius cæci omnes, neque quidquam nouerunt, omnes canes muti, nec valent latrare, iacentes dormiunt, & amant dormitionem, & Pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt.* Item Illud Oseæ 9. *Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei.* Et illud Hier.6. *A Propheta vsque ad Sacerdotem, quisque sectatur mendacium.* Et cap.14. *Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo.* Denique illud Ezech.22. *Coniuratio Prophetarum in medio eius sicut leo rugiens, & qui rapit prædam, sacerdotes eius violarunt legem meam, & prophanauerunt sancta mea.*

Sed hæc omnia tribus modis soluuntur. PRIMVM enim frequētissimum est in sacris, ut propter aliquos malos reprehendātur omnes, propter aliquos bonos laudentur omnes, quò videlicet vehementior sit tum vituperatio, tum commendatio. Annotauit id sanctus Augustinus libro de vnitate Ecclesiæ, capite 12. & multa ex diuinis literis exempla peti possent, sed vnum hoc loco sufficiet. Scribit Apostolus ad Philippenses c.2. *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ* IESV CHRISTI. Et tamen c.1. iam dixerat quosdam ex contentione, quosdam ex charitate Christum annunciare. Et cap.3. ait: *Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.* Et quæ sequuntur. Si igitur quidam ex caritate Christum annunciabant, & ambulabant secundum Apostoli formam, ita vt etiam digni essent, quos Philippenses imitarentur, & obseruarent: Non igitur omnes quærebant, quæ sua sunt, & tamen suo quodam modo, id est, per figuram intellectionis, oēs quærebant, quæ sua sunt, vt Apostolus loquitur. Non igitur allata Scripturæ testimonia cogunt, vt intelligamus Pastores, & Sacerdotes, & Prophetas Testamenti veteris aliquo tempore omnes simul mendaces, & sceleratos fuisse, sed tantum aliquos.

DEINDE cum nihil horum dicatur in Concilium Sacerdotum, sed in Pastores, & Prophetas, qui sepatim populum decipiebant, non videntur ea testimonia ad rem nostram facere: alia enim ratio est Pastorum in Concilio congregatorum publica auctoritate, & qui Dei nomine inuocato quæstiones diligenter excutiunt: alia verò dispersorum, & qui dum in locis quisque suis sedent, proprio iudicio indulgent. Quare eadem Scriptura, quæ tam frequenter in Pastores malos inuehitur, & a falsis Prophetis cauendum esse monet, eadem tamen eos, qui de aliqua re dubitant, ad Concilium Sacerdotum mittit, ac præcipit, vt id obseruent, quod dixerint ij, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, Deut.17.

DENIQVE etiamsi nihil horum haberemus, tamen non continuò liceret omnia, quæ dicuntur in Scripturis aduersus Prophetas, & Sacerdotes Testamenti veteris, illa omnia transferre ad Sacerdotes Testamenti noui, præsertim in Concilio congregatos: certiores enim, & maiores promissiones Dei habet Ecclesia, quam Synagoga. Nec enim de Synagoga vsquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit. Matth.16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Nec id quod Apostolus ait, 1.Timoth.3. Eam esse *columnam & firmamentum veritatis*, Neque de Caipha scriptum est, sed de Petro: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, Lucæ 22.

Obijcit SECVNDO idem Caluinus ibidē §.4. hęc loca Testamenti noui, 2.Pet.2. quemadmodum fuerūt in populo veteri Pseudoprophetæ, sic & inter vos erunt falsi doctores, sectas perditionis insinuātes. Act. 20. *Scio quod post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces non parcentes gregi, & ex vobis ipsis erunt, qui loquentur peruersa, vt abducant discipulos post se.* Matth. 24. *Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.*

At sanè mirum est, si Caluinus dum hæc proponeret, non ad se ipse oculos reflectebat, ac dicebat: Quid si ego ipse vnus sim de numero horum infeliciū Pseudoprophetarum? clarissime enim Christus, Petrus, ac Paulus describunt hæreticos sub nomine falsorum Prophetarum, qui repugnantes doctrinæ, quæ per Episcopos ordinaria successione in Ecclesia præsidentes conseruatur, sectas non metuunt introducere, vt abducant discipulos post se, & faciant sibi nomen in terra, vt alij Lutherani, alij Caluinistæ nominentur. Tantum vero abest, vt de Concilijs Episcoporum intelligi debeant ea loca, quæ monent, vt a falsis Prophetis caueamus, vt potius ea de caussa ordinaria Concilia fiant, vt falsi Prophetæ detegantur, & confutentur, & tamquam lupi rapaces ab ouili CHRISTI procul arceantur.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta petita ex testimonijs veterum Patrum.

PROFERVNT secundo loco Patrum testimonia, ac primum Caluinus adducit in medium S. Gregorium NAZIANZENVM, qui in epistola ad Procopium ita loquitur: *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit.*

RESPONDEO, non negat Nazianzenus legitima Concilia certam fidem facere. sed queritur suo tempore nullum Concilium fieri potuisse omni ex parte legitimum. id quod verissimum est. Nam Gregorij ętas incidit in tempus medium inter Concilium primū, & secundum generale, quo tempore plurima facta sunt Concilia, quæ propter multitudinem Episcoporum hæreticis fauentium infaustum exitum habuerunt, qualia fuerūt Seleucienſe, Tirenſe, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense, &c. Cum ergo suo tempore tot vidisset mala Concilia, & nullum bonum, & tamen vocaretur a Procopio nomine Imperatoris ad Concilium quoddam, duas excusationes adhibuit: vnam, quod desperaret se legitimum Concilium eo tēpore visurū: alteram, eamque præcipuam, quod morbo grauissimo detineretur, vt quotidie putaret se moriturum. Confirmatur hæc solutio ex Basilio, qui eodem tempore floruit, id est, post primum Concilium, & ante secundum, Et scribens in epist.52. ad Athanasium, dicit videri sibi impossibile, vt eo tempore fieret legitimum Concilium, & ideo oportere scribi ad Romanum Pontificem, vt ipse sua auctoritate irritaret acta Concilij Ariminensis.

Denique, quid senserit Gregorius de legitimis Cōcilijs, perspicuum est, tum ex eius sententijs supra citatis, tum etiam ex eo quo adeo strenuus prædicator fuit Nicæni Concilij, vt templum, in quo ipse Constantinopoli concionabatur, *ἀναστασία*. i. resurrectio vocatum sit, quia ibi resurrexerit opera Gregorij fides Nicæna, per Arianos antea quodammodo extincta, vt refert historia Tripartita, lib.9.ca.9. tum denique, quia postea interfuit ipse Concilio secundo generali, vt patet ex subscriptione, & ex oratione, quam habuit ad CL. Patres.

ALTERVM testimonium est AVGVSTINI, qui lib. 3. contra Maximinum ca.14. ait: *Nec ergo Nicænum,*

nec

nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus proferre Concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris, &c.

RESPONDEO, Augustinum non velle dicere, nō teneri vllo modo Maximinum auctoritate Concilij Nicæni, sed non teneri in illa disputatione, quia Augustinus id promittebat: quia enim Maximinus obijciebat Niceno Cōcilio Concilium Ariminense, & Augustino non videbatur operæpretium tunc tempus consumere in ostendendo Concilium Nicænum fuisse legitimum, & Ariminense illegitimum, cum haberet meliora argumenta ex Scripturis, ait: nunc nec ego huius, nec tu illius auctoritate teneris, id est, nolo nunc teneamur Conciliorum auctoritatibus, omittamus Concilia, ad Scripturas veniamus. Quod autem Augustinus alioqui putauerit, Concilium Nicenum summæ fuisse auctoritatis, & oportuisse omnes illi acquiescere, patet ex verbis præcedentibus, vbi sic ait: *Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est, &c.* Quid. n. est veritas auctoritatis, nisi vera & certa auctoritas?

ALIVD testimonium proferunt ex lib. 2. de Baptismo, c. 3. vbi Augustinus dicit, Concilia plenaria priora a posterioribus emendari, nec dici potest, eum loqui de plenarijs improprie, id est, nationalibus: nam paulo ante dixerat, Concilia regionalia, & prouincialia debere cedere plenarijs, & tunc subdit, inter ipsa plenaria, priora a posterioribus emendari. Hic exultat HERMANNVS li. 3. cap. 16. Prolegom. *Si enim*, inquit, *priora illa antiquissima, emendatione indigent, quot erroribus scatebunt ista recentiora?*

Respondeo PRIMO, forte loqui Augustinum de Cōcilijs illegitimis, quæ per posteriora legitima emēdantur, vt accidit Concilio Ephesino II. quod in Chalcedonensi emendatum est. SECVNDO dico, si de legitimis loquatur, agere eum de quæstionibus facti, non iuris. in qualibus quæstionibus non dubium est, Concilium errare posse: & certe Augustinus videtur de eiusmodi quæstionibus agere: nam præcipua quæstio Catholicorum cum Donatistis erat de Cæciliano, libros ne sacros tradidisset hostibus fidei, an non? Potest etiam. TERTIO dici, si contendāt aduersarij eum loqui de vniuersalibus quæstionibus, Concilia priora emendari per posteriora, quoad præcepta morum, nō quoad dogmata fidei: præcepta enim mutantur iuxta temporum, locorum, & personarum mutationes, & illæ mutationes dicuntur emendationes, non quod res mala esset eo tempore, quo est instituta, sed quod mala esse cœperit mutatis circumstantijs. Vtraque solutio satis confirmatur ex verbis Augustini, qui dicit tunc emendari Concilia: quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat. Experimento enim aperiuntur quæstiones de facto, vel de moribus, non quæstiones iuris vniuersales.

TERTIO, profert Caluinus Leonem, qui epist. 53. ad Anatolium, & 54. ad Martianum, & 55. ad Pulcheriam, agnoscit Chalcedonensem Synodum legitimā fuisse, & tamen non dubitat ei attribuere ambitionē & inconsultam temeritatem, ergo putabat legitimum Concilium posse errare.

RESPONDEO, Concilium legitimum posse errare in his quæ non legitime agit, & de facto erasse, quando ab Apostolica sede reprobatur: tale est id, de quo reprehenditur Concilium Chalcedonense a Leone. Vt enim patet ex vltima actione eiusdem Concilij, & ex epistol. 61. eiusdem Leonis, quæ est ad Concilium Chalcedonense, decretum illud, quo anteponitur Episcopus Constantinopolitanus Alexandrino, & Antiocheno, factum est absentibus Legatis Romanę sedis, non sine fraude, & a Leone improbatum fuit, quia contrarium erat Nicæni Concilij constitutioni.

Ad hæc addit HERMANNVS libro 3. cap. 13. Prolegomenorum, Isidorum, qui apud Gratian. distin. 50. can. Domino sancto, asserit, cum Concilia inter se dissentiunt, standum esse antiquioribus, magisque probatis: quæ regula contraria est regulæ B. Augustini, qui posteriora Concilia anteponebat prioribus, & præterea ex ea colligitur, Concilia inter se aliquando pugnare, & proinde aliqua eorum errare. RESPONDEO, Isidorus loquitur de Concilijs, quorum non est certa auctoritas, quæ videlicet non sunt à Pontifice expresè confirmata, quæ Concilia inter se pugnare posse, & errare, non negamus. neque pugnat Isidorus cum Augustino, nam Isidorus loquitur de fidei doctrina, Augustinus de quæstionibus facti, vel morum præceptis.

LVTHERVS in libro de Concilijs, pagin. 54. probat Concilia inter se pugnare: ex titulo decreti Gratiani, concordantia discordantiarum. RESPONDEO, loquitur de discordantijs apparentibus, non veris: nam si veræ essent, concordari non possent.

Addunt quidam alij vltimò Gratianum qui dist. 18. can. 2. dicit, Concilia Episcopalia esse inualida ad definiendum, & constituendum, non autem ad corrigendum. RESPONDEO, vocat Episcopalia Concilia Gratianus, non quælibet Concilia, sed tantum prouincialia: illa enim propriè sunt Episcopalia, in quib. soli Episcopi, non Archiepiscopi, aut Patriarchæ conueniunt: ista autem Cōcilia ordinariè non instituuntur ad dogmata fidei constituenda: id enim propriū est generalium Conciliorum, sed tantum ad restituēdam disciplinam Ecclesiasticam, & mores corrigendos. Itaque ex se, & ordinariè inualida sunt ad constituenda dogmata fidei, si tamen aliqua vrgente necessitate definiant aliquid de fide, & eorum decretum a sede Apostolica approbetur, nihil obstat, quo minus valida esse possint.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta ex Conciliorum erratis.

ENVMERANT denique aduersarij errores Conciliorum, & præcipuè HERMANNVS lib. 3. c. 15. & 16. Prolegomenorum, & liber Protestantium, qui inscribitur: *Causſa cur electores, &c* Sed è maximo numero errorum, solum tertia pars eget aliqua discussione. Trium enim generum errores in Concilijs aduersarij obseruarunt. Quosdam errores veros & crassos, sed Conciliorum illegitimorum a Pontificibus reprobatorum, vt Ariminensis, Seleucienſis, Ephesini II. quos frustra enumerant, cum nihil faciant cōtra nos. Vide quæ diximus de Concilijs reprobatis. libro 1. cap. 7. & 8.

Alios deinde errores non veros, sed fictos Conciliorum legitimorum, & probatorum: omnia enim q̄ ipsi non probant, vocant errores. Hoc modo dicunt erasse Concilium Chalcedonense, in quo sanctimoniales prohibentur votum continentiæ violare, & Concilium Carthaginense V. in quo statuitur, ne altaria erigantur sine reliquijs Martyrum. sed dum hęc dicunt, assumunt quod probandum erat.

Alios denique errores obseruant in veris, legitimisque Concilijs, qui reuera speciem aliquam erroris habere videntur, id est, eiusmodi sententias videntur continere, quæ & nostro & illorum consensu iudicantur erroneæ, atque hos duntaxat examinare, & diluere debemus.

PRIMO loco Caluinus adducit Concilium CD. Prophetarum, qui omnes errarunt ipso Deo protestante se misisse spiritum mendacem in ore ipsorum, 3. Regum 22. Sed quale, quæso, Concilium illud fuit? PRIMVM non erant illi Prophetæ Dñi, nā cùm CD.

illi

illi Prophetæ sententias suas dixissent, legimus quæsi
uisse Regem Iosaphat à Rege Achab, an non esset aliquis Propheta Dñi, per quem Dominus interrogari posset? Achab autem respondisse: *Remansit vnus, sed ego odi illum.* DEINDE Concilia, non Prophetarum, sed sacerdotum esse debent. DENIQVE Concilium illud ab Achab Rege, non à summo Pontifice, coactũ fuit, proinde nihil mirum, si errauit.

Proponunt SECVNDO Caluinus & Brentius Concilium Iudæorum, præside summo Pontifice Caipha, in quo excommunicati sunt, qui confitebãtur IESVM esse Christum, Ioan. 9. & postea Christus reus mortis iudicatus est, Ioan. II. & Marc. 14.

RESPONDEO, quidam aiunt, quæstionem fuisse de facto, non de iure, quam Concilium illud iudicauit, videlicet, num IESVS necandus esset: in eiusmodi autem iudicijs Concilia errare posse, non dubium est. At quæstio illa etiamsi de facto esset, tamen inuoluebat quæstionem de fide grauissimam, nimirum, an IESVS esset verus Messias, & Dei Filius, atque adeo Deus verus. Quocirca errauit in fide pernicioſissimè Caiphas cum vniuerso Concilio, cum iudicauit IESVM blasphemasse, qui se Dei filium appellauerat.

Alij dicunt, Pontificem, & Concilium errasse, quãtum ad errorem propriæ mentis, non tamen errasse in sententia, quam protulit. Verè enim IESVS erat reus mortis, quia peccata nostra in seipso purganda susceperat, & verè expediebat, eum mori pro populo. Quare Ioan. c. 11. dicit Caipham prophetasse. At licet verba Caiphæ bonum sensum recipiant, non tamen omnia, cum enim ait de Christo. *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus?* Certè tunc non prophetauit, sed blasphemauit.

Alij dicunt, Concilium illud erasse, quia non processit secundum morem legitimi iudicij: sed tumultuaria conspiratione, subornatis falsis testibus, Christum damnauit: id quod adeo notum erat omnibus vt ēt Pilatus sciret per inuidiam eum fuisse traditum sibi à Pōtificibus, vt habemus Matthæi 27. atque hęc quidem rñsio probabilis est. Quia tamen non est inferiorum iudicare, an superiores legitimè procedant, necne, nisi manifestissimè cōstet intolerabilem errorem committi: & credibile est, Deum non permissurum, vt Concilia, quibus summus Pontifex præsidet, non legitimè procedant: Ideò respondemus, Pontifices & Concilia Iudæorum non potuisse errare anteq̃ CHRISTVS veniret, sed eo præsente potuisse, immò fuisse prædictum erraturos Iudæos, & CHRISTVM negaturos, Isaiæ 6. Danielis 9. & alibi. Sicut. n. nō est necessarium, vt Vicarius Papæ non possit errare, cum ipse Papa regat Ecclesiam, & ab errore defendat: sic etiam non fuit necessarium, ut Pontifices Iudæorum non possent errare, quando Christus, summus totius Ecclesiæ Pontifex præsens aderat, & Ecclesiam per se administrabat.

TERTIO vł LVTHERVS reprehendere Concilium Apostolorum, de quo Act. 15. dicit enim in assert. artic. 29. Iacobum mutasse Petri sniam. Constat autem sniam Petri, qui iudicauerat, non debere Gentes cogi ad legalia, fuisse bonam & veram: nam eam tuetur Paulus in tota epistola ad Galatas, ergo sententia Iacobi, quam tota Synodus sequuta est, fuit mala & falsa, quæ nimirum iussit Gentes abstinere a sanguine, & suffocato, quod nihil aliud est, quam iudaizare. Itē Lutherus in libro de Concilijs, parte prima, multa dicit de hac lege Apostolorum, & quamuis non audet asserere fuisse malam, tamen inde probat, Concilium nihil prodesse, quia non potest defendi ista lex, nisi dicamus Concilium non obligare.

RESPONDEO, non desunt veteres, qui negent Cōcilium Apostolorũ, quicquam præcepisse de abstinentia ab esu sanguinis, & suffocatorum animalium.

A IRENÆVS enim lib. 3. c. 12. hunc locũ bis adducēs: semper omittit suffocatum, & nomine sanguinis vł intelligere homicidium. CYPRIANVS lib. 3. ad Quirinũ circa finem apertè dicit, Apostolos tantum præcepisse, vt abstinerent ab idololatria, fornicatione, & sãguinis effusione. Chrysost. & Oecumenius in hunc locum, intelligunt per suffocatum homicidium. Nihilominus tñ in cōibus codicibus Græcis, & Latinis inuenimus sanguinem, & suffocatum, & constat ex Tertulliano in Apologetico, c. 9. & ex Concilio Gangrensi, can. 2. p multos annos seruatũ in Ecclesia hoc præceptum, ita vt non vescerentur Christiani sanguine, nec suffocatis animalib. Et pterea nulla erat ratio cur Apostoli prohiberent homicidium: solum. n. voluerunt prohibere quædam, de quibus Gentiles dubi
B tabant, an essent peccata, homicidium autem esse peccatum apud omnes semper in confesso fuit.

Rñdemus igitur, Apostolos in primis prohibuisse fornicationem, quia illa non videbatur peccatũ Gentilibus, cũ nullis legibus puniretur: deinde imperasse abstinentiam ab immolatis simulacrorum, sanguine & suffocato, non vt legis veteris obseruantiã, sed vt sua, i. Apostolica præcepta, idque in eum finem, vt facilius Ecclesia, ex Iudæis, & Gentibus coalesceret, nō. n. potuissent in illis initijs Iudęi ferre Gentilium societatem, si eos vidissent vesci carnibus immolatitijs, aut sanguine, aut suffocato, a quibus illi valde abhorrebant. Postea vero quam Ecclesia creuit, & finis illę legis cessauit, lex ēt per se cessauit. De qua re sic loquitur S. AVGVSTINVS lib. 32. contra Faustum, c. 13. *Si*
C *hoc tunc Apostoli præceperunt, vt ab animalium sanguine abstineret Christiani, nec præfocatis carnibus vescerẽtur, elegisse mihi videntur propẽ rem facilem, & nequaquam obseruantibus oneroſam, in qua cum Israelitis etiã Gentes propter angularem illum lapidem, duos parietes in se condentem, aliquid communiter obseruarent.* Et infrà: *Trãsacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, vnus ex Circumcisione, alter ex Præputio venientes, quamuis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: & vbi Ecclesia Gẽtium talis effecta est, vt in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis iam hoc Christianus obseruat, vt turdos, vel minutiores auiculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est: aut leporem non edat, si manu à ceruice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci*
D *adhuc tãgere ista formidãt, à ceteris irridẽ. ur.* Hęc ille.

Itaque neque Concilium errauit neque Iacob. Petri sniam mutauit, sed antequam res definiretur, putauit addendum sententiæ Petri hoc præceptum positium, & tpale, & postea, ex cōi sententia res definita est. Vide Hieronymum in epistola ad Augustinum, quæ est 11. inter epistolas Augustini, vbi dicit, Iacobum, & omnes alios Petri sententiæ acquieuisse.

QVARTO, proferunt Concilium Neocæsariense, confirmatum à Leone IV. dist. 20. can. De libellis, & receptum in Concilio Niceno I. vt dł in Cōcilio Florentino, sess. 7. nam in hoc Concilio, can. 7. inuenitur exploratus error, quo prohibentur secundæ nuptiæ: *Presbyterum* (inquit Cōcilium) *conuiuio secũdarum nuptiarum interesse non debere, maximè cum præcipiatur*
E *secundis nuptijs pœnitentiam tribuere.* Quis erit ergo ꝑsbyter, qui, propter conuiuium, illis cōsentiat nuptijs, quas tamen Paulus cōcedit, 1. Cor. 7. *Si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino?*

RESPONDEO, Concilium loqui de eo, qui duas simul vxores hēt, ut exponit rectè Glosa 31. q. 1. can. De his qui frequenter. Vel secundo dici potest, non prohiberi secundum Matrimonium, sed solennitatem secundi Matrimonij, cui solennitati propriè cōuenit nomen nuptiarum. Celebritas enim nuptiarũ tantum semel in Ecclesia fieri cōsueuit, nimirũ quãdo Virgines coniunguntur, vt Isidorus testatur lib. 2.

de

de officijs, c. 19. vbi dicit, solum in primis nuptijs dari annulum, & velum quoddam, partim album, partim rubeum, quod flāmen dicebatur: à quo velo nuptias dictas, quia nimirum eo velo obnubuntur capita nouarū nuptarum, testatur Ambrosius lib. 1. de Abraham. c. 9. Canon igitur ille prohibet, ne Presbyter celebritati secundi Matrimonij interfit, quin potius pœnitentiā iniungat ijs, qui contra morē Ecclesiæ in secūdo matrimoni eiusmodi celebritatē adhibuerint.

QVINTO, proferunt Nicænum Concilium primū, de quo LVTHERVS in libro de Cōcilijs parte prima dicit, se nō intelligere Spiritum sanctum in isto Concilio: nam in vno canone dicit, nō esse idoneos ad Sacerdotium eos, qui se castrauerunt: in altero prohibet, ne Sacerdotes habeant vxores, & tandem ita concludit pag. 92. *An verò nihil aliud est negotij Spiritui sancto in Concilijs, quàm vt impossibilibus, periculosis, nō necessarijs legibus suos ministros obstringat, & oneret?* Ibidem Lutherus refert canonem erroneum Nicæni Concilij de rebaptizandis Paulianis, & similem Concilij Iconij ex lib. 7. hist. Eusebij, cap. 6. ITEM Lutherus ibidem, Brentius, & Hermannus, damnatam esse militiam asserunt in eodem Concilio, quàm tamen constat ex approbatione Ioannis Baptistæ, Luc. 3. esse licitam. Sic autem habet canon. 11. Concilij: *Qui verò per Dei gratiam vocati primò quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum reuersi sunt, vt & pecunias darent, & ambirent, redire rursum ad militiam: isti decem annis stent inter pœnitentes, postquam triennio fuerint inter audientes; id est, Cathecumenos.*

RESPONDEO, Concilium Nicænum tantę semper apud omnes Patres fuisse auctoritatis, vt mirum sit, Luthero in mentem venire potuisse, vt aliquid aduersum hoc Concilium scriberet. Sed nimirum ita oportuit hæreticos prodi, dum ea vituperant, quæ omnis Catholica Ecclesia semper probauit. Sed ad rem. Displicet Luthero iniunctam Ecclesiasticis viris legem continentiæ, ideoque Concilium errasse clamat. At nobis Lutherus errat, & verbo, & facto, non Concilio: de qua re propria instituetur suo loco disputatio.

Quod autem reprehendit canonem de rebaptizandis Paulianis, ignorantiam suam prodit. Pauliani. n. cum purū hominem Christum crederent, & Trinitatem apertè negarent, non baptizabāt in nomine Trinitatis: proinde nec verè baptizabant. Porrò Cōciliū Iconij particulare fuit, & improbatum a summo Pōtifice, sicut Concilium Carthaginense sub Cypriano celebratū, qualia Concilia nos minime defendimus.

Iam quod attinet ad militiā, Nicęna Synodus non prohibet militiam, nisi quatenus aliquando signum est idololatriæ: sciēdum enim est, olim cingulum militiæ fuisse rem magni honoris, & etiam commodi, propter magna priuilegia concessa militib. & propterea antiquos illos Imperatores Ethnicos, tempore persequutionis consueuisse auferre cingulum militiæ, & exauthorare eos, qui Christiani inueniebātur, & fidē negare nolebant: quod patet ex Eusebio, lib. 8. histor. c. 4. vbi dicit, initium persequutionis Diocletiani cœpisse a Christianis, quib. militia negabatur, nisi immolarent idolis. Et lib. 9. c. 10. dicit, Licinium quoque initio suæ persequutionis, Christianos de Palatio, & de omni militia expulisse. Itē ex Ruffino, qui lib. 10. hist. c. 32. vbi de Iuliano ait, militię cingulum nō dari, nisi immolantibus, iubet. & lib. 11. c. 2. dicit, Valentinianum a Deo recepisse imperium, quia pro eius fide, tēpore Iuliani, militiæ cingulum spreuerat.

Quoniam ergo tunc quidā Christiani milites ardore fidei cingulū abijciebant, malentes potius sine honore, quàm sine fide viuere: deinde autem seducti a Diabolo, iterum ambiebant cingulum, parati fidem negare: ideo Concilium in hos tam feueram pœnitentiam constituit. Hæc ita esse patet: PRIMO, ex Theodoro Balsamone, & Zonara, qui ita exposuerunt in commentarijs horum canonum. SECVNDO, ex Ruffino, qui lib. 10. hist. cap. 6. enumerans canones Nicæni Concilij, hunc ita ponit: *Qui propter confessionem militiam abiecerant, &c.* TERTIO. ex ipso canone: nam toto canone agitur de lapsis, & primum quidem ijs, qui ob metum vitæ, aut opum amittendarum lapsi fuerant, negando fidem, iniungit Concilium pœnitentiam decē annorum, deinde ijs, qui militiam ambierant, quam pro fide contempserant, iniungit tredecim annorum pœnitentiam, quia nimirum isti grauius lapsi erant: priores enim simpliciter negauerāt, isti autem post gratiam confessionis negauerant, in quo maior ingratitudo erga Deum inuenitur.

SEXTO, profert Hermannus Concilium ARELATENSE II. in cuius secūdo canone sic dicitur: *Assumi aliquem ad sacerdotium, in vinculo coniugij cōstitutum, nisi fuerit promissa conuersio, non oportet.* Hic duos errores notat Hermānus Hamelmannus. VNVM, quòd non liceat Sacerdotib. vti suis vxorib. cum id sit contra Concilium Gangrense, in cuius can. 4. excommunicantur ij, qui nolunt interesse sacrificio, quod offertur a Presbytero coniugato. Est autē Gāgrense Cōcilium receptum a Leone IV. dist. 20. canon. De libellis. Imò etiam contra Concilium NICÆNVM, in quo approbata est sententia Paphnutij, qui censuerat, nō debere prohiberi Ecclesiasticos a consuetudine cum proprijs vxoribus, vt patet ex Socrate lib. 1. cap. 8. ex quo sequitur, necessario errare Concilium Arelatense, vel concilium Gangrēse, & Nicænum ALTERVM errorem notat in illa voce *Conuersio*, non enim cōuertimur nisi a malo: qui ergo iubet coniugatum conuerti, coniugium damnat, quæ est hæresis damnata in eodem Gangrensi Concilio, can. 1.

RESPONDEO, illa Concilia non pugnare inter se, nec vllum eorum errasse: nam Concilium Gangrense edidit canones contra eos, qui putabant, nuptias, & esum carnium absolutè esse mala, & a Diabolo, q̄ fuit hæresis Manichęi, & postea Eustathij Sebasteni. contra quem Gangrense Concilium celebratum est. Quia ergo hæretici isti ita horrebant nuptias, vt etiā Presbyteros, qui vxores habuerāt, etiamsi iam eas nō haberent (saltem quasi vxores) ferre non possent: ideo Concilium etiam istum canonem addendum putauit. Vnde in ipso canone sic habemus: *Quicunque discernit, a Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oportet, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit.* Vbi vides agi de eo, qui habuit vxorē, non qui habet.

Ad illud de Concilio Nicæno supra respondimus, non fideliter narratam esse historiam a Socrate, ac, vt alia nunc argumenta prætermittamus, id satis colligitur ex isto Concilio Arelatensi: hoc enim Concilium celebratum est mox finito Nicæno Concilio, & in eo recepti sūt canones Nicæni, vt patet ex eo, quòd fere omnes in hoc Concilio repetuntur. Cum ergo etiam istum hic inueniamus, sine dubio, vel hic etiā fuit in Concilio Nicæno, vel saltem non est ei contrarius: nulli enim vnquam Catholici repugnauerunt Nicæno Concilio.

Ad vltimum dico, conuersionem non solum dici a statu malo ad bonum, sed etiam a bono ad meliorē, quare Gregorius lib. 2. epist. 100. vocat cōuersionem, professionem Monachatus, & extat titulus in iure canonico de conuersione coniugatorum.

SEPTIMO, profert HERMANNVS Hamelmannus Syrmiense Concilium, quod videtur receptum, quia damnata est in eo hęresis Photini, & tamen aperte in eo Concilio confirmata est hæresis Ariana. Idem dici potest de Sardicensi, quod receptum est a Leone IV. dist. 20. can. De libellis. Et tamē beatus Augustinus lib. 3. contra Cresconium, cap. 34. dicit: *Disce*, inquit, *quod*

quod nescis, Sardicense Concilium Arianorum fuit,&c.

RESPONDEO, hæc argumenta procedere ex ignorantia historiarum: multæ siquidem confessiones editæ sunt in Concilio Sirmiensi, præter Photini damnationem, aliæ Catholicæ, aliæ hereticæ, vt nos supra docuimus, & perspicuũ est ex Hilario in libro de Synodis. Sardicẽse autem mox in duas partes diuisum fuit, & quidẽ vna pars, quæ erat Occidentaliũ CCC. Episcoporum, cum quibus etiam erant Legati Iulij Papæ, pro fide Catholica & Athanasio restituendo fuit, vt patet ex Hilario lib. de Synodis, & ex Athanasio in Apologia secunda, atque hanc partem confirmauit Leo IV. Altera pars fuit Orientalium LXX. Episcoporum, qui seorsum conuenientes fidem Catholicam, & Athanasium damnauerunt. Et de hac loquitur Augustinus, qui etiam non videtur legisse aliud ex Concilio Sardicensi, quàm id, quod Orientales miserãt ad Africam, vt vnirent sibi Donatistas.

OCTAVO, profert idem HERMANNVS Hamelmannus Concilium LAODICÆNVM, in cuius primo capite statuitur, vt secundum indulgentiam reddatur communio ijs, qui secundis nuptijs iuncti sunt: Ex quo videtur, Concilium antea abstulisse communionem ijs, qui secundo vxorem duxerant, & postea illam eis reddere condonando peccatum: id enim significat: secundum indulgentiam.

Respondeo PRIMO, fortasse loquitur Concilium de ijs, qui in secundo Matrimonio adhibent solennitatem, vt diximus de Concilio Neocæsariẽsi. SECVNDO dico, Concilium non errasse, etiamsi loquatur de secundo Matrimonio, sed errorem potius correxisse: apparet enim ex hoc loco, aliquos Episcopos particulares, ex zelo, non secundum scientiam, negasse communionem bigamis, quorum errorem Concilio corrigit, & iubet bigamis communionem restitui: nam etiam ideo initio canonis vocat nuptias bigamorum liberas & legitimas. Illud verò, *Secundum indulgentiam*, sumptum est ex Paulo, 1. Corin. 7. qui ait, Vsum coniugij se non imperare, sed indulgere. vt ergo Paulus cum ait, se indulgere vsum coniugij, non vult dicere, se ignoscere peccatum, sed se concedere minus bonum, quamuis optaret maius bonum ab illis teneri: ita Concilium hoc dicit, se indulgere secundas nuptias, idest concedere, vt minus bonum, quamuis cuperet magis eligi viduitatem, quæ est bonum quoddam excellentius coniugio.

NONO, profert HERMANNVS Hamelmãnus Concilium secundum generale, in cuius can. 5. duo inueniuntur errores, pugnantes cum aliorum Conciliorũ decretis: Vnus est, q̃ primatus Ecclesiasticus sit Romani Pontificis: Alter, quòd post Romanum Pontificem debeat esse immediate Episcopus Constantinopolitanus: quæ duo iterum renouata sunt in Cõcilio Chalcedonensi, act. vlt. PRIMVS error pugnat cum Concilio Nicæno, in cuius can. 7. tribuitur primatus Episcopo Hierosolymitano, & cũ Concilio III. Carthaginensi, cap. 26. vbi decernitur, neminem debere vocari Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem. SECVNDVS error pugnat cum Concilio Nicæno, can. 6. vbi tribuitur secundus locus Alexandrino, tertius Antiocheno Episcopo, quem canonem frequenter citat Leo I. in epist. 53. 54. & 55.

RESPONDEO, primum non esse errorem, nec pugnare cum vllo Concilio. Quod autem adducit Hermannus ex can. 7. Concilij Nicæni, nihil valet: ibi. n. tribuitur Hierosolymitano Episcopo aliquis honor, non tamen primatus in omnem Ecclesiam: imò apertè subijcitur in eo Concilio sedes Hierosolymitana, non solum sedi Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ, sed etiam Cæsarienſi, quæ Palæstinæ Metropolitana sedes erat, vt patet tum ex can. 6. & 7. ipsius Cõcilij, tum ex Leone locis notatis, & ex S. Hieronymo in epist. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani. Quod verò addit ex Concilio Carthaginensi, adhuc magis est impertinens: nam Concilium illud nationale fuit, nec ferebat leges vniuersæ Ecclesiæ, sed tantùm Episcopis Africę: itaque non prohibuit, nec potuit prohibere, ne Romanus Pontifex diceretur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, sed tantum ne ita appellaretur vllus Metropolitanus Africæ.

SECVNDVS error non proprie potest dici error, decretum enim illud de honore sedium, sicut a Concilio Nicæno factum fuerat, ita poterat ab alio simili Concilio mutari: tamen quia sine iusta ratione mutabatur a Concilio Constantinopolitano, & postea a Chalcedonensi, Pontifices Romani Damasus & Leo illud probare noluerunt, neque eorum Pontificum temporib. decretum illud executioni mãdatum est, vt patet ex Leone epist. 53. ad Anatholiũ, vbi loquẽs de decreto Concilij Constantinopolitani: *Frustrà*, inquit, *quorundam Episcoporum proferitur consensus, cui tot annorum series negauit effectum.* Et in epist. 55. ad Pulcheriam, loquens de decreto Concilij Chalcedonensis: *Consensiones*, inquit, *Episcoporum, Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.*

DECIMO, profert Hermannus Hamelmannus Concilium Carthaginense III. can. 47. vbi numerantur in canone Scripturarũ aliquot libri Apocryphi, vt Thobias, Iudith, Baruch, Sapiẽtia, Ecclesiasticus, & Machabæi, contra auctoritatem Concilij Laodicẽni, c. vlt. vbi isti omnes libri reijciuntur a canone.

RESPONDEO in primis: Concilium Chartaginense esse maioris auctoritatis, quàm Laodicẽnum: tum quia posterius, tum etiam quia nationale fuit, Episcoporum XLIV. & præterea confirmatum a Leone IV. dist. 20. can. De libellis: Laodicenum autem fuit prouinciale Episcoporum XXII. & non confirmatum a Pontifice. Itaque hic posset habere locum, quod ait Augustinus, Concilia priora emendari a posteriorib. Dico tamen SECVNDO, neutrum Concilium errasse. Nam Concilium Laodicenum posuit in canone eos libros, de quibus Episcopi eius Concilij certi erant, alios autem omisit, non quidem negans, eos esse canonicos, sed nolens rem dubiam definire: Concilium autem Carthaginense re magis discussa definiuit id, quod prius Concilium reliquerat sub dubio.

VNDECIMO, profert Concilium Toletanum I. in cuius canone 17. scribitur, posse admitti ad communionem eum, qui concubinam habet, modo non sit vxoratus, & est hoc Concilium iussu Leonis I. celebratum, vt patet ex c. 21. RESPONDEO, hoc loco concubinam vocari vxorem ductam sine dote, & externa solennitate, vt rectè a Gratiano notatũ est, dist. 34. can. Omnibus, quod est conforme Iuri ciuili, vt patet ex Nouella 18. Iustiniani. Quomodo Genesis 25. Agar & Cethura dicuntur concubinæ Abrahæ, quæ tamen veræ vxores erant, vt patet ex Genesi 16. de Agar, & Gen. 25. de Cethura.

AT OBIICIES, quia beatus Leo, qui hoc Concilium fieri iussit, & probauit in epistola 92. ad Rusticum Narbonensem, cap. 4. loquens de vxore & concubina, dicit: Concubinam non esse vere vxorem, neque coniunctionem cum ea esse Sacramentum, vel Matrimonium: & propterea eam mulierem, quæ nubit viro habenti concubinam, non peccare quasi nubat homini cõiugato, quia vir habens concubinam, non potest vocari coniugatus. RESPONDEO, Leonem aliter accipere nomen concubinæ, quàm Patres eius Concilij acceperint: ipse enim vocat concubinã eam, quæ assumitur ad consortium thori, sine mutuo consensũ perpetuo viuendi: Concilium autem vo-

cat

cat concubinam eam, quæ ducitur cum eo consensu, A sed priuatim expresso, non per publica instrumenta.

At Inquies, si Leo fuit auctor huius concilij, quo modo absolute negauit, concubinam dici posse vxorem? Respondeo, Leonem non fuisse auctorem totius concilij, sed tantum vltimi canonis. Initio enim concilij dicitur, concilium hoc congregatum tempore Honorij & Archadij Imperatorum, quo tempore nondum erat Pontifex Leo: ipse enim creatus est tempore Theodosij iunioris, triginta tribus annis post mortem Archadij, vt patet ex Chronico Prosperi. Deinde in vltimo capite ponitur quædam explicatio fidei, quæ dicitur facta iussu Leonis Papæ, quæ non possunt cohærere, nisi dicamus, concilium Toletanum habitum fuisse ante tempora Leonis: sed postea, tempore Leonis, factam fuisse illam explicationem fidei, B & annexam eidem concilio, quia ijdem episcopi huic explicationi subscripserunt, qui antea in concilio fuerant. & certe magna coniectura huius rei esse pôt, qd videamus, ante illã explicationẽ fidei poni Eorum subscriptiones, quibus finitur concilium: & deinde rursum alias eorundem subscriptiones post illam explicationem fidei. Itaque S. Leo non confirmauit, nisi vltimum illum canonem suo tempore factum.

Dvodecimo, profert Hermannus Hamelmãnus concilium VVormatiense, in cuius canone tertio inuenitur exploratus error. Iubẽtur enim fures occulti explorari per sacræ Eucharistiæ perceptionem, quem esse errorem docet beatus Thomas part. 3. quæst. 80. ar. 6. ad 3. Respondeo, concilium fuisse prouinciale, non confirmatum, immo potius reprobatum, quoad C illum canonem, a summis Pontificibus, vt ibidem B. Thomas ostendit.

Decimotertio, proferunt alij Canones VI. Synodi: illi. n. canones videntur recepti: nã Adrianus I. in epistola ad Tharasium, quæ est in secunda actione VII. Synodi, dicit, hos canones diuine & legaliter p̃dicatos. Item Nicolaus I. epistola ad Michaelẽ, & Innocentius III. c. A multis, extra. de etate ordinandorum, & VII. Synodus act. 2. 3. 4. 5. & 6. his canonibus vtuntur. At inueniuntur in his canonib. magni errores: nã can. 2. recipitur concilium sub Cypriano de rebaptizndis hæreticis, quod erroneum fuisse, pbat Augustinus passim in libris septem de Baptismo. item canone 72. iudicantur irrita, & soluenda coniugia Catholicorum cum hæreticis, qũ est expressus error: etsi D enim peccat Catholicus ducens hæreticam vxorem, & contra: tamen Matrimonium est Sacramentum propter characterem Baptismi, quem hæreticus retinet, & ideo tale coniugium solui non potest.

Respondeo, non solum hos duos, sed etiam multos alios canones esse erroneos in istis canonibus, sed non sunt editi isti canones ab vllo legitimo & probato concilio. Constat. n. ex Tharasio in VII. Synodo, act. 4. hos canones non esse editos a VI. Synodo, quæ fuit tempore Agathonis, & Constãtini, sed post multos annos tempore Iustiniani II. Imperatoris, cui concilio non adfuit Romanus Pontifex, nec per se, nec p Legatos, neque postea concilium confirmauit, sed aperte reprobauit, vt testatur Beda in libro de sex ætatibus in Iustiniano, & Paulus Diaconus in vita eiusdem Iustiniani, & Platina in vita Sergij. E

Ad verba Adriani respondeo, illum solũ recitare sententiam Tharasij, nec refellere, quia ille can. 82. de picturis, vtilis erat eo tempore ad quæstionem de qua agebatur. Ad Nicolavm respondeo, verba eius esse pro nobis: dicit enim, se citare illum canonem Græcorum, quomodo Paulus citauit verba Ethnicorũ Poetarum. Ad Innocentivm dico, eum nihil ibi definire de his canonibus, sed tantum citare vnum canonẽ ex istis: quod autem citauerit nomine VI. Synodi, factum est, vel quia sic vocantur communiter, licet verè non sint: vel quia Innocẽtius ex Gratiano dist. 32. can. Si quis. hũc canonem accepit, Gratianus autem sæpe in hac parte errauit, tribuens opera ijs, quorum non sunt. Ad VII. Synodum dico, semper citari hos canones a priuatis hominibus in ea Synodo inter disputandum, non tamen aliquid definiri a tota Synodo: nam definitio concilij habetur act. 7. tantùm, ibi autem nulla fit mentio horum canonũ. Vide F. Turrianum in libro de VI. Synodo, & ea quę nos disserui mus de his canonibus lib. 2. de pontifice, c. 14.

Proferunt Decimo Qvarto Hermannus Hamelmannus lib. 3. prolegom. cap. vlt. Caluinus. lib. 1. instit. c. 11. §. 14. & seq. & lib. 4. c. 9. §. 9. necnon Magdeburgenses cent. 8. c. 9. Synodum VII. Nicænã II. quam dicunt pugnare cum duob. concilijs: vno priore. i. Constantinopolitano, sub Constantino Copronymo, altero posteriore, Francofordiensi, sub Carolo Magno, ita vt siue sit sequenda regula B. Augustini lib. 2. de Baptismo, c. 3. qui vult priora concilia a posterioribus emendari, siue regula S. Isidori apud Gratianum dist. 50. canone, Domino sancto, qui dicet, anti quiora concilia recentioribus anteponenda, necessãrium sit hoc Nicenum esse reijciendum.

Quod pugnet Nicænum secundum cum antiquiore Cõstãtinopolitano, patet ex ipso Nicæno II. act. 6. vbi fatentur Patres tempore superioris Imperatoris definitũ fuisse in concilio Constantinopolitano, imagines non esse vllo modo colendas, quod verò pugnet cum concilio Francofordiensi posteriore, in quo etiã legati Romani pontificis fuerunt, probãt aduersarij. Primvm ex Adone, Aimonio, Abbate Vrspergẽsi, Platina, alijsque historicis, qui vbi loquuntur de temporibus Caroli & Adriani, dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam VII. Synodum Græcorum, Secvndo, probant ex libris quatuor Caroli Magni. qui nuper prodierũt, ideſt, anno MDXLIX. ijs enim libris Carolus Magnus totis viribus contra imagines & VII. Synodum pugnat, & ibidem legimus, hos ipsos libros in Francofordiensi Synodo approbatos.

Respondeo, Nicænam Synodum cum nullo legitimo concilio pugnare. Ac primum, quod attinet ad Constantinopolitanum sub Imperatore Constantino Copronymo, cõstat illud non fuisse generale, nec legitimum vllo modo, cum in eo non interfuerit Romanus pontifex, nec per se, nec per Legatos, vt Ioannes, Zonaras, & Cedrenus referunt in vita Constantini Copronymi, & idem fatentur Magdeburgenses cent. 8. c. 9. col. 551. sine pontifice autem Romano nõ posse œcumenica concilia celebrari, patet ex regula Nicæni concilij, quæ est apud Socratem lib. 2. ca. 13. Quid, quòd nec adfuerunt tres alij præcipui Patriarchæ, Alexãdrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, vt ex eisdem Zonara, Cedreno, & Magdeburgensib. patet. Quomodo ergo generale concilium dici potest, cui neque Oriens, neque Occidens, neque Meridies consensit, sed pauci duntaxat Episcopi ex Aquilone? Denique, quotquot exstant historici, tum Græci, vt Zonaras, Psellus, Photius, Nicetas, Cedrenus, tũ Latini, vt Rhegino, Sigebertus, Ado, Paulus Diaconus, Vrspergensis, alijque permulti, omnes concilium hoc vel aperte reprehendunt, vel inter concilia Ecclesiæ non numerant.

De concilio autem Francofordiensi, quo præcipuè nituntur aduersarij, dico tria. Primo, quidquid illud concilium definierit, non esse magni faciẽdum: nam sine dubio illi anteponendum est concilium Nicenũ II. quod certum est fuisse vniuersalius, antiquius, & sine controuersia a summo pontifice approbatum. Nam constat ex ipso Concilio, adfuisse Legatos papæ Adriani, & rursum approbatum a Leone III. patet ex Iuone 4. par. cap. 147.

Dico Secvndo, si verum est quod dicunt Centu-

triatores cent.8.c.9.col.639. nihil nobis eam Synodū obesse: nam ipsi dicunt, Synodo Francofordiensi nō consensisse, sed repugnasse Adrianū & Legatos eius: at certum est, Synodū, cui repugnat Romanus Pontifex, nullius esse auctoritatis, vt patet, tū ex Gelasio, in tomo de vinculo anathematis, tū experientia. Nulla.n. Synodus vnquam habita est legitima, cui Rom. Pōtifex repugnauerit. Quid, quod ipsa Synodus Frācofordiensis hoc ipsum docet, nam vt ex Carolinis libris patet, Synodus Francofordiēsis decreuit, iudiciū vltimū cōtrouersiarū ad Romanū Pontificē pertinere, & hoc precipuo argumento refellit Synodū septimam, quia existimauit sine auctoritate Romani Pontificis celebratam: Ergo Synodus Francofordiensis testimonio Magdeburgensium seipsam destruit.

Præterea ibidem Magdeburgenses dicunt, Synodum Nicęnam ab Adriano confirmatam, Cōcilium autem Francofordiense reprobat Synodum factā Papæ auctoritate: ergo iudicio Magdeburgensium, non est Nicęna nostra, sed aliqua alia, quæ reprobatur in Concilio Francofordiensi. Deniqve, ibidem docent Magdeburgenses, in Synodo Francofordiēsi nō esse definitum, vt imagines tollantur è templis, sed vt in templis quidem maneant, at non adorentur: cur ergo ipsi è templis imagines tollunt? cur frangunt? cur nō seruant Francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mēdacium Apologiæ Anglorū, quæ docet, in Concilio Francofordiensi decretum, vt imagines delerentur. at è contrario Synodus Francofordiensis, testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, & ipsorum Magdeburgensium, anathema dixit ijs, qui imagines delere volunt. Præterea, res ipsa idem ostendit: nam si ea Synodus id statuisset, cur nō esset factum? Quis enim resisteret in Occidentali Ecclesia decreto Episcoporum omnium, & Regis potentissimi? non esse autem factum, certo certius est: nulli enim historici id referunt. immò Ionas Aurelianensis, tanquam rem nouam, & sacrilegā refert, quod Claudius Taurinensis in sua diœcesi imagines delere voluerit.

Tertio dico, rē esse incertissimam, quid statutum sit de imaginib. in Synodo Francofordiensi: nam antiqui auctores non sibi cōstant. nam in primis ipsum decretum Francofordiense, quod citatur in ꝓfatione librorum Carolinorum, testatur in Synodo Francofordiensi damnatā Synodum, quæ Constantinopoli conuenerat, & imagines adorari iusserat. Vbi cū nominat Constantinopolim, vī loqui de Synodo hęreticorū cōtra imagines: at cū dicit, ibi decretum, vt imagines adorentur, vī loqui de Synodo Catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ facta fuerat Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate Papæ, pro imaginibus adorādis. vbi cum nominat Constantinopolim, & dicit, à Synodo abfuisse Papæ auctoritatem, videtur loqui de Synodo hæreticorum: cum autem dicit in Bithynia, & pro imaginibus Synodum celebratam, videtur loqui de nostra Nicæna. Nam Nicæa est Metropolis Bithyniæ, Constantinopolis autem in Thracia est.

Iam vero Hincmarus Remensis, c.20. libri contra Hincmarum Laudunēsem, qui ipso ferè tempore floruerat, dicit, in Synodo Francofordiensi damnatā Synodum, quæ Niceæ cōuenerat, sine Papæ auctoritate, vbi etiam duo contraria coniungit, vt patet. Aimonius lib.4.ca.85. de gestis Francorum, & Abbas Vrspergensis in Chronico anni DCCXCIII. scribunt, in Synodo Frācofordiensi damnatam septimam Synodum Græcorum, quæ conuenerat Constantinopoli sub Constantino & Irene. Vbi etiam ipsi contraria iungunt inter se. Multi autem historici recentiores dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum de tollēdis imaginibus, quam Græci septimam generalem dicebāt. Ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis 2. li. 1. Sabellicus lib. 8. Enneadis 8. Paulus Æmilius lib. 2. de gestis Francorum.

Propter hanc confusionem Alanus Copus Dialogo 4. & 5. docet, in Synodo Francofordiensi solum damnatam Synodum Constantinopolitanam hæreticam, Nicęnam autem non solum non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarem esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.

Primo, quia libri illi Carolini licet falsò inscribātur Carolo, vt dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, vt patet ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus I. & scripti videntur in Concilio Francofordiensi, & acta continere Synodi Francofordiensis. Id.n. asserit Hincmarus eius tēporis auctor, & ipsi libri hoc præ se ferunt: quod autem Synodus, quæ in his libris refutatur, sit verè Nicæna II. dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

Secvndo, quia auctores antiqui omnes conueniunt in hoc, quod in Concilio Francofordiensi sit reprobata Synodus VII. quæ decreuerat, imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimonius, Rhegino, Ado, & alij passim docent: dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, vt Copus dicit, videtur mihi paulò durius.

Tertio, quia si isti auctores loquerentur de falsa VII. Synodo. i. de Synodo Constantinopolitana contra imagines, certè meminissent etiam in suis historijs Synodi Nicenæ verè VII. at non meminerunt vllius concilij VII. nisi istius, quod reprobatum dicūt. Neque obstat, ꝙ libri Carolini, vt Abbas Vrspergensis & Aimonius dicunt, reprobant Synodum Cōstantinopoli habitam: nam Abbas sequutus est libros Carolinos, vt etiam Aimonius; auctor autem eorum librorum vel lapsu memoriæ, vel ex imperitia posuit Constantinopoli pro Nicęna: nam alioqui cum dicat, Synodum celebratam in prouincia Bythiniæ, vbi Nicæa est, non Constantinopolis, satis indicat, se de Nicæa loqui, & similiter Abbas, & Aimonius cum dicant, Synodum celebratam sub Constantino & Irene, clare demonstrant se loqui de Nicæna Synodo, etiamsi per errorem nominent Constantinopolim.

Neque etiam obstat, quod Hincmarus & libri Carolini dicant, Synodum reprobatam in concilio Francofordiensi fuisse coactā sine auctoritate Papæ, quod est falsum de Nicęna, & verum de Constantinopolitana. Nā Hincmarus sequutus est libros Carolinos, vt ipse indicat: auctor autem eorū librorum hoc mendacium finxit, cum alijs multis, vt imponeret Synodo Francofordiensi, vt mox dicemus.

Neque obstat vltimo, quod Platina, Blondus, Sabellicus, & Paulus Æmilius dicant, reprobatam Synodum de tollendis imaginibus: nam in primis isti omnes recentiores sunt: deinde, quod ipsi dicunt, nō pugnat cum antiquorum historicorum dictis: nā in Synodo Francofordiensi duę Synodi reprobatæ fuerunt, nimirū Constantinopolitana contra imagines, & Nicæna pro imaginibus, vt patet ex libris Carolinis & ex Hincmaro, & fortasse hæc est causa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Niceam, aliqui Constantinopolim, cum dicunt, Synodum Græcorum reprobatam in Concilio Francofordiensi.

Videtur igitur mihi, in Synodo Frācofordiensi vere reprobatam Nicænam II. Synodū, sed per errorē, & materialiter, eo modo prorsus, quo olim Synodus Ariminensis damnauit homousiō. Nam auctor librorum Carolinorū imposuit Synodo, duoque mēdacia illi obtrusit. Vnvm mēdaciū fuit, in Synodo Nicęna, definitū fuisse, vt imagines adorarentur cultu latrię. Altervm, decretum illud factum a Grecis sine consensu Papæ Romani. His duobus mendacijs pro veritate

ritate habitis, Synodus Francofordiensis reprobauit, & merito, Nicænam Synodum, tanquam profanam & illegitimam.

Quod illa duo fuerint persuasa concilio: patet ex ipsis libris Carolinis: nam in præfatione diserte habetur hoc modo: *Allata est in medium,* (scilicet in Synodo Francofordiensi) *quæstio de noua Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerũt, in qua scriptum habebatur, vt qui imaginibus Sanctorũ, ita vt Deificæ Trinitati, seruitium, aut adorationem non impenderet, anathema iudicaretur, qui supra, sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, & seruitutem eis impendere renuentes, contempserunt, atq; consentientes, condemnarunt.* Hęc ibi. In ipso etiam opere introducitur Constantinus Episcopus Cypri, in Concilio Nicæno anathema dicens ijs, qui nõ adorant imagines eo cultu, quo adoratur sanctissima Trinitas. En clare primum mendacium.

Idem auctor clare docet, ad summum Pontificem pertinere iudicium controuersiarum fidei, & ideo Synodum illam pro adorandis imaginibus nihil valere, quod Pontificis auctoritate careat.

Præterea auctores illi antiqui, qui dicunt, reprobatam esse falsam Synodum, q̃ decreuerat, imagines esse adorãdas, sine dubio per illud ADORANDAS, intelligunt adorandas cultu latriæ: nã ipsi quoque docent, imagines esse venerandas, & tamen execrantur illam Synodum, quæ iubet imagines adorari. ADO in Chronico anni DC.XCVI. dicit, Romę in die exaltationis Crucis, a toto populo Crucem osculari, & adorari solitam, & etiã in Chronico anni DCC.XVII. vocat imaginem venerãdam, quã euerterat Philippicus hęreticus, & restituerat Theodosius Catholicus Imperator. RHEGINO lib. 1. Chronici, sub finem, agnoscit Crucis adorationem: & deturbationem imaginũ per Leonem Iconomachum factam, scelus appellat. Ioannes AVENTINVS li. 4. annalium, dicit, Carolo Magno Imperatore designato, imaginem eius in tẽplo ab omni populo veneratã, ipso pręsẽte. ABBAS Vrspergẽsis in Chronico, inuehitur in Leonem Isaurum, & Constãtinum Copronymum, propter imaginum deiectionem, eosque vocat impios, & Antichristi præcursores: & è contrario Gregorium Papam laudat, & sanctum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi & Sanctorum Imperatorem excommunicauit.

Quod autem vere mendacia sint, quod Synodus Nicęna caruerit Papę auctoritate, & quod decreuerit imagines adorãdas cultu latrię, certissimum est: nam in ipso concilio Nicęno II. act. 2. recitãtur epistolę Papæ Adriani pro imaginibus, & in omnibus actionib⁹ semper primi subscribunt Legati Romani: deinde q̃ ad cultũ attinet, in 1. act. Basilius Ancyranus, qui antea fuerat hæreticus, cum resipisceret, & confessionẽ Catholicam ederet, toto concilio audiente & probante, dixit se imagines quidem colere, non tamen latria, cum ea soli debeat Deo. Similiter Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in VII. Synodo, act. 3. loquutus est. Similiter loquũtur etiã cæteri, act. 4. & 7.

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorũ tã manifesta mendacia obtruserit Synodo Francofordiensi de Nicęna Synodo paulo ante habita: nã si nunc Magdeburgenses & Caluinus scribere audent, nos colere imagines diuinis honoribus plane, vt Deos, cũ tot libri Catholicorũ, & ipsum gñale concilium Latinũ, & in Germaniæ finib. Tridenti celebratũ, diserte clament contrariũ: quid mirũ, si idẽ confictum sit de Synodo Græca, quam pauciss imi legere poterant, & quæ in Oriente celebrata fuerat?

Si DICAS, ergo saltem concilium Francofordiẽse, quod frequentissimum fuit & legitimum errare potuit. RESPONDEO, potuit errare, & errauit non in iuris, sed in facti quæstione, & præterea nõ mirũ, si errare potuit: nã nõ cõsenserunt Legati Romani, vt Magdeburgenses dicunt. Papa ãt non solum non consensit, sed etiam refutauit Francofordiense decretum, vt patet ex libro Adriani de imaginib. ad Carolũ, vbi refutantur omnia mendacia illorũ librorũ Carolinorũ.

Quod autem ex libris Caroli adferunt, in quibus præcipuum firmamentum caussæ suæ constituunt: Dico, eos libros, neque esse Caroli, neque eiusmodi, quibus vlla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur PRIMO, quia exstat liber Adriani Papæ I. ad Carolum, in quo libri isti accurate refelluntur, ex quo Adriani libro perspicue intelligitur, libros istos ab aliquo hæretico cõpositos, & a Carolo ad Pontificem missos, vt eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in 3. tom. conciliorum, cum aliunde, tum etiam ex Iuone intelligi potest, qui multa ex hoc libro nomine Adriani in quartam partem sui decreti transtulit.

SECVNDO, constat ex historijs Græcorum & Latinorum, vt Zonaræ, & Cedreni in vita Leonis Isauri, nec non Pauli Diaconi in vita eiusdem, Romanos Põtifices Gregorium III. Adrianum I. & Leonem III. defecisse a Græcis Imperatoribus, eos excõicasse, vectigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos tandem imperium transtulisse, ea de caussa præcipue, quod Græci Imperatores hæresi Iconomachorum patrocinarẽtur: cum è contrario Francorum Reges in fide antiqua constantes essent: Quomodo ergo verisimile est, Carolum Imperatorem eadem hæresi laborasse, & p errore Græcorum contra Romanum Pontificẽ scripsisse? Sed verba ZONARÆ audiamus: *Igitur,* inquit, *Papa Gregorius deserta Imperatoris obedientia ob peruersam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum prius sæpe dedisset operam, vt Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, atque ad cultum sacrarum imaginum reduceret.* Et infra in vita Irenes: *Adriano veteris Romæ Papa mortuo, Leo suffectus est, vir reuerendus & honorabilis, qui cum se ad Carolum Francorum Regem contulisset, ab eo tempore Roma Franci potiti sunt, Carolo a Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato.* Nam Papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impijs Ecclesiæ Constantinopolitanę gubernatoribus, & pacem cum Francis fecit.

TERTIO, scribit IONAS Aurelianensis li. 1. de cultu imaginũ (floruit ãt Ionas tẽpore Ludouici Pij Caroli filij) Claudium Taurinensem eius hæresis patronum toto tẽpore, quo vixit Carolus, nunquã fuisse ausum mutire. Idemque ibidem, virum pijssimũ, ac sanctæ memoriæ Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, viuente Carolo, non audebant hęresim suam prædicare: si defensores imaginum Carolũ vt pium ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere?

QVARTO, scribit Paulus Æmilius li. 2. hist. Francorum, nec non Rhegino in Chronico, in concilio quodam Gentiliaci coacto, Pipinum Regem, Caroli Magni patrem, Græcorum errorem contra sacras imagines Imperatoris Græci Legatis præsentibus, cõfutasse: ex eodem quoque Paulo constat, non diu postea ad concilium, quod Romæ Stephanus Papa celebrauit contra eundem Græcorum errorem, mississe Carolũ Magnum Episcopos duodecim, ex præcipuis regni. qua ergo audacia aduersarij Christianissimum Principem in Iconoclastam transformare nituntur? præsertim cum Paulo Æmilio in hac patre assentiantur Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. col. 570.

QVINTO, cõstat ex historicis omnibus, & ex ipsius Caroli epistolis, & carminibus, imo ex ipsis rebus gestis, Carolum & Adrianum semper coniunctissimos fuisse. Exstat adhuc Adriani epitaphiũ ab Imperatore Carolo non minus eleganter, quã pie descriptum,

apud Onuphrium in additione ad Platinam, cuius hoc est initium:

Hic pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclytus auctor
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir, cui vita, Deus, pietas lex, gloria Christus:
Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum.

Et infra:

Post patrem Carolus lacrymans hæc carmina scripsit,
Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata poli.

Num credibile est igitur, Carolum alterius religionis ac fidei fuisse, quam Adrianum? & in ipsum Adrianū tam acriter scripsisse, cum eum tantopere coluerit, & post obitum laudarit?

Denique certum est, Carolum hominem Græcè & Latinè peritum, prudentem & ingeniosum fuisse, libri autem isti hominis barbari, imperiti, leuis, ac penè stulti esse videntur. Nā Constātinopolim vrbē notissimā in Bithynia esse dicit, cū nemo nesciat esse in Thracia, nisi forte quia frequētes ibi terræmotus fiūt, solum mutauerit. Deinde, Concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cū tamen Nicææ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit. Et quod grauius est, per calumniam & mendacium multa tribuunt isti libri Nicænis Patribus, quę nunquam dixerunt, & interdum quæ aduersarij dixerant, quale est illud, quod Eucharistia sit imago corporis Christi, quod non solum Patres Nicæni non defendunt, vt iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Vnde accepit Calvinvs alterius mēdacij occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant, vnam solum imaginem adorandam, id est, Eucharistiam, at que hoc dictum Pseudo Carolus Nicænæ Synodo tribuerat: Caluino placuit, ita rem totam immutare, ac dicere: *Ceterum ne suo solenni, plaudite, fabula careat, ad ditur clausula* (nimirum a Concilio Nicæno) *Gaudeāt & exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt.* Quod est mendacium impudentissimum. Concilium enim Nicænum tantum abest, vt voluerit imaginibus sacrificium offerri, vt diserte in act. 7. declarauerit, non veram latriam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat postremo, quod liber iste tanquam alter Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia: prodijt enim repente in lucem, nec scitur quādo, aut vbi, aut quomodo, aut a quo repertus, nec habet nomen auctoris, nec impressoris, nec loci, vbi impressus est. Quæ sunt omnia argumenta atque indicia fraudum. Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem aduersarij obtinebunt? prorsus nihil. Auctor enim huius libri diserte oppugnat omnia fere dogmata Caluiniſtarum: aperte enim docet, ad Romanū Pontificem pertinere vltimum iudicium de controuersijs fidei, & eum non a concilijs, sed a Deo ipso primatum habere. idem vult exorcismum adhiberi in Baptismo, templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, Sanctos inuocandos, reliquias venerādas, Chrismatis, aquæ, salisque benedicti vsum in Ecclesia retinendum: in Eucharistia vere esse corpus Christi, idque adorandum, & tanquam verum ac proprium sacrificium offerendum, quæ sunt omnes exploratæ hæreses apud aduersarios.

Si ergo volunt nos credere huic auctori, cum docet Nicænam Synodum errasse, credant eidem ipsi, cū asserit tam multa, quæ iam enumerauimus. Quod si etiam constaret, Carolum ipsum hunc librum scripsisse, & in omnibus cum Caluinistis conuenire, quid haberent aliud, quam testimonium vnius hominis laici, & militis? quod opponere velle Concilio generali Episcoporum, stultitia est manifesta. Nam vt recte ait Damascenus orat. 2. de imaginibus, Christus non commisit Ecclesiam Regibus & Imperatoribus, sed Episcopis & Pastoribus.

Decimoqvinto proferunt concilia duo inter se contraria, quibus tamen præfuerunt Romani Pontifices. Nam Concilium Romanū sub Stephano VII. irritauit omnia acta Formosi Papæ prædecessoris sui: deinde cōciliū Rauennense sub Ioanne IX. irritauit acta cōcilij sub Stephano, & approbauit acta Formosi. Vide Sigebertum in Chronico anni DCCCCIII. Matth. Palmerium in Chronico anni DCCCXCIX. & Platinam in vitis horum Pōtificum. Respondeo, quæstionem fuisse de facto, id est, an Formosus fuisset verus & legitimus Papa: & quia Stephanus male informatus, censuit eum non fuisse Papam, acta eius irritauit. Quia vero Ioannes postea re melius inuestigata, inuenit contrarium, correxit errorem Concilij prioris, iuxta regulam Augustini, qui dicit: Concilia priora aliquando emendari a posterioribus, nimirum in huiusmodi casibus particularibus.

Decimosexto, proferunt concilium Romanum sub Nicolao II. in quo definitum est, non solum Sacramentū corporis Christi, sed & ipsum verum Christi corpus tractari, & frangi manibus Sacerdotum, & fideliū dentibus atteri, vt patet ex canon. Ego Berēgarius, de consec. dist. 2. At hic est error manifestus contra resurrectionem gloriosam Christi, de qua dicit Apostolus: *Christus resurgens à mortuis, iam non moritur.* Rom. 6. Si enim corpus Christi verum frangitur, & teritur, certe corrumpitur & moritur.

Respondeo, nunquam fuisse quæstionē, an Christi corpus vere, vt est in se, frangeretur manibus, & dētibus tereretur: certum enim est & semper fuit, Christi corpus incorruptibile nunc existens, non posse frāgi & teri, nisi in signo siue Sacramento, ita vt dicatur frangi ac teri, cum signum eius, id est, species panis frangitur & teritur. At quæstio fuit, an signum, quod frangitur & teritur, sit nudum signum, an vero contineat Christi corpus reuera, & quia Berengarius docuerat esse nudum signum, ideo concilium cōstituēs formam abiurationis huius erroris, voluit eum dicere, non solum Sacramentum, sed etiam verum Christi corpus frangi & teri. quorum verborum hic est sensus, non teritur, & frangitur nudum signum, sed etiā verum Christi corpus, id est, sed signum habens realiter coniunctum Christi corpus: siue, sed etiam verum Christi corpus ibi præsens existens, frangitur, & teritur, non tamen in se, sed in signo. Quomodo etiam intelligimus, cum Chrysostomus homilia 83. in Matthæum ait: *O quot*, inquit, *dicunt, vellem eius formam, eius calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis.*

Decimoseptimo, profert Hermannus conciliū Lateranēse sub Innocētio III. in quo definitū est, habendum esse pro articulo fidei, panem & vinū in Sacramento transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi: At in concilio Ephesino dicitur anathema omnibus proferentibus aliud Symbolum.

Respondeo Primo, Lateranense concilium nō cō posuisse vllum Symbolum, sed tm definiuisse vnam quæstionem de fide, sicut fecerunt multa cōcilia post Ephesinum. Secvndo dico, concilium Ephesinum dixisse anathema proferentibus aliud Symbolum .i. contrarium Nicæno, non autē aliud, id est, nouum, & explicatius. Tertio dico, concilium Ephesinū prohibuisse noui Symboli compositionem Episcopis, & concilijs particularibus, non autem summo Pontifici, aut concilio generali: nemo enim in parem, vel maiorem, habet præcipiendi auctoritatem.

Decimooctavo, proferunt Concilium Constantiense & Basileense, nam illud sess. 13. excommunicauit omnes communicantes sub vtraque specie, istud autem concessit vtramque speciem Boemis.

Re-

RESPONDEO, quidquid sit de horum conciliorum auctoritate, dico ea non pugnare inter se: nam Constantiense excommunicat eos, qui communicant subvtraque specie sine licentia Ecclesiæ. Sic enim intelliguntur præcepta maiorum: non enim qui præcipit, priuat se auctoritate dispensandi. Concilium autem Basileense dispensauit Boemis, eisque licentiam dedit communicandi sub vtraque specie.

VLTIMO, proferunt eadem concilia Constantiense & Basileense, quæ statuunt concilium esse supra Papam, cuius contrarium habetur in concilio Lateranensi, session. 11. sed de hac re infra dicemus in fine huius libri.

CAPVT IX.

Soluitur obiectio, ducta ex ratione.

OBIICIVNT postremo eam rationem. In omni cœtu multitudinis sæpe accidit, vt maior pars vincat meliorem, igitur in conciliis Ecclesiæ, vbi definiuntur omnia ad plura suffragia, facile fieri poterit, vt contingat error. DEINDE esto: Concilia legitima non possint errare, tamen quis nouit, an vllum fuerit vnquam legitimum concilium? Nec enim est concilium legitimum, nisi Episcoporum fidelium: quis autem scire potest: an qui in concilio conueniunt, habeant veram fidem, & veram ordinationem? DENIQVE, in antiquis Conciliis conuenisse Episcopos ex multis prouincijs, quæstionem propositam diligenter examinasse, subscripsisse deinde sponte sua, non aliqua vi externa coactos, & alia eiusdem generis fecisse, quæ requiruntur ad legitima concilia, vnde nouimus, nisi ex fide historicorum? At historici (diuinis exceptis) non raro mentiuntur, & certe non firmam & infallibilē fidem faciunt. Restat igitur vt conciliorum decreta sint omnia dubia.

RESPONDEMVS, in cœtibus humanis aliquando id accidere, vt maior pars vincat meliorem: in concilio autem Ecclesiæ, vbi Spiritus sanctus præsidet, & vbi Christus est in medio eorum, qui in nomine ipsius congregati sunt, & vbi ille adest, cui dictum est ab ipsa Veritate: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* non est, quod tale aliquid timeatur: nam etiamsi maior pars resistat meliori, vt factum est in concilio Ariminensi, & Ephesino II. tamen nunquam vincit: mox enim irritantur eiusmodi conciliorum acta ab eo, cui conuenit ex officio fratres confirmare, quemadmodum in prædictis conciliis Ariminensi & Ephesino II. factum videmus.

Ad ALTERAM obiectionem respondeo, non esse necessarium, vt sciamus Episcopos, qui ad concilium conueniunt, habere veram fidem, & veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium. Nam etiamsi Summus Pontifex, quod fieri non posse credimus, & omnes Episcopi, qui ad aliquod generale concilium a summo Pontifice conuocantur, essent corde hæretici, & sola externa professione Catholici, nec vere accepissent sacri ordinis inuisibilem characterem, sed nudam impositionem manuum: tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, vt eiusmodi concilium in decretis suis formandis erraret: assistit enim concilio Spiritus sanctus non tam propter ipsum concilium, quam propter Ecclesiam vniuersam, quæ diuino præcepto tenetur, Eorum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erraret Ecclesia vniuersa, diuina prouidentia faceret, vt etiā concilium illud Eorum fictorum, vellet, nollet, verissimam fidem Ecclesię sequendam proponeret. Proinde, vt conuentus aliquis Eorum legitimus sit, & dicatur: id solum requiritur, vt Episcopi illi conueniant, qui in Ecclesia ordinariè præsident, & Episcopi veri, atque Catholici palam ab omnib. habentur, quidquid sit de ijs, quæ in cordibus eorum latent.

Quia tamen non solum scimus Deo curæ esse salutem Ecclesiæ suæ, sed etiam ex Scripturis didicimus, Dei prouidentiam suauiter omnia disponere: propterea certo credimus, Deum non permissurum, vt in Concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conueniāt Episcopi, aut omnes, aut pro maiori parte nō legitimi, aut non Catholici: esset enim vehementer durum ac violentum (etsi non impossibile Deo, qui etiam per iumentum aliquando corripuit Prophetæ insipientiam) vt Concilium totum hæreticorum, repugnante voluntate ac sententia, decretum Catholicum conderet.

Ad POSTREMAM obiectionem quidam respondent, vt Vega in Concil. Trid. lib. 3. cap. 29. Concilium esse legitimum, fide Catholica teneri a fidelibus, non quia id historici testantur, sed quia ipsum Concilium hoc definiuit: solent enim Concilia initio actorum definire, suum conuentum esse legitimum, & in Spiritu sancto congregatum.

At profecto non videtur hæc solida responsio: PRIMVM, quia vetera Concilia non solebant initio testari, suum conuentum esse legitime, & in Spiritu sancto congregatum: Concilia verò quædam posteriora, vt Constantiense, Basileense, Lateranense, Tridentinum & alia, id quidem testantur, sed non tanquam decretum aliquod formant de fide. Nusquam enim inuenitur inter canones proprie dictos, alicuius Concilij alicuis canon, quo definiatur illud ipsum Concilium esse legitimum, a quo canones illi conditi sunt. SECVNDO, aut constat nobis aliunde Concilium aliquod fuisse legitimum, dum definire vellet, se esse legitimum, aut non constat. Si constat, frustrà conditur tale decretum: si non constat, iam de ipso decreto dubitare incipiemus: si enim ambigo, an fuerit legitimum Concilium antequam definiret se esse legitimum, ambigo etiam, an non errauerit in eo ipso decreto, quo se legitimum esse pronunciauit.

ALII igitur respondent, Concilium aliquod esse legitimum ijs, qui tunc adsunt præsentes, euidens esse posse sine alia probatione. Vident enim conuenisse in vnum Episcopos, qui habentur ab omnibus veri Episcopi, & conuenisse ex varijs prouincijs, & vocatos ab eo, qui habet auctoritatem, & si quid aliud requiratur ad legitimum Concilium, id etiam videre possunt, nihil enim inuisibile, vt supra diximus, requiritur. Posteris autem, vel absentibus, idipsum est notum ex humana fide, sed certissima, & quæ euidentiæ naturali aliquo modo comparari possit. Nam exempli gratia, Nicænum Concilium fuisse legitimum, nō solum vnus aut alter historicus testatur, sed multi & varij scriptores eius temporis, & temporū consequentium, & Ecclesia, quæ nunc est, idipsum asserit, nec est, aut fuit, qui contrarium sentiat, aut senserit.

Quare, quemadmodum fuisse quondam Cōsulem Ciceronem, Iulium Cæsarem Dictatorem, Octauianum cum Antonio prælio nauali decertasse, & alia id genus, etsi ex fide humana pendeant, tamen adeo certa sunt, vt euidentiam quandā habere videantur: Sic etiam Concilia Ecclesiæ, quæ nos legitima fuisse dicimus, tot habent testimonia omnium ætatum, vt nihil dubitationis in animis nostris relinquant: quo minus credamus, talia fuisse, qualia dicuntur.

Quare cum ex fide Catholica habeamus, Concilia legitima a summo Pontifice confirmata, non posse errare, & ex naturali euidentia, aut ex fide humana certissima sciamus, Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. & alia huiusmodi legitima, & a summo Pontifice approbata fuisse, id certe sequitur, vt huiusmodi Cōciliorū decreta certa fide credamus.

mus. Vide, si placet, de hac re Melchiorem Canum A lib. 6. de locis, capite vltim. in solutione decimi argumenti.

CAPVT X.

Concilia particularia, non probata a summo Pontifice, non omnino certam fidem facere.

SEQVITVR iam altera quæstio, num videlicet Concilia a summo Pontifice non confirmata, certam fidem faciant: quæ non est controuersia inter Catholicos & hæreticos, & vix etiam inter Catholicos: ideo rem totam breuiter explicabimus, ac primum de Concilijs particularibus, deinde de generalibus agemus.

De prouincialibus igitur duo ex communi sententia Catholicorum asserimus, posse eiusmodi Concilia absolute errare, tamen magnæ esse auctoritatis, ita vt temerarium sit, eis non acquiescere. Quod eiusmodi Concilia possint errare, testis est Carthaginense Concilium sub Cypriano, quod fuit nationale, celeberrimum, legitimum, Episcoporum LXXXV. quorum plerique Martyres, aut Confessores erant, vt patet ex epist. Cypriani ad Iubaianũ, & tamen erranit. SECVNDO, testis est quinta Synodus Romana sub Symmacho, vbi legimus, Concilia prouincialia, quia præsentiam Papæ non habent, valitudinem perdidisse. TERTIO, Prosper in Chronico anni CCCCXX. dicit, hæresim Pelagianam a Concilio Africano CC. XVII. Episcoporum damnatam non prius ab Ecclesia totius orbis damnatam, quam Zozimus Papa decreta Concilij illius probasset. Vnde etiam Augustinus lib. 2. retract. ca. 50. non dicit, hæresim Pelagianam a concilijs Africanis, quæ particularia erant, damnatam, sed a Pontificibus Innocentio, Zozimo, cooperantibus Africanis Concilijs. QVARTO, cur concilia generalia errare non possint, duplex est caussa præcipua: Prima, quia concilium generale totam Ecclesiam repræsentat, & ideo ipso errante tota Ecclesia erraret: Secunda, quia concilium generale non fit sine summo Pontifice, pro quo Christus orauit, vt non deficeret fides eius: At nulla harum caussarum locum habet in concilio particulari.

Sed contra OBIICIES, nam c. Ad abolendam, extra: de hæreticis, excommunicantur omnes illi, qui iudicantur hæretici ab Ecclesia Romana, vel a concilio prouinciali, aut diœcesano: Concilia igitur prouincialia & diœcesana faciunt dogmata de fide, alioqui non esset hæreticus, qui ea negaret.

RESPONDEO, duobus modis posse iudicari de hæresi: VNO modo, de ipsa hæresi secundum se, & quasi in abstracto, vt cum quæritur, an sit hæreticum, hoc aut illud dicere: ALTERO modo, in ordine ad hominem hæreticum, vt cum quæritur, an hic inciderit in hæresim ab Ecclesia damnatam. Quamuis igitur Cõcilia prouincialia, vel diœcesana, non possint dogmata fidei constituere, tamen possint iudicare, an aliquis inciderit in hæresim manifestam, sicut etiam iudicant inquisitores. Ad hunc finem collectum fuit Concilium Aquileiense tempore Ambrosij: nihil. n. ibi definitum est, nisi Palladium quendam verum esse Arij discipulum, & de hoc videtur præcipue agere caput illud, Ad abolendam, de hæreticis. Etsi enim hoc iudicium non sit infallibile, tamen sufficit ad excommunicandum.

Præterea SECVNDO dico, posse etiam concilia particularia censere de hæresi secundum se, quando res est facilis, & in qua omnes fere Doctores conueniũt: quomodo concilium Antiochenum olim iudicauit de hæresi Pauli Samosateni apud Eusebium libro 7. hist. ca. 24. conuenerunt enim vndique Episcopi, non tanquam ad rem dubiam, sed tanquam ad manifestũ lupum de ouili Christi eijciendum. Etsi enim hoc iudicium non sit prorsus infallibile, tamen debent priuati homines acquiescere eiusmodi iudicio, et si secus egerint, merito excommunicantur, donec non iudicauerit aliter Apostolica sedes, vel cõciliũ vniuersale.

Denique TERTIO dico, posse etiam Concilia particularia definire dogmata vere dubia, & eorum decreta esse firma, si id faciant ex commissione Apostolicæ sedis, vt fecerant Patres concilij Arausicani II. & Toletani I. tempore Leonis I. & Synodi Complutensis, tempore Sixti IV. de quo vide summam Concilio rum. Vel saltem si decisionem suam mittant ad Romanum Pontificem, & ab eo confirmationem accipiant: quomodo constat factum esse in Conciliis Mileuitano & Carthaginensi, ex Augustino epist. 90. 91. 92. 93. Immo credibile est, nullum Concilium particulare definiuisse aliquid de fide, sine approbatione Apostolicæ sedis. de his omnibus intelligi potest illud ca. Ad abolendam.

Quod autem concilium particulare non expresse confirmatum, faciat argumentum adeo probabile, vt temerarium sit ei non acquiescere, planum est. PRIMO, quia in VII. Synodo, act. 3. & in VIII. Synodo, act. vlt. can. 1. honorantur Synodi locales, & suscipiũtur, nec fit mentio ibi confirmatorum, vel non. SECVNDO, quia plurima horum conciliorum, vt Toletana, Bracharensia, Arelatensia, Hispalensia, &c. videntur, ipso vsu Ecclesiæ quodammodo probata. TERTIO, quia si aliquot sancti Patres casu in eandem sententiam conuenientes, faciunt argumentum probabile, quanto magis L. aut LX. Episcopi simul conuenientes, & inuocato Spiritu sancto, aliquid communi consensu statuentes?

CAPVT XI.

Concilia generalia, ante confirmationem Summi Pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem.

IAM vero de concilijs vniuersalibus variæ sunt opiniones. Parisienses enim, & illi omnes, qui docent, Concilium esse supra Papam, & aliqui præterea alij existimant, concilia generalia legitima non posse errare, etiam ante confirmationem Pontificis. Contrarium docent alij, vt Caietanus in Apolog. par. 2. capite 21. Turrecremata lib. 3. c. 32. 33. 34. & 38.

Nota duo. PRIMO, Legatos aliquando mitti ad concilium cum instructione sedis Apostolicæ, sicut legimus factum in Concilio IV. VI. & VII. aliquando sine instructione, vt factum est in Concilio Tridentino, cuius ratio est, quia in illis primis Concilijs vna tantum quæstio tractabatur, & ideo facile poterat Pontifex explicare Legatis, quæ esset sententia sua de illa quæstione. At in Concilio Tridentino, tot quæstiones, & tam variæ tractandæ erant, vt non posset commode eiusmodi instructio haberi.

SECVNDO nota, posse quatuor modis contingere, vt fiat generalis concilij definitio. PRIMO, vt Patres consentiant, & definiant, dissentientibus Legatis Apostolicæ sedis. SECVNDO, vt definiant consentientibus Legatis, sed contra instructionem Pontificis agentibus. TERTIO, consentientibus omnibus etiam Legatis, sed qui non habuerunt certam instructionem. QVARTO, consentientibus omnibus cum Legatis habentibus & sequentibus Papæ instructionem.

Ac de PRIMO & SECVNDO modo nulla est difficultas. Constat enim talia Concilia errare posse: nam in primis de facto errauit Concilium Ephesinum II. quod repugnantibus Legatis Papæ Leo-

pæ Leonis definire voluit, vt patet ex epist. B. Leonis 24. & 25. &c. Item concilium Constantinopolitanũ, tempore Nicolai I. errauit, cùm Legati Nicolai contra instructionem Papæ egerint, vt patet ex epist. Nicolai ad Patriarchas, & ceteros Episcopos Oriẽtis, & ex Zonara in vita Michaelis Imperatoris. SECVNDO eiusmodi concilia, non solum non confirmata, sed ẽt reprobata dici debent: idem. n. est siue Põtifex expresse concilium reprobet, siue conciliũ agat contra Pontificis sententiam. Constat autem concilia reprobata a Pontifice nullam habere auctoritatẽ, vt multis exẽplis ostendit Gelasius in tomo de Anathemate, & in epistola ad Episcopos Dardaniæ. TERTIO, non possunt dici legitima concilia, quæ pugnant cum suo capite: & similiter quando consentiunt Legatis agentibus contra informationẽ, quia tunc Legati non agũt, vt Legati, cum non agant nomine Pontificis: diserte enim D. Leo in epistol. 45. ad Pulcheriam, & Agatho in epist. ad Imperatorem, quæ lecta est in 6. Synodo, act. 4. affirmant se non dare auctoritatem Legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas.

De TERTIO modo res est sub opinione. Ego tamẽ existimo tale concilium posse errare, neque esse infallibile eius iudicium ante confirmationem Põtificis. PRIMO, quia sententia eius Concilij nõ est vltimum iudicium Ecclesiæ, & tamen si non posset errare, esset vltimum & irretractabile iudicium. non esse autem vltimum iudicium horum conciliorum planum est. Nam eiusmodi concilia ad Pontificem mittũtur, & Pontifex concilium approbare potest, vel reprobare, vt patet ex Gelasio in epist. ad Episcopos Dardaniæ, & ex Nicolao in epist. ad Michaelem, & ex praxi conciliorum petentium confirmationem: ac nominatim ex Bulla Pij IV. in qua confirmat Tridentinum concilium, de qua re Turrecremata lib. 3. c. 34.

Præterea SECVNDO, firmitas concilij nascitur ex consensione, & coniunctione corporis cum capite. at caput nondum aperuit sententiam suam: etsi enim legati præsunt nomine Pontificis, tñ non sunt reuera Pontifices, nec sciunt, quæ sit mens Pontificis, nec habent priuilegium non errandi quod habet Pontifex.

TERTIO, Cõcilium Basileense sess. 2. vna cũ Legato Pontificis communi consensu statuit, conciliũ esse supra Papam, quod certè nunc iudicatur erroneũ.

QVARTO, potest errare conciliũ, quod aliquid definit contra instructionem Pontificis, vt de facto erravit concilium Constantinopolitanum consentientibus etiam errori Legatis Nicolai I. ergo potest etiam errare, qñ nulla habetur instructio. nam non tenentur Epi in concilio sequi illam instructionem, alioqui non essent iudices, neque essent libera suffragia.

At OBIICIVNT, eiusmodi concilium est generale legitimum, & vniuersalem Ecclesiam repræsentans, ergo errare non potest. Respondet CANVS, Conciliũ non posse errare eo modo, quo Ecclesia non potest errare. i. sicut Ecclesia non potest errare in ijs, in quib. omnes de Ecclesia conueniunt, sic etiam concilium non potest errare in ijs, in quib. omnes de cõcilio conueniunt. At CONTRA: nam Ecclesia non potest errare quoad fidem personalem, & ideo in eo solum non potest errare, in quo omnes conueniunt. At conciliũ non potest errare, in iudicio de fide. i. in decreto formando. est autem verum decretum concilij, quod fit a maiori parte, alioqui nullum esset legitimum concilij decretum, cum semper aliqui dissentiant. Ergo conciliũ absolutè dicitur errare, quando errat maior pars, quæ format decretum. Quare alia ratione soluendam esse obiectionem existimo.

DICO igitur, concilium illud nõ posse errare, quod absolutè est generale, & Ecclesiam vniuersalem perfectè repræsentat, eiusmodi autem concilium nõ est, antequam adsit sententia summi Pontificis. Nã Episcopi ceteri repræsentant quidem corpus Ecclesiæ, & quod illi faciunt, corpus Ecclesiæ facere censetur: at Legati Papæ non ita repræsentant caput Ecclesiæ. i. ipsum Papam, vt quod ipsi faciunt, absolute cẽseatur fecisse Papa, alioqui nulla requireretur confirmatio: sed solum repræsentant Pontificem, tãquam vicarij, & internuncij ipsius, qui ad ipsum referre debeant, cum oriuntur dubia, & sententiam eius exspectare, & exequi. Itaque tale concilium cum non repræsentet absolutè auctoritatem capitis, non nisi imperfectè totam Ecclesiam repræsentat.

Quod si quis omnino velit eiusmodi cõcilium absolutè totam Ecclesiam repræsentare, is respondere poterit, concilium generale non censeri prorsus absolutum, nisi post confirmationem Pontificis: cum autem dicitur concilium generale non posse errare, & eius decreta certam fidem facere, id esse intelligẽdũ, qñ absolutũ fuerit penitus, & ab omnib. obsignatũ.

OBIICIVNT SECVNDO, quod concilia dicunt anathema contrarium sentientibus, antequã confirmentur. RESPONDEO, illa quidem dicere anathema, sed intelligere illud vim habiturum, si fuerit a Pontifice confirmatum, sicut quando Iudex, a quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur illum debere mori, nisi princeps sententiam retractet.

De QVARTO modo vix dubium esse potest, videtur enim esse certum, tale concilium non posse errare. primum enim in tali concilio inuenitur expressus consensus capitis, & membrorum, ac proinde totius Ecclesiæ, q̃ sine dubio errare nõ potest, neque obest, quòd instructio illa a Pontifice data non videatur definitiua sententia Apostolicæ sedis; nam quando concilium consentit cum Pontificis sẽtẽtia, formaturque decretum a Legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiua, & vltima, non solùm concilij, sed etiam Pontificis, neque potest Pontifex eam retractare: nam certò intelligit, sentẽtiam suam fuisse a Deo, quando a concilio approbatur, vt dicit B. LEO in epist. 63. ad Theodoretum: *Quæ*, inquit, *Dominus noster prius ministerio definierat, vniuersa fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt vere a se prodire ostenderet, quod prius à primæ omnium sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent, &c.*

Quod vt melius intelligatur, sciendum est, Pontificem mittere solere Legatos instructos de sententia Apostolicæ sedis cum ea conditione, vt si concilium consentiat iudicio Apostolicæ sedis, formetur decretũ, sin minus, differatur decreti formatio, donec Romanus Pontifex consultus rñdeat. Id quod patet ex concilio Chalcedonensi, nam act. 3. cũ conciliũ consensisset iudicio Pontificis circa depositionẽ Dioscori, mox Legati his verbis formauerunt decretũ: *Sanctissimus ac beatissimus Papa, caput vniuersalis Ecclesiæ Leo, per nos Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli põditus dignitate, q̃ Ecclesiæ fundamentũ, ac petra fidei, et cælestis regni ianitor nũcupat, Epali dignitate Dioscorũ nudauit, et ab oĩ sacerdotali opere fecit extorrẽ.*

Deinde act. 16. cum cõcilium aliquid statuere vellet contra instructionẽ Põtificis, Legati dixerunt, debere prius id significari Apostolicę sedi. quando ergo Concilium definit aliquid, sequens expressam sententiam pontificis, idem est, ac si confirmatum esset.

Accedit ad hæc, quod concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, quæ habetur act. 3. dum petit confirmationem decretorum, aperte dicit, se scribere pontifici, & petere confirmationem, quoniam præter decretum, de fide contra Dioscorum, alia etiam quædam statuerunt sine expressa Pontificis sententia. itaque solũ petunt confirmationem eorum, quę definierant præter Pontificis sententiam. Ipse etiam Leo in epist. 61. ad concilium Chalcedonense, qua illud con-

firmat, indicat non fuisse opus sua confirmatione, ni- A si quia dubitabant aliqui, an reuera cum eius consensu factum fuisset decretum Concilij, qua etiam ratione confirmauit Pontifex multa alia similia Concilia, non quia errare potuerant, sed vt omnibus certius cõstaret, quæ Legati egerant, vere ex mandato expresso Pontificis egisse.

Denique in eiusmodi Concilijs, non exspectata alia confirmatione Põtificis, mox fit exequutio, id est, damnantur, qui contrarium sentiunt, vt manifesti hęretici, & deponuntur ab episcopatu, vel sacerdotio. Ita in Nicæno Concilio damnati sunt, & in exilium acti sex Episcopi vna cum Ario, vt scribit Ruffinus lib. 10. hist. c. 5. in Ephesino Concilio damnatus, & depositus est Nestorius, vt Euagrius testatur lib. 1. ca. 4. In Chalcedonensi, act. 3. depositus est Dioscorus, & B act. 4. decem episcopi Ægyptij iudicantur hæretici, quia nolebant acquiescere decreto prolato, act. 3. in Cõcilio VI. actione 8. & 12. damnatur & deponitur, & in exilium eijcitur Macharius Patriarcha Antiochenus cum aliquot suis discipulis, & act. 15. damnatur & deponitur Polychronius Presbyter. At si Concilia ista ante confirmationem Pontificis errare potuissent, non fuissent illi manifesti hæretici, qui ante confirmationem resistebant.

CAPVT XII.

An sit maior auctoritas Concilij, quam Scripturæ.

DIXIMVS de auctoritate Conciliorum absolute C considerata: nunc de eadem dicendum est per comparationem ad alia fidei principia, id est, ad verbum Dei scriptum (nam de traditionibus eadem est ratio) & ad Pontificem. Et quidem hæretici huius tẽporis passim clamant, nos subijcere Scripturam Concilijs. CALVINVS lib. 4. instit. cap. 9. §. 14. *Subijcere in eum modum*, inquit, *Dei oracula hominum censuræ, vt ideo rata sint, quæ placuerint hominibus, blasphemia est indigna, quæ commemoretur.* Similia apud alios passim inueniuntur. Cæterum hæc non nostra blasphemia, sed ipsorum impostura est. Catholici enim Scripturam sacram non subijciunt, sed anteponunt Concilijs: neque in hoc vlla controuersia est. quod si interdum Catholici aliqui dicunt, scripturam pendere ab D Ecclesia, siue a Concilio, non intelligunt quoad auctoritatem, & secundum se, sed quoad explicationem, & quoad nos.

Obseruandum est igitur, multiplex esse discrimen inter Scripturam sacram, & Conciliorum decreta, ex quibus intelligitur, Scripturam præponi Conciliis. PRIMVM est, quod Scriptura est verbum Dei immediate reuelatum, & scriptum quodammodo Deo dictante, iuxta illud 2. Pet. 1. *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Et 2. Timot. 2. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata.* Quod tamen non sic intelligendum est, quasi semper scriptores sacri nouas reuelationes habuerint, & scripserint ea, quæ antea ignorabant: constat enim Euangelistas Matthęum & Ioannem scripsisse ea, quæ viderunt: Marcum & Lucam ea, quæ audierunt, vt Lucas ipse fatetur initio Euã E gelij: *Sicut tradiderũt*, inquit, *nobis, q. ab initio ipsi viderũt*

Dicũtur igitur Scriptores sacri habuisse immediatam reuelationem, & scripsisse ipsius Dei verba, quia vel noua quædam & antea incognita eis reuelabãtur a Deo, iuxta illud Psal. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Vel Deꝰ immediate inspirabat, & mouebat scriptores ad scribẽda ea, quę viderãt, vel audierant, & eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. Vt. n. dicitur vere epistola principis, quæ a principe dictatur, etiamsi is, qui eam scripsit, antea sciebat, quæ scripturus erat: ita dicitur, & est immediatũ Dei verbum, quod scriptum est ab Euangelistis, Deo inspirãte, & dirigente, licet scripserint ea, q̃ viderant, vel audierant. At Cõcilia nõ hẽnt, neq. scribũt immediatas reuelationes, aut verba Dei, sed tm̃ declarant, quodnã sit verbum Dei scriptum vel traditum, & quomodo intelligi debeat, & præterea ex eo per ratiocinationẽ deducunt conclusiones. Itaque Concilia cum definiunt, qui sint libri canonici & diuini, non faciunt eos esse infallibilis veritatis, sed declarant solũ esse tales.

Sic etiam Concilium Tridentinum, sess. 13. c. 1. cũ definit, verba illa: *Hoc est corpus meum*, intelligi proprie, non figurate, non edit, sed declarat verbum Dei. Et cum Nicænum Concilium definiuit Christũ esse homousion Patri, deduxit cõclusionẽ ex Scripturis, ĩ quib. diserte continet vnum esse Deum, & Patrem esse Deũ, ac Filium esse Deum: ex quib. sequitur necessario Patrẽ, & Filium eiusdem esse substantię, & diuinitatis. Et similiter Cõcilium sextũ, cũ definiuit, ĩ Christo duas esse voluntates, diuinã & humanã, deduxit cõclusionem ex Scriptura, in qua habetur, Christum esse perfectum Deum, & perfectum hominem.

ALTERVM discrimẽ ex hoc primo oritur, & est, q̃ scriptores sacri nõ debuerunt multũ laborare in suis libris edendis: satis. n. erat, si laborarent scribẽdo, vel dictando, si edebant vaticinia: vel ad summũ reuocando ad memoriam, quę viderant, vel audierant, & cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribebant historias, vel epistolas, vel aliquid simile. At Patres in Conciliis debent rem ipsam quærere, id est, conclusiones inuestigare, disputando, legendo, cogitando. Vñ Act. 15. legimus in primo Concilio magnam conquisitionem fuisse factam. Idem testatur de Nicæno Cõcilio Ruffinus li. 10. c. 5. hist. Ecclesiasticæ, quocirca Act. 15. dicunt Patres Concilij: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, id est, Spiritu sancto nostram industriam & diligentiam adiuuante. at scriptores sacri soli Deo tribuunt ea quæ scribunt, ac propterea tam sæpe repetebant Prophetæ illud: *Dicit Dominus*.

TERTIVM est, quod in Scriptura nullus potest esse error, siue agatur de fide, siue de moribus, & siue affirmetur aliquid generale, & toti Ecclesiæ commune, siue aliquid particulare, & ad vnum tantum hominem pertinens: tam enim est certum & de fide, sine gratia Spiritus sancti neminem saluari, quam Petrũ, Paulum, Stephanum, & quosdam alios vere Spiritum sanctum habuisse & saluos esse: vtrumque enim eadem Scriptura verissima testatur, at Concilia in iudiciis particularibus errare possunt.

QVARTVM est, quod in Scriptura non solũ sententiæ, sed etiam verba omnia, & singula ad fidem pertinent. Credimus. n. nullũ esse verbũ in Scriptura frustra, aut nõ recte positũ: at in Conciliis maxima pars actorum ad fidẽ nõ ptinet. Non. n. sunt de fide disputationes quæ præmittuntur, neq. rõnes q̃ addũtur, neque ea q̃ ad explicandũ & illustrandũ adferuntur, sed tm̃ ipsa nuda decreta, & ea non omnia, sed tm̃ quæ ꝓponuntur tanquam de fide. Interdum. n. Concilia aliquid definiunt, nõ vt certum, sed vt probabile, vt Cõcilium Viennense, quod decreuit, tenẽdum, vt probabilius, infantibus in Baptismo infundi gratiam & virtutes, vt habetur Clem. vni. de summa Trinitate, & fide Catholica. Quando autem decretum proponatur, tanquam de fide, facile cognoscitur ex verbis Concilij: semper enim dicere solent, se explicare fidem Catholicam: vel hæreticos habendos, qui contrarium sẽtiunt: vel quod est communissimum, dicunt anathema, & ab Ecclesia excludunt eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non est certum rem esse de fide.

Denique, in ipsis decretis de fide, non verba, sed sẽsus tantum ad fidem pertinet: non enim est hæreticũ dicere, in canonibus Conciliorum aliquod verbũ esse

super-

superuacaneum, aut non rectè positum, nisi fortè de ipso verbo sit decretum formatum, vt cum in Concilio Nicæno decreuerunt recipiendam vocē ὁμοούσιον & in Ephesino vocem θεοτόκον.

QVINTVM est, quod Scriptura non eget approbatione Pontificis vt sit authentica, sed tantum, vt innotescat eius auctoritas: at Concilia etiam legitima, & generalia non sunt rata nisi à Pontifice confirmentur, vt ostendimus quæstione superiori.

SED OBIICIVNT quidam, Gratianus d. 19. can. In canonicis, affirmat epistolas Pontificum decretales numerari debere inter Scripturas canonicas, & d. 20 can. Decretales, dicit Conciliorum canones eiusdem esse auctoritatis cum epistolis decretalibus, ergo etiã canones Conciliorum numerantur inter canonicas Scripturas: non ergo Scripturæ præponuntur Concilijs. Præterea S. Gregorios lib. 1, epist. 24. dicit se venerari quatuor prima Concilia, vt quatuor libros Euangeliorum.

RESPONDEO ad Gratianum dupliciter. PRIMO, cum esse deceptum ex deprauato codice, quem ipse habuit B. Augustini, tribuit. n. illum canonem Augustino, lib. 2. doctr. Christian. ca. 8. codices aũt veri, & emendati B. Augustini, non habent, vt Gratianus refert, sed longè aliter: non. n. Augustinus dicit epistolas eas esse Scripturam canonicam, quas Apostolica sedes dare, vel accipere solet, vt Gratianus legit, sed iudiciũ de scripturis sanctis pertinere ad Ecclesias, atque ad eas potissimum, quæ Apostolicas sedes, vel epistolas accipere meruerunt, quales sunt Roma, in qua sedit Petrus, & ad quam scripsit Paulus: Ephesus, in qua sedit Ioan. & ad q̃ scripsit idē Paulus, & alię q̃dã.

DICO SECVNDO, Gratiarum, etiam hoc errore posito, non voluisse dicere, decreta Pontificum esse propriè scripturas sacras, & canonicas, vt sunt Euangelia, vel psalmi, sed esse scripturas sacras, vt distinguantur a prophanis, & canonicas, vt distinguantur a scriptis sacris Patrum, quæ non sunt regulæ, nec habent auctoritatem obligandi, licet enim canones Pontificum & Conciliorum distinguantur, & postponãtur scripturæ diuinæ, tamẽ suo modo sunt & dici possũt scripta sacra, & canonica, quomodò septima Synodus, act. 3. vocat decreta Conciliorum diuinitus inspiratas constitutiones. Immò Innocentius, cap. Cum Marthæ, extra de celebratione Missarum, vocat scripturam sacram sententiam illam Augustini: *Iniuriã facit Martyri, qui orat pro Martyre*, sermo. 17. de verbis Apostoli. Quod autem Gratianus senserit Conciliorum decreta non esse æquanda diuinis scripturis propriè dictis, patet ex 36. causa, q. 2. can. Placuit, vbi Hieronymi sententiam, quia munita erat testimonio diuinæ scripturæ, anteponit Concili decreto.

Ad Gregorium respondeo, illud sicut, sonare similitudinem, non æqualitatem, vt illud Matt. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Vel si æqualitatem sonet, dicendum erit, non cõparari à Gregorio Concilia cum Euangelijs in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eorum, quæ in scripturis dicũtur, & in Concilijs definiuntur. Cum enim vtraque sint infallibilis veritatis, æquè certa dici possunt. sed iam quandoquidem Concilia nõ sunt maioris auctoritatis, quàm scripturæ, restat vt illud explicemus, vtrum saltem maioris sit, Concilij œcumenici, quam summi Ponficis auctoritas.

CAPVT XIII.

An Concilium sit supra Pontificem.

QVÆSTIO hæc exorta est tempore Concilij Pisani, quia cum duo Pontifices, qui simul sedebãt in schismate, Gregorius XII. & Benedictus XIII. nõ videbantur serio cogitare de tollendo schismate per spontaneam abdicationem, quemadmodũ ante Pontificatum vterque vouerat, & iurauerat, Cardinales vtriusque patris secesserunt Pisam, & tractare cœperunt, an sibi liceret inuitis Pontificibus illis concilium gñale conuocare, & eos Pontifices deponere. Meminit Antoninus huius disputationis, quæ Florẽtiæ habita est, 3. part. sum. hist. tit. 22. c. 5. §. 2.

Deinde, cum paulò post fieret Concilium Constãtiense, & Ioannes XXIII. qui solus ad Concilium accesserat, à Concilio clam discessisset, atque ita Concilium sine capite remansisset, tractare Patres cęperũt, an Concilium posset inuitum Pontificem iudicare, & deponere. Sed maximè controuersia creuit tempore Concilij Basileẽsis. quia enim Eugenius Papa IV. Concilium Basileense inchoatum dissoluere volebat & impedire, ne vlterius progrederetur, cœperunt Patres quærere, an tenerentur obedire Pontifici, an Põtifex potius teneretur obedire ipsis. i. generali Concilio: & quoniam paulò ante viderant duos Pontifices Ioannem XXIII. & Benedictũ XIII. depositos fuisse per Concilium Constantiense, & sic impositum finem maximo schismati: cęperunt metuere, ne si Pontifex non teneatur obedire Concilio, iterum schisma renouaretur, & sine vllo remedio Ecclesia remaneret. Itaque hac occasione tunc plurimi in eam sententiam iuerunt, vt Concilium esset supra Pontificem. Sed dum voluerunt schismatibus viam præcludere, ipsi nouum schisma fecerũt, creato Pseudo papa Felice V. q postea cognito errore, abdicauit se Pontificatu: & q̃uis postea in Concilio Florentino, & Lateranensi vltimo videatur quæstio definita, tñ quia Florentinum Concilium, non ita expresè hoc definiuit, & de Concilio Lateranensi, q̃ expressissimè rẽ definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè gñale: iõ vsque ad hanc diem quæstio supereſt, ẽt inter Catholicos.

Obseruandum est autem, duobus modis posse cõparari Papam cum Concilio: VNO modo, vt sumatur ab vna parte solus Papa verus, & indubitatus, ab altera Concilium generale, cui præsit Papa per se, vel per legatos, ita vt nihil definiatur sine consensu ipsius: ALTERO modo, vt sumatur ab vna parte solus Papa, ab altera Cõcilium generale, cui Papa nec per se, nec per suos legatos præsit. Intelligo autem non præsidere per suos legatos, etiam quando legatus quidem ab eo missus præest Concilio, sed agit contra ipsius Pontificis voluntatem, tunc enim non est verè eius legatus, licet pro tali se gerat.

Quæstio præsens, licet nonnullis videatur præcipuè versari circa priorem comparationem, quippe q existimant Concilium sine Papa non esse verum Cõcilium, & proinde sine dubio Papam esse maiorem tali Concilio: tamen reuera quęstio præcipua est de posteriore comparatione. Quod patet PRIMO, quia ista quæstio introducta est propter Pontificum depositionem, i. ad inquirendum, an Papa etiam inuitus à Concilio iudicari damnari, & deponi posset. Ad hũc aũt finem superuacanea est illa quæstio, an Concilium Papa, sit maius solo Papa: nam siue sit maius, siue minus, nunquam iudicabit, neque damnabit, neq. deponet inuitum Papam. Quomodo enim hoc illud concilium faceret, quod nihil agit sine consensu Papæ? Nũ Papa seipse inuitum volet iudicari, & dãnari?

SECVNDO, idem patet ex concilio Basileensi: nam Basileenses Patres, qui definierunt concilium esse supra Papam: suum Concilium Basileense asserebant esse supra Eugenium Papam, eo tempore, quo in concilio neque Papa, neque eius Legatus aderat. quin etiam Papam omnibus modis repugnantem deponere aggressi sunt.

Hæc ergo est præcipua quæstio, & sola tractanda, nam ex huius explicatione patebit etiam quid sit dicendum

cendum de priori. Qui enim docent, Papam esse supra Concilium sine ipso celebratum, iidem docēt parem esse auctoritatem in solo Papa, & in Concilio, cū Papa intensiuè, licet extensiuè sit maior in concilio: & proinde non posse a tali Concilio Papam iudicari, vel damnari, nec eiusmodi Concilij decretis eum obligari coactiuè, sed tantum directiuè, & posse, in eis dispensare, exceptis decretis de fide, quæ immutabilia sunt. Ratio horum est, quia par in parem non hēt potestatem. Qui verò docent, Concilium sine Papa esse supra Papam, docent etiam consequenter, concilium cum Papa esse supra Papam, & obligare Papam tametsi ipsi ijdem fatentur, posse Papam tāquam ministrum Ecclesiæ dispensare in præceptis concilij generalis, sed si malè dispensauerit, posse corrigi & puniri postea a concilio generali. Hac ergo prima comparatione omissa, sola secunda tractanda est.

CAPVT XIV.

Explicantur opiniones diuersæ.

PORRO de ppositā quæstione tres inuenio Doctorum sententias. PRIMA est, concilium esse supra Pontificem, id quod asserunt in primis omnes hæretici huius temporis, & nominatim Hermānus Hamelmannus id probare conatur multis argumētis lib. 3. cap. 13. Prolegomenorum. Idem asserit Cardinalis Cameracensis, Ioannes Gerson, Iacobus Almainus, & alij nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ. Item Nicolaus Cusanus in tractatu de concordātia canonica, lib. 2. c. vltimo. Panormitanus in cap. Significasti, extra de electione, & ibidē Magister eius Cardinalis Florentinus, item Abulensis in capit. 18. Matthæi, quæst. 108. & in defensorio trium cōclusionum, & quidam alij.

Vt autem hęc sententia intelligatur, notādum est, duo esse fundamenta huius opinionis. PRIMVM est, Papam non esse propriè caput Ecclesiæ vniuersæ simul congregatæ. id quod non eodē modo intelligunt hæretici, & alij auctores. Hæretici enim volunt, papā nullo modo esse caput Ecclesiæ totius, sed tantū Episcopum suæ Ecclesiæ particularis, & ad summū, patriarcham Occidentis.

At alij auctores citati docent, papam esse caput & pastorem singulorum Christianorum, & singularū Ecclesiarum, si seorsum sumantur, non autem totius Ecclesiæ simul congregatæ in concilio generali. Tūc enim Ecclesia accipit quasi formam quandam corporis, & tota potestas, quæ erat sparsa in varijs membris ibi vnitur, ita vt comparare papam cum ceteris Christianis seorsum sumptis, sit comparare membrum nobilissimum cum minus nobili: at comparare papā cum Concilio, sit comparare partem cum suo toto, & proinde minus cum maiore.

Et ne dicamus, Concilium sine papa non esse totū perfectum, sed corpus sine capite, addunt secundum fundamentum, quod est, supremam Ecclesiasticā potestatem esse tam in concilio, quàm in papa, sed in cōcilio principalius, immediatius, & immobilius. Dicunt enim, Christum immediatè omnem potestatē soluendi, & ligandi tribuisse Ecclesiæ, & cum Ecclesia semper duret, immobiliter in ea semper manere hanc potestatem: quia tamen nō potest Ecclesia semper congregata manere, & exercere per se hanc potestatem, instituit Christus summum pontificem, tanquam instrumentum generale ad omnes actiones ecclesiæ, & in eo posuit hanc potestatem summam, vt eam exerceat nomine Ecclesiæ.

Differunt inter se hi auctores, quod aliqui ponunt hanc potestatem formaliter, & subiectiuè in solo pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam, vt in fine, quia est propter Ecclesiam, & vt in regulante, quia Ecclesię est regulare, & dirigere papam, cum ipsa non possit errare, papa autem possit: ac denique vt in supplente, quia deficiente papa propter mortem naturalem, aut ciuilem, Ecclesia supplet eius officium.

Alij verò volunt esse formaliter, & subiectiuè principaliter in Ecclesia, instrumentaliter in pontifice. cō ueniunt tn in eo omnes, vt doceant esse hanc potestatem immediatè in Ecclesia, & proinde mortuo papa, vel depositō, vel nolente adesse concilio, concilii non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, & habere potestatem papalem definiendi de fide, sanciendi leges, dandi indulgentias, &c. ex quibus deducunt, concilium esse supra papam, & posse ipsum iudicare, & punire, & idē esse quærere, an papa sit maior concilio, ac si quæreretur, an pars sit maior suo toto.

Denique, volunt papam esse in Ecclesia id, q̄ est Dux Venetiarum in Republica Veneta, vel Magister generalis in aliqua religione. Constat enim Ducē Venetum esse supra singulos magistratus, & supra singulos senatores, & ciuitates Venetas, non tamen supra totum senatum simul collectum: & quādo moritur Dux, certum est totam auctoritatem etiam ducalem esse in senatu. Quomodo etiam Magister generalis, est supra singulos religiosos, etiam priores, & prouinciales, tamen non est supra congregationem generalem, cum ei parere debeat, non imperare.

SECVNDA opinio est aliquorum Canonistarum, qui volunt papam quidem esse supra concilium, & à nemine iudicari posse inuitum, tamen posse ipsum se se subijcere concilio, & dare illi supra se potestatem: & si hoc fecerit, acquiescere debere sententiæ Concilij, etiam si de ipsius depositione ageretur. ita docet gloss. in can. Nos si incompetenter, 2. q. 7. & in cano. in Synodo, d. 63.

VLTIMA sententia est ferè communis, q̄ videlicet papa adeò sit supra concilium, ut non possit etiam se subijcere eius sententiæ, si propriè de sententia coactiua agatur. Hæc sñia vī esse omnium Scholasticorum veterum, vt Alberti, B. Tho. B. Bonauen. Richardi, Paludani, & aliorum in 4. dist. 19. vbi de clauibus agitur, tametsi ex professo ipsi de hac re non disputarunt. Expresse aūt hoc docent, S. Antoninus 3. part. tit. 22. c. 10. §. 4. summæ historialis, & 2. par. tit. 3. cap. 11. summæ Theologicæ, Ioannes de Turrecremata, lib. 2. c. 93. & 104. summæ de Ecclesia. & in responsione ad oratores Basileenses de summi Pontificis & cōcilij generalis auctoritate. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ, lib. 1. art. 6. Dominicus Iacobatius lib. 10. de concilijs, ar. 7. in quo fusissimè quæstionem disputat, & soluit sexaginta tria argumenta aduersariorum. Cardinalis Caietanus in tractatu de cōparatione papæ, & Conciliorum, & in Apologia pro tractatu prædicto. Albertus Pighius libro 6. de hierarchia Ecclesiæ. Franciscus Ferrariensis in lib. 4. contra Gentes, c. 76. Augustinus de Ancona in tractatu de potestate Ecclesiæ. & Petrus de Monte in libro de potestate papæ, & concilij. Franciscus Turrianus in trib. libris, quos de hac quęstione scripsit. & Canonistæ ferē omnes in cap. significasti, de electione, & cano. Si papa, dist. 40. Ioannes Anto. Delphinus, libr. 2. de Ecclesia, capite vltimo. Thomas Campegius in tractatu de potestate Romani Pontificis, cap. 22. & sequētib. Nicolaus Sanderus, lib. 7. de visibil. monarchia, vbi agit de concilio Constantiensi. pag. 540.

CAPVT XV.

Summum Pontificem caput esse totius Ecclesiæ.

IAM verò, vt rei veritas declaretur, adferemus ac demonstrabimus aliquot propositiones, quarum hęc

fit

sit PRIMA. *Romanus Pontifex est pastor, & caput non solum omnium Ecclesiarum, particularium, sed etiam totius vniuersalis Ecclesiæ simul congregatæ à Christo immediatè constitutus.* Hæc est contra primum fundamentum aduersariorum, quæ tametsi probata est fusissimè in libris de pontifice, tamen etiam hoc loco breuiter probanda est.

Igitur probatur PRIMO ex Scriptura. Petrus est fundamentum Ecclesiæ, a Christo positum, iuxta illud: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. proinde caput, ac pastor: nam quod est in domo fundamẽtum, est in corpore caput, & in grege pastor. Vt enim fundamentum non pendet a domo, sed domus a fundamento: ita etiam caput non pendet a corpore, sed corpus a capite, & pastor non pendet a grege, sed grex a pastore. Quod autem per Ecclesiam eo loco intelligatur Ecclesia vniuersalis, etiam congregata, vt est generale cõcilium, probatur ex cap. Matt. 18. vbi de eadem sua Ecclesia Christus dicit: *Si eos non audierit, dic Ecclesiæ.* Quo loco per ecclesiã intelligũt aduersarij generale cõciliũ.

Præterea Ecclesia congregata, siue concilium proprijssime est Ecclesia Christi, vt etiam aduersarij concedunt: nam Ecclesia est congregatio fidelium, ergo quo magis fideles sunt congregati & vniti, eo magis proprie sunt Ecclesia: at stultum est, cum aliquid de alio absolutè pronũciatur, excipere id, quod proprijssime per illud significatur. ergo cum Christus dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, stultè excipitur Ecclesia vniuersalis congregata, cum ea proprijssime sit Ecclesia.

Denique, Ecclesia Christi semper est congregata formaliter, quia est vnum regnum, vna familia, vnus grex, licet dispersa videatur quantum ad locum. igitur, si pontifex est pastor, & caput Ecclesiæ, non certè dispersæ, quæ nulla est, sed congregatæ Ecclesiæ est pastor, & caput. Idem habetur ex illo Ioan. vltimo: *Pasce oues meas.* Nam etsi aduersarij dicunt, Dominũ dixisse: *Pasce oues meas:* non Ecclesiam meam, tamen Ecclesia in oratione de põtifice sic explicat: *Deus omnium fidelium pastor, & rector, qui famulum tuum N. Ecclesiæ tuæ præesse voluisti.* Et præterea, vel Ecclesia congregata, siue concilium generale pertinet ad oues Christi, vel non, si pertinet, ergo Ecclesiæ congregatæ, & concilij generalis pastor est Petrus: si non pertinet, ergo Christiani per congregationem desinunt esse oues Christi, quod est absurdissimum.

SECVNDO probatur ex cõcilijs, nã conciliũ CHALCEDONENSE in epistola ad Leonem disertis verbis fatetur, sanctum Leonẽ caput fuisse totius illius concilij, quod fuit omnium maximum, & in quo tota Ecclesia congregata conspiciebatur. *Quibus*, inquit, *tu quidem vt caput præerat.* Item cõcilium LVGDVNENSE, vt habetur capite, Vbi periculum, de elect. in 6. vocat pontificem rectorem vniuersalis Ecclesiæ, non igitur solum particularium Ecclesiarum est rector. similiter in concilio FLORENTINO definitum est, pontificem esse totius Ecclesiæ caput, & accepisse a Dño plenissimam potestatem vniuersalẽ Ecclesiam regendi. Conciliũ CONSTANTIENSE, sess. 15. dãnauit hæresim Ioãnis Hus dicẽtis, nõ esse papã caput Ecclesiæ.

Probatur TERTIO rationib. PRIMO, papa est vnũ caput, ergo vnius corporis caput, at Ecclesiæ particulares seorsim sumptæ non sunt vnum corpus: ergo papa est caput Ecclesiæ vniuersalis. SECVNDO, Ecclesia vniuersalis est vnum corpus visibile, ergo habere debet vnum caput visibile, alioquin videbitur mõstrũ. at non est fingere alium quàm papam. ergo papa caput est totius Ecclesiæ simul. TERTIO, papa est immediatus vicarius Christi, vt habetur in concilio Lugdunensi & Florentino citatis, nec non in concilio Constantiensi, sess. 8. vbi damnatur hæresis VViclefi dicentis, papam non esse immediatum Christi vicariũ: neque id aduersarij negant: ergo præest ijs omnibus loco Christi, quib. Christus ipse inuisibiliter præest, & quibus etiam præesset visibiliter, si visibiliter adesset: Christus autem præest, & præesset visibiliter, si adesset visibiliter, non solùm Ecclesijs particularib. sed etiam toti Ecclesiæ vniuersali, & generalib. Concilijs: igitur etiam Papa præest Ecclesiæ vniuersali.

CAPVT XVI.

Non esse in Concilio summam potestatem.

SIT IAM altera propositio: *Summa Potestas Ecclesiastica non est in Ecclesia, vel Concilio, remoto Papa, aut formaliter, aut suppletiuè.* Hæc est contra alterum fundamentũ aduersariorum, & quidem non esse formaliter in Ecclesia, vel in Concilio summam potestatem, qualis est in Papa, ex Scripturis apertè colligitur. Nam secundum Scripturas Ecclesia non est Democratia, vel Aristocratia, sed Monarchia, siue regnũ Christi, iuxta illud Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum eius.* Et Lucæ 1. *Regni eius non erit finis.* Et Ioan. 18. non dixit Christus cum interrogaretur: *Ergo Rex es tu?* non sum Rex, aut, regnum meum non est in hoc mundo, sed ait; *Regnum meum nõ est ex hoc mundo:* ideſt, est quidẽ in hoc mundo, sed non est tale regnum, quale tu putas; quale est Herodis, & similium Regũ. Denique, Scriptura passim vocat Christum Regem, & Ecclesiam regnum eius, ex quo sequitur: vt ab vno regi debeat, non a multis ipsa Ecclesia, quemadmodum gubernantur omnia regna.

Quod autem non sit suppletiuè hæc auctoritas in Ecclesia, ostenditur hac ratione. Non habet Ecclesia hanc auctoritatem a seipsa, nec ab alio, igitur nullo modo habet. Quod a seipsa non habeat, manifestè probat discrimen, quod est inter regnum Christi, & regna cetera: non enim est Ecclesia tale regnum, qualia sunt regna huius mundi, in quibus summa potestas est in rege, sed a populo profecta, & deriuata, & proinde radicaliter, & suppletiue eadem potestas est in regno. Nam in regno Christi summa potestas est in Christo, & non deriuata vllo modo a populo: in regnis enim hominum, potestas regis est a populo, quia populus facit Regem, qui alioqui esset homo priuatus, sicut ceteri, omnes enim homines naturaliter sunt liberi, & æquales, nec posset vnus ceteris imperare, nisi illi se ei subijcerent, & super se potestatem ei concederent.

At Christus est Deus, & homo, & quatenus Deus, est naturaliter Dominus, & Rex omnium creaturarum: quatenus homo, habet a Deo omnem potestatem, nec ipse ab Ecclesia factus est Rex, sed ipse potius fecit Ecclesiam esse suum regnum. Apocalip. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum.* hinc est, quod in Scriptura, regnum Christi, quod est Ecclesia, ne putaretur tale, qualia sunt cetera, comparatur etiã familiæ, Mat. 24. *Quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Et Hebr. 3. Moses erat fidelis in tota domo Dei tanquã seruus, Christus autem erat fidelis in tota domo sua tanquam Dominus. Constat. n. patremfamilias non habere a familia vllam auctoritatẽ, sed ex se: quia non ipse a familia constituitur pater, sed ipse facit sibi familiam gignendo filios, emendo seruos. Vnde paterfamilias, etiamsi pessimus sit, nunq̃ potest a familia iudicari, vel expelli, sicut potest Rex qñ degenerat in tyrannum. Comparatur etiam ouili, Ioan. 10. item corpori, & sponsæ, Ephes. 4. & 5. vt intelligamus, quod sicut non accipit auctoritatem pastor ab ouibus, nec caput a corpore, nec vir ab vxore, ita neque Christus ab Ecclesia.

Ex his habemus Ecclesiam ex se nullam habere auctori-

auctoritatem, sed omnem esse in Christo & ijs, quib. Christus eam communicauit. Quod autem non habeat ab alio, nimirum à Christo, probatur. Nam Christus legitur quidem dedisse Petro claues regni cęlorũ, Matthęi 16. & eundem præfecisse ouili suo Ioannis vltimo, dedit etiam Apostolis ceteris potestatem prædicandi, baptizandi, peccata dimittendi, & alia q̃dam faciendi, quæ ad munus Episcopale spectãt, sed hanc potestatem Christus singulis dedit, ita vt potuerit quisque eorum illa omnia exercere sine congregatione aliorum, ut notum est: at quod ipsi Ecclesię, i. fidelium vniuersitati in se, i. ratione suæ totalitatis aliquid potestatis tribuerit, nusquam legitur: immò è contrario legimus, præcipi populis, vt obediãt, & sub iaceant pastoribus suis, Hebr. 13. & alibi. Quod si Ecclesiæ vniuersitati non est data vlla auctoritas, ergo neque Concilio generali, quateuus Ecclesiam vniuersalem repræsentat. Ergo in Concilio non est auctoritas summa, siue Papalis, sed tantum Episcopalis, seu Archiepiscopalis, prout sunt personæ, quæ ibi conueniunt. si quidem summa seu Papalis auctoritas nõ ponitur in Concilio ab aduersarijs, nisi quatenus Concilium gerit vicem Ecclesiæ vniuersæ. Si ergo Ecclesia vniuersa, secluso Papa, non habet Papalem auctoritatem, ergo multò minus Concilium habet.

Probatur Secvndo: nam si Concilium generale sine persona Papæ haberet Papalem auctoritatem formaliter, vel suppletiuè, non indigeret confirmatione Papæ. Id autem est falsum. Constat enim omnia generalia Concilia Catholica confirmationẽ petijsse.

Tertio: Concilium sine Papa potest errare etiam in fidei decretis, ut patet in Concilio Sirmiensi, cui subscripsit Hosius. itẽ Mediolanẽsi, Ariminẽsi, Ephesino secundo, Cõstantinopolitano, sub Iustiniano II. Constantinopolitano sub Leone Isauro, & alio sub Constantino Copronymo. At Concilium cum Papa non potest errare: ergo non potest sine Papa omnia illa, quæ põt cum Papa. Nequę põt responderi, errasse illa Concilia, quod non fuerint legitima, nam plerisque nihil defuit, nisi Pontificis assensus: immò Ephesinum II. fuit oĩno simile Basileense; vtrunque n. fuit indictum à Pontifice, in vtroque adfuit legatus Pontificis circa initium, ab vtroque recessit paulò post Legatus Pontificis, in vtroque fuit Pontifex excommunicatus, quæ omnia de Basileense patẽt ex gestis eius ab Aenea Syluio descriptis. De Ephesino autem patet ex epistola Leonis 12. 13. 15. 21. 22. & ex Concilio Chalcedonensi, act. 3. & nihilominus errasse Concilium Ephesinum aduersarij negare non possunt.

Qvarto, si in Ecclesia esset summa potestas principaliter, in Papa instrumentaliter, ut in ministro Ecclesiæ, vt ipsi dicunt, sequeretur papam non esse immediatum Christi vicarium, sed mediatũ: immediatè enim vicaria Christi esset Ecclesia, papa autem esset immediatus vicarius Ecclesiæ, quod est expresse contra concilium Constantiense, sess. 8. vbi damnat hæresis VViclefi dicentis, non esse Pontificem immediatum Christi vicarium.

CAPVT XVII.

Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium.

Tertia propositio. *Summus Pontifex simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam vniuersam, & supra Concilium generale, ita vt nullum in terris supra se iudicium agnoscat.* Hæc etiam est ferè de fide. & probatur Primo ex duabus præcedentibus: nã si papa est caput Ecclesiæ vniuersæ, etiam simul congregatæ, & Ecclesia vniuersa etiam simul congregata non habet vllam potestatem ratione suæ totalitatis: sequitur papã supra Concilĩ esse, & supra Ecclesiã, non contra.

Secvndo probatur ratione, in scripturis fundata: nam oĩa nomina, quæ in scripturis tribuuntur Christo, vnde constat eum esse supra Ecclesiam, eadẽ oĩa tribuuntur Pontifici: ac primum, Christus est paterfamilias in domo sua, quæ est Ecclesia, Pontifex in ea dẽ est summus œconomus, i. paterfamilias loco Christi, Lucę 12. *Quis est fidelis dispensator, & prudens, quẽ constituit Dominus super familiam suam, &c.* Hic enim per dispensatorem siue œconomum, vt Græcè habetur, intelligunt Episcopum. Ambrosius in hunc locũ & Hilarius, & Hieronymus in c. 24. Matt. vbi similis habetur sententia. Et quamuis Patres non loquantur expresse de Episcopo Romano, tamen sine dubio sententia Scripturæ illa est: vt Episcopi particulares sunt summi œconomi in suis Ecclesijs, ita esse Episcopum Romanum in Ecclesia vniuersa. Vnde Ambrosivs in illud 1. Tim. 3. Vt scias quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, &c. *Domus Dei*, inquit, *Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus.* Et Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio circa initium, hunc ipsũ locum: *Quis est fidelis seruus, &c.* De Petro exponit.

Quod autem œconomus summus sit supra familiã, & ab ea iudicari, ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco, Dominus enim ait: *Quem cõstituit Dominus supra familiam suam.* Et ibidẽ: *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire & cœperit percutere seruos, & ancillas, edere, & bibere, et inebriari, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Vbi vides Dominũ seruare suo iudicio seruum illũ, & non committere iudicio familiæ. Idem etiam docet vsus omnium familiarum: nulla enim familia est in qua liceat inferioribus famulis etiam simul cõgregatis punire, vel expellere œconomum, etiamsi pessimus sit, id. n. ad solum Dñm totius familiæ pertinet.

Altervm nomen Christi est Pastor, Ioannis 10. *Ego sum Pastor bonus*, &c. Idem cõmunicat Petro Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Constat aũt pastorẽ ita pesse ouibus, ut nullo modo ab eis iudicari possit.

Tertivm est, Caput corporis Ecclesiæ, Ephes 4. idem communicat Petro, vt habemus in Concilio Chalcedonensi, act. 3. vbi legati sententiam pronunciant in Dioscorũ, & in epistola Concilij ad Leonem. Porro caput à mẽbris regi, & nõ ea potius regere, cõtra naturã est, sicut ẽt est contra naturã, quod mẽbra sibi caput præcidant, cum fortè grauiter ægrotat.

Qvartvm est, Vir, seu sponsus, Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, &c.* Idem conuenit Petro, nã in Concilio generali Lugdunensi, vt habetur ca. Vbi periculum, de electione in Sexto, loquens Cõcilium de electione Romani Pontificis: *Acceleret*, inquit, *vtilis perneccssaria totius mundi prouisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ sponso dato.* est autem contra Apostolum Ephes. 5. & contra naturæ ordinem, vt sponsa præsit sponso, & non potius subsit.

Probatur Secvndo ex verbis expressis Conciliorum, & Pontificum. cum enim controuersia ista sit de potestate Conciliorum, & Pontificum, si inter se Concilia & Pontifices conueniunt, quid opus est, vt nos litigemus? Primvm ergo exstat Concilium Sinuessanũ sub Marcellino, in cuius fine legimus: *Prima sedes a nemine iudicabitur*, Paulò post exitit Concilium Romanum sub Syluestro, in cuius vlt. can. similiter legimus: *Nemo iudicabit primam sedem.*

Præterea ex Concilio Chalcedonensi colligitur Pontificem esse maiorem Concilio, nam act. 3. recitantur multæ epistolæ scriptæ ex varijs locis ad Cõcilium, quæ omnes ita incipiunt: *Sanctissimo & beatissimo vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sancto vniuersali Concilio congregato in Chalcedonensi ciuitate, &c.* Nemo autem in toto Concilio fuit, qui reclamarit,

marit, ac dixerit, non debere anteponi Pontificem to A ti Concilio. Imò in fine illius actionis extat epistola Concilij ad eũdem Leonem, in qua eum, & caput, & patrem suum agnoscunt. Præterea in eadem actione damnatus est Dioscorus cum tota Synodo Ephesina II. tum ob alias causſas, tum præcipuè quia iudicare, & damnare ausus fuerat Romanum Pontificem Leonem. Vt enim Nicolaus I. ait in epistola ad Michaelem, non tam ob hæresim damnatus est Dioscorus, quàm ob horrẽdam præsumptionem, qua in summũ Pontificem sententiam dictare ausus fuerat. Vbi notandum, quòd si Dioscorus, qui erat Patriarcha Alexandrinus, ideſt, primus post Romanum, cum generali Concilio non potuit iure iudicare Romanũ Pontificẽ, certè sequit' euidenter, Conciliũ nõ esse supra Põtificem. Cur. n. non potuit põtificẽ iudicare, si erat supra ipsum, immò eius iudex, vt aduersarij volunt?

Item Concilium Romanũ V. sub Symmacho re- B cepit, & approbauit tanquam sua decreta, librum Ennodij Diaconi, in quo sic legimus: *Aliorum hominum cauſſas Deus voluit per homines terminari. Sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio, voluit Petri Apostoli succeſſores cœlo tantum debere innocentiam.* In VIII. Synodo generali act. 7. legimus, Romanum Põtificem de omnium Ecclesiarum præsulib. iudicaſſe: de eo vero neminem vnquam iudicaſſe: intellige, legitimè, ita vt fuerit receptum ab Ecclesia eiusmodi iudicium. Scribũt Platina in vita Leonis III. Paulus Æmilius lib. 3. historiæ Francorũ, cùm Carolus Magnus Romam veniſſet ad cognoscendã cauſſam Leonis pontificis, cui multa crimina obiecta fuerant, & simul conueniſſet ingens Concilium Episcoporum, omnes Episcopos vna voce clamaſſe, non licere vlli C hominum iudicare summum Pontificem, tum verò Carolum destitiſſe a munere illo iudicandi, & Leonem iuramento seipsum purgaſſe.

Præterea Concilium Lateranense sub Alexan. III. vt habet c. Licet, extra. de elect. *In Romana Ecclesia*, inquit, *aliquid specialiter constituitur, quia non poterit ad superiorem haberi recursus.* Vbi Concilium docet, maiori cautela debere eligi Romanum pontificem, quàm alios Episcopos, quia si eligatur malus Episcopus, potest ille corrigi, & deponi per Romanum pontificem: si autem eligatur malus Pontifex summus, non est remedium vllum, non enim habet superiorẽ, a quo deponi possit. Item in Constantiensi Concilio edita est Bulla Martini V. ipso approbante Concilio, in qua iubentur suspecti de hæresi interrogari, an nõ D credant Romanum pontificem habere in Ecclesia Dei supremam potestatem. at certè suprema est, qua nulla est maior, & cui nulla æqualis.

Denique Lateranẽse vltimũ sub Leone X. sess. 11. diserte & ex professo docuit, põtificem esse supra omnia Concilia, & reprobauit contrariũ decretum, editum in Concilio Basileensi: *Solum*, inquit, *Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferẽdorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorũdem Conciliorũ confeſſione, manifestè constat.*

Ad hunc locũ nihil põt rñderi, niſi vel non fuiſſe Conciliũ generale, vel nõ fuiſſe ab Ecclesia receptũ, E vel non definiuiſſe hoc, tanq̃ de fide. Sed nõ fuiſſe generale, vix dici põt: nam etsi fuerunt Epi pauciſſimi, nam ad centũ non peruenerunt: tñ Cõciliũ oĩbus patebat, & oẽs vocati fuerant, & in eo summus pontifex verus, & indubitatus p̃sidebat. Quod autem non fuerit receptum, saltem ab oĩb. parum refert, nã decreta Conciliorũ non indigent approbatione populi, cum ab eo non accipiant auctoritatem. Verũ est quidem, decreta de morib. si non recipiantur, & põtifex conniueat, tandem cõsuetudine abrogari: sed hoc nõ accidit ex eo quod indigeãt populi approbatione, sed quia decreta mutabilia sunt: & cũ pontifex videt longo tempore ea nõ seruari, & tacet, censetur ipse abrogare. At decreta de fide immutabilia sunt, nec possũt vllo modo abrogari, posteaquam semel statuta sunt. tale autem est hoc, de quo agimus. Quod vero Concilium hoc rem istam non definierit, proprie, vt decretum fide Catholica tenendum, dubium est, & ideo non sunt proprie hæretici, qui contrarium sentiunt, sed a temeritate magna excusari non possunt.

Accedant iam Tertio Pontifices. Leo epist. 48. ad Anastasium, in fi. *Magna*, inquit, *Dei dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres habere tur prima sententia, & rursum quidã in maiorib. vrbib. constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, vt nihil vnquam a suo capite dissideret.* Iam si cura vniuersalis Ecclesiæ ad Petrum pertinet, certè etiam Concilij, quod vniuersalis Ecclesiæ vicem gerit.

Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, *Cuncta*, inquit, *per mundum nouit Ecclesia, quod sacrosancta Romana sedes fas de omnibus habeat iudicandi, nec cuique liceat de eius iudicare iudicio.*

Nicolaus I. in epist. ad Michaelẽ, idem repetit: *Patet*, inquit, *profectò sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum.*

Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theotistam patritiam: *Si*, inquit, *B. Petrus, cùm à fidelib. culpareturauctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat, vt Pastorem suum oues reprehendere non auderent: sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, doctor manſuetudinis non fuisset: humili ergo eos ratione placauit.*

Paschalis Papa, vt habetur c. Significasti, extra de electione: *Aium*, inquit, *in Conciliis statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia vlla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis, Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.*

Innocentius III. serm. 2. de conſecr. Pontificis: *In tantum*, inquit, *mihi fides necessaria est, vt cùm de ceteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatũ, quod in fide cõmittitur, possem ab Ecclesia iudicari.*

Bonifacius VIII. in extrauag. Viam sanctam, tit. de maior. & obed. *Si deuiat*, inquit, *terrena potestas, iudicabitur à potestate spirituali. Si deuiat spiritualis, minor à maiori. Si verò suprema, à Deo solo, non ab homine poterit iudicari.* Accedat testimonium S. Bonifacii Epi Mogũtini, qui etiamsi summus Pontifex nõ fuerit, fuit tamen summæ auctoritatis. Is ergo, vt habet dist. 40. can. si Papa: *Cunctos*, inquit, *iudicaturus, a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide deuius.*

Probatur Quarto ex appellationib. a Concilio ad Papã. sine controuersia. n. sempera minore ad maiorem appellatur. appellari autem a Concilio ad Papam, non contra, perspicuum est ex Gelasio in epist. ad Episcopos Dardaniæ: *Ad sedem*, inquit, *Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permiſſus.*

Et ne putemus eũ loqui de appellatione ab aliquo Epo, non a Concilio: subdit, sæpe Romanos Pontifices soluisse eos, quos inique Concilia ligauerant. cuius rei exstant exempla clariſſima. Nã Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus, a Concilio depositi, ad Iulium Papam appellauerunt, & ab eo in suas sedes restituti sunt, vt auctor est Sozomenus lib. 3. hist. cap. 7. similiter Flavianus Episcopus Constantinopolitanus appellauit a Cõcilio Ephesino II. generali, ad Leonẽ Papã, vt testat' Leo epist. 25. ad Theodosiũ Augustũ.

Item

Item Theodoretvs Episcopus Cyri appellauit à Concilio eodem Ephesino II. ad eundem Leonem, vt patet ex Liberato in Breuiario, c. 12. & ex ipsa epistola Theodoreti, quæ extat ad finem operum Leonis. Denique Ioannes Chrysostomvs à Concilio depositus appellauit ad Innocentium Papam, vt testatur Gelasius, vbi supra, & idem colligitur ex epistolis Chrysostomi ad Innocentium.

Probatur Qvinto, ex approbatione & reprobatione Conciliorum: nam omnia reuocantur tandem ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur, quæ improbat reijciuntur, vt testatur Gelasius in eadem epistola ad Episcopos Dardaniæ. & quidem quod ad petitionem Conciliorum approbauerit Pontifex multa Cõcilia, patet ex gestis ipsis Cõciliorum, præcipuè I. II. III. IV. & VI.

Quod autem Pontifices aliquando Conciliorum decreta reprobauerint, quod est apertum signum superioritatis, ex Basilio patet, qui in epistola ad Athanasium, quæ est 52. scribit, videri sibi bonum, vt rogetur Romanus Episcopus, vt mittat aliquos in Græciã qui eius nomine irritent concilium Ariminense. Ipse etiã Damasus in epistola ad Episcopos Illyrij reprobat Concilium illud. Similiter Leo in epist. 55. ad Pulcheriam: *Consensiones*, inquit, *Episcoporum, canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* B. Gregorius lib. 4. epist. 34. *Cuncta*, inquit, *acta illius Synodi, sede contradicente Apostolica, soluta sunt,*

CAPVT XVIII.

Pontificem non posse subijcere seipsum sententiæ coactiuæ Conciliorum.

Qvarta propositio. *Summus Pontifex non potest committere, neque Concilio, neque vlli homini supra se iudiciũ coactiuum, sed tantum discretiuum.* Nota, in iudicio perfecto duo quædam reperiri. Primo, potestatem discutiendi caussam, & discernendi ac iudicandi quid agendum sit. Secvndo, potestatem cogẽdi eum, qui cecidit caussa, ad obtemperandum sententiæ contra se latæ. Vtrumque inuenitur in iudice proprie dicto, qualis est princeps, vel prætor à principe constitutus. Primum autem solum reperitur in arbitris, quorum sententiæ etiamsi teneantur homines stare ex iure naturæ, quia tenemur seruare promissa: non tñ ex vi sñiæ, quia non possunt arbitri cogere.

Iam ergo summus Pontifex non potest iudicem propriè dictum supra se constituere, sed tantum quodammodo arbitros, quorum sententiæ si non obtemperauerit, faciet qđ non debet, non aũt quod nõpõt.

Prima pars probatur. Primo, quia potestas Papæ super omnes, est de iure diuino, ut patet. at nõ potest Papa dispensare in iure diuino. Secvndo, quia non potest inferior committere alicui iudicium reseruatum superiori. Non enim potest Episcopus committere suo pœnitentiario, vt absoluat in casibus reseruatis Papæ: at iudicium in caussa Pontificis est reseruatum Deo, vt supra docuimus. Tertio, quia sequeretur Papam esse superiorem, & non superiorem, respectu eiusdem, quæ est implicatio contradictionis. Id autem sequi, hac ratione ostenditur. Summus Pontifex, cum se ac suam caussam iudicio alicuius committit, nõ desinit esse Papa, ergo nec desinit esse superior quocunque Christiano: at nihilominus non est superior, sed inferior, si cogi potest. erit igitur simul superior, & non superior.

Secvnda pars patet ex Sixto III. Leone III. Symmacho, Leone IV. & alijs, qui cum accusarent, caussas suas in Concilio Episcorum discuti voluerũt, vt patet ex can. Mandastis, & can. Auditum 2. q. 5. & ex concilio IV. sub Symmacho: quos tamen episcopi iudicare ausi nõ sunt. Vnde in Concilio IV. sub Symmacho, omnes episcopi cum subscribunt, affirmant, se totum iudicium Deo relinquere.

CAPVT XIX.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

Svperest argumenta soluere. Ac primum Hermannus lib. 3. c. 12. Prolegomenorum obijcit aliquot exempla veterũ. Secvndo argumenta quędam ex Gersone. Tertio aliud qđdã ex concilio Basileensi.

Primvm exemplum est Marcellini, qui in concilio Sinuessano ab episcopis damnatus, & depositus fuit. Respondeo Primo, Marcellinum fuisse accusatum de actu infidelitatis, in quo casu potest concilium discutere caussam Pontificis, & si inueniat, reuera esse infidelem, põt declarare eum esse extra Ecclesiã, & sic damnare. Secvndo dico, episcopos quidem damnasse Marcellinum, sed postea quàm ipse primus se ipsum damnauerat, id est, abdicauerat se pontificatu, nam antea sæpè clamauerunt: *Prima sedes à nemine iudicabitur, tu reus, tu iudex, noli à nobis iudicari &c.* Vide Nicolaum I. in epist. ad Michaelem.

Secvndvm exemplum est Melchiadis Papæ, post cuius sententiam iudicauit eandem caussam episcopus Arelatensis, vt testatur Augustinus in epist. 162. ad Gloriũ & Eleusium, vbi etiã addit Avgvstinvs: *Ecce*, inquit, *putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicauerunt, non bonos iudices fuisse. Restabat adhuc plenariũ Ecclesiæ vniuersæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus caussa posset agitari. Vt si male iudicasse conuicti essent eorum sententiæ soluerentur.*

Respondeo ad illud de episcopo Arelatensi ex eodem Augustino ibidem, eam caussam iterum iudicatam fuisse, non quia oporteret, sed quia voluit Imperator acquiescere Donatistis petẽtib. aliud iudiciũ, si fortè in duobus iudicijs condemnati sanarẽtur. Ad illud de generali Concilio dico, Augustinum nõ conferre Papam sine concilio, cum concilio sine papa vt nos modò conferimus, sed conferre concilium particulare, cui præsit papa, cum concilio generali, cui ẽt præsit papa. Potest autem sine dubio caussa iudicata a Pontifice in concilio particulari, iterum ab eodem iudicari in concilio generali, præsertim in quæstione facti, quæ pendet ex informationibus, & in qua errare põt ecclesia, qualis erat qõ, de qua tunc agebat. immò ẽt ordinariè, in d. Concilio gñali, olim fiebant cõcilia particularia prius in singulis prouincijs, & ẽt Romæ & deinde res definitę in illis cõcilijs particularib. ite rũ tractabant in concilio gñali, & tunc dabat vltima & definitiua sententia à Pontifice, cõcilio assentiẽte.

Tertivm est Liberij, quem Imperator deposuit, & postea restituit in suam sedem, iubens, vt simul cũ Felice Romæ ecclesiam regeret, quod idem iussit concilium Syrmiẽse literis datis ad Felicem, vt refert Sozomenus lib. 4. c. 14. Respondeo, Imperatorem Arianum id fecisse iniustè & tyrannicè, quomodo etiã Nero Petrum & Paulum interfecit. Concilium autẽ Syrmiense non iussit, sed tantum literas exhortatorias misit ad Felicem, vt pateretur secum simul sedere Liberium. Adde, quod Concilium illud præcipuè Arianorum fuit, & nullius momenti.

Qvartvm est S. Leonis, cuius epistolam in concilio Chalcedonensi multi episcopi examinarunt, vt refert Euagrius lib. 2. cap. 18. & ipse etiam Leo epist. 63. gloriatur, epistolam suam à concilio approbatam fuisse. Respondeo, hinc non sequi concilium esse supra Papam. nam Leo epistolam suam miserat ad concilium, non vt continẽtem vltimam, & definitiuam sententiam, sed vt instructionem tantum, qua adiuti episcopi melius iudicarent. Posteaquam autem

omnes

omnes consenserunt epistolæ Leonis, tum demum A edita est definitio vltima nomine Pontificis, & Concilij. Hæc de exemplis.

SECVNDO, proponit argumenta Gersonis, ac primum est illud, Matth. 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ*. Sed papa est etiam frater noster, cum sit Christianus, & dicere debeat, Pater noster qui es in cœlis: potest igitur papa ad iudicium Ecclesiæ vocari, proinde ab Ecclesia iudicari, ac puniri potest: non autem quidquam agit Ecclesia, nisi per Prælatos suos, igitur à prælatorum concilio Papa iudicari potest.

RESPONDEO, nomine Ecclesiæ, vel intelligi episcopum, vt exponit hoc loco Chrysostomus, & Innocentius III. c. Nouit, extra. de iudicijs, & praxis Ecclesiæ demonstrat: quotidie enim Episcopo denunciantur B ij, de quibus Dominus ait: *Dic Ecclesiæ*: vel certè fidelium cœtum cum suo capite. Nam vt Cyprianus ait in epistola ad Florentium, quæ est nona lib. 4. *Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens*. Quare in quocunque Episcopatu deferendi sunt peccatores ad Ecclesiam, & episcopum eius loci, sed si is episcopus peccet, non potest deferri ad eam Ecclesiam nisi debeat deferri ad seipsum, cum ipse sit caput eiusdem ecclesiæ, sed deferendus est ad ecclesiam aliquam altiorem, cui præest Archiepiscopus, vel Patriarcha: si verò peccet Patriarha, deferri non potest ad Ecclesiam suam, sed ad maiorem, id est, ad Romanam Ecclesiam, vel generale concilium, cui summus Pontifex præsider: quod si ipse summus Pontifex peccet, iudicio Dei reseruandus est, non enim est vlla ec C clesia, ad quam deferri posset, cum sine ipso non inueniatur ecclesia cum capite.

SED iterum instant. Hæc verba, *dic Ecclesiæ*, dicta sunt Petro, ergo etiam Petrus, & eius successor debet deferre peccatores aliquando ad ecclesiam, debet igitur agnoscere tribunal Ecclesiæ quoddã suo maius.

RESPONDEO, quando hæc dicta sunt Petro, non fuisse eum adhuc Pontificem, sed hominem priuatũ, proinde illud ei dictum, quod ijs conuenit, qui superiorem aliquem agnoscunt. Addo præterea, suo quodam modo posse Pontificem hoc præceptum implere: primum enim debet eum, qui peccauit, corripere priuatim: deinde adhibere testes, postremò dicere ecclesiæ, id est sibi ipsi, vt præsidi, & Ecclesiæ, cui ipse præest, id est, publicè eum excommunicare. Quomo D do intellexit hunc locum B. Gregorius lib. 4. epistola 38. ad Ioannem Constantinopolitanum episcopum.

Argumentum SECVNDVM: Papa est membrum Ecclesiæ, ergo est minor suo toto, quod est ecclesia, & potest, & debet amputari, si inficiat eccleam, quia de iure naturæ est, vt membra inficientia totum corpus abscindantur.

RESPONDEO ad primam consequentiam, vel accipitur ecclesia cum papa, vel sine papa, quando colligitur, ergo papa vt membrum est minor ecclesia, quæ est totum. Si accipiatur ecclesia sine papa, falsum est illam esse totum, non enim est totum, sed pars, & quidem maior, quam caput, magnitudine molis, minor autem magnitudine virtutis, siue auctoritatis, vt patet in quolibet corpore. Quod autem aduersarij dicũt E auctoritatem capitis manere in ecclesia suppletiuè, iam est refutatum antea. Si autem accipiatur ecclesia cum papa, tunc, vt aliàs diximus, maior est auctoritas Ecclesiæ extensiuè, quam papæ solius, intensiuè autem æqualis. Sicut ens vt comphehendit Deum & creaturas, non est maius bonum, quam sit solus Deus intensiuè, tametsi extensiuè est maius, quia sunt plura bona: sicut etiam Christus, vt homo, est caput homogeneum ecclesiæ, & proinde pars eius, & tamen non est maior ecclesia tota, quam Christus solus.

» AT CONTRA instant: Semper potentia agẽdi principalius est in toto, quam in partibus, quæ sunt instru » menta totius: principalius enim dicitur homo videre, quam oculus, quare cum ecclesia incluso etiam pa » pa, sit quoddam totũ, & papa sit pars quædam, & in- » strumentum huius totius, sequitur, principalius con- » uenire ipsi ecclesiæ summam potestatem ecclesiasti- » cam, quàm papæ. »

RESPONDEO, aliud esse iudicium de corpore ecclesiæ, & de corporibus naturalibus: nam in corporibus naturalibus uirtus procedit ab essentia ad potentias, ideo principalius dicitur totũ ãgere, quàm vlla pars seu potentia: at in corpore Ecclesiæ virtus non procedit ab essentia ad potentias, seu partes, sed ab extrinseco. papa enim, qui est caput Ecclesiæ, non habet ab ecclesia, sed a Deo auctoritatẽ, & ideo principale agens non est ecclesia, sed Deus. SECVNDO dici potest, principale agens in quolibet corpore semper esse ipsum suppositum, quod sustentat & mouet omnia membra. Porro suppositum corporis ecclesiæ est Christus. Vt. n. cum dicimus, hoc est corpus Petri vel Pauli, illud Petri vel Pauli, sonat suppositum: ita cũ dicimus ecclesia est corpus Christi, illud Christi sonat suppositum. Neque obstat quod Christus sit etiam caput ecclesiæ: nam Christus, vt influens in omnia membra, dicitur caput, ut autem sustentat & mouet omnia, dici potest suppositum, & hoc modo concedimus, papã esse instrumentum corporis ecclesiæ, & quoddã minus ipso toto, vt nimirum in toto Christum ipsum, vt suppositum, includimus.

Ad alteram consequentiam posset dici. PRIMO, de iure naturæ esse, vt abscindantur mẽbra putrida, sed excepto capite. Melius enim est habere caput putridum, quàm nullum. Sed hæc solutio parum valet: nã in corporibus naturalibus debet excipi caput, quia eo amputato, totum corpus moritur. At corpus ecclesiæ non moritur moriente papa: vnde etiam videmus in Rebusp ublicis temporalibus, si Rex degeneret in tyrannum, licet sit caput Regni, tamen à populo deponi, & eligi alium. Dico ergo. SECVNDO, in corpore naturali & Rebusp ublicis temporalibus posse abscindi membra inficientia totum corpus, quia ab ipso corpore pendent, & vim habent: at non eadem ratio est corporis ecclesiæ, cuius caput nõ à corpore, sed à Deo auctoritatem accepit, sicut etiam non licet familiæ deponere summum œconomum, licet pessimum, quia non a familia, sed à Domino institutus est.

AT INQVIVNT, ergo sola ecclesia sine remedio ma » net, si habet malum Pontificem, & poterit Pontifex » impunè omnes vexare, & perdere, & nemo resistere » poterit. »

RESPONDEO, non mirum, si manet ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus eius præcipuè humana industria, sed diuina protectione, cum eius Rex Deus sit. Itaque etiamsi ecclesia non possit deponere Pontificem, tamen potest ac debet Domino sppplicare, vt ipse remediũ adhibeat: & certum est Deo fore curæ eius salutem, qui talem Pontificem vel conuertet, vel de medio tollet, antequam ecclesiam destruat. Nec tamen hinc sequitur, non licere resistere Pontifici Ecclesiam destruenti: licet enim eum seruata reuerentia admonere, & modestè corripere, repugnare etiam vi & armis, si ecclesiã destruere velit. Ad resistendum enim, & vim vi repellendam, non requiritur vlla auctoritas. Vide de hac re Ioannem de Turrecremata. lib. 2. c. 106.

TERTIVM argumentum Gersonis ab Hermanno relatum, sumitur ex concilio Constantiensi. Conciliũ » Constantiense sess. 4. definiuit, concilium generale » habere à Christo immediatam auctoritatem, cui om » nes obedire tenentur, etiamsi Papalis dignitatis exi- » stat. Vel hoc cõcilium est approbatum, vel non: si est » approbatum, ergo verum est, & recipiendum, quod »

defini-

» definiuit: si non, ergo perperã depoſuit Ioan. XXIII.
» Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Mar
» tinum V. cui poſtea omnes alij Põtifices ſucceſſerũt.
» ADDE, quod Martinus V. papa in vlt. ſeſſ. cõfirmauit omnia decreta circa fidem huius concilij Conſtantiẽ ſis: hoc autem decretum ad fidem pertinere videtur.

RESPONDEO duplicter. PRIMO, concilium Conſtantienſe eſſe legitimum & approbatum, ſed non pugnare cum ijs, quę diximus. Non enim definiuit abſolutè, concilia generalia habere à Chriſto poteſtatem ſupra Pontifices, ſed tãtum in caſu, id eſt, tempore ſchiſmatis, quando neſcitur, quis ſit verus papa: nam dubius papa habetur pro non papa, & proinde habere ſuper illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem in papam. Ita Turrecremata, Campegius & Sanderus locis notatis.

SECVNDO, reſponderi poteſt, non fuiſſe cõcilium Conſtantienſe, cum id aſſeruit huiuſmodi, vt quæſtiones de fide definire poſſet: nam in primis non erat tũc generale concilium, cum tantum adeſſet tertia pars eccleſiæ, id eſt, ij tantum Prælati, qui obediebãt Ioanni: nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant ijs, quæ a Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus papa in eccleſia, ſine quo dubia de fide definiri non poſſunt: in concilio autem nullus erat papa. Ioannes enim XXIII. qui cõcilium inchoauerat, iam inde receſſerat, cum quarta ſeſſio haberetur.

Neque verum eſt, quod Martinus V. confirmauerit hoc decretum. Ipſe enim diſertè dixit, ſe confirmare tantum ea decreta de fide, quæ facta erant concilia riter, id eſt, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata: conſtat aũt hoc decretum ſine vllo examine factum à concilio Conſtantiẽſe. Itaque Martinus cum confirmauit decreta de fide conciliariter concluſa, intelligebat tantum de damnatione hæreſum V. Vicleſi, & Huſs.

Neque ſequitur, ſi Concilium in hoc errauit, erraſſe etiam in deponendo Gregorio XII. Ioãne XXIII. & Benedicto XIII. Nam etſi concilium ſine papa nõ poteſt definire noua dogmata fidei, poteſt tamen iudicare tempore ſchiſmatis, quis ſit verus papa, & prouidere Eccleſię de vero Paſtore, quando is nullus, aut dubius eſt, & hoc eſt quod rectè fecit concilium Conſtantienſe. Adde, quod Ioannes & Gregorius non inuiti depoſiti ſunt: nam ipſi etiam ſponte renunciarũt papatui, vt patet ex actis concilij Conſtantienſis, ſeſſ. 12. & 14. Benedictus autem non ceſſit, ſed poſt eius obitum Clemens VIII. ſucceſſor ipſius ceſſit Martino V. quem omnis Eccleſia vt verum Pontificem, venerabatur, id quod ſufficit, vt Martinus eſſe poſſet verus papa.

VLTIMO, adfert Hermannus concilium Baſileenſe, quod ſeſſ. 33. definiuit, fide Catholica eſſe credendum, concilium eſſe ſupra papam. Fuit autem hoc cõcilium indictum a Martino V. vt habetur ſeſ. 1. & deinde ab Eugenio declaratum ſeſ. 16. legitimè continuatum a ſua inchoatione. Denique à Nicolao V. confirmatum cum actibus ſuis.

RESPONDEO, concilium Baſileenſe legitimè inchoatum, ſed illegitimè terminatum. Eſt autem mendacium expreſſum Hermanni, q̃ ſit confirmatum à Nicolao V. cum actibus ſuis. Nicolaus enim, vt appareret ex Bulla eius, eidem concilio annexa, ſolum confirmauit ea, quæ egerat concilium circa beneficia, & cenſuras eccleſiaſticas. Quæ autem definiuit concilium Baſileenſe de ſua auctoritate ſupra Pontificem, nullus Pontifex probauit, ſed reprobauit ex profeſſo inprimis Eugenius papa, vt patet ex concilio Baſileenſi ſeſ. 38. deinde Leo X. in concilio Lateranenſi vltimo, ſeſ. 12. item Eccleſia tota, quæ Eugenium à Baſileenſibus depoſitum, ſemper habuit pro vero Pontifice: denique Baſileenſes ipſi, & papa Felix, quem ipſi creauerunt: nam papa Felix tandem ceſſit Nicolao Eugenij ſucceſſori, & Baſileenſes qui Lauſannam concilium tranſtulerunt, tandem ſeſe Nicolao ſubiecerunt, vt in eadem Bulla Nicolaus teſtatur. Multa alia argumenta proponi, & ſolui poterant, ſed ea ſoluta ſunt in libris de Pontifice. Vide etiam quæ dicemus de concilio Baſileenſi, in libro proximè ſequente, c. 16.

LIBER TERTIVS.

DE ECCLESIA MILITANTE TOTO ORBE TERARVM DIFFVSA.

CAPVT I.

De nomine Ecclesiæ.

CONTROVERSIA de Ecclesia militante, multas habet partes. PRIMVM enim de ipsa secundū se agendum erit; tum de membris eius, hoc est, de Clericis, de Monachis, de Laicis. Rursum autem de Ecclesia militante secundū se considerata, de qua nunc disputare aggredimur, tres sunt præcipuè controuersiæ; PRIMA est, de nomine & definitione Ecclesiæ; SECVNDA, de qualitate, seu de visibilitate eiusdem; TERTIA, de notis, quibus ea certò cognosci potest.

A PRIMA nunc exordiemur; si tamē antea pp studiosos nomina eorū auctorū notauerimus, qui de Ecclesia scripserunt, seu potius eorum quorum nos libros legimus, nec.n. omnes legimus. Igitur scripserunt de hoc argumento B. Aug. libro de vnitate Ecclesiæ; B. Cyprianus librum eiusdem tituli, necnon Optatus libros sex contra Parmenianū. Ex recentioribus scripsit Thomas VValdensis tomo 1. lib. 2. doctrinæ fidei, c. 8. 9. 10. &c. Io. de Turrecremata summam de Ecclesia; Ioannes Driedo in lib. 4. de dogmatib. Ecclesiasticis, c. 2. Albertus Pighius controuersia 3. Cardinalis Hosius in confessione, in explicatione Symboli, & lib. 5. cōtra prolegomena Brentij; Petrus à Soto 1. parte defensionis suæ cōtra Brentium; Ioannes à Dauentria in confut. 7. art. Confessionis Augustanę; Ioannes Cochlæus Philippica 4 & in lib. de Scripturæ & Ecclesiæ auctoritate: Ioānes Eckius initio sui Enchiridij, Alphonsus à Castro lib. 6. contra hæres. Melchior Canus lib. 4. de locis; Ioānes Antonius Delphinus in libris tribus de Ecclesia, Ioānes à Louanio in explicat. Symboli, & oēs alij, qui Symbolum exposuerunt. Franciscus Turrianus in libris duobus de Ecclesia, & ordinat. Minist. post quos, anno M. D. LXXVII. ineunte, nos hæc ipsa, quæ nunc emittimus in lucem, in Scholis disputauimus, à quo tempore scripsit etiā de eodem argumento Gregorius de Valētia in sua Analysi fidei Catholicæ parte 6. & scripserunt etiam alij, sed nō vacauit per alias occupationes eorum libros euoluere.

Venio nunc ad propositam disputationem: ac vt primùm de nomine, deinde de re ipsa dicamus, Ecclesiæ nomē est Græcum, deducturq; à verbo, ἐκκαλέω, quod est euoco. Itaque Ecclesia est euocatio, siue cœtus vocatorum. Dicitur autem populus Dei cœtus vocatorum, quia nemo ad hunc populum se adiungit per se, & suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt, à Dei vocatione præueniuntur. Est enim vocatio primum beneficium, quod sancti recipiunt: *Quos vocauit*, inquit Apostolus Ro. 8. *hos iustificauit: quos iustificauit, hos & magnificauit*, Et Act. 2. *Quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster*. Hinc toties Apostolus Christianos appellat vocatos, in omnibus ferè epistolis.

Sunt autem tria circa hoc nomen notanda. PRIMO, nomen Ecclesiæ cum aliquo adiuncto, posse & A in bonam & in malam partem accipi; dicitur enim: *Ecclesia malignantium*, Psal. 25. Et, *Ecclesia Sanctorum*, Psal. 88. Absolutè autem positum hoc nomen, non intelligi nisi de Ecclesia Christi, excepto vno loco Act. 19 vbi de populo Ethnicorum dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa*.

SECVNDO, nota cū Augustino in Psal. 81. in illud: *Deus stetit in Synagoga Deorum*. tametsi eadem sit Ecclesia veteris Testamenti & noui, quo ad essentiā; tamen quia status Ecclesiæ noui Testamenti est longè excellentior, ideo etiam nomina esse distincta. nā populus veteris Testamenti propriè dicitur Synagoga, id est, congregatio; populus noui Testamenti nusquam dicitur Synagoga, sed semper Ecclesia, id est, euocatio. Congregari enim commune est hominibus B cum bestijs: at euocari proprium est hominum. Neque refert, quòd populus Iudæorum in Testamento veteri passim vocatur etiam Ecclesia: nam tàm Synagoga, quàm Ecclesia apud Hebræos dicitur à cōgregando. quod עֵדָה vertimus Synagoga, dicitur à יָעַד congregare. Similiter קָהָל id est, Ecclesia, dicitur à קָהַל congregari. Itaque sunt nomina duo, sed idem prorsus significant.

TERTIO nota, quemadmodum ciuitas nunc significat cœtum hominum, nūc locum, in quo cœtus ille habitat, ita etiam Ecclesiam in Scripturis nunc significare cœtum fidelium, vt Rom. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ*. nunc locum ipsum, in quo fideles congregantur, vt Iudith 6. *Omnis populus per totā noctem intra Ecclesiam orauerunt*. quanquā nos nunc C solùm de Ecclesia, vt cœtum fidelium significat, disputamus.

CAPVT II.

De definitione Ecclesiæ.

HÆc de nomine. De re autē ipsa quinque sunt hæreticæ sententiæ. PRIMA, quòd Ecclesia sit prædestinatorum congregatio, ita vt soli, & omnes prædestinati sint de Ecclesia. Ita Ioannes VVicleſus apud VValdensem tomo 1. lib. 2. cap. 8. & 9. Ioannes Hvss art. 1. 2. 3. 5. 6. vt habetur in Concilio Constantiensi, sess. 15. è quibus sic habetur art. 5. *Præscitus etsi aliquando sit in gratia secūdum præsentem iustitiam, D tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prędestinationis*.

SECVNDA, quòd Ecclesia sit hominum perfectorum nullum peccatum habentium multitudo. Ita quondam Pelagiani, vt B. Augustinus refert libro de hæresibus, cap. 88. *In id etiam*, inquit, *progrediuntur, vt dicant, vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac moralitate perfici*. Eandem tribuit Anabaptistis huius temporis Caluinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 13.

TERTIA, quòd Ecclesia sit iustorum congregatio, seu potius eorum, qui nunquam lapsi sunt circa fidei confessionem. Distinguitur autem hæc à superiore, quòd prior opinio quoslibet peccatores excludat, hęc

autem non excludit, nisi insignes peccatores. Ita sen- A
serunt olim Nouatiani, vt auctor est Cyprianus lib. 4.
epist. 2. & Donatistæ apud Augustinum libro de hæ-
res. c. 69. existimo enim falli Caluinum, vbi suprà, &
alios, qui putant, Nouatianos & Donatistas exclusisse
omne genus peccatorum. Clarè enim Cyprianus lib.
4 epist. 2. & Epiphanius in hæres. Catharorum, dicũt,
eos retinuisse in Ecclesia fraudatores, mœchos, & si-
miles: solumque exclusisse eos, qui in persequutione
lapsi fuerant. NEQVE cum hoc pugnare videtur, qd
habent Ambrosius lib. 1. de pœnitentia, cap. 1. & 2. &
Theodoretus lib. 3. de fabulis hæreticorum; Nouatia-
nos sustulisse potestatem remittendi peccata omnia,
exceptis leuissimis. Nam etiamsi non absoluebant
graues peccatores, tamen in suo cœtu eos retinebant,
nisi lapsi essent circa fidem. Et Augustinus lib. 3. con- B
tra Parmenianum, cap. 2. docet; Donatistas non hor-
ruisse omnia, sed solùm quædam maiora scelera, qua-
le erat illud, quod obijciebant Catholicis, consensisse
traditoribus diuinorum librorum.

QVARTA est Confessionistarum, qui etsi nomine
damnent Pelagianos, Nouatianos & Donatistas, ta-
men eorum sententia composita est ex hæresi Pela-
gianorum, Nouatianorum & Donatistarum. Docent
enim PRIMO cum Pelagianis non solùm Confessio-
nistæ, sed omnes Lutherani & Caluinistæ, nullum es-
se peccatũ veniale ex natura sua, sed omnia esse mor-
talia ex se, venialia autem ex misericordia Dei, qui ea
credentibus non imputat. Ita docuit Lutherus in as-
sert. art. 32. Melanchthon in Locis, cap. de discrimine
peccati mortalis & venialis. Caluinus lib. 2. Instit. ca- C
pit. 8. §. 58 & 59.

SECVNDO, docet Confessio Augustana articulo 7.
Ecclesiam esse Sanctorum congregationem, qui verè
credunt, & obediunt Deo. Et in Apologia Philippus
conatur ostendere, peccatores non pertinere ad Ec-
clesiam, nisi nomine. Similia docet Brentius in Pro-
legomenis, contra Petrum à Soto. NEQVE obstat,
quod & Philippus & Brentius ibidem dicunt, malos
esse admixtos bonis; nam ipsi duas Ecclesias fingũt.
Vnam veram, & ad quam pertinent priuilegia, quæ
narrantur in Scripturis, & hanc esse Sanctorum con
gregationem, qui verè credunt, & obediunt Deo, &
hanc non esse visibilem, nisi oculis fidei. Alteram ex-
ternam, quæ nomine tantùm est Ecclesia, & hanc es-
se congregationem hominum conuenientium in do D
ctrina fidei, & vsu Sacramentorum, & in hac bonos
& malos inueniri. Itaque malos nunquam volunt es-
se partes veræ Ecclesiæ, & proinde cautè Philippus
non dicit, Ecclesiam constare ex malis & bonis, sed
dicit, malos admisceri Ecclesiæ. Et Brentius dicit, ma
los esse aliquo modo in Ecclesia, sed non de Ecclesia.

LVTHERVS in libro de Conciliis & Ecclesia, parte
tertia, dicit, Ecclesiam esse populum sanctum Chri-
stianum: &, vt ostendat se loqui de sanctitate singu-
lorum membrorum, inde probat, Papam & Cardina-
les non esse de Ecclesia, quia sancti non sunt. Si ergo
soli iusti sunt partes veræ Ecclesiæ, & omnia pecca-
ta, quantumuis leuia, sunt peccata mortalia, & faciũt
hominem iniustum; sequitur solos perfectos & omni
peccato carentes, esse de Ecclesia, quæ erat opinio E
Pelagianorum.

TERTIO, dicunt Confessionistæ, in quo etiam cum
omnibus Lutheranis conueniunt, omnia opera hoïs,
etiã iustificati, esse peccata mortalia. Id indicat Con-
fessio Augustana, art. 6. & 20. sed clarius Lutherus in
assert. art 32. ex quo videtur sequi, nullum hominẽ
esse de Ecclesia. Nam si soli iusti sunt de Ecclesia, &
nulli sunt omnino in mundo iusti, quippe cùm om-
nium hominum opera sint peccata; quinam, quæso,
Ecclesiam facient? sed ipsi rem totam facilè explicãt,
dum dicunt, opera quidem hominis iusti omnia esse
peccata mortalia, sed tamen non imputari, si adsit fi-
des, & proinde eum, qui habet fidem, simul esse iustis-
simum, & in omni opere peccare. In quo aliquo mo-
do conueniunt Confessionistæ cum Donatistis &
Nouatianis. Vt enim illi non excludebant ab Eccle-
sia omnes peccatores, sed tantùm eos, qui idololatriã
cõmiserant; ita isti non omnes peccatores excludũt,
sed tantùm eos, qui non verè credunt, putant enim,
vt diximus, nullum crimen imputari credentibus.

QVINTA sententia est quasi conflata ex omnibus
istis. Docet enim, Ecclesiam constare ex solis iustis
prædestinatis. Ita Caluinus, qui tria docet. PRIMO,
fidem semel habitam, nunquam in æternum perdi
posse, & proinde omnem, qui habet fidem, necessariò
esse prædestinatum. id habet in Instit lib. 3. cap. 2. §. 8.
9. 10. 11. quod idem antea expressè docuerat Iouinia- B
nus apud Hieronymum lib. 2. contra Iouinianum.
SECVNDO docet, veram Ecclesiam à solo Deo co-
gnosci posse, eiusq; fundamentum esse diuinam ele-
ctionem, quia nimirum constat ex fidelibus, qui ne-
cessariò sunt de numero electorum. id habet lib. 4. c.
1. §. 2. & in minori institutione, c. 8. §. 4. & seq. TER-
TIO docet, esse præterea quandam Ecclesiam exter-
nam, in qua sint boni & mali, &c. vt suprà dixerunt
Confessionistæ. id habet eodem libro & capite, in se-
quentibus sectionibus. Idem etiam sentire videtur
BVCERVS, qui in lib. 1. de regno Christi, cap. 5. definit
regnum Christi, procurationem salutis electorum
Dei, quos Deus in terris colligit. Idem Tilmannus
Heshusius libro de erroribus Pontificiorum, loco 12.
& lib. 1. de Ecclesia, cap. 3.

NOSTRA autem sententia est, Ecclesiam vnã tan-
tùm esse, non duas, & illam vnam & veram esse cœ-
tum hominum eiusdem Christianæ fidei professio-
ne, & eorundem Sacramentorum communione col-
ligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præ-
cipuè vnius Christi in terris Vicarij Romani Ponti-
ficis. Ex qua definitione facilè colligi potest, qui ho-
mines ad Ecclesiam pertineant, qui verò ad eam nõ
pertineant. Tres enim sunt partes huius definitionis.
Professio veræ fidei, Sacramentorum communio, &
subiectio ad legitimum pastorem Romanum Ponti-
ficem. Ratione primæ partis excluduntur omnes in-
fideles tàm qui nunquam fuerunt in Ecclesia, vt Iu-
dæi, Turcæ, Pagani; tàm qui fuerunt, & recesserunt, D
vt hæretici & apostatæ. Ratione secundæ, excludun-
tur Catechumeni & excommunicati, quoniam illi
non sunt admissi ad Sacramentorum communionẽ,
isti sunt admissi. Ratione tertiæ, excluduntur schis-
matici, qui habent fidem & Sacramenta, sed nõ sub-
duntur legitimo pastori, & ideo foris profitentur fi-
dem, & Sacramenta percipiunt. Includuntur autem
omnes alij, etiamsi reprobi, scelesti & impij sint.

Atque hoc inrerest inter sententiam nostram, &
alias oẽs, quòd omnes aliæ requirunt internas virtu-
tes ad constituendum aliquẽ in Ecclesia, & propter-
ea Ecclesiam veram inuisibilem faciunt; nos autem,
& credimus in Ecclesia inueniri omnes virtutes, Fi-
dem, Spem, Caritatem, & ceteras, tamen vt aliquis
aliquo modo dici possit pars veræ Ecclesiæ, de qua
Scripturæ loquuntur, non putamus requiri vllam in-
ternam virtutem, sed tantùm externam professionẽ
fidei, & Sacramentorum communionem, quæ sensu
ipso percipitur. Ecclesia enim est cœtus hominum ita
visibilis, & palpabilis, vt est cœtus populi Romani,
vel Regnum Galliæ, aut Respublica Venetorum.

NOTANDVM autẽ est ex Augustino in breuiculo
collationis, collat. 3. Ecclesiam esse corpus viuum, in
quo est aïa & corpus, & quidem anima sunt interna
dona Spiritus sancti, Fides, Spes, Caritas, &c. Corpus
sunt externa professio fidei, & cõicatio Sacrorum. Ex
quo fit, vt quidã sint de anima & de corpore Eccle-

&

& proinde vniri Christo capiti interius, & exterius; & tales sunt perfectissimè de Ecclesia; sunt.n quasi membra viua in corpore, quamuis etiam inter istos aliqui magis, aliqui minùs vitam participent, & aliqui etiam solum initium vitæ habeant, & quasi sensum, sed non motum, vt qui habent solam fidem sine caritate. RVRSVM aliqui sint de anima, & nō de corpore, vt Catechumeni, vel excommunicati, si fidem & caritatē habeant, quod fieri potest. DENIQVE, aliqui sint de corpore, & non de anima, vt qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in Sacramentis communicāt sub regimine pastorum. & tales sunt sicut capilli aut vngues, aut mali humores in corpore humano.

Definitio igitur nostra solùm comprehendit hūc vltimum modū existendi in Ecclesia, quia hic requiritur vt minimū, vt quis possit dici esse pars visibilis Ecclesiæ. Probandum igitur est ordine, nō pertinere ad Ecclesiam nō baptizatos, hæreticos, & apostatas, excommunicatos, & schismaticos. Deinde pertinere ad Ecclesiam non prædestinatos, nō perfectos, peccatores ēt manifestos, infideles occultos, si habeant Sacramenta, professionem fidei, & subiectionem, &c.

CAPVT III.

De non baptizatis.

DE INFIDELIBVS nō baptizatis sine dubio Paulus loquitur 1. Corin 5 *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* vbi generaliter eos omnes foris esse dicit, qui non dederunt nomina sua Chro p Baptismum, sed aliquas alias religiones sequuntur.

De CHATECVMENIS est paulò maior difficultas, quia sunt fideles, & saluari possunt, si moriantur in eo statu, & tamen extra Ecclesiam nemo saluatur, sicut nec extra arcam Noe, iuxta illud Concilij Lateranen sis, c. 1. *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quā nullus omnino saluatur*. At nihilominus certum est, Catechumenos non esse in Ecclesia actu & propriè, sed tantùm in potentia, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus, & natus, non dicitur homo, nisi in potentia. Nam legimus Actor. 2. *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Item Concilium Florentinum in instructione Armenorum, docet, homines fieri membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ, cùm baptizantur. Idem & Patres docent.

Gregorius NAZIANZENVS oratione in sctm Lauacrum dicit, Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per Baptismum. Ioannes CHRISOSTOMVS hom. 24 in Ioannem, dicit, Catechumenum alienum esse à fideli, & nihil habere commune cum eo, non ciuitatem, non mensam, &c. TERTVLLIANVS libro de præscriptionibus, reprehendit in hæreticis quòd non distinguant Catechumenos à fidelibus. CYRILLVS lib. 12 in Ioan. cap. 50 docet, Catechumenos esse apud Christianos id, quod erant in circumcisi apud Iudæos, qui propterea non poterant vesci agno Paschali. AVGVSTINVS tract. 4. in Ioan. & alibi distinguit Catechumenos à fidelibus. Quod etiam alij Patres faciunt. Constat autem Ecclesiam esse fidelium congregationem.

Denique, Catechumeni non habent ius ad vlla Sacramenta, neque ad alia, quæ sunt communia vniuersæ Ecclesiæ. Nō igitur actu, & propriè sunt Catechumeni de Ecclesia. Quomodo igitur, inquies, saluantur, si sunt extra Ecclesiam? Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 74. apertè respondet, Catechumenos non saluari. Sed hoc nimis durum esse videtur. Certè Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani disertis verbis affirmat, Catechumenos posse saluari, de quorum numero Valentinianus erat, cum de hac vita migraret.

ALIA igitur qua rēda solutio est. Melchior Canus ait, Catechumenos posse saluari, quia etsi nō sunt de Ecclesia, quæ propriè dr Christiana, sunt tn de Ecclesia, quæ comprehendit oēs fideles ab Abel vsque ad mundi consummationē. At non vr satisfacere. Nam post Christi aduentum nulla est vera Ecclesia, nisi illa, quæ propriè dr Christiana; si ergo Catechumeni de ista non sunt, de nulla sunt. RESPONDEO igitur, quod dr, extra Ecclesiam neminem saluari, intelligi debere de ijs, qui neque re ipsa, nec desiderio sunt de Ecclesia: sicut de Baptismo communiter loquuntur Theologi. Quoniam autem Catechumeni si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, ideo saluari possunt. Neque repugnat similitudo arcæ Noe, extra quam nemo saluabatur, etiamsi voto in ea fuisset: nam similitudines non in omnibus cōueniunt. Quocirca 1. Pet. 3. Baptismus comparatur arcæ Noe, & tamen constat, sine Baptismo in re, aliquos saluari.

AT, inquies, Aug. tract. 4. in Ioan dicit Catechumenos esse in Ecclesia; Verum est, sed ibidem separat eos à fidelibus. Voluit ergo dicere, esse in Ecclesia nō actu, sed potentia, quod idem ipse explicuit initio libri secundi de Symbolo, vbi comparat Catechumenos hominibus conceptis, non natis.

CAPVT IIII.

De Hæreticis & Apostatis.

HÆRETICOS & apostatas baptizatos, Alphonsus de Castro lib. 2 de iusta hæreticorum punitione, c. 24. docet esse membra & partes Ecclesiæ, ēt si palam falsam doctrinā profiteantur. Quæ snia, vt est apertè falsa, ita facillimè refutari pōt. Nam PRIMO Scriptura hoc indicat, cùm ait 1. Tim. 1. Quidā circa fidem naufragauerūt. Quo loco per metaphorā naufragij, intelligit hæreticos fracta vna parte nauis Ecclesiæ, ex ea in mare decidisse. quod ēt significatur illa parabola Dni de reti, quod præ multitudine scindebatur, Lucæ 5. PRAETEREA ad Tit. 3. *Hæreticū hominē post vnam & alteram correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Vbi Apostolus Epo præcipit, vt hæreticum vitet, quod certè non iuberet, si esset intra Ecclesiam. Debet.n. pastor non vitare, sed curare eos, qui ad suum gregem pertinent. Et addit rōnē, quia talis pertinax hęreticus est, proprio iudicio condemnatus, i (vt Hieronymus exponit) non est eiectus ab Ecclesia per excōicationē, vt multi alij peccatores. sed ipse seipsum ab Ecclesia eiecit. Itē 1. Io. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*; id est, ex nobis exierunt, quia erant nobiscū in eadē Ecclesia, sed non erant ex nobis, fm diuinam electionem, vt Augustinus exponit lib. de bono perseuer. cap. 8.

SECVNDO, probatur hoc idem ex c. 8. & 19. Concilij Nicæni, vbi hæretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redire velint, cum certis tamen conditionibus. Item ex Concilio Lateranensi, vnde constat cap Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, vbi Ecclesia dicitur fidelium congregatio. Constat enim hæreticos nullo modo esse fideles.

TERTIO, ex Patribus, IRENAEVS lib. 3. ca. 3. dicit, Polycarpum multos hæreticos ad Ecclesiam conuertisse. ex quo sequit, eos antea fuisse de Ecclesia egressos TERTVLLIANVS lib. de præscriptione dicit, Marcionem cùm ad Ecclesiam redire veliet, conditionē accepisse. vt ceteros, quos peruerterat, Ecclesiæ restitueret. CYPRIANVS in epistola ad Iubaianum, dicit, hæreticos cùm sint extra Ecclesiam, tamen vendi-

care sibi Ecclesiæ auctoritatem more similarum, quæ cùm homines non sint, tñ homines videri volunt.

HIERONYMVS in Dialogo contra Luciferianos, circa finē: *Si ubi audieris*, inquit, *eos qui dicūtur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vt puta Marcionistas, Valentinianos, Montēses, siue Campenses, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* AVGVSTINVS lib. 4. contra Donatistas, c. 10. dicit, interdum accidere, vt hæreticus foris existens non agat contra Ecclesiam, & Catholicus intus existens contra Ecclesiam agat, &c. Et lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 4. *Qui non credunt*, inquit, *Christum in carne venisse, de Virgine Maria, ex semine Dauid, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, non vtique sunt in Ecclesia, &c.*

Accedit postremò, quod cùm Ecclesia sit multitudo vnita (est enim populus quidam, siue regnum, siue corpus vnū) & ista vnio præcipuè in professione vnius fidei, & earundem legum ac rituum obseruatione consistat; nulla ratio permittit, vt eos de Ecclesiæ corpore esse dicamus, qui cum eo nullam omnino coniunctionem habent.

AT CONTRA obijciūt aliqui. PRIMO, quia Matt. 13. in parabola de zizanijs, in eodē agro inueniuntur tria, granum, paleæ, & zizania, quæ significant bonos Catholicos, & malos Catholicos & hæreticos, vt Augustinus exponit q. 11. super Matthæum, & Hieronymus & Chrysostomus in hunc locum. Quòd autem ager sit Ecclesia, docet Cyprianus lib. 3. epist. 3. & Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 34.

RESPONDEO, aliqui intelligunt per zizania non hæreticos, sed homines malos, qui sunt in Ecclesia. ita Cyprianus loco notato, & lib. 4. epist. 2. & Augustinus sæpe, nō tàm ex sua sententia quàm ex Cypriani mente loquens. Quòd autem Cyprianus per zizania non intelligat hæreticos, inde intelligi potest, qđ in illis ipsis locis vbi dicit, zizania esse in Ecclesia, dicit, hęreticos non esse in Ecclesia, & præterea ex intentione Cypriani, qui in illis locis scribit contra Nouatianos, qui nolebant admittere lapsos pœnitētes in Ecclesiam, metuentes, ne communicarent peccatis aliorum: quibus Cyprianus ostendit ex parabola Domini, in Ecclesia non solùm esse homines fortes, sed etiam imbecilles, qui aliquando labuntur, sicut in agro simul cum frumento sunt etiam zizania.

At licet hæc expositio non sit contemnenda, neq; nobis contraria, melius tamen respondetur cum Augustino q. 11. super Matthæum, per agrum non significari Ecclesiam, sed mundum vniuersum. Dominus enim exponēs parabolam ait, ager est mundus. Porrò nomine zizaniorum, etsi rectè intelliguntur hæretici, tamen fortè magis ad literam intelligeremus omnes malos in genere, siue sint hæretici, siue non. Scopus enim parabolæ est, ostendere semper in mundo futuros aliquos malos, nec posse vlla humana diligentia mundum purgari ante diem iudicij. Vnde Dominus ait, zizania esse filios nequam, & illos omnes, qui tandem in ignem æternum deijcientur.

SECVNDO, obijciunt illud 2. Tim. 2. *In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia.* Vbi nomine domus videtur Paulus intelligere Ecclesiam, & nomine vasorum ligneorū & fictilium, hęreticos. Dixerat enim paulò antè: *Quorum sermo, vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt.* Nomine autem domus intelligi Ecclesiam, docet Cyprianus lib. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2. & Ambrosius in commentario huius loci, & Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 12.

RESPONDEO, varias hic esse veterū expositiones. VNA est Græcorum, Chrysostomi & Theophylacti, qui nomine domus non intelligunt Ecclesiam, sed mundum, sicut diximus de agro, in quo sunt zizania.

ALTERA est Latinorum, Cypriani, Ambrosij, Augustini, qui nomine domus intelligunt Ecclesiam; & licet Augustinus & Ambrosius per vasa lignea & fictilia velint significari hæreticos; tñ Augustinus idem explicat lib. 3. de Baptismo, c. 19. quomodo sit intelligendum, eos esse in Ecclesia, vbi dicit, eos esse in Ecclesia antequam per obstinationem & pertinaciam separentur, & ad hoc tempus respexisse Apostolum; ita vt non tàm hæretici, quàm errantes dicantur esse in Ecclesia. Addit etiam, posse dici, eos esse in Ecclesia, postquam exierunt, propter Sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quædam Sacramenta verè administrant. quod est dicere, eos esse in Ecclesia secundum aliquid, non simpliciter. Ambrosius aût accipit Ecclesiam largo modo, & magis vulgari, quàm proprio, prout videlicet eos oēs complectitur, qui quouis modo nominantur Christiani. Ad quē modum Pagani dicere solent, in cœtu Christianorum multas esse dissentientes opiniones ac sectas.

At secundum Cyprianum (cuius expositionem veriorem puto) per vasa lignea & fictilia nō intelliguntur hæretici, sed infirmi fideles, ac debiles, qui facilè seducuntur. Quod n. ait Apostolus; In magna domo sunt vasa aurea, &c. non refertur ad illud; quorum sermo, vt cancer serpit, ex quibus sunt Hymenæus & Philetus; qui à veritate exciderunt: sed ad illud; Et subuerterunt quorundam fidem. Vult enim Apostolus dicere, quod si illi quosdam subuerterunt, non propterea periculum est, ne omnes subuertantur. Nā in Ecclesia sunt fortes, & sunt debiles, &c.

SED, INQVIES, Augustinus, qui intelligit per vasa lignea & fictilia hæreticos, dicit, se permotum ad hoc sentiendum ex verbis Cypriani in epistola ad Antonianum, quæ est secunda lib. 4. RESPONDEO, Augustinum existimasse à Cypriano referri illa verba Apostoli: *In magna domo sūi vasa aurea, &c.* ad illa: *Quorum sermo, vt cancer serpit*, sicut ipse referebat. Ceterùm Cypriani verba nihil tale sonāt; & sanè Cyprianum non voluisse dicere, hæreticos esse in Ecclesia, patet ex eadem epistola, vbi apertè dicit, Nouatianū, quia hæreticus est, extra Ecclesiam esse.

Argumentum TERTIVM, hæreticos Ecclesia iudicare & punire potest, igitur sunt intus: *Nam quid mihi est*, inquit Paulus, 1. Cor. 5. *de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Præterea hæretici retinent characterē Baptismi, & sacerdotij, igit sunt Christiani, & Sacerdotes.

RESPONDEO, hæreticos, licet nō sint de Ecclesia, tamen debere esse, & proinde ad eam pertinere, vt oues ad ouile, vnde fugerunt. Sicut solet dici, ista ouis est illius ouilis, quando tamen vagatur extra ouile. Potest autem Ecclesia iudicare de ijs, qui re ipsa intus sunt, vel certè esse debent, sicut pastor reuera potest ouem, quæ extra ouile errat per montes, cogere iterū ad ouile: & Imperator potest desertorem militiæ, qui transfugit ad castra hostium, vi cogere ad sua castra, aut etiam suspendere. Apostolus autem loquitur de ijs, qui ita foris sunt, vt nunquam fuerint intus.

Ad illud de charactere dico, hæreticos retinere extra Ecclesiam characteres illos indelebiles, sicut retinent oues perditæ characterem inustum in dorso, & desertores militiæ signa militaria: sed nō ppea sunt de Ecclesia, quia non sufficiunt characteres illi ad cōstituendū aliquem in Ecclesia; alioqui et in inferno esset Ecclesia. Et tñ S. Tho. 3. par. q. 8. art. 3. dicit, damnatos nec actu, nec potentia esse membra Chri. Præterea, non propriè vnit character hominem cum capite, sed est signum potestatis & vnionis cuiusdam, & ideo in inferno, illo signo cognoscentur, quæ fuerunt membra Chri. Quòd aût non vniat, patet; nam nō vnit exterius, cùm sit res inuisibilis: nec interius, cùm non sit actus, nec habitus operatiuus. Vnde B. Thomas primam vnionem internam ponit in fide.

CA-

CAPVT V.

De Schismaticis.

DE SCHISMATICIS nonnulli Catholicorum dubitant, an sint de Ecclesia: immò esse eos de Ecclesia affirmat Alphonsus de Castro loco notato. Sed facile est contrarium ex sacris litteris, & Patrum traditione docere. Nam imprimis cùm dicitur Lucæ 5. scindebatur aût rete, per scissionem retis, & egressionem piscium ex rete intelliguntur schismatata Ecclesiæ & egressio hæreticorum & schismaticorum de Ecclesia, vt exponit Augustinus tract. 122. in Ioannẽ.

Præterea Scriptura vocat Ecclesiam: *Vnum ouile*, Ioan. 10. *Vnum corpus*, Ro. 12. *Vnam sponsam, vnã amicam, vnam columbam*, Cant. 6. Schisma autem scindit id, quod erat vnum in partes, vt patet ex ipso noie. Nã σχίζειν scindere est, & σχισμὴ scissura: ergo schismatici non sunt in Ecclesia, nec de Ecclesia. Nam pars, scissa à corpore, non est amplius pars eius corporis. Vnde pulchrè Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ dicit, Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quæ scissa non fuit, vt intelligeremus Ecclesiam scindi posse, sed non eo modo, quo scinduntur vestes, ita vt omnes partes æquè maneant partes vestis: sed quo modo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore viuẽte, & riuus à fonte, qui mox aresci t, fonte fluente; & radius à Sole, qui continuo deficit, Sole, vt erat, permanente. Vel si contendas, partem scissam ab Ecclesia, esse etiã Ecclesiam quandam, multas Ecclesias facies, quod est contra Scripturas paulò antè notatas.

Probatur SECVNDO ex decretis Pelagij Papæ, qui ex professo probat, schismaticos non esse de Ecclesia, 24. q. 1. can. pudenda, & can. schisma. Accedit ẽt testimonium totius Ecclesiæ, quæ in Parasceue orat pro hæreticis & schismaticis, vt eos Deus ad Ecclesiam Catholicam reuocare dignetur. Quod certè nõ faceret, si eos in Ecclesia esse crederet. Huc ẽt pertinet testimonium Catechismi Romani, cuius non est exigua auctoritas in Ecclesia Dei. Disertis autem verbis Catechismus prædictus in explicatione Symboli Apostolici, schismaticos ab Ecclesia separat.

Probatur TERTIO ex Patribus. IRENAEVS lib. 4. cap. 62. posteaquam dixerat in superioribus capitib⁹, virum spiritualem iudicare omnes hæreticos & schismaticos, & enumerat in particulari multas hæreses, & subiunxerat de schismate propriè dicto, concludit in summa. *Iudicabit*, inquit, *omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est, extra Ecclesiam.* S. CYPRIANVS lib. 4. epist. 9 ad Florẽtinum Pupianum: *Ecclesia*, inquit, *est plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærẽs. vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiã in Episcopo, & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse, &c.* At certè schismatici cum Episcopo non sunt, igitur nec in Ecclesia sunt.

CHRISOSTOMVS hom. 3. in epistolam primam ad Corinthios: *Schismatis*, inquit, *significantia satis eos arguit, vel potius satis est eius appellatio, quæ vehementer eos tangat. Nõ enim plures integræ partes factæ sunt, sed vna periit. Siquidem integris Ecclesiis multas eas constituerent.* Et homil. 11. in epistolam ad Ephesios docet, schismaticos similes esse manui à corpore præcisæ, quæ mox desinit esse membrum: & ibidẽ dicit, schismaticos in altera esse Ecclesia, licet in fide & dogmatibus cum vera Christi Ecclesia consentiant.

HIERONIMVS in cap. 1. Amos *Schismatici*, inquit, *separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei: tamen hoc nõ faciunt crudelitate, qua hæretici, &c.* Et in c. 3. ad Tit. *Inter hæresim*, inquit, *& schisma hoc interesse arbitramur, q̃ hæresis peruersum dogma habeat: schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet.* Vbi nota illud: *Pariter.* AVGVSTINVS lib. de Fide & Symbolo, c. 10. *Credimus*, inquit, *& sanctã Ecclesiam, vtiq; Catholicam: na & hæretici, & schismatici congregationes suas Ecclesias vocant: sed hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fide violant, schismatici aût discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamuis ea credant, quæ credimus. Quàpp nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quoniam diligit Deum, nec schismaticus, quoniã diligit proximũ.*

OPTATVS lib. 1. contra Parmenianum, de schismaticis loquens: *Deserta*, inquit, *matre Catholica, impij filij dum foras excurrunt, & se separant, vt vos fecistis, a radice matris Ecclesiæ inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.* Et lib. 2. cõparat schismaticos cum ramis riuulis, & radijs præcisis ab arbore, fonte, sole. FVLGENTIVS de Fide ad Petrum, c. 38. & 39. *Firmissimè tene*, inquit, *& nullatenus dubites, non solum Paganos, sed ẽt Iudæos, hæreticos, & schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam, præsentem finiunt vitam, in ignem æternũ ituros.* Deniq; idẽ habent THOMAS VValdẽsis tom. 1. lib. 2. c. 9. doctrinalis fidei antiquæ, Ioãnes DRIEDO lib. 4. de Scripturis & dogmatibus Ecclesiasticis, c. 2. p. 2. & alij ex recentioribus.

Probatur VLTIMO rõne; nam de rõne Ecclesiæ est, vt sit vna vnione membrorum inter se, & cũ suo capite; hanc aût vnionem schismaticus tollit, dum se à cõione capitis, & aliorum membrorum separat. Qđ aût vnitas essentialis Ecclesiæ consistat in illa cõiunctione membrorum inter se, & cum capite, probat; nam multiplex vnitas inuenitur in Ecclesia. PRIMA est vnitas rõne eiusdem principij, i. Dei vocãtis, Io. 6. *Nemo venit ad me, &c.* SECVNDA vnitas rõne eiusdem vltimi finis, quod significatum est Matth. 20. in illo vno denario oĩbus operantibus promisso. TERTIA est ratione eorundem mediorum, i. Fidei, Sacramentorum, Legum, iuxta illud Ephes. 4. *Vna Fides, vnum Baptisma.* QVARTA est ratione eiusdẽ Spiritus sancti, à quo tanquam externo & separato Rectore vniuersa Ecclesia gubernatur, 1. Cor. 12. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* QVINTA est ratione eiusdem capitis, tanquam interni, & coniuncti Rectoris; oĩs. n. Ecclesia eidem Chro, & eius Vicario tanquã capiti paret, Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnẽ Ecclesiam*, Et Ioan. vlt. *Simon Petre, pasce oues meas.* SEXTA est ratione connexionis membrorũ inter se, & præcipuè cũ capite, vt est principale mẽbrũ, Rom. 12. *Vnum corpus sumus, alter alterius membra.*

Iam verò inter has vnitates, illæ, quæ faciunt propriè Ecclesiã vnam, sunt duæ vltimæ nam per primã, Ecclesia non tàm est vna, quàm ex vno. Per secundã, non tã est vna, quàm ad vnũ. Per tertiã, non tam est vna, quàm per vnum. Per quartã, non est tã vna, quã sub vno. Per quintã & sextam, propriè est vna, id est, vnum corpus, vnus populus, vna societas. SCHISMA aût opponitur his vnitatibus postremis; tũc enim est schisma, quando vnum membrum non vult amplius esse membrũ illius corporis, nec sub illo capite; quare tollit vnitatem essentialem, atque Ecclesiam ipsam. Schismaticus igitur non est de Ecclesia.

At obijciunt PRIMO, Ecclesia est Catholicorum congregatio, vt Papa Nicolaus definiuit de consecr. dist. 1. can. Ecclesia: At schismatici sunt Catholici, igit sunt de Ecclesia. RESPONDEO primò, schismaticos etsi fidem Catholicam habeant, tñ non propriè dici Catholicos, nisi eã fidem in Ecclesia Catholica profitent, vt patet ex Augustino & Optato locis notatis. Scdò dico, non esse plenã definitionẽ Nicolai Papæ; neque n. voluisse definire Ecclesiã, sed tñ excludere hæreticos ab Ecclesia. Sicut ẽt Innocentius fecit, cũ ait, Ecclesiam esse fidelium cõgregationem, cap. Firmiter, de summa Trinitate & Fide Catholica.

SECVNDO obijciunt. Schismatici etsi nolint subesse

„ Pontifici, tñ volunt subesse Chro summo capiti; & li- A
„ cet nolint cõicare huic Ecclesiæ, quæ est in terris, tñ
„ volunt cõicare Ecclesiæ, quæ est in cęlis, quæ est me-
„ lior pars Ecclesiæ, non igitur tollunt Ecclesiæ vnita-
„ tem, nec sunt absolutè extra Ecclesiam. Et confirmat
„ argm̃ à simili. Nam si quis non vellet esse sub Episco-
„ po suo particulari, nec cõicare cum Ecclesia particu-
„ lari, quæ sub illo Episcopo est, & tamẽ vellet esse sub
„ Romano Pontifice, & communicare cum Ecclesia
„ vniuersali, is non posset dici esse extra Ecclesiam.

Respondeo, neminẽ posse, ẽtsi velit, subesse Chri sto, & cõicare cũ Ecclesia cęlesti, qui non subest Pon tifici, & non cõicat cum Ecclesia militante. Christus .n. ait: *Qui vos audit, me audit*, Lucæ 10. Et præterea, vt Christus est summum caput, quoad influxum in- B teriorem; ipse. n. influit in sua membra sensum & mo tum. i. fidem & caritatem: ita Papa in Ecclesia militante est summum caput, quoad influxum exteriorẽ doctrinæ fidei, & Sacramentorum. Ecclesia quoque triumphans vnita est, imò potius vna est cum militante, & proinde nemo potest velle separari ab vna, quin separetur ab altera.

Ad confirmationẽ sim̃ rñdeo, eum, qui separat se ab Ecclesia & Epo particulari, necessario separari ab Ecclesia & Epo vniuersali; nisi fortè ideo se aliquis separet ab Ecclesia & Epo particulari, q illa Ecclesia & ille Epus hæretici aut schismatici sint. Rectè enim Cyprianvs lib. 4. epist. 9. *Frustra*, inquit, *sibi blãdiun tur ij, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, cùm Ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non* C *sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & cohærentium sibi inuicem Sacerdotum glutino copulata.*

CAPVT VI.

De Excommunicatis.

De Excommvnicatis, quòd in Ecclesia non sint, docent Catechismus Romanus in explicat. Symboli, Thomas V Valdensis tom. 1. lib. 2. cap 9. doctr. fid. antiquæ; Ioannes de Turrecremata lib. 1. c. 3. Summę de Ecclesia; Ioãnes Driedo lib. 4. c. 2. p. 2. de Scriptura & dogmatibus Ecclesiasticis, & alij nõnulli. Et probatur Primo ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Vbi Dñs de excõicatis loquitur fm omnium exposi- D tionem. At Ethnici non sunt de Ecclesia. Item ex illo 1. Cor. 5. *Cur non magis luctũ habuistis, vt tollatur de medio vestri, q. hoc opus fecit?* Et infrà: *Nescitis, q. a modicũ fermentum totã massam corrumpit?* Item: *Auferte malum ex vobismetipsis, &c.* Quibus oĩbus verbis describit Apostolus, quid sit excõicari. Iubet enim ex communicari eum, qui vxorem patris sui habuerat.

Secvndo, probat̃ ex Iure canonico, 11. q. 3. can. Canonica: *Canonica instituta & sanctorũ Patrũ exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus.*

Tertio, ex Patrib⁹, Evsebivs lib. 5. historię, c. 24. narrans, quemadmodum Victor Papa excõicauerat oẽs Asianos: *Litteras*, inqt, *mittit, quib⁹ omnes simul* E *absq; discretione ab Ecclesiastico fœdere segregaret.* Et infrà *Irenæus*, inquit, *Victorem arguit, quòd non rectè fecerit, abscindere à corporis vnitate tot & tantas Ecclesias Dei.* Epiphanivs hæres. 42. quę est Marcionis, loquens de Marcione, qui antequam esset hęreticus, virginitatis professor erat, & tamen corrupit mulierem, quę virginitatem quoque profitebatur, & ideo à patre suo excommunicatus fuit: *A proprio*, inquit, *patre ab Ecclesia ejicitur. Erat enim pater ipsius propter excellentem pietatem illustris, & in Episcopatus ministerio honestè viuens perseuerabat.*

Hilarivs in cap. Matth. 18. in illud: *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, dicit, Deum sic egisse cũ populo Israel, vt Christus monet agendũ. Primo enim corripuit populum inter se & ipsum solum, quando apparuit illis cum maiestate in monte Sinai. Secvndo, adhibuit secum duos testes, id est, Legem & Prophetas, Tertio, dixit Ecclesię, id est, misit Christum summum Pręsulem Ecclesię, qui Iudęos obiurgaret. Vltimo, cùm illi Ecclesię Pręsulem non audirent, neglexit eos, ac deseruit, vt Ethnicos & Publicanos. Quibus verbis ostendit, fieri sicut Ethnicum & Publicanum, quod fit per excõicationem, esse, eijci de populo Dei, & non amplius à Deo gubernari peculiari illa prouidentia, qua gubernatur Ecclesia.

Chrysostomvs & Theophylactus in hunc locũ, exponunt, eijci de Ecclesia, quod hic dr̃, fieri vt Ethnicum & Publicanum. Hieronymvs in cap. 3. ad Titum, dicit, alios peccatores per Episcoporum excõi cationẽ propelli extra Ecclesiam, quo per seipsos spontè eunt hęretici & schismatici. Avgvstinvs libro de vnitate Ecclesiæ, c. vlt. dicit, excommunicari esse visibiliter pręcidi à corpore Ecclesię. Item libro de correptione & gratia, c. 15. dicit, per excommunicationẽ separari ab ouibus sanis morbidam, ne per plures serpant dira contagia. Citatur enim ex Augustino hæc sniã, 11. q. 3. can. Omnis. *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excõicatur, Satanæ traditur. Quomodo? q. a scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Cui subscribit Anselmus, qui in cap. 5. primę ad Cor. dicit, tradere hominem Satanę, esse per ex- C communicationem eum de Ecclesia pellere.

Probatur Vltimo ratione. Primo, per excõicationem priuantur homines omni commercio spirituali, quod habẽt homines Ecclesię inter se, vt docet Tertullianus in Apologetic. c. 39. igitur non sunt amplius in cœtu Ecclesię. Quid. n. est, ciuem aliquem priuari ciuitate, nisi priuari omni commercio, quod est inter homines illius ciuitatis? Secvndo, excommunicatio eum locum habet in Ecclesia, quẽ pœna mortis habebat in Testamento veteri, & quem habet in temporalibus Rebuspublicis: at per mortem separantur hoĩes planè à tota Republica. Augustinus q. 39. in Deuter. *Hoc*, inquit, *nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Vbi confert quod dicebatur Deut. 24. *Auferes malum de medio tui.* cũ eo, quod dicit Apostolus 1. Cor. 5. *Auferte malum ex vobis ipsis.* Tertio, nulla est pœna grauior, quã Ecclesia infligere possit, excommunicatione, vt B. Augustinus docet libro de correptione & gratia, c. 15. ergo per excommunicationem ejicitur homo de Ecclesia. Nam grauius est projici de Ecclesia, quàm quęlibet pœna, quę de manentibus in Ecclesia sumit̃. Qvarto, excommunicatio non potest ferri, nisi in contumaces & incorrigibiles, vt B. Augustinus docet lib. de vera religione, c. 6. Et idem etiam omnes Theologi deducunt ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Igitur excommunicatio est ejectio de Ecclesia; si enim excommunicatio esset pœna aliqua infra ejectionem, ferretur etiam quandoque in homicidas, adulteros, & alios facinorosos, licet non contumaces. Adde, quod cùm absolountur excommunicati, dicitur: *Restituo te vnitati Ecclesiæ, & membrorum participationi.* Quod signum est perspicuum, excommunicatum separatum fuisse ab Ecclesię vnitate.

At contrà obijciunt. Primo, potest homo excom „
municatus retinere Baptismum, fidei professionem, „
& subiectionem Prętatis legitimis, atque adeò esse „
amicus Dei, si nimirum sit iniustè excommunicatus, „
potest etiam iustè excommunicatus, pœnitentiã age- „
re, & habere illa tria antequam absoluatur; igitur in „
Ecclesia erit, etiam manens excommunicatus.

Re-

RESPONDEO, talem esse in Eccla aïo, siue desiderio, qđ sufficit illi ad salutem, non tñ esse corpore, siue externa cõicatione, quæ propriè facit hoiem esse de Ecclesia ista visibili, quæ est in terris. Augustinus lib. de vera religione, c. 6. *Sæpe etiam sinit diuina prouidẽtia expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quã contumeliam, vel iniuriã suam cùm patientissimè pro Ecclesiç pace tulerint, neq; vllas nouitates, vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebũt hoies quã vero affectu, & quanta sinceritate caritatis Deo seruiendum sit. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.*

SECVNDO obijciunt, quia August. lib. contra Donatistas, post collationem, c. 20. dicit: *Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locũ redigimus.*

RESPONDEO, suspicor locum esse corruptũ, & sic legendum esse; Neque. n. à populo Dei nõ separemus. Nã statim sequitur: *Et vbi hoc facere, pacis & tranquillitatis Ecclesiæ gratia nõ permittitur, nõ tamen ideo Ecclesiã negligimus. sed toleramus quæ nolumus, vt perueniamus quo volumus, vtentes cautela prçcepti Dominici, ne cùm voluerimus ante tempus colligere zizania, simul eradicemus & triticum.* Quòd si locus hic non sit corruptus, rñderi potest, per ppl'm Dei hoc loco non intelligi solam Ecclesiam militantẽ, sed absolutè numerũ oium saluandorũ; siue sint in Ecclesia, siue esse possint. Non enim per excõicationem intendũt Pastores separare homines à numero saluandorum, sed potius ea correptione iuuare eorum salutem.

TERTIO, excõicatio est medicina quædam spiritualis instituta in vtilitatem eorum, qui excommunicantur. Vnde Apostolus 2. ad Thess. vlt. ait: *Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamus cum illo, vt confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrem.*

RESPONDEO, excõicatio etiamsi abscindit hoiem ab Ecclesia, tñ non aufert potentiã, vt non possit iterum inseri in Ecclesiam is, qui præcisus est, si pœnitentiam agere velit. Idcirco Ecclesia per excommunicationem separat quosdam à suo corpore, sed in vtilitatem eorum, quia cupit eos illa confusione humiliari, & humiliatos iterum in suum corpus recipere.

CAPVT VII.

De Prædestinatis.

IAM VERO, quod non soli prædestinati, sed etiam reprobi ad Ecclesiam pertinere possint, contra VViclefum, & Hus, & Caluinum, probatur PRIMO ex parabolis Domini apertissimis. Comparatur enim Ecclesia Matth. 3. areæ: *Permundabit*, inquit, *aream suam, & congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Certè noie areæ non potest intelligi, nisi Ecclesia, in qua tñ inueniuntur paleæ, quæ si comburentur igni inextinguibili, certè non significant electos. ITEM Matth 13. comparatur sagenæ missæ in mare, ex omni gñe piscium congreganti, quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis, qui certè non erant de prædestinatis.

Item Matth. 22. comparatur conuiuio nuptiali, ad quod intrauerunt boni & mali, & postea mali nõ habentes vestem nuptialem, proijciuntur in tenebras exteriores, & ideo concludit Dñs: *Multi sunt vocati, pauci verò electi;* id est, multi sunt in Ecclesia, quæ est euocatio quædam, siue cœtus vocatorum, qui tñ non sunt de electis. ITEM Matth. 25. comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes intrabunt in die iudicij cum sponso ad nuptias, quinque fatuæ excludent. Et ibidem cõparat ouili, in quo sunt oues & hædi; & illæ, Dño ipso explicante, significant electos, isti reprobos. Primę ad Corinthios quinto, Paulus iubet expelli de Ecclesia incestuosum, & tamen non poterat illum facere reprobum ex prædestinato, imò nec volebat; nam eiecit illum, vt humiliatus rediret, & saluus fieret in die Domini; vt ibidem dicitur. ITEM 2. Timoth. 2. *In magna autem domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam.* Nec dubium esse videtur, quin vasa in gloriam sint electi, vasa in contumeliam reprobi, etiamsi in eadem domo sint.

Confirmatur hoc idem ex CYPRIANO lib. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2. qui apertissimè docet, in eadem Ecclesia esse triticũ, & zizania, & vasa aurea, & lignea, cùm certum sit, zizania comburenda, & lignea vasa esse in contumeliam. Item ex AVGVSTINO, qui tract. 45. in Ioan. *Secundum præscientiam*, inquit, *& prædestinationem, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus?* Vbi prædestinatos multos dicit esse extra Ecclesiam, & reprobos multos intra Ecclesiam, quod idem repetit lib. 2. contra Cresconium, cap. 34.

ACCEDANT prçterea exempla Pauli & Iudæ. Nã Ioannes Huss dicebat, Paulum semper fuisse de Ecclesia, Iudam nunquam fuisse de Ecclesia. Ipse autẽ Paulus 1. Timoth. 1. ad Gal. 1. & 1. Cor. 15. affirmat, se persequutum esse Ecclesiam Dei, & idem de eo affirmat Lucas Actorum 9. Quæro igitur, vel illa Ecclesia, quam Paulus persequebatur, erat vera Dei Ecclesia, vel non: si vera, igitur Paulus aliquando non fuit membrum veræ Ecclesiæ. Quomodo enim erat de illa Ecclesia, quam totis viribus oppugnabat? si non erat illa vera Ecclesia, ergo mentiuntur Paulus & Lucas, cùm eam absolutè Dei Ecclesiam vocant.

Quare B. AVGVSTINVS serm. 1. de cõuersione S. Pauli, rectè docet, Paulum licet prędestinatum, prius fuisse lupũ, deinde ouem. Et CHRISOSTOMVS hom. 6. in secundã ad Timotheũ, dicit, Paulum fuisse vas fictile, sed esse versum in aureum; & Iudam fuisse vas aureum, sed conuersum in fictile. PORRO Iudas reprobus erat, vt patet ex Actis Apostolorum primo, & tñ de vera Ecclesia aliqñ fuit; nam, vt dr ibidem, fuit Apostolus ex duodecim, & Eps vocatus à Dauid Propheta, Psal. 108. quę non possunt esse vera, nisi aliqñ de Ecclesia fuerit. Vnde Augustinus in Psal. 3. dicit, Iudam filium Christi fuisse, & tamen persequutum esse patrem suum, quomodo Absalon persequebatur Dauidem. Et lib. de vnitate Ecclesię, c. 13. dicit, Iudã in Ecclesia fuisse, in qua erant ceteri Apostoli.

ACCEDAT quoque rõ; nam si sola prædestinatio facit hoiem esse de Ecclesia, sequitur, Turcas, Iudęos, Hæreticos, & quoslibet impios, si prędestinati sint, nunc esse de Ecclesia, & viua membra Christi: & cõtrà, quoslibet sanctos & pios baptizatos, si non sint prędestinati, nõ esse de Ecclesia, nec de corpore Christi: at vtrumque est falsissimum & contra expressas Scripturas. Nam q̃ non baptizati, & hęretici nõ sint de Ecclesia, suprà ostendimus: q̃ autem impij nõ sint viua membra, dr Rom. 8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, nimirum viuum membrum. Quòd autem impij non habeant Spiritum Christi, sed spiritum diaboli, patet ex operibus eorum. Non enim sunt patiẽtes, casti, &c. quæ sunt opera Spiritus; sed sunt adulteri, homicidę, blasphemi, &c. quę sunt opera carnis; ad Gal. 6. E contrario autem, quòd omnes pij baptizati sint mẽbra Chri, habetur 1. Cor. 12. *Omnes nos vno Spiritu in vnum corpus baptizati sumus.* Et Galat. 3. *Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu; quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et tamen non est credibile, omnes Corinthios & Galatas fuisse prędestinatos.

Denique AVGVSTINVS in epistola ad Dardanum: *In compagem*, inquit, *Christi tanquam in viuam structuram templi Dei, quæ est Ecclesia, nati homines non ex operibus iustitię, quæ fecerunt, sed renascendo per*

gratiam transferuntur, tanquam de massa ruinæ ad ædificij firmamentum. Et lib.2. contra Cresconium, cap.21. ostendens impios non pertinere ad membra viua Christi: *Absit*, inquit, *vt intrare possint limites horti conclusi, cuius ille custos est, qui non potest falli: qui tamen si confitentur, & corriguntur, tunc intrant, tunc mundantur, tunc in arboribus horti conclusi, tunc in membris vnicæ columbæ numerantur.*

Probatur VLTIMO ex incõmodis: nã si soli prædestinati essent de Ecclesia, oĩa essent incerta. nam nemo tunc cognosceret fratres suos, & nec pastores cognoscerent oues suas, nec ab illis cognoscerentur: cũ nemo sciat q̃ sint p̃destinati: & præterea nemo sciret, q̃ sint verę Scripturę, q̃ vera Sacra, quę vera fides, &c. omnia enim pendent ex testimonio verę Ecclesię.

» At contrà obijciunt, PRIMO, illud Cant.4. *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuentis, &c.* » quę sine dubio dñr de Ecclesia; & tñ exponit Augu- » stinus illa oĩa de solis electis, lib.5. de baptismo, c.27.

Rñdeo PRIMO, sępe Scripturam per figuram intellectionis attribuere aliquid toti, quod solũ conuenit parti, sicut Matth.27. dñr latrones, qui erant cum Dño crucifixi, blasphemasse contra eum, cùm tñ cõstet ex Luc.23. vnum tñ eorũ blasphemasse. Phil.2. *Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Et tñ tales nõ erant permulti sancti, qui nunc viuebant, & præcipuè Philippenses. SECVNDO dico, quę dñr in Canticis de sponsa, non necessariò intelligenda esse de Ecclesia. Quidam.n. ea intelligunt de Ecclesia, quidam de B. Virgine, quidã de qualibet aĩa perfecta, quod probabilius vr̃. nam cap.6. dr̃: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. una est columba mea, perfecta mea, una est matri suę, electa genitrici suę.* Quo loco si per vnicam illam sponsam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per reginas, concubinas, & adolescentulas, quas oẽs fouet sponsus & diligit? igitur per matrem intelligitur Ecclesia, per reginas, concubinas, & adolescentulas intelliguntur aĩę imperfectiores, fideles tñ & bonę. Dr̃ enim cap.1. *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.* at per vnicam, perfectam, sponsam & columbam, intelligitur anima perfecta. Sic ẽt in eo quod dr̃.c.2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Si per amicã intelligas Ecclesiam, quid intelliges per ceteras filias? num congregationẽ infidelium? absit. loquitur de anima perfecta, quę inter multas peccatrices in eodem horto Ecclesię commoratur. Augustinus epist.48. *Dicuntur*, inquit, *spinę propter malignitatem morum, dicuntur filiæ propter communionem Sacramentorum.*

» Argm SECVNDVM, Arca Noe figura fuit Ecclesię, » vt Augustinus docet lib.5. de Baptismo, cap.vlt. at in » Arca Noe non fuerunt nisi qui saluandi erant ex a- » quis, ergo in Ecclesia non sunt nisi prędestinati.

RESPONDEO, similitudines non in oĩbus conuenire, alioqui oĩs baptizatus esset ẽt prędestinatus, qa 1.Pet.3. comparatur Baptismus cum Arca Noe, & nõ solùm boni, sed ẽt mali saluarentur, quia in Arca saluata sunt aĩalia munda & immunda. in eo igit̃ Arca cõuenit cum Ecclesia, q̃ sicut extra Arcam nemo saluari potuit, ita nec extra Ecclesiam, vt Augustinus loco notato, Cyprianus lib. de vnitate Ecclesię, & Hieronymus in epistola ad Damasum, de tribus hypostasibus, docent. nec est quærenda alia similitudo.

» Argumentum TERTIVM. Christus non est caput, » nisi eius Ecclesię, quam saluabit, & quam exhibebit » sibi in die iudicij gloriosam, non habentem macu- » lam, aut rugam, vt dicitur Ephes.5. at soli prędestina- » ti erunt salui, & glorioſi, igitur soli prędestinati ad » Ecclesiam Christi pertinent.

RESPONDEO, cùm dicitur, Christus non est caput, nisi eius Ecclesię, quam saluabit, illud: *Eius Ecclesię*, potest significare, eius partis Ecclesię, quam saluabit, & tunc propositio est falsa. nam est caput totius corporis sui, licet quędam membra desitura, sint esse membra, & in ęternum peritura. Potest etiã significare illud: *Eius Ecclesię*, totam Ecclesiam, vt distinguitur ab alijs congregationibus infidelium, & tunc propositio est vera, sed consequentia est mala. Quamuis enim aliqua membra huius Ecclesię non saluentur, non propterea sequitur, Christum non saluare Ecclesiam suam, cuius est caput.

Argumentum QVARTVM. Corpus mysticum si- « mile est corpori vero, sed totum corpus Christi verũ « cum omnibus suis partibus saluum, & glorioſum est, « igitur etiam corpus mysticum in omnibus suis mem- « bris & partibus saluari debet. «

RESPONDEO primò, similitudines nõ in omnibus conuenire. SECVNDO, sicut Corpus Christi verum saluum est, & glorioſum, quoad omnes partes formales, non tamen quoad omnes materiales; fluebant enim & mutabantur in Christo partes materiales, vt in nobis fieri videmus: ita etiam corpus mysticum saluum futurum est, quoad omnes partes formales, quę sunt Apostoli, Prophetę, Pastores, Doctores, &c. ex omni.n.gñe hominum aliqui saluãtur, non tñ quoad omnes partes materiales, quę sunt hoies singulares.

Argumentum QVINTVM. Ecclesia est vnum ouile, Ioan.10. at oues non sunt nisi prędestinati, vt Augustinus docet tract.45. in Ioan. igitur soli prędestinati sunt de Ecclesia. « « « « «

RESPONDEO, nomen ouis in Scripturis interdum significare solos prędestinatos, vt Matthęi 25. vbi separantur oues ab hędis, & Ioan.10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Interdum tñ significare omnes in genere tàm bonos, quàm malos, qui sunt in Ecclesia, vt Ioan.vlt. *Pasce oues meas.* Et Psal.73. *Iratus est furor tuus super oues pascuę tuę.* Et Ezech.34. describuntur oues Dei, alię pingues, alię macilentæ, aliæ sanæ, alię ægrotæ, &c. & quidem secundum hanc significationem argumentum non habet vllam vim. AT secundum priorem respondemus, in ouili non esse solas oues, sed etiam hædos, vt patet Matth.25. vbi separantur oues ab hædis, cùm antea simul fuissent in eodem ouili. Ouile aũt dr̃, et si nõ solas oues contineat, meliore parte. Quemadmodum Roma dicitur ciuitas, licet etiam multos non ciues complectatur.

Argumentum SEXTVM, Ioan.10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Et Ioan.11. IESVS *moriturus erat pro Gente, & non solùm pro Gente, sed etiãt ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* In quibus locis prędestinati dicuntur oues, & filij Dei; etiã cùm in erroribus Gentilitatis uersarentur, quare prædestinati semper sunt de Ecclesia. Item 2. Timoth. 2. *Firmum Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus, qui sunt eius.* Et 1. Ioan.2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Igitur etiam antequam exirent, non erant ex nobis, sed videbantur esse. Et confirmatur ex Augustino libro de corrept. & gratia; cap.9. vbi tractans loca citata, sic ait: *Quidam*, inquit, *filij Dei, propter susceptam uel temporaliter gratiam, dicuntur à nobis, nec sunt tamen à Deo.* Et infrà: *Ex nobis*, inquit, *exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, & quando uidebantur in nobis, non erant ex nobis. Item, non erant filij, etiam quando uidebantur in professione, & nomine filiorum.* Et infrà: *Quid ergo non habuerunt perseuerantiam, sicut non uerè discipuli Christi, ita nec uerè filij Dei fuerunt etiam quando esse uidebantur, & ita uocabantur.* Præterea lib.3. doctrinę Christianæ, c.32. argues Ticonium, qui vocauerat corpus Dñi mysticum, id est, Ecclesiam, corpus bipertitum: *Non ita*, inquit, *debuit appellari. Non enim uenera Domini corpus est, quod cum illo non erit in ęternũ.*

RESPONDEO, notãdas esse pro explicatione horũ

locorum

locorũ duas distinctiones. PRIMA est, hominẽ posse dici Christi ouem, filium, mẽbrum, duob⁹ modis; vno mõ fm prædestinationẽ; altero modo fm præsentẽ iustitiã. Hæc distinctio habetur apud Paulum; nam Rom. 8. dicit: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et tñ 2. Tim. 2. dicit de prædestinatis: *Nouit Dominus qui sunt eius.* Itaque vnus, & idem põt esse Christi membrum, & nõ esse. Erit. n. eius, si sit p̃destinatus, & non erit eius, si interim Spiritũ eius nõ habeat. Idem docet AVGVSTINVS 4. lib. de Baptismo, c. 3. *Secũdum præscientiam*, inquit, *multi etiam qui aperte foris sunt, & hæretici appellantur, multis & bonis Catholicis meliores sunt.* Et tract. 45. in Ioan. *Secundũ præscientiam*, inquit, *& prædestinationem quàm multæ oues foris? quàm multi lupi intus?* Similia vide de bono perseuer. c. 8. de correp. & gratia, c. 9.

Interest aũt inter hęc, quod qui sunt oues, aut filij, aut mẽbra, solùm fm prædestinationẽ, nõ sunt actu, sed solùm potentia tales. Prędestinatio n. nihil ponit in hoie, sed est actus in ipso Deo manens: at qui sunt tales fm præsentem iustitiam, sunt actu & simpliciter tales, quia in se reuera habent id, vnde tales appellantur. id quod apertè docet Augu. tract. 45. in Ioan. *Quid est*, inquit, *quod dixi, quàm multæ oues foris? quã multi luxuriantur casti futuri? quàm multi blasphemant Christum, credituri in Christũ? & hi oues sunt. Verùntamen modò alienam vocem audiunt, alienos sequuntur. Item quàm multi intus laudant, blasphematuri? casti sunt, fornicaturi? stant, casuri? et nõ sunt oues, de p̃destinatis enim loquimur.* Hæc ille. Vbi vide, qũo dicat, in futuro, *luxuriantur, casti futuri*, &c. nã eodem modo põt dici, foris sunt, intus futuri. & ex hac distinctione satis fit illis locis Scripturę adductis. Dicuntur. n. ibi oues, & filij Dei quidam, qui adhuc non erãt in Ecclesia, quia tales erant fm prædestinationẽ, & in potentia, non autem actu & simpliciter.

Pari ratione, cùm dr̃ 2. Timot. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius*, sermo est de illis, qui sunt eius per prædestinationem, non autẽ de tota Ecclesia; nam ibidẽ subiungit: *In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia.* Et similiter dicũtur reprobi, qui exierunt de Ecclesia, non fuisse ex nobis, quia nõ fuerunt ex nobis fm prędestinationem, licet fuerint fm Sacramentorũ cõionem. Qũo etiam intelligi debet, qđ ait auctor operis imperfecti in Matt. hom. 20. vbi dicit, eum, qui ab Ecclesia cadit, nunquam fuisse Christianũ; intelligit. n. secundum prædestinationẽ.

ALTERA distinctio est, posse aliquem dici verè filium Dei, aut membrum corporis Christi duobus modis; vno modo veritate essentię, siue formæ; altero modo veritate finis, vel vt alij dicunt; veritate permanentię. Veritate essentiæ, est filius Dei, qui habet caritatem, 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et similiter veritate essentię est membrũ Christi, qui de eodẽ spiritu viuit. 1. Cor. 12. *In vno Spiritu omnes vos in vnum corpus baptizati estis.* At veritate finis dr̃ filius Dei, qui assequetur hæreditatem; & qui non assequetur, vr̃ filius, sed non est. finis. n. filiationis est hæreditas. *Quòd si filius, & hæres per Deum*, Gal. 4. sic ẽt veritate finis est membrum, qui saluabitur. nam ad hoc vniuit sibi Christus Ecclesiam, tanq̃ corpus capiti, vt eã saluaret, vt dr̃ Ephes. 4. itaq; qui est in gratia, & tñ non est prædestinatus, est verè filius, & membrum veritate essentiæ; & nõ est verè filius, nec mẽbrum veritate finis. Et contra, qui nõ est in gratia, & tñ est prędestinatus, non est verè filius, nec membrũ veritate essentię, & tamen est verè vtrumq; veritate finis. De prima veritate intelligitur illud: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.* 1. Ioan. 2. de secunda intelligitur illud Ioan. 8. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.*

Quibus notatis, facilè intelligentur loca Augustini, vbi dicit, iustos non prędestinatos non esse verè filios, nec membra. Loquitur enim de veritate finis, nõ de veritate essentiæ. Nã ipse in ijsdem locis se explicat. Lib. de correp. & gratia, c. 9. postquã dixerat probos non prędestinatos nõ esse verè filios, subiungit: *Non quia iustitiã simul auerunt, sed quia in ea non manserunt.* Et lib. 3. doctrinę Christianę, c. 32. reddens rationẽ cur dixerit, non verè pertinere ad corpus Christi eos, qui cum illo non erunt in ęternum: *Nunc*, inquit, *in vno sunt, non tamen semper in uno erunt. ipse est quippe ille seruus cõmemoratus in Euangelio, cuius Dominus cum venerit, diuidet eum, et partem eius cum hypocritis ponet.*

CAPVT VIII.

De non perfectis.

NON perfectos in Ecclesia, contra Pelagianorum & Anabaptistarum snĩam, esse posse, facilè probari põt; nam si non essent in Ecclesia ij, qui habent aliquam imperfectionẽ, nulla fuisset, neq; esset, neq; futura esset Ecclesia in terris. Nã excepto Christo, & B. Virgine, qui soli non faciunt Ecclesiam, nulli sunt, quamuis sanctissimi in hac vita, qui non habeant aliqua venialia peccata, quæ tñ non tollunt iustitiam, nec faciunt hominem Deo inimicum, vt Pelagiani putabant. Id quod testantur inprimis diuinæ literę. Psal. 31. *Tu remisisti impietatẽ peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno*: Quid est. n. *pro hac*, nisi pro remissione? & sanctus igitur est aliquis, & tamen habet, quod sibi postulet remitti, 3. Reg. 8. *Nec. n. est homo, qui non peccet.* Prouer. 24. *Septies in die cadet iustus, & resurget.* Eccle. 8. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Matt. 6. iubentur omnes dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est.* Quæ certè testimonia clariora sunt, quã vt explicatione vlla indigeant.

ITEM testatur Concilium Mileuitanum, can. 7. & 8. vbi definitur, iustos dicere, non solùm humiliter, sed etiam veraciter, & non solùm humiliter, sed etiã pro se: *Dimitte nobis debita nostra.*

IDEM testantur veteres Patres, S. Cyprianus serm. de eleemosyna: *Quisquis se inculpatũ dixerit, aut superbus, aut stultus est.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iulianum: *Omni prorsus peccato uacare, supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* B. Ambro. serm. 16. in Psal. 118. *Non potest*, inquit, *hoc iustus negare, quia nemo sine peccato est.* B. Chrysost. in Psal. 39. *Nec ex perfectis*, inquit, *uniuersa constat Ecclesia, sed habet etiam ocio, & socordię deditos*, &c. S. Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos. *Iustos*, inquit, *esse concedo, sine omni autẽ peccato esse, non assentior.* Et lib. 3. ferè toto hoc idẽ probat, vbi tñ admittit, posse ad aliqđ breuissimũ tempus ẽsse hominem sine omni peccato, non tamẽ diu.

B Augustinus lib. de spiritu & litera, ca. vlt. docet posse hominẽ ex priuilegio Dei singulari viuere sine omni peccato; tñ re ipsa neminem esse, qui sic viuat, aut viuerit, excepto Christo. Idẽ dicit lib. de natura & gratia, c. 36. vbi tamen excipit ẽt B. Virginem, & epist. 89. & 95. & toto lib. de perfec. iustitiæ: ac demum lib. 1. contra duas epistolas Pelagiani, c. 14. *Nullus in Ecclesia*, inquit, *rectè posset ordinari minister, si dixisset Apostolus, si quis sine peccato est, ubi dixit, si quis sine crimine est; aut si dixisset, peccatum nullum habentes, ubi dixit, nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac uita neminem dixerim.* B. Gregorius lib. 21. Moralium, cap. 9. & in hac vita quidem multi sine crimine; sine peccato esse nullus valet.

AR-

ARGVMENTA in contrariũ multa sunt, sed nõ oĩa hic soluenda. Quæ. n. adferuntur ad probandum, per quodlibet peccatum perdi iustitiam; vel posse hoiem viuere sine oĩ peccato, non egebunt solutione cũ pauló pòst ostenderimus, in Ecclesia esse optimos, & pessimos viros. Duo tantùm sunt propria huius loci. VNVM ex Cant. 4. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* ALTERVM Ephes. 5. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentẽ maculã, aut rugã, aut aliquid hmõi.* Quẽ locũ de Ecclesia Catholica huius tpis intelligẽdũ esse docet Cõcilium Toletan. VI. c. j. explicans. n. confessionẽ fidei, loco illius, Sanctam Ecclesiam, ait, Ecclesiam sine macula, aut ruga.

RESPONDEO ad PRIMVM, siue intelligatur illud de Ecclesia rõne vnius partis tm̃, id est, rõne animarũ iustarũ, siue de anima perfecta, qđ magis probo, animã iustam dici totã pulchrã, per hyperbolem. quę familiaris est amantibus: vel quia anima iusta, & perfecta mortalibus caret peccatis, q̃ propriè maculã relinquunt, & vitat venialia, quantum licet per humanam fragilitatem: & si quæ cõmittit, mox delere studet. Id enim etsi nõ est esse immaculatum simpliciter, est tamen esse immaculatum pro statu huius vitæ, vt August. explicat libro de perfectione iustitiæ. Quomodo ẽt nemo est perfectus in hac vita absolutè, & tamen multi in Scripturis dicuntur perfecti, quia erãt tales pro statu huius vitæ. Gene. 6. *Noe vir iustus fuit, atq; perfectus.* Phil. 3. *Quicunq; perfecti sumus, hoc sentiamus.* Imò etiam dicuntur immaculati, qui sine dubio venialibus non carent. Psal. 17. *Et ero immaculatus cum eo.* Ps. 118. *Beati immaculati in via.* Ephi. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti et immaculati ĩ veritate.*

Ad SECVNDVM dico, PRIMO intelligi posse de Ecclesia, non vt nunc est, sed vt erit post resurrectionẽ: vt exponunt S. Hieronymus in c. 31. Hiere. circa fin. S. August. lib. de perfec. iusti. & alibi. & B. Bernar. ser. 3. de festo omniũ sanctorum. Neque obstat Concilium Tolet. nam etsi illa verba intellexit Concil. de Ecclesia huius temporis, tamẽ nõ definiuit, sic necessariò esse intelligenda. Dico tamen SECVNDO, probabilius esse, q̃ loquatur Apostolus de Ecclesia huius tẽporis, sed tribuat per Synecdochen toti Ecclesiæ, quod vni parti conuenit. Qui. n sunt nunc in Ecclesia iusti, sunt glorioſi per gratiæ pulchritudinẽ, quæ est gloria inchoata: sunt sine macula, vt paulò antè expositum est, & sunt sine ruga, quia per Baptismũ renouati sunt, depositoq; vetere hoie induerunt nouũ; rugæ. n. signa sunt vetustatis. Ita hunc locũ intelligunt, præter Concilium Tolet. iam citatum, Chrysostomus, Hierony. & Theophylactus in Comment.

CAPVT IX.

De magnis peccatoribus.

IAM verò in vna vera, & Catholica Christi Ecclesia non solùm imperfectos, sed ẽt graues peccatores esse, & nõ solũ occultos, sed etiã manifestos, contra errorẽ Nouatianorũ, Donatistarum, & Cõfessionistarum, probatur PRIMO, ex parabolis Euangeliorũ de area, de reti, de cõuiuio nuptiali, de decẽ virginibus, & de ouili, suprà citatis, quibus Catholici ita confutarunt olim Donatistas, vt planè nõ inuenerint vllo modo quà exirent, vt August. refert in Breuiculo collationis, explicans collationem tertiæ diei.

PRAETEREA sunt alia loca apertissima, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum, &c. si eos nõ audierit, dic Ecclesię, si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Hic negari non põt, quin sermo sit de vera Ecclesia; nam Christus loquitur de Ecclesia sua. & in hac Ecclesia constat inueniri peccatores, & tales peccatores, qui sæpe nõ emẽdãtur per correptionẽ fraternã, nec ẽt adhibitis duobus testibus: & tñ in Ecclesia manent, donec ab ipsa Ecclesia per sniam Prælati ejiciantur. ITEM Matt. 23. Dominus præcipit de præpositis malis, vt faciamus quod dicunt, nõ quod faciunt. & c. 24. describit præpositum malũ, qui percutit conseruos, comedit, & bibit cum ebriosis, &c. & dicit: *Veniet Dominus eius in die, qua non sperat, & diuidet eum, partemq; eius cũ hypocritis ponet.* Vbi de Præpositis Ecclesię agi docẽt Hilarius, Hieronymus, Chrysost. & alij in hunc locum. ITEM in epist. j. ad Corint. c. 1. Paulus dicit scribere se Ecclesiæ Dei, quę est Corinthi. & mox ibidẽ subdit, *Significatum eſt mihi, q̃ cõtentiones sunt inter vos, etc.* Etc. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Quid hic dicent? non esse hanc veram Ecclesiã? at Apostolus dicit esse Ecclesiã Dei. nõ fuisse istum peccatorem grauissimum, & manifestum? at Apostolus hoc dicit. nõ fuisse in illa Ecclesia? at Apostolus iubet, vt expellant eum per excommunicationem *Tollatur*, inquit, *de medio vestri, &c.*

PRAETEREA Apocal. 2. & 3. scribit Ioann. septem Ecclesijs Asię, & ferè singulas reprehendit de rebus nõ leuibus. Et not. Aug. lib. 2. contra Parmenianum. c. 10. non solùm Ecclesias, sed ẽt Præpositum reprehẽdit, significatum per Angelum Sardensis Ecclesię; *Nomen*, inquit, *habes, quod viuas, sed mortuus es, esto vigilans, &c.* ADDE, quod tempore testamenti veteris, nunquã defuerunt grauissima peccata in populo Dei, & tamen nusq̃ legimus, qđ Moses, aut Samuel, aut alij Prophetę, qui diuersis tẽporibus fuerunt, aut Maria, Anna, Elizabeth, Simeon, Zacharias, Ioannes Bapt. & alij iusti, quos Dñs inuenit in populo Iudęotum, separauerint se à reliquis pessimis hominibus, quantũ ad tẽplum, altare, sacrificia, & alia, quæ religionis sunt, ergo in eadem congregatione manebant boni & mali. quod argumentum valde vrget, & meritò, S. Aug. in Breuiculo, collatione tertia.

Probatur SECVNDO ex testimonio Ecclesiæ Catholicæ, quæ erat tempore B. Augustini. B. Aug. enim in Breuiculo collationũ refert, collationem celeberrimam Carthagine habitam inter CCCVI. Episcopos Catholicos, quorũ vnus ipse erat, & CCXCVI. Episcopos Donatistas. Tot. n. fuisse indicat August. in collatione primæ diei. Deinde in collatione tertię diei refert, Donatistas coactos fateri, esse in Ecclesia bonos & malos, prolata à Catholicis illa parabola de reti, pisces bonos & malos congregante: sed dixisse adhuc Donatistas, tm̃ occultos malos esse in Ecclesia; sicut in reti, dum est in mari, non discernuntur à pisca toribus pisces boni à malis, sed in littore discernuntur, & mox separantur. Ad hoc autem dicit respondisse Catholicos, propterea Ecclesiam comparatam etiam esse areæ, in qua discernuntur paleæ à frumento, imò magis apparent paleæ, quàm frumenta: & etiam Arcæ Noe, in qua etiam post egressum corui, quo significantur hæretici, adhuc remanserunt palã animalia munda et immunda.

Addit etiam August. quod cum calumniarentur Donatistæ, Catholicos duas Ecclesias facere, vnam in terris, quæ haberet bonos et malos, alteram in cęlis, quæ non haberet nisi bonos; respondérunt Catholici, se non duas Ecclesias facere, sed distinguere duo tempora Ecclesiæ, *Eandem*, inquit, *ipsam vnam, & sanctam Ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram. sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus.* Quę sunt notanda contra nostros Confessionistas, et Caluinistas, qui duas Ecclesias fingunt.

Probatur TERTIO testimonijs Patrum. CYPRIANVS lib. 3. epist. 3. ad Maximum: *Impediri*, inquit, *non debet*

debet aut fides aut caritas nostra, vt quoniã zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Gregorius Nazianzenvs in orat. 1. Apologetica, ante medium, comparat Ecclesiam ingenti beluæ ex varijs beluis composirę, id est, magnis, paruis, feris, mitibus, &c. vt ostendat maximum esse laborem Episcopi, qui regere debet hominũ genera, perfectos, & imperfectos, bonos & malos. Chrysostomvs multa similia dicit de peccatis eorũ, qui ab Episcopis regunt, lib. 3. de sacerdotio. Idem in Psal. 39. in illud; Multiplicatę sunt per capillos capitis mei, &c. *Nec ex perfectis quidẽ vniuersa cõstat Ecclesia, sed habet ẽt, qui otio, et socordiæ se dedunt, mollẽq; et dissolutã vitam amplectũtur, et libẽter seruiũt voluptatibus, et quoniã est vnũ corpus, tanquã ex vna persona hęc, et illa pronũciat.*

Hieronymvs in Dialogo contra Luciferianos vltra medium: *Arca Noe*, inquit, *Ecclesiæ typus fuit; vt in illa omniũ animaliũ genera, ita et in hac vniuersarũ, & gentium, et morũ homines sunt: vt ibi pardus, hædi, lupus, & agni, ita & hic iusti, et peccatores, id est, vasa aurea, et argentea cũ ligneis, et fictilibus cõmorantur.* Avgvstinvs in tract. 6. in Ioann. *Nos*, inquit, *fatemur, in Ecclesia Catholica, & bonos, & malos esse, sed tanquã grana, & paleas.* Idem habet lib. 2. retract. c. 18. Libro post collationẽ, c. 7. & 20. Libro de vnitate Ecclesię. c. 13. li. 18. de Ciuit. Dei, c. 49. & alibi. Fvlgentibvs. lib. de fide ad Petrum, c. 43. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam vsque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri, id est, bonis malos Sacramentorum communione misceri.* Gregorivs homil. 11. & 38. in Euangelia, docet, & probat multis argumentis, malos esse in Ecclesia.

Probatur Vltimo rõne. Nã si soli boni essent in Ecclesia, frustrà esset Sacramentũ pœnitentię, quod solis ijs administratur, qui sunt de Ecclesia. Prętera nemo certò sciret, qui sint de Ecclesia; incertum est enim qui sint reuera boni & qui non. item mox atq; prętati in aliquod peccatũ incidissent, non essent amplius de Ecclesia, nec prętati, & proinde non oporteret eis amplius obedire: & similiter subditi mox atque peccarent, non essent amplius de grege; & proinde liceret pastoribus curam eorum non agere; ex quo summa confusio, & perturbatio oriretur.

At obijciunt Primo Scripturã Isa. 52. *Non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus, et immundus.* Et ibidem: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius.* Quem locum exponẽs Apostolus 2. Corin. 6. addit: *Et recipiam vos, dicit Dominus.* Itaque Deus in Ecclesia non recipit, nisi eos, qui separant se ab immundis, & peccatoribus. Et rationẽ reddit ibidem Paulus dicens: *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ conuentio Christi ad Belial.* 1. Corin. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus.* At panis non efficitur nisi ex frumento, nõ ex paleis, & frumento. Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et 1. Corin. 12. *In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* Ergo q non habet spiritũ, vt sunt omnes peccatores, non est membrum Christi. si dicas, non est membrũ viuum, tñ est membrum. Contrà, quia membrum mortuum non est membrum, nisi æquiuocè. ergo non est membrum verum, igitur non est membrum simpliciter.

Respondet ad primum B. Aug. lib. contra Donatistas post collationem, c. 8. & 20. & in breuiculo collationis tertię diei, intelligi de Ecclesia triumphante, quod dicitur: *Non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus.* Et quod additur: *Recedite, exite, &c.* intelligi de separatione, quę debet fieri animo, & moribus, non autem corporali discessione ab eodem templo, & Sacramentis, &c.

At melius Cyrillvs in hunc locum Isaię, à quo non videtur Hieronymus multum discrepare, docet secundum historicũ sensum, agi de temporali persequutione Iudęorum, vt sensus sit, cũ à captiuitate redieris, nõ adijciet vltra, i. in longũ tẽpus, aliquis infidelis persequutor per terras tuas eas vastãdo, pertransire: sm mysticum autẽ sensum agi de Ecclesia, & prędicere Isaiã, fore, vt portę iferi nõ pręualeãt aduersus eam. Incircumcisi enim & immundi hostes Ecclesię præcipuè sunt dęmones. Pari ratione quod sequitur: *Recedite, recedite, etc.* secũdum historicum sensum intelligitur de Iudęis, quos hortatur Isaias, vt exeãt de Babylone cũ finitum fuerit tẽpus captiuitatis: sm mysticum sensum intelligitur de Christianis, qui debẽt post Baptismum separari ab infidelium cętibus, templis, sacrificijs, cõiugijs, & ceteris rebus, q quoquo mõ ad religionẽ ptinent. Et hoc mõ intellexit hunc locũ B. Paulus, & citauit 2. Cor. 6. nõ. n. de commercio cũ quibusuis peccatoribus, sed solũ cum infidelibus agit. *Nolite iugũ*, inquit, *ducere cũ infidelibus; quę pars fideli cũ infideli? quis aũt consensus templo Dei cum idolis?*

Ad illud de vno pane, qui ex solo tritico fit, rñdeo, similitudines nõ in oĩbus cõuenire. in hoc aũt consistit similitudo panis, & Ecclesię, vt Cyprianus explicat epist. 6. lib. j. ad Magnũ, & Irenęus li. 3. c. 19. q sicut ex multis granis per aquã fit vn panis, ita ex multis hoĩbus p aquã Baptismi, vel per Spiritũ Sanctũ, quæ ẽt dr aqua, Ezechiel. 36. et alibi, fit vnus populus Dei. Nemo. n. est in Ecclesia, q non sit baptizatus, & non participet aliqd donũ vel internũ, vel externum Spiritus sancti. Quanq; nõ est ẽt verum, panẽ semper cõstare ex solo tritico. Interdum. n. vel ex negligentia, vel ex malitia eorum, qui panem faciunt, admiscentur ẽt grana lolij; sicut in vino sæpe ex malitia vendentium admiscetur aqua. Deniq; idem ostenditur ex ipsis verbis Pauli, nam dicit: *Vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus.* At de vno participant boni & mali, alioqui non arguerentur à Paulo 1. Corinth. 11. qui indignè communicant.

Ad Vltimvm dico, malos non esse membra viuæ Corporis Chri, et hoc significari illis Scripturis. Ad id qd addebat, igit sunt æquiuocè mẽbra, &c. à multis solet cõcedi, malos nõ esse mẽbra vera, nec simpli citer, corporis Ecclesię, sed tm sm quid, & a quiuocè. Ita Ioann. Turrecremata lib. j. ca. 57. vbi id probat ex Alex. de Ales, Hugone, et B. Thoma. idem ẽt docent Petrus à Soto, Melchior Canus, et alij, qui tamen et dicant malos nõ esse mẽbra vera, dicunt nihilomin verè esse in Ecclesia, siue in corpore Ecclesię, et esse simpliciter fideles, seu Christianos. Neq;. n. sola membra sunt in corpore, sed ẽt humores, dentes, pili, & alia q nõ sunt mẽbra. Neq; fideles aut Christiani dicnt tales à caritate, sed à fide, siue à fidei professione. At si ita est, sequitur, Pontificẽ malum nõ esse caput Ecclesiæ: et alios Episcopos, si mali sint, nõ esse capita suarũ Ecclesiarum. Caput. n. non est humor, aut pilus, sed membrum, et quidem pręcipuum: at hoc est contra Concilium Constantiense, in quo sess. 15. damnatur error XXII. Ioannis Huss, quo asserebat pastorem malum esse æquiuocè pastorem. & error XXX. quo asserebat prælatum malum non esse uerè prælatum.

Respondeo igitur, membra posse considerari duobus modis: Vno modo, ut sunt res quædam secundum se, siue secundum essentiam, ac substantiam suam: alio modo, ut sunt instrumenta operatiua. Nam exempli gratia oculus hominis, & oculus bouis, ut sunt substantiæ quędam, differunt specie, ratione diuersę animę: at ut instrumenta operatiua, sunt eiusdem speciei, quia idem habẽt obiectũ.

Dico igitur, Episcopum malum, Presbyterum malũ, Doctorem malum, esse membra mortua, et proinde non uera corporis Christi, quantum attinet ad

rationem membri, vt est pars quædam viui corporis: tñ esse verissima membra in ratione instrumenti, id est. Papam & Episcopos esse vera capita, Doctores veros oculos, seu veram linguã huius corporis, &c. & rõ est, quia membra constituuntur viua per caritatem, qua impij carent: at instrumenta operatiua cõstituuntur per potestatem siue ordinis, siue iurisdictionis, q̃ ẽt sine gratia esse potest. Nam etsi in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, tñ in corpore mystico potest. In corpore n. naturali opera pendent ex bonitate instrumenti, quia anima non potest bene operari, nisi per bona instrumenta, nec opera vitæ exercere, nisi per instrumecta viua: at in corpore mystico opera non pendent ex bonitate, aut vita instrumenti. Aia. n. huius corporis, i. Spiritus sanctus æquè bene operatur per instrumenta bona & mala, viua & mortua, &c.

Obiectio Secvnda. Ecclesia in Symbolo dr̃ sancta, igitur non constat, nisi ex sanctis. Nec sufficit, dicent, rñsio eorum, qui dicũt Ecclesiã dici sanctã, quia vna pars est sancta. Nam tunc ẽt dici posset Ecclesia scelerata, qa vna pars, imò maior pars est scelerata.

Respondeo, Ecclesiam dici, & verè esse sanctam, quia omnia, quæ ad ipsam constituendam pertinent, sunt sancta. Tria requiruntur ad Ecclesiam constituẽdam. Primo, Baptisma, quod sanctum esse nemo negare põt. Secvndo, professio Christiana, i. fidei, & morum, siue dogmatum, & præceptorum Christianorum, quã professionem sanctam esse, & solam ipsam esse sanctam, certissimum est. Nec. n Iudæorum, Turcarum, Ethnicorũ, Hæreticorũ professio sancta est, sed solùm professio Christianorũ. Tertio, vnio membrorum inter se, & cum capite, saltem externa, & quoad ea, quæ ad religionem pertinent; quæ vnio ẽt sine dubio est sancta. Dicitvr ẽt sancta propter sanctos, quos habet, & non propterea dici debet etiã scelerata; nã denominatio fit à meliori, & præterea, quia habere sanctos est proprium Ecclesiæ, quia ipsa sola habet verè sanctos: at habere malos non est proprium Ecclesiæ, id n. ẽt alijs cœtibus conuenit. Denique sancta dici potest, quia tota est consecrata Deo; & quia caput eius Christus, est sanctus sanctorum.

Obiectio Tertia. Non habet Deum Patrẽ, qui Ecclesiam non habet matrem, vt Cyprianus docet libro de vnitate Ecclesiæ, & similiter, non habet Ecclesiam matrem, qui Deum nõ habet patrem. Sed enim improbi Deum non habent patrem: *Nam qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, Rom. 8. Et Ioan. 8. dicit improbis. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et 1. Ioan. 3. *In hoc sunt manifesti filij Dei, & filij Diaboli, omnis qui nõ est iustus, non est ex Deo.* Ergo soli boni habent Ecclesiam matrem, ergo, soli boni sunt in Ecclesia.

Respondeo cum Augustino libro contra Adimantum, c. 5. nomen filij tribus modis accipi in Scripturis. Vno modo dicuntur filij ratione productionis, siue illa sit propriè generatio, siue creatio, siue regeneratio; sic Dominus Christus propriè dicitur Filius Dei, quia à Deo Patre generatus. dicuntur etiam omnes homines filij ratione creationis. Deuter. 32. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit, & creauit te?* Necnon ratione nouæ regenerationis dicuntur filij omnes iusti, & soli iusti, vt in locis notatis, Rom. 8. & 1. Ioan. 3. Secvndo dicuntur filij aliqui ratione imitationis, quomodo Galat. 4. & Rom. 4. vocat Apostolus filios Abrahæ, eos qui fidem Abrahæ imitantur, & Matt. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, vt sitis filij patris vestri, &c.* Et hoc modo soli boni sunt filij Dei, mali omnes sunt filij Diaboli, vt dicitur, Ioan. 8. & 1. Ioan. 3. locis notatis. Tertio modo dicuntur filij ratione doctrinæ, quomodo 1. Corint. 4. Apostolus vocat Corinthios filios, quia eos docuerat Euangeliũ, & Galat. 4. *Filioli mei,* inquit, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et hoc modo omnes qui sunt in Ecclesia, sũt filij Dei, & Ecclesiæ, quia tenent veram doctrinam Dei, & Ecclesiæ, tamen possunt esse boni & mali. Vnde Isa. 1. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et Can. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vbi filiæ dicuntur animæ Christianę, sed malæ.

His notatis, ad argumentum respondetur, si de filijs doctrinæ agatur. falsam esse assumptionem; non enim est verum, solos iustos esse filios Dei, si solius doctrinæ ratio habeatur; si verò agatur de filijs Dei per regenerationem, aut imitationem, malam esse posterioram illam consecutionem, ergo soli boni sunt in Ecclesia. in Ecclesia enim non sunt soli filij, sed etiã seruj, quanquam isti non manent in domo in æternum, filij manent in æternum Ioan. 8. & hoc est ad mentẽ B. Cypriani. Is enim non voluit dicere, non esse in Ecclesia nisi filios, sed nõ esse vllos filios extra Ecclesiã, sicut non sunt vlli boni extra, licet sint aliqui mali intus. volebat enim terrere hæreticos & schismaticos, ac monere eos, ne putarent, se posse esse bonos, aut filios extra Ecclesiam.

Argumentum Qvartvm ex Cypriano lib. 1. epist. 6. ad Magnum: *In Ecclesia Dei*, inquit, *non nisi concordes atque vnanimes habitant, loquente in Psalmis Spiritu sancto, & dicente, Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo.* Ergo peccatores, qui cum alijs rixas, & contentiones mouent, non sunt in Ecclesia.

Respondeo, loqui Cyprianum non de quacunque cõcordia, sed de illa, quæ opponitur schismati propriè dicto. agit enim ibi de Nouatianis schismaticis alioqui dissensiones alias in Ecclesia esse posse, & re ipsa sæpe inueniri, testatur idem Cyprianus in sermone de lapsis, vbi inter alia peccata, quæ erant in hominibus in Ecclesia, ponit etiã odijs pertinacibus inuicem dissidere.

Argumentum Qvintvm ex Chrysostomo & Theophylacto in 2. Tim. 2. vbi dicũt, illud: *In magna domo sunt vasa aurea, &c.* non posse intelligi de Ecclesia, sed de mundo, quia in Ecclesia non sunt vasa, nisi aurea & argentea.

Respondeo, non negant, malos esse posse in Ecclesia, sed dicunt nõ esse necessariũ, vt sint in Eccsia. quia. n. Apostolus dicit in magna domo sunt vasa aurea & argentea, fictilia & lignea, & notum est, in magna domo hæc omnia esse necessaria, ne quis putaret Ecclesiam non posse consistere sine malis, dicunt hi Patres; noïe domus nõ intelligi Ecclesiã, sed mundũ, nam Ecclesia non indiget malis; immò quando erit in optimo statu suo, id est, in cælo, nullos habebit malos; at mundus ornatur ex malis, non quidem per se, sed per accidens, si enim non essent mali in mundo, non exerceretur iustorum patientia, nec Dei iustitia.

Argumentum Sextvm ex Hieronymo, qui in cõment. ad Eph. 5. in illud: Ecclesia subiecta est Christo, *Ecclesia*, inquit, *Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, neq; aliquid huiusmodi, qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici.*

Respondeo, significat Hieronymus, non posse malos de ea parte Ecclesiæ appellari, quæ solos perfectos continet; nam Hieronymus in c. 1. ad Gal. exponens illud *Paulus Apostolus, &c. Ecclesijs Galatiæ.* volens explicare, qũo cohæreant inter se verba Apostoli, qui nunc totas Ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare, ac reprehendere, dicit Ecclesiam dupliciter accipi, id est, non duas esse Ecclesias, sed de vna diuersimodè Scripturas loqui; interdum enim tribuit Scriptura toti Ecclesiæ, id quod est proprium perfectorum, vt carere macula, & ruga; interdum id quod est proprium imperfectorum, vt peccare, &

re,& correptione indigere. Cùm ergo laudat Ecclesia, respiciẽdũ est ad eã partẽ, quæ perfectos continet; cùm reprehenditur, ad eã quæ continet imperfectos.

Argumentum SEPTIMVM, Pacianus epist. 3. ad Sympronianum dicit, in Ecclesia non esse maculam, aut rugam, quia peccatores, donec non pœnitet eos vitæ prioris, non sunt in Ecclesia, cùm autem pœnitet, iam sani sunt, &c. RESPONDEO, non loquitur de omnibus peccatoribus, sed solùm peccatoribus, qui in hæresim labuntur, nam antea dixerat, Ecclesiam carere macula, & rugis, quia caret hæreticis.

Argumentum OCTAVVM Augustino, qui lib. 2. contra Cresconium, cap. 21. *Ac per hoc*, inquit, *etiam nesciente Ecclesia, propter malam, pollutam q; conscientiam damnati à Christo, iam in corpore Christi nõ sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata.* Similia habet lib. 2 contra Petilianum, cap. vlt. lib. 4. de Baptismo, cap. 3. lib. 6 cap. 3. lib. 7. cap. 49. 50 & 51. lib. de vnitate Ecclesiæ, c. vlt. lib. 3. doctrinæ Christianæ, cap. 32. & alibi.

RESPONDEO, pp hęc loca non solùm Brentius & Caluinus, sed ẽt aliqui Catholici fingunt duas Ecclesias, sed verè fingunt; nã nec Scripturæ, nec Augustinus vsquam meminerunt duarum Ecclesiarum, sed vnius tm̃. Certè in breuiculo collationum, collatione tertia, cùm Donatistæ calumniarentur, Catholicos duas Ecclesias facere, vnam, quæ solos bonos, aliam, quæ bonos cum malis contineret: responderunt Catholici, se nunquam duas Ecclesias somniasse, sed tm̃ distinguere partes, vel tpa Ecclesiæ, partes quidẽ, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinent, boni enim sunt pars interior, & quasi anima Ecclesiæ, mali sunt pars exterior, & quasi corpus, & dabant exemplum de homine interiore, & exteriore, qui non sunt duo homines, sed duæ partes eiusdem hominis.

Tempora aũt distinguentes dicebant, Ecclesiam aliter esse nunc, aliter futuram post resurrectionem, nunc. n. habet bonos & malos, tunc non habebit, nisi bonos; & ponebant exemplum de Christo, qui cùm semper sit idem, tm̃ ante resurrectionẽ suam fuit mortalis & passibilis, postea immortalis & impassibilis. quam doctrinam idem Augustinus alibi sæpe confirmat, & varijs similitudinibus explicat. Nã lib. 7. contra Donatistas c. 51. dicit, bonos sic esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, vt ipsi sint domus Dei constructa ex viuis lapidibus; malos sic esse in eadem domo, vt ipsi tm̃ non sint domus. & libro de vnitate Ecclesiæ, c. vlt. dicit malos esse præcisos ab Ecclesia animo, nõ tm̃ corpore, quod est dicere, pertinere ad hoiem exteriorem Ecclesiæ, non tm̃ ad interiorẽ. Et lib. 3. doctrinæ Christianæ, c 32. explicans illud Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*; notat non esse dictũ, nigra fui, seu formosa fum, sed nigra sum & formosa, quia ipsa vna, & eadem Ecclesia nunc est nigra sicut tabernacula Cedar, propter peccatores, quos in se habet, & simul est formosa sicut pelles Salomonis, id est, sicut tentoria regis, propter bonos, quos in se habet.

Idem Augustinus tract 3. in Ioan. epistolam, docet malos esse quidem in Ecclesiæ corpore, non vt membra, sed vt humores corruptos, qui manent in pectore, qui reuera sunt in corpore, & tamen sunt etiã verè separati à membris corporis. Ex his respondetur, quando Augustinus dicit malos non esse in Ecclesia, debere intelligi non esse eo modo quo sunt boni, id est, non esse vt membra corporis viua.

Sed OBIICIES, quia B. Augustinus lib. 3. de Baptismo, cap. 18 & lib. 1. c. 21. & 22 & lib. 6 cap. 3. & lib. 7. cap. 51 docet, solos sanctos esse illam Ecclesiam, quæ est fundata super petram, & cui datæ sunt claues regni cœlorum, & de qua dicitur, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

RESPONDEO, Augustinum nihil aliud significare voluisse, quàm oia priuilegia, quæ sunt à Deo concessa Ecclesiæ vniuersę, pp solos sanctos concessa esse, i. in vtilitatem, & commodum eorũ, qui salutem æternam consequuntur. nã alioqui idem Augustinus frequentissimè repetit, malos ẽt Chr̃ianos vtiliter Sacra administrare, ac proinde regenerare hoies, soluere, ligare, &c. Itaq; in tract. 5. in Ioan. confert malos ministros canali lapideo, per quem transit aqua ad areolas, & cũ nihil ipse vtilitatis acquirat, tm̃ causla est, vt herbæ, & flores in areolis nascant, & crescãt. qđ idem fusius docet lib. 2. contra Parmenianum, c. 10. & 11.

OBIECTIO NONA est Magdeburgensium Cẽtur. 1. lib. 1. cap. 4. col. 171. vbi ex Scripturis probant duas esse Ecclesias, vnam bonorum, aliam malorum. Sic enim distinguitur Matt. 5. iustitia discipulorum à iustitia Pharisæorum; Matth. 6. distinguuntur pij ab hypocritis; Matth. 7. distinguitur cœtus euntium per viam angustam, à cœtu euntium per viam latam, & ibidem distinguitur domus fundata super petram, à domo fundata super arenam. constat autem Ecclesiam malorum non esse vnam sanctam Christi Ecclesiam, igitur vera Christi Ecclesia solos bonos amplectitur.

RESPONDEO, in nullo horum locorum distingui duas Ecclesias, sed solùm diuersas qualitates eorum, qui in vna, atque eadem Ecclesia sunt, quemadmodũ enim Matth. 13. distinguuntur boni pisces à malis; & tm̃ in eodem reti, quod Ecclesiam significat, tàm isti, quàm illi erant; ita quoque in eadem Ecclesia, quæ constat professione eiusdem fidei, & communicatione eorundem Sacrorum, quidam sunt, qui ambulant per viam latam vitiorum, quidam per viam angustam virtutum, quidam sunt verè pij, quidam hypocritæ, quidam iustitiam Pharisaicam, quidam Apostolicam sequũtur. DENIQVE, quidam sunt veluti domus fundata super petram, quidam aũt veluti domus fundata super arenam. Nec enim hoc loco duæ domus, duas Ecclesias significant, nisi velimus tot Ecclesias facere, quot sunt homines, sic enim Dominus ait; *Omnis ergo, qui audit verba mea hęc, & facit ea, assimilabitur viro sapiẽti, qui ædificauit domum suã supra petrã, &c.*

OBIECTIO DECIMA. Si Chr. ti corpus Ecclesia est, non possunt esse partes, ac membra huius corporis, in quibus Christus nihil operatur; nihil autẽ operatur in impijs, & hypocritis, non igitur qui eiusmodi sunt, ad Chr̃i Ecclesiam pertinere possunt. Itẽ oportet oino distinguere Christi regnũ à regno Diaboli, sed oẽs impij ad regnum Diaboli pertinẽt, soli igitur pij pertinent ad regnum Christi, quod est Ecclesia.

RESPONDEO, non esse necesse, vt Christus in oĩbus suis membris aliquid operetur, sunt enim quædã membra mortua, & arida, quæ solùm adhærent reliquis externa coniunctione. & si aũt Christi regnum distinctum sit à regno Diaboli, pñt tm̃ ijdem hoies ad vtrumq; regnum pertinere; qui enim malis moribus prediti, in fide Catholica, & coniunctione cum ceteris fidelibus perseuerant, ad regnũ Christi pertinent, quantum ad fidei professionẽ; ad regnum aũt Diaboli, quantum ad morum peruersitatem. Quare S. AVGVSTINVS in Psal. 47. hoies impios, qui sunt in Ecclesia, dicit esse filios, & alienos; filios propter formam pietatis, alienos propter amissionem virtutum.

CAPVT X.

De infidelibus occultis.

RESTANT postremò infideles occulti, i. ij, qui nec fidem internã, nec vllam Christianam virtutẽ habent, & tm̃ exterius pp temporale aliquod commodum fidem Catholicam profitentur, & cõione Sacramentorum

mentorū veris fidelibus permiscentur, quos quidem nullo modo ad verā Ecclesiam pertinere non solùm Confessionistæ & Caluinistæ docent, sed etiam aliqui ex Catholicis, quorum vnus est Ioannes de Turrecremata, lib.4.de Ecclesia, par.2.c.20. Quanquā hic auctor nihil fortasse aliud dicere voluit, nisi requiri fidem, vt qs vnitus dici possit interna vnione corpori Christi, quod est Ecclesia, quod quidē verissimū est.

Nos tn modum loquendi pluriū sequimur, qui docent, eos, qui sola externa professione coniuncti sunt fidelib⁹ ceteris, esse veras partes exteriores, atq; adeo ēt membra, licet arida, & mortua, corporis Ecclesiæ. Vide Thomā VValdensem tom.1.lib.2.c.9.nu.10.& c.11.nu.5. Ioannem Driedonem lib.4.de Ecclesiasticis Scripturis, & dogmatibus, c.2.par.2. Petrum à Soto in Confessione Catholica, quam oppositit Confessioni VVirtembergensi, cap.de Ecclesia, & c. de Concilijs, & in Apologia pro eadem Confessione par.1. cap.11. Hosium Cardinalem, lib.3. contra Prolegomena Brentij, & Melchiorem Canum lib.4.de Locis Theologicis, cap.vlt.ad argumentum XII.

Ac Primvm hæc sntia demonstrari potest ex illis verbis Ioannis: *Et nūc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nā si fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum*, 1.Ioan.2. Hoc.n.loco Ioannes de hæreticis loquitur, quos Antichristos vocat, & dicit eos, anteq̄ exirent, non fuisse ex nobis, id est, non fuisse Catholicos aīo ac voluntate, sed hæreticos, atq; Antichristos, & tn ex nobis exiuisse, quia etsi non erant ex nobis, animo, ac voluntate, erant tamen ex nobis externa professione; sed posteaquam se prodiderunt, & in apertum schisma proruperunt, iam desierunt omnibus modis esse ex nobis.

Et quanquam S. Avgvstinvs aliqn illa verba: *Non erant ex Nobis*; exponit de prædestinatione, tn in commentario huius loci exponit de hæreticis occultis. Sic n.ait Tract.3.in epist. Ioannis: *Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent: antequam exirent ergo, non erant ex nobis. si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, nō exierunt, & tamen Antichristi sunt.* Et infrà: *Et qui intus sunt, certè sunt in corpore Domini nostri* Iesv *Christi quando adhuc curatur corpus ipsius; & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quo humores mali; quando euomuntur, tunc releuatur corpus; sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur; & dicit, quando eos euomit, atq; proiecit corpus, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cùm inessent.* Eodem modo exponit lib.3.de Baptismo, cap.19.& Tract.61.in Ioannem, quorum locorum verba infrà adferemus.

Secvndo demonstratur hoc idem ex testimonijs eorum Patrum, qui communi consensu docent, eos, qui sunt extra Ecclesiam, nullam habere auctoritatē, aut iurisdictionem in Ecclesiam. Vide Cyprianum lib.1.epist.6.& lib.2.epist.1. Optatum lib.1. contra Parmenianum. Ambrosium lib.1.de pœnitentia, c.2. Hieronymum in Dialogo contra Luciferianos. Augustinum in Enchiridio, c 65. & Celestinum Papam in epistola ad Clerum Constantinopolitanum, & in altera ad Ioannem Antiochenum quæ habetur in 1. tomo Concilij Ephesini, c.18.& 19.& citantur etiā à Nicolao I. in epistola ad Michaelem.

Et sanè ipsa rō manifestè hoc idem docet: quo pacto n.cogitari, aut fingi ēt potest, vt is habeat iurisdictionē, & proinde sit caput Ecclesiæ, qui non est mēbrum Ecclesiæ? quod.n.vnquam fuit caput, quod nō fuerit membrum? certum est aūt, quidquid vnus, aut alter senserit, occultum hæreticum, si Episcopus, aut ēt summus Pontifex esset, non amittere iurisdictionem, nec dignitatem, aut nomen capitis in Ecclesia, donec aut ipse se ab Ecclesia publicè separet, aut conuictus hæreseos inuitus separetur; nam propterea Celestinus, & Nicolaus locis citatis dicunt, Episcopum hæreticum, ex quo hæreses prædicare cœpit, neminē potuisse soluere, vel ligare, quia nimirum antequam publicè prædicare inciperet, etiamsi corde iam concepisset errorem, adhuc poterat soluere, & ligare. Qd item confirmatur ex can. Audiuimus, 24.q.1. vbi sic legimus: *Sin autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit.* Adde, quod si occulti hæretici nullā habere possent iurisdōnem, redderentur incerti omnes actus, qui ex iurisdictione dependent, quod non parū Ecclesiam vniuersam perturbaret. Iam ergo si is, qui non est in Ecclesia, non potest habere auctoritatē in Ecclesiam, & hæreticus occultus habere potest, & aliquando re ipsa habet auctoritatem in Ecclesiam, certè hæreticus occultus esse potest in Ecclesia.

Tertio idem probatur ex Origene. Augustino, & Gregorio. Origenes homil.21.in Iosue: *Etiam hic*, inquit, *in Hierusalem, id est, in Ecclesia sunt quidā Iebusæi, qui, & fide, & actibus peruersi sunt.* Nec dubium est, quin loquatur de occultis, nam statim adiungit: *Neque enim dicimus de ijs, qui manifestè, & euidenter criminosi sunt, vt non de Ecclesia expellantur.*

Avgvstinvs lib.3. de Baptismo c.19. *Huius*, inquit, *fraternæ caritatis inimici, siue aperte foris sint, siue intus esse videantur. Pseudochristiani sunt, & Antichristi, inuentis.n.occasionibus foras exeunt. Sed ēt si occasiones desint, cùm intus videntur, ab illa inuisibili caritatis cōpage separati sunt.* Hæc Augustinus, qui cū de occultis hæreticis dicit, eos videri esse in Ecclesia, non significat, eos nō esse reuera, sed non esse eo mō, quo esse vñr. Vñr.n.esse vniti interna & externa coniunctione, mēbris ceteris, & tn non sunt vniti, nisi coniunctione externa. Nā si reuera nullo mō essent intus, sed tm esse viderent, pari rōne, non verè exirent, qn apertè se produnt, sed exire viderent. Augustinus aūt dicit, inuentis occasionibus foras exeunt, & addit, eos esse separatos quidem, ēt anteq̄ exeant, sed ab inuisibili caritatis compage, non ab externa Ecclesiæ cōione. quēadmodū intelligi debet ēt, qd idē Augustinus dicit lib.4.cap.16. vbi dicit, hæreticos occultos separatos esse iudicandos, licet ipsi nō exeant. loquit enim de separatione interna, non de externa. neque proprium est hoc, apud Augustinum, hæreticis occultis, sed omnibus peccatoribus, quos Augustinus affirmat non esse in corpore Christi, vt patet ex locis citatis capite superiore. Pergit loco notato Augustinus: *Vnde*, inquit, *Ioannes dixit, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, non ait, quod exeundo alieni facti sunt, sed quod alieni erant, propter hoc eos exisse declarauit.* Dicit & Apostolus Paulus, de quibusdam, qui circa fidem aberrauerant, in vna magna domo eos fuisse, credo quod nondum exierant.

Item lib.4.c.10. *Aut si zizania*, inquit, *sola dicenda sunt, quæ vsque in finem in maligno errore perdurāt, & foris multa frumenta sunt, & intus multa zizania.* Quorum verborū hic vī esse sensus, vt intelligamus, extra Ecclesiam esse multos manifestos hæreticos, qui tandem conuertentur ad veram fidem; & intus in ipsa Ecclesia esse multos occultos hæreticos, qui nunq̄ conuertentur. Idem habet lib.1. de ciuit. Dei, c.35. *Meminerit sanè*, inquit, *in ipsis inimicis suis latere ciues futuros, sicut ex illorum numero etiam Dei ciuitas habet secum connexos communione Sacramentorū.* Vbi illud est obseruandum, de inimicis, qui sunt extra Eccl̄am, Augustinū dixisse, eos esse ciues, sed futuros, quia mō non sunt ciues, sed erunt tpe suo. at de inimicis, qui latent intra Ecclesiam, nō dixisse inimicos futuros, sed prēsentes, iam.n.sunt in ipsa Ecclesia,

cùm

cum tamen pertineant ad numerum inimicorum.

Rursum Tract. 61. in Io. tractans illud Io. 13. vbi legimus, Christum exeunte Iuda turbatum fuisse: *Hoc nobis*, inquit, *Dominus significare sua turbatione digna tus est, quod. s. falsos fratres, & Dominici agri illa zizania, ita necesse est vsq; ad messis tempus inter frumenta tolerari, vt quãdo ex eis aliqua separari & ante messem vrgens caussa compellit, fieri hoc sine Ecclesiæ perturbatione non possit. Hanc perturbationẽ sanctorum suorum, per schismaticos, & hæreticos futurã, quodammodo prænuncians Dominus præfiguravit in seipso, cum exuturo inde homine malo, & commixtionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissima relicturo, turbatus est, nõ carne, sed spiritu.* Et infrà declarat, qũo Iudas vnus esset ex discipulis Dñi, & tamen iam typum gereret hæreticorum: *Vnus*, inquit, *numero non merito; vnus specie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adiunctione, non cordis socius vnitate.* Et infrà: *Virumq; verũ est, & ex nobis; & nõ ex nobis. Secundũ aliud ex nobis; secundum aliud non ex nobis. Secundum cõionem Sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.* Itẽ lib. de gestis cũ Emerito; cap. 1. *Quidam*, inquit, *adhuc corde positi in parte Donati præsentiam nobis exhibent corporalem, carne intus, foris spiritu.*

Deniq; in libro de catechizandis rudib. c. 17. distinguit tria gña Chr̃ianorum, hæreticos occultos; malos Catholicos, bonos Catholicos: *Sunt*, inquit, *qui ppea volunt esse Christiani, vt aut promereantur hoies, a quibus t palia commoda exspectant, aut quia offendere nolunt, quos timent; sed isti reprobi sunt, etsi ad tps eos portat Ecclesia, sicut area vsque ad tps ventilationis paleã sustinet. Si non se correxerint, & pp futuram sempiternam requiem Christiani esse cœperint, in fine separabuntur. nec sibi blandiatur, qđ in area esse possunt cũ frumento Dei, qa in horreo cũ illo non erũt, sed igni debito destinabuntur. sunt & alij meliori quidẽ spe, sed tamẽ nõ minore periculo, qui iam Deũ timent, & non irrident Christianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei, sed in ista vita exspectant felicitatem.* Vbi manifestè vides, ex collatione horum duorũ generũ hoium, primũ illud esse eorũ, qui Deũ non timent, sed irridentes Christianum nomen, & ficto corde intrant Ecclesiam, & tñ in ea sunt, & manent, ac numerum faciunt, donec aperta discessione non separantur.

Gregorius lib. 13. moral. c. 4. explicans illa verba Iob 16. Rugę meę testimonium dicunt contra me: *Quid*, inquit, *per rugas nisi duplicitas designatur? Rugæ itaq; sunt sanctæ Ecclesię oes, q. in ea dupliciter viuunt; qui fidẽ vocibus clamãt, operibus denegant. Hi inimirũ pacis t pe, quia huius mundi potestatib. eandẽ fidẽ honori esse conspiciũt, fideles se esse mentiuntur: sed cũ sanctam Ecclesiam subitæ aduersitatis procella turbauerit, illico ostendunt qđ in perfida mente moliuntur.* Et infrà: *Sed qa nunc intra sinum fidei multos & reprobos tenet, cũ tps persecutionis exarserit, ipsos hostes patitur, quos prædicationis verbis alere ante videbatur. Dicat ergo, rugæ meę testimoniũ dicũt cõtra me. i. ipsi me insequendo increpant, qui nũc in meo corpore positi duplicitatis suæ in se malitiã nõ emendãt.* Et infrà: *Etiã pacis suę t pe sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea multi, qui de æternitatis promissione diffidunt, & tamẽ se fideles esse mentiuntur, sed cũ malitia tps eruperit, is qui nunc metuẽs derogat ad cõtradicendum, ante faciẽ venit, quia verbis veræ fidei apertis vocib. obsistit.*

Qvarto probat rõne, ac primùm similitudo corporis humani id qđ quærimus suadere potest. Est. n. Ecclesia similis corpori humano, vt Apostolus docet Rom. 12. & 1. Cor. 12. in cui pote aũt humano multa ac varia esse videmus partium gña, ita vt qđã viuant, & sentiant, qđã viuant, & nõ sentiant, quędã nec viuant, nec sentiant, vt notũ est. Igitur in Ecclesia quoque nihil impedit, quo minùs sint aliqui, q̃ habeãt fidem, & caritatẽ; quidã solã fidem; quidam ne ipsam quidem fidẽ, sed externam duntaxat coniunctionẽ.

Deinde si ij, qui fide interna carẽt, nõ sunt, nec esse pñt in Ecclesia, nulla erit inter nos, & hr̃ticos amplius qõ de Ecclesię visibilitate, proinde (qđ ego certè magnifacio) supuacanęa erũt tot eruditissimorũ hominũ disputationes, q̃ hactenus prodierũt. Oẽs. n. q hactenus scripserũt, id objiciunt Lutheranis, & Caluinistis, quod Ecclesiam inuisibilem faciant. Nullam autem futuram amplius quęstionem, ita probo.

Lutherani, & Caluinistę signa visibilia quędam & externa Ecclesię statuunt, nimirum prędicationem verbi Dei, & Sacrorum administrationem, & constanter docent, vbicunq; hęc signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. quia tñ solos iustos, & pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, & nemo potest certò scire, qui sunt verè iusti, & pij inter tàm multos, qui iustitiam, & pietatem exterius prę se ferunt, cùm certum sit, multos vbiq; esse hypocritas, & falsos fratres: Idcirco nostri rectè concludunt, eos facere Ecclesiam inuisibilem. Porro Lutheranis, & Caluinistis iustitia in sola fide consistit, idemque est apud eos, Ecclesiam esse cętum iustorum, & piorum, & esse cœtum verè credentium; quis nõ igitur videt, nos cum illis planè conuenire, si oẽs illos ab Ecclesia excludamus, qui veram fidem in corde nos habent?

Ad Haec, necesse est, vt nobis certitudine infallibili cõstetq; cœtus hoium sit vera Chr̃i Eccl̃ia; nã cũ Scripturę traditiones, & oĩa planè dogmata ex testimonio Eccl̃ię pẽdeãt, nisi certissimi simus, q̃ sit vera Eccl̃a, incerta erũt prorsus oĩa. At nõ põt certitudine infallibili nobis constare, q̃ sit vera Eccl̃ia, si fides interna requiritur in quolibet mẽbro, seu parte Eccl̃ę; qs enim certò nouit, in quibus sit ista fides? non igitur fides, aut aliquid aliud inuisibile, & occultum requiritur, vt quis aliquo modo pertineat ad Ecclesiam.

Respondent quidam ad hoc argm̃ dupliciter. Primo, satis certò posse cognosci cœtum hominum fidelium, ita vt etiam videri dicatur, si effectus fidei conspiciatur, qualis est protestatio, & confessio fidei; nam etiã hominem verè & propriè videre dicimus, cùm tñ animum non videamus nisi in suis effectib⁹. Secundo addunt, non esse necessarium, vt constet nobis distinctè qui sint illi hoies, qui Ecclesiam faciunt, sed satis esse, si assignemus quendam cœtum hoium, intra quẽ certò sciamus, vel credamus esse oẽs illos, qui ad Ecclesiã pertinent. Siquidẽ si cui ostenderetur populus Romanus vniuersus in foro, aut in theatro, vbi tñ essent etiã aliqui externi admisti, verè diceretur illum vidisse populum Romanum, tametsi discernere non potuisset Romanos ab externis.

Sed neutra solutio vr̃ satisfacere; ac prior quidem facilè refellitur; nã cognitio illa ex effectis nõ est certa, sed coniecturalis, neq; exemplum hominis cõuincit, nã imprimis effectus vitę in hoie naturales sunt, & necessarij, effectus aũt fidei liberi sunt, ac voluntarij, proinde multò minus certi. Deinde nec ipsum hominẽ ita videmus, vt certitudine infallibili nobis cõstet, eum quẽ videmus esse hoiem; siquidẽ fieri põt, vt cum nos hominẽ videre credimus, Angelum, aut dęmonẽ videamus in forma humana. Certè Abraham, Loth, Tobias, & alij in testamento veteri, non rarò hoies esse crediderunt, qui Angeli erant? nos autem infallibilem certitudinẽ de Ecclesia habere volumus qualem habemus, non de ipso hoie, sed de figura, & externis coloribus ac lineamentis corporis humani, in quorum visione decipi non possumus.

Posterior verò solutio multis de caussis non satisfacit. Primo, quia potest fieri, vt adeo crescat aliquando numerus hypocritarum, vt plures sint hæretici occulti, quàm veri ac perfecti Catholici; tum autem

autem non posset quisquã verè dicere, hic cœtus est Ecclesia Christi, quandoquidẽ in eo cœtu, quẽ ostendit, maior pars ad Ecclesiam non pertinet, nec ipse scit, qui sint illi pauci, qui Ecclesiam faciunt, & q̃uis sperandum sit, maiorem partem eorum, qui profitentur fidem, esse synceros, id tamen non est certum.

SECVNDO, quia cùm nunquam tota Ecclesia in vnum locum conueniat, ita vt possimus certò dicere, in hoc cœtu est Ecclesia, sed sparsa sit per varia loca, & de nulla parte certi simus, an non sit tota illa pars sine vera fide, quocunque iuerimus, semper erimus dubij, an communicemus cum vera Christi Ecclesia. Neque his repugnat, quod alibi scripsimus, Romanam Ecclesiam particularem non posse destitui vera fide; nam nec ipsa Romana Ecclesia particularis tota simul alicui conuenit, sed sparsim congregatur in varijs Basilicis, quæ sunt in Romana ciuitate, nec certò scimus certitudine infallibili in eo cœtu, ad quem nos fortè accedimus, non esse omnes sine vera fide in corde.

TERTIO, quia posset etiam fieri, vt totum generale Concilium esset extra Ecclesiam; quid enim magnum esset, si inter tot millia profitentium Christi fidem, trecenti, vel quadringenti homines, qui ad Concilium conueniunt, fide vera carerent? ita nimirũ res alioqui notissimæ, & quas certissimas esse oportet, in dubium reuocabuntur. Certè Brentius, vt in disputatione de Concilijs annotauimus, ea ratione Conciliorum auctoritatem eleuat, quia non sumus certi, an vllus eorum Patrum fidem veram in corde habuerit, & proinde in Ecclesia Dei fuerit, non enim est columna & firmamẽtũ veritatis falsa Ecclia, sed vera.

QVARTO, quia si non scimus distinctè, qui sint, qui Ecclesiam constituunt, non tam scimus, quæ sit Ecclesia, q̃ vbi sit, seu potius vbi lateat Ecclesia, quod quidem nõ satis est ad Ecclesiæ visibilitatem saluandam, de qua in sequenti capite disputandum erit: sed iam quid aliqui obijciant, videamus.

Obijciunt PRIMO, fundamentum & quasi formã Ecclesiæ esse fidem, cùm legamus 1. Cor. 3. *Quasi bonus architectus fundamentum posui*. Et: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus* IESVS. Ad Ephes 2. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV. Ephes. 4 *Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptisma.*

RESPONDEO, formam Ecclesiæ nõ esse fidem internã (nisi Ecclesiam inuisibilem habere velimus) sed externam, id est, fidei confessionem, id quod apertissimè docet S. Augustinus libro 19. contra Faustũ, cap. 11. & experientia idem testatur; illi enim admittuntur ad Ecclesiam, qui profitentur fidem. In locis autem allegatis fides non dicitur forma, vel fundamentum Ecclesiæ, sed fundamentum iustitiæ, vel doctrinæ, quæ est in Ecclesia; adde, quòd Scripturæ, sicut in Ecclesia ponunt fidem, ita etiam ponunt caritatem, & omnia dona Spiritus sancti, & tamẽ nemo Catholicorum docet, non esse de Ecclesia eos, qui caritate & donis Spiritus sancti carent.

Obijciunt SECVNDO, definitionem Concilij Lateranensis, quæ habetur ca. Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica: vna est fideliũ vniuersalis Ecclesia, extra quam nemo saluatur: cui similis est definitio Nicolai Papæ, quæ habetur de consecrat. dist. 1. can. Ecclesia, Ecclesia est Catholicorum collectio, nõ sunt autem fideles & Catholici, qui fidem in corde non habent, etsi eam ore profiteantur.

RESPONDEO, nõ esse has Ecclesiæ definitiones; nã Concilij Lateranense solùm asserere voluit, Ecclesiã esse vnam, non aũt quid sit Ecclesia, accuratè describere Appellauit aũt Ecclesiam fidelium, quia hoc nomine distinguuntur Christiani baptizati, tum ab ijs, qui manifestè infideles sunt, tum ẽt à catechumenis. Propriè n. apud veteres catechumeni non dicebãtur fideles, vt suprà ostendimus. Itaq; idem est, ac si Concilium dixisset, Christianorum Ecclesia vna est, non multæ. Adde SECVNDO, posse ẽt nomen fidelis accipi pro eo, qui fidem publicè profitetur, quemadmodũ mox dicemus de nomine, Catholicus. Adde TERTIO, verissimè ẽt dici potuisse, Ecclesiam fideliũ, id est, eorum, qui veram fidem habent in corde, vnam esse; Ecclesia enim præcipue, & ex intentione fideles tantùm colligit; cùm autem admiscentur aliqui ficti, & qui verè non credunt, id accidit præter intentionem Ecclesiæ. Si enim eos nosse posset, nũquam admitteret, aut casu admissos continuò excluderet.

Porrò in verbis illis Nicolai Papæ: *Ecclesia est Catholicorum collectio*, necessariò cogimur dicere, vocari Catholicos eos, qui fidem Catholicam profitentur, quidquid sit de fide interna; iubet enim Nicolaus, vt non fiant Ecclesiæ, id est, vt ipse exponit, Catholicorum collectiones, sine nutu sedis Apostolicæ. Planũ autem est, non aliter fieri posse Catholicorum collectiones, quàm conuocando in vnum locum eos, qui habentur, & dicuntur Catholici, id est, eos, qui publicè Catholicos se esse profitentur.

Obijciunt TERTIO, testimonia Patrum, qui dicũt, hæreticos non esse verè Christianos, quales sunt Tertullianus lib. de pudicitia, Cyprianus lib. 4. epist. 2. Athanasius serm. 2 contra Arianos, & Augustinus lib. de gratia Christi, c. 11. at Ecclesia Chri non nisi Christianorum esse põt; non igitur ad Ecclesiam pertinẽt, qui veram fidem non habent. RESPONDEO, eos Patres loqui de manifestis hæreticis, qui nec in corde, nec in ore Chri fidem habent. Christianus enim, nomen est professionis, & illi dicuntur Christiani, qui Christi legem ac fidem publicè colunt ac sequuntur.

Obijciunt QVARTO, ante Christi aduentum non solùm Synagogam Iudæorum ad Ecclesiam Dei pertinuisse, sed omnes præterea Gentiles, qui per orbem terræ dispersi, vnum Deum syncerè colebant. Ex quo videtur sequi, vt fides sit Ecclesiæ vinculum, & proinde qui fidem non habet, ad Ecclesiam non pertineat. RESPONDEO, oĩbus seculis eos oẽs & solos Ecclesiã Dei cõstituisse, q̃ simul colligati erant confessione & protestatione, siue ea per sacrificia, siue alio mõ fierẽt, vnius fidei in vnum Deum creatorem cœli & terræ.

Obijciunt VLTIMO. Potissima caussa, cur in Ecclesiæ membris includũntur hæretici occulti, illa esse videtur, vt constet nobis infallibili certitudine, quinam cœtus hominum sit Ecclesia, at hæc certitudo haberi nequit, etiamsi hæretici occulti ad Ecclesiam pertinere dicantur: quod his argumentis cõfirmatur.

PRIMO, non sunt Ecclesiæ mẽbra, qui nõ sunt baptizati, at nemo scit certò, qui sint verè baptizati, tùm quia character Baptismi est inuisibilis, tũ ẽt quia cùm exterior Baptismus exhibetur, pauci adsunt, q̃ videãt, ac proinde ceteri fide humana contenti esse debent.

SECVNDO, Ecclesia non potest esse sine Episcopis & Presbyteris, vt Hieronymus docet contra Lucifer ianos. At quis nouit certò, qui sint veri Episcopi & Presbyteri, cùm id pendeat ab intentione ordinantis, & à charactere inuisibili?

TERTIO, excommunicati non sunt de Ecclesia, vt nos supra docuimus; at multi sunt excõicati occulti, nimirum excõmunicati à iure, ipso facto, & non promulgati coram populo, ex quo cogimur dubitare, cùm aliquem videmus, sit ne ille de Ecclesia, an non?

QVARTO, sæpè accidit, aut certè accidere põt, vt hæretici manifesti alicubi simulẽt se Catholicos, item Iudæi, Turcæ, Pagani, miscentse fidelibus, & tñ aut ipsi de Ecclesia nõ erunt, aut Ecclesiam esse dicemus cœtum hæreticorum, & Paganorum Hypocritarũ.

Respondeo ad PRIMVM, ad hoc, vt aliquis sit de corpore

corpore Ecclesiæ, non requiri characterem, sed exter A num Baptismum: nec externum Baptismum requiri, vt quis censeatur & sit de Ecclesia, sed tantum vt admittatur. Si quis enim petit admitti ad Ecclesiam, id non fiet sine Baptismo. Tamen si quis dicat se baptizatum, & non constet contrarium, admittetur ad Sacramenta cetera, & per hoc erit de corpore Ecclesiæ: & signum huius est, quia si postea innotescat, illum non fuisse baptizatum, siquidem culpa ipsius id sit factum, expelletur de congregatione, nec recipietur, ni si post pœnitentiam baptizetur: at si non culpa eius, non repelletur, sed perficietur in eo, quod deerat, nec iudicabitur non fuisse in Ecclesia, sed iudicabitur intrasse aliunde, quam per ordinariam portam. Vnde Innocentius III. cap. Apostolicam. de Presbytero nõ baptizato, iudicauit Presbyterum non baptizatum B vere fuisse in Ecclesia, & iussit pro eius anima offerri sacrificium, vt pro alijs fidelibus. Et Dionysius Alexandrinus, vt habemus lib. 7. cap. 8. hist. Eccles. iudicauit quendam fuisse vere in ecclesia, quem constabat non vere baptizatum, sed tantum percepisse alia Sacramenta, vt baptizatum.

Hæc videtur fuisse sententia Io. Driedonis li. 4. de script. & dogm. Ecclesiast. cap. 2. part. 2. vbi sic loquitur: *Omnes, qui habentur, tanquam Sacramento fidei visibiliter adscripti Ecclesiæ, secundum pacem quãdam corporaliter cum Christiano populo conuersantes, dicuntur esse in Ecclesia, donec vel iudicio Ecclesiæ separentur, vel sua sponte exeant, ipsam Ecclesiam contemnentes, & per* C *sequentes.* Hæc ille. Qui satis aperte scribit, in ecclesia esse non solum omnes baptizatos, sed omnes etiam illos, qui habentur pro baptizatis. Posset tamẽ etiam responderi, & melius, eos qui non sunt baptizati, & tamen habentur pro baptizatis, esse de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, id est, putatiue, non vere, nec tamen inde sequitur, vt Ecclesia fiat inuisibilis. nam tametsi non possint aliqui probare se esse baptizatos, tamen plurimi probare possunt: & Baptismus natura sua visibilis est.

Ad Secvndvm dico, posse in Episcopis duo considerari. Primo, quod locum Christi teneant, & quod propterea debeamus illis obedientiam, & quod ipsi non possint nos decipere in ijs, quæ necessaria sunt ad salutem. Secvndo, quod habeant potestatem Ordinis & Iurisdictionis. Si Primo modo considerentur, D certi sumus certitudine infallibili, quod isti, quos videmus, sint veri episcopi & Pastores nostri. Nam ad hoc non requiritur, nec fides, nec character ordinis, nec legitima electio, sed solum, vt habeantur pro talibus ab ecclesia. Cum enim sint episcopi propter Ecclesiam, non contra: Deus assistit eis, qui pro talibus habentur, ne errent in ecclesia docenda. Itaque sunt illi veri episcopi, & Pastores, non absolute: sed quo ad illa tria quę diximus. Quod est idem, ac si diceremus, eos non esse quidem in se veros episcopos: tamen donec pro talibus habentur ab ecclesia, deberi illis obedientiam, cum conscientia etiam erronea obliget: item tenere eos locum Christi, de facto non de iure, cum re ipsa populum Christi nomine regant: deniq. non posse ab illis ecclesiam decipi, cum ecclesia non E possit errare, & tamen eos teneatur sequi, quos pro veris Pastoribus habet. Quod postremum sano modo accipiendum est: si videlicet huiusmodi episcopi in doctrina omnes conueniant, aut summi Pontifices sint. neque enim dubium est, quin episcopi particulares, si ab alijs dissideant, errare possint. Si Secvndo modo considerentur, non habemus certitudinem, ni si moralem, quod isti sint veri episcopi, quanquam certum est certitudine infallibili, quod aliqui saltem sint veri, alioqui Deus ecclesiam deseruisset: sed ad hoc, vt teneamus ecclesiam certam & conspicuam, quãtum ad capita & membra, sufficit prima consideratio.

Ad Tertivm dico, excommunicatos occultos esse de ecclesia, numero, non merito: de facto, non de iure.

Ad Qvartvm dico, in primis difficile esse, vt eiusmodi homines non continuo detegantur, sed tamen etiamsi longo tempore deludant ecclesiam, nihil inde incommodi accidere posse: nam ecclesia non eos numerat inter suos, nisi ratione professionis externæ (nec enim de internis homines iudicant) professio autem illa externa sanctissima est, licet ab illis male vsurpetur. Itaque sunt illi de ecclesiæ corpore, dum fidelibus iunguntur eo vinculo professionis & obediẽtiæ, quod ecclesiam vniuersam ligat, & in vnum corpus redigit. Nec tamen sequitur, ecclesiam propterea esse cœtum hæreticorum, & Paganorum hypocritarum: nam etsi pauci quidam tales in ecclesia sunt, tamen certi sumus certitudine fidei diuinæ, in eadem ecclesia multos esse vere fideles, pios & electos, quem admodum etiam in corpore humano inueniuntur, & vngues & capilli, qui non viuunt, & nemo tamen inde colligit, corpus humanum nihil esse, nisi vngues & capillos. Atque hæc dicta sunt iuxta sententiã Driedonis. Nam secundum alteram sententiam, quam nos paulo ante veriorem esse diximus, respondẽdum erit, Iudæos, Turcas, Paganos, nec non manifestos Hæreticos, qui alicubi simulent se esse Christianos & Catholicos, non esse de ecclesia, nisi secundum apparentiam exteriorem & putatiue, non vere. Neque inde sequetur, vt ecclesia fiat inuisibilis: nam si forte necesse sit, cognoscere, an eiusmodi homines sint ecclesiæ Catholicæ membra, nec ne: cogi poterunt, vt essẽt dant admissionem suam ad ecclesiam, id est, vt probent se baptizatos, vel reconciliatos, quæ visibilia, & sensibus externis exposita sunt. Alia verò ratio est de fide, alijsque internis virtutibus, quas qui in omnibus ecclesiæ membris requirunt, ij faciunt ecclesiam plane inuisibilem, & soli Deo notam, vt recte Petrus a Soto Brentianis obiecit.

CAPVT XI.

Proponitur altera controuersia; An ecclesia sit semper visibilis, siue, an errare & deficere possit?

Explicvimvs, quid sit ecclesia, nunc dicendum est, qualis sit. Dissensio inter nos & hæreticos in tribus consistit. Primum enim illi dicunt, veram Ecclesiam esse inuisibilem, soliq. Deo cognitam. Quo loco nota ex Friderico Staphilo in prima Apologia, par. 3. Lutheranos initio ecclesiam inuisibilem fecisse. deinde tamen, cum viderent absurda, quæ inde sequebantur, secreto consilio statuisse, vt ecclesia visibilis diceretur. Itaque cœperunt omnes docere, ecclesiam esse visibilem: sed sic tamen, vt nomine visibilis, re inuisibilis esset.

Ad Primvm Lutherus in libro de seruo arbitrio, cum ei Erasmus obiecisset, non esse credibile, Deum tam longo tempore deseruisse Ecclesiam, respondit, Deum nunquam deseruisse Ecclesiam, sed non esse Ecclesiam Christi illam, quæ vulgo dicitur Ecclesia, id est, Papam, Episcopos, Clericos, Monachos, & ceteram Catholicorum multitudinem, sed Ecclesiam esse quosdam paucos pios, quos, quasi reliquias, Deus conseruat. Et semper hoc fuisse in mundo, vt vera Ecclesia non esset illa, quæ dicebatur Ecclesia, sed pij quidam pauci. Et in lib. contra Catharinum dicit, Ecclesiam esse spiritualem, & sola fide perceptibilem. In libro de abroganda Missa priuata, part. 1. sic loquitur idem Lutherus: *Quis*, inquit, *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in Spiritu, & solum credatur? sicut dicitur: Credo Ecclesiam sanctam.*

Iam MAGDEBVRGENSES cent. 1. li. 1. c. 4. col. 170. A definiũt, Ecclesiã cętum visibilem: tñ col. 171. distinguunt duas ecclesias, & col. 178. dicunt, verã ecclesiã esse cętũ exiguum plerũque: falsam verò, numerosissimum, quia ad veram soli illi pertinent, qui intrant per portam angustam. i. verè pij: quæ ecclesia proinde sit inuisibilis: & col. 181. dicunt, tempore Christi fuisse de ecclesia vera Pastores, Magos, Zachariam, Simeonem, Mariam, Annam: non autem Pontifices & Sacerdotes, quia nimirum illi pij, isti impij erant.

Philippus MELANCTHON in locis, loco 12. qui est de ecclesia, repetit aliquoties ecclesiam esse visibilẽ: tamen ibidem dicit, in controuersijs sequendum esse verbum Dei iuxta confessionem veræ Ecclesiæ: hanc autem veram ecclesiam dicit non esse Pontifices, & Sacerdotes, nec maiorem partem Concilij, sed quosdam pios & electos a Deo illuminatos: & ibidem dicit, tempore Eliæ ecclesiam veram fuisse Eliam, Heliseum, & paucos alios illis adhærentes: non autem ceteram Iudæorum multitudinem. Et tempore Christi ecclesiam fuisse Zachariam, Simeonem, Mariam, Pastores, quia nimirum pij erant.

BRENTIVS in Confessione VVirtemberg. c. de Cõcilijs, dicit, habere ecclesiam Dei promissionem, tamen non esse standum iudicio Cõciliorum, quia pauci sunt ibi electi, & quia sępe maior pars vincit meliorem. Et in Prolegomenis. *Vide*, inquit, *quod faciat* (Petrus a Soto) *Ecclesiã visibilem, & sensibus corporeis perspectam. Defendus igitur erit ille articulus Symboli Apostolici: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam, & erit sic reponendus: Video & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam.* Item CALVINVS lib. 4. Instit. c. 1. §. 7. *Bifariam*, inquit, *de Ecclesia sacræ literæ loquũtur: interdum enim cum Ecclesiam nominant, eam intelligunt, quæ est reuera coram Deo, &c.* Et infra de hac loquens. *Nobis*, inquit, *inuisibilem solius Dei oculis conspicuam credere Ecclesiam necesse est.* Et §. 3. *Ceterum*, inquit, *ad amplexandam eo modo Ecclesiæ vnitatem, nihil opus est Ecclesiam ipsam oculis cernere, aut manibus palpare.*

SECVNDO docent, visibilem ecclesiam interdum ita errare in fide, & moribus, vt penitus deficiat, ita Caluinus in præfatione Instit. *Sed non parum*, inquit, *a vero aberrant, dum Ecclesiam non agnoscũt, nisi quam præsenti oculo cernant.* Et infra. *Fremunt*, inquit, *nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Et infra. *Quin potius*, inquit, *permittamus Deo, vt quando ipse solus nouit, qui sui sint, interdum etiam Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.*

TERTIO docẽt, ecclesiam veram. i. inuisibilẽ non posse quidem deficere, nec errare in ijs, quæ necessario ad salutẽ pertinent, tamen in alijs errare posse. Ita Caluinus lib. 4. c. 8. Inst. §. 13. & alibi. Nos cõtrarium asserimus, ac singula suis argumẽtis confirmabimus.

CAPVT XII.

Ecclesiam esse visibilem.

PRIMVM igitur, quòd vera ecclesia sit visibilis, probatur primo ex Scripturis omnib. vbicunque inuenitur nomen ecclesiæ, nam semper nomine ecclesiæ visibilis congregatio significatur, nec vnum saltẽ locũ Caluinus proferre potuit, nec protulit, vbi hoc nomen tribueretur congregationi inuisibili. Certè cum dicitur Num. 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* Ecclesia vocatur populus ille notissimus Israel, qui exierat de Ægypto. Sic 3. Reg. 8. de visibili ecclesia manifestè loquitur Scriptura, cũ dicit. *Conuertitq; Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: omnis enim Ecclesia Israel stabat.* Mat. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* nomine petræ siue intelligas Christum aut fidei confessionem, vt hæretici volũt, siue Petrum, vt nos credimus, semper fundamentum ecclesiæ est aliquid sensibile vt patet, ac proinde ecclesia ipsa est sẽsibilis, siue visibilis, nam etsi nunc neque Christum, neque Petrum videamus, tamen tunc vterque sensibus corporeis expositus erat ad videndum, & nunc vterque videtur, non in se, sed in vicario, aut successore suo. Sicut Regnum Neapolitanũ non ideo est inuisibile, quia Rex abest, nam Rex videtur in suo Prorege. Mat. 18. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, &c.*

Certè neutrum seruari posset, si esset ecclesia inuisibilis, Act. 28. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiã Dei.* Quomodo poterant regere ecclesiam, quam non nouerant? Act. 15. *Illi quidem deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem.* Et ibidem. *Cum venissent Hierosolymam, susceperunt sunt ab Ecclesia.* Et c. 18. *Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam.* Quomodo ista conueniũt Ecclesiæ inuisibili? 1. Corinth. 15. Gal. 1. & Philip. 3. Paulus dicit, se persequutum ecclesiam Dei, at notũ est, quos persequebatur, ex Actis Apost. c. 9. Denique 1. Timoth. 3. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, vt scias, quo modo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, &c.* At sanè non poterat in ea conuersari, nisi sciret, quæ nam esset.

SECVNDO, probatur ex alijs Scripturis, vbi nõ nominatur, sed tñ aperte describitur ecclesia, Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* exponit Augustin. tract. 2. in epist. Ioann. In manifesto posuit ecclesiam suam, vt, sicut Sol non potest omnino latere, ita nec ecclesia possit abscondi. Item Isaiæ 2. Daniel 2. & Micheæ 4. comparatur ecclesia monti magno & conspicuo, qui nullo modo potest latere, secundum communem expositionem Hieronymi in ea loca, & Augusti ni tract. 1. in epist. Ioannis. Item illud Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Augustinus lib. de uni. eccl. c. 14. & alibi passim exponit de ecclesia. Denique, parabolæ Euangelicæ de area, de reti, de ouili, de conuiuio, &c. omnes ostendũt ecclesiã ueram, quæ est regnum cęlorum, esse uisibilem.

Probatur TERTIO, ex ipso ortu, & progressu ecclesiæ: nam, vt omittamus statum Testamenti veteris, in quo adeo uisibilis erat ecclesia, vt in ipsa carne portarent uisibile signum circumcisionis: In Testamento nouo sine dubio ecclesia Christiana tota erat in principio in Apostolis & discipulis Christi, qui adeo uisibiles erant, vt super illos uisibiliter Spiritus sanctus descenderit in die Pentecostes. Deinde, istis additi sunt uisibiliter una die homines ad tria millia, & rursum ad quinque millia, per fidei Confessionem & Baptismum, vt patet actor. 1. 2. 3. & 4. ac deinceps semper illi omnes, & soli habiti sunt de ecclesia Christi, qui ad illos primos se adiunxerũt per Baptismum, & Confessionem fidei, & inde non recesserunt per hæreses, aut schismata, uel expulsi non sunt per excommunicationem.

QVARTO, probatur ex ipsa ratione ecclesiæ, ecclesia enim est societas quædam, nõ Angelorum, neque animarum, sed hoc ium. Nõ autem dici potest societas hominum, nisi in externis & uisibilibus signis consistat, nam non est societas, nisi se agnoscant ij, qui dicuntur socij, non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis uincula sint externa & uisibilia. Et confirmatur ex more omnium humanarum societatum, nam in militiam, in ciuitatẽ, in regnum, & alia similia non aliter homines adscribũtur, quàm signis uisibilibus. Vnde Aug. lib. 19. contra Faustum, c. 12. *In nullum*, inquit, *nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.*

QVINTO, tempore Christi, ut uolunt Philippus & Illyricus, ecclesia solũ erat in Zacharia, Simeone, Anna,

na, Maria, & paucis alijs pijs, non ãt in Pontificibus, & cetera multitudine Iudæorum. At constat, q̃ Zacharias, Simeon, & ceteri communicabant cũ Pontificibus in templo, sacrificijs, &c. Nã Zacharias in eodẽ tẽplo sacrificabat: Anna ab eo tẽplo nõ recedebat: Maria ibat singulis annis ad templum illud: Christus ipse mittebat leprosos ad Sacerdotes, & dicebat: *Quæ dicunt, facite*, ergo, vel male faciebant isti cõicãdo falsæ Ecclesiæ: vel male faciunt Lutherani non communicando nobiscum, & non obediendo Pontifici.

SEXTO, probatur ex necessitate: nam tenemur omnes sub periculo æternæ mortis veræ Ecclesiæ nos adiungere, & in illa perseuerare, id est, capiti eius obedire, & ceteris membris communicare, vt patet ex Cypriano de simplicitate Prælatorum: Hieronymo in epist. 1. ad Damasum de nomine hypostasis, & Augustino libr. 4. de Baptismo, cap. 1. At hoc fieri non potest, si est Ecclesia inuisibilis.

SEPTIMO, ex dictis quæstione superiore: si enim ecclesia est congregatio hominum vtentium Sacramẽtis ijsdem, & fidem Christi profitentium, sub regimine legitimorum pastorum, vt ibi probatum est, sequitur necessario eam esse visibilem.

VLTIMO, testimonijs veterum. ORIGENES homil. 30. in Matthæum, *Ecclesia*, inquit, *plena est fulgore ab Oriente vsque ad Occidentem*, &c. CYPRIANVS libro de vnitate Ecclesiæ: *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit*, &c. CHRYSOSTOMVS homil. 4. in c. 6. Isaiæ, *Facilius*, inquit, *Solẽ extingui, quam Ecclesiam obscurari*. AVGVSTINVS lib. 3. contra epist. Parmeniani, cap. 5. *Nulla*, inquit, *est securitas vnitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quæ supra montem vt dictum est, constituta, abscondi non potest*. Tract. 1. in epistolam Ioannis: *Nunquid digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? nonne aperta est?* Et Tract. 2. *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? Qui contra lucernam, in candelabro positam, oculos claudunt?*

CAPVT XIII.

Ecclesiam visibilem non posse deficere.

IAM, quod Ecclesia ista vera & visibilis non possit deficere, facile probari potest. Notandum autẽ est, multos ex nostris tempus terere, dum probant, absolute Ecclesiã nõ posse deficere: nã Caluinus, & ceteri hæretici id concedũt: sed dicũt, intelligi debere de ecclesia inuisibili. Probare igitur volumus, ecclesiã visibilẽ nõ posse deficere: & noie ecclesiæ nõ intelligim⁹ vnum, aut alterũ hominẽ Christianũ, sed multitudinem congregatam, in qua sint Prælati, & subditi.

PRIMVM, id ostenditur ex Scripturis, vbi aperte nominatur Ecclesia, Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduersus eam*. Cui similis est ille 1. Timoth. 3. *Vt scias, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*. In vtroque loco agitur de ecclesia visibili, vt ostẽdimus, & tñ audiuimus ipsam veritatem asserentem, portas inferorum non præualituras contra eam Ecclesiam.

SECVNDO, ex aliis locis, vbi aperta est promissio sine nomine Ecclesiæ, Matt. vlt. *Ecce ego vobiscũ sum vsque ad consummationẽ seculi*. Quæ verba ad Ecclesiam visibilem dicta sunt, nimirũ ad Apostolos, & discipulos ceteros, quos in die ascensionis suæ Dominus alloquutus est: & cũ illi homines non essent permansuri in corpore vsq. ad mundi consummationem, necesse est dicere hanc promissionem pertinere ad eorum successores. Itaq. hunc locũ de Ecclesiæ perpetua duratione intelligũt LEO I. in epist. 31. ad Pulcheriam Augustam, & LEO II. in epistola ad Constantinũ Augustũ.

Præterea Ephes. 4. *Et ipsi dedit quosdam quidẽ Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, et Doctores ad consummationẽ Sanctorũ in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis Filij Dei, in virũ perfectũ, & mensurã ætatis plenitudinis Christi*, vbi Apostolus docet, mansura in Ecclesia ista ministeria pastorũ & doctorum, & continuã ædificationem corporis Christi; & proinde visibilem Ecclesiam, vsque ad diẽ iudicij, nam quando sola esset in mundo Ecclesia inuisibilis, non inuenirentur ista ministeria, quæ non possunt exerceri, nisi se pastores & oues agnoscant: & notãdũ, quod licet veteres intelligant hunc locum de spirituali mensura corporis mystici: recẽtiores autẽ de corporali mensura corporum, quæ dicunt futura tantæ magnitudinis, quãtæ fuerunt vel fuissent in perfecta sua ætate: tamen omnes intelligunt hunc locum de nouissimis diebus, quando complebitur numerus electorum. Vide Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei, c. 15. 17. & 18. vbi vtramque explicationem tangit.

Præterea Psal. 47. *Deus fundauit eam in æternum*. i. Ecclesiam suam, quæ est ciuitas eius, & Augustinus exponit, & res ipsa clamat. nã totus Psal. est de fundatione Ecclesiæ Christianę, tanquam nouæ & visibilis ciuitatis. incipit. n. *Magnus dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione vniuersæ terræ*, &c. Item Isaiæ 61. (quod caput intelligi de Ecclesia noui Testamẽti, docuit Christus Lucæ 4. cum in Synagoga citauit, & exposuit de aduẽtu suo initiũ huius capitis. *Spiritus Domini super me*, &c.) sic habetur. *Et fœdus perpetuũ feriã eis: & scietur in Gentibus semen eorũ, & germen eorũ in medio populorũ: omnes qui viderint eos, cognoscẽt illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*. Profecto tã est perspicuus hic locus, vt expositione non egeat. Qũo. n. inuisibilis erit ille cœtus, de quo dicitur: *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, q̃a isti sunt semen, cui benedixit Dominus*?

Accedant TERTIO testimonia ex parabolis, quib⁹ omnium cõsensu significatur Ecclesia. Area enim in qua sunt grana & paleæ, & rete, in quo sunt boni & mali pisces, & ager, in quo sunt boni & mali discũbẽtes, & ouile, in quo sunt oues & hœdi, significant Ecclesiam visibilẽ, vt ẽt hæretici fatentur. Nam ecclesia inuisibilis non habet malos & bonos, sed tm̃ bonos, secundum eorum sentẽtiam. At eædem parabolæ docent, istam Ecclesiam visibilem nunquam interituram vsque ad diem iudicij, nam Matth. 3. dicitur: *Ipse permundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. quod sine dubio non fiet ante diem iudicii. Et Matt. 13. dicit: *Simite vtraque crescere vsque ad messem*. Et infra: *Messis autem consummatio seculi est*. Et infra: *Sic erit in consummatione seculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum*, &c.

QVARTO, probatur ex Scripturis, quæ loquuntur de regno Christi. Psal. 88. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternũ, & testis in cœlo fidelis*. Ibidẽ: *Et ponã in seculũ seculi semẽ eius, et thronum eius sicut dies cœli*. Dan. 2. *In diebus ãt regnorũ illorũ suscitabit Deus cœli Regnum quod in æternum non dissipabitur: & Regnum eius alteri populo non tradetur*, &c. Et Luc. 1. *Et Regni eius nõ erit finis*. ista loca non possunt intelligi, nisi de vera & visibili Christi Ecclesia nunquam interitura. Nam Regnum Christi sine dubio ẽ vera eius Ecclesia. Neque regnũ dici possunt aliquot homines occulti, & dispersi, & separati ab inuicem, qui se non nouerunt, qualis est Ecclesia inuisibilis Lutheranorum. Regnum. n. est multitudo hominum congregatorum, qui se inuicem nouerunt.

Præterea in Psal. 88. vbi dicitur Christi Regnum æternum, dicitur etiam, quod in eo sint boni & mali, ac proinde, quod Ecclesia sit visibilis: *Si autem dereliquerint filij eius*, inquit, *legem meam, & iustitias meas*

nõ custodierint, &c. visitabo in virga iniquitatẽ eorũ, & in verberibus peccata eorũ: misericordiã autẽ meã nõ dispergã ab eis, &c. Quem locum pulchre exponit de flagellis ecclesiæ S. Cyprianus in serm. de lapsis. In illo etiã cap. 2. Dan. vbi dicitur, Regnum Christi perpetuum: legimus quoque illud Regnum, esse montem magnum implentem omnem terram, quem Isaias c. 2. & Mich. cap. 4. vocabant montem manifestum, secundum LXX.

QVINTO, probatur testimonijs veterum: Origenes & Chrysostomus locis citatis id affirmant: sed clarius Augustinus, & Bernardus. AVGVSTINVS in Ps. 101. concion. 2. disputans contra Donatistas, qui totam ecclesiam visibilem perijsse dicebant, & in solis quibusdam iustis in Africa remansisse: *Sed*, inquit, *illa Ecclesia, quæ fuit omnium Gentium, iam non est, periit, hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem, illa nõ est, quia tu in illa non es. Vide, ne tu ideo non sis, nam illa erit, etsi tu non sis.* Et infra ecclesiam ita loquentem introducit: *Quamdiu ero in isto seculo? annuncia mihi, propter illos, qui dicunt, fuit, & iam non est, apostatauit, & periit ecclesia de omnibus Gentibus: & annunciauit, nec vacua fuit vox ista: quis annunciauit mihi, nisi ipsa via? Quando annunciauit? Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Similia habet in Psal. 147. & libr. de vnitate ecclesiæ, ca. 13. & 20. & alibi.

Neque responderi potest, loqui Augustinum de ecclesia inuisibili: nam illam non perijsse, nec periturã, Donatistæ admittebant, & ad se trahebant illud: *Ego vobiscũ sum vsque ad consummationẽ seculi*, vt Augustinus refert loco notato in Psa. 101. BERNARDVS serm. 79. in Cant. in illud: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ: *Ita est*, inquit, *& tunc, & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec caritas de Ecclesia: Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eã, & non cecidit, eo quod fundata esset super petrã: petra autẽ erat Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs persequutorum, potuit ista, aut poterit aliquãdo separari a caritate Dei, &c.* Nec possũt hæc intelligi de ecclesia inuisibili: nam illam non persequuntur gladij tyrannorum, nec verbositas Philosophorum, nec cauillationes hereticorum: Itaq. visibilis ecclesia non deficiet. Accedat Vincentius Lyrinẽsis, qui in suo commonitorio tanquam errorem grauissimum reprehendit Nestorij sententiam, qui dicebat, totam ecclesiam errasse, in mysterio Incarnationis, eo quod cæcos Doctores sequuta esset.

VLTIMO, probatur hoc idem naturali ratione. PRIMVM. n. si aliquando sola maneret in mundo ecclesia inuisibilis, aliquãdo etiam esset impossibilis salus ijs, qui sunt extra ecclesiam. Nam non possunt saluari, nisi in ecclesiam ingrediantur, quemadmodum tempore Noe peribant necessario, qui non habebant aditum ad arcam: at non possunt ingredi in Ecclesiam, quam ignorant, igitur non habent remedium.

PRÆTEREA, de ratione vnius veræ ecclesiæ est, vt sit visibilis, ergo si ecclesia visibilis perit, nulla vera ecclesia remanet.

DENIQVE, vel homines illi occulti, qui ecclesiã inuisibilem constituunt, profitentur palam fidẽ suã, & abstinent ab idolorum cultura, vel non: si profitẽtur, ergo non est ecclesia inuisibilis, sed maxime visibilis, sicut erat tpe Martyrum: si non profitentur, ergo nulla est ecclesia: nã nõ est ecclesia vera, in qua nulli sunt boni, & qui saluentur: non autẽ sunt boni, nec saluantur, qui non confitentur fidem, sed ea in corde retẽta, exterius profitentur perfidiam & idololatriã, cum ad Rom. 10. dicat Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore aũt confessio fit ad salutem.* Et Matth. 10. *Omnis, qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Ergo implicat contradictionẽ, ecclesiã esse, et carere omninõ forma visibili, nisi ponatur extra mundum, vbi nunquam sit necessarium fidem confiteri.

CAPVT XIV.

Ecclesiam non posse errare.

SVPEREST, vt probemus, ecclesiam non posse errare vllo modo, etiam non apostatando a Deo. Est tamen prius paulo diligentius explicanda sententia aduersariorum, & nostra.

CALVINVS igitur dicit, istam propositionem, *Ecclesia non potest errare*, esse veram, si intelligatur cũ duplici restrictione. PRIMA est, si ecclesia nõ proponat dogmata extra Scripturam. i. si reijciat traditiones nõ scriptas, & solum proponat fideliter, quę habentur in Scripturis. Si autem quæras, an certi simus, quod ecclesia proponet semper fideliter, quæ sunt in Scripturis: RESPONDET, ecclesiam semper proponere fideliter, quæ habentur in Scripturis, in rebus necessarijs ad salutem, non tamen in alijs, ac proinde semper remanere in ecclesia næuos aliquos errorum.

SECVNDA restrictio est, vt illud: *Ecclesia non potest errare*, intelligatur de sola ecclesia vniuersali, non aũt extendatur ad Episcopos, qui sunt ecclesia repræsentatiue, vt nostri loquuntur. quilibet. n. episcopus gerit personam suę ecclesię particularis, & proinde omnes episcopi gerunt personam totius ecclesiæ: ita hẽt Caluinus lib. 4. c. 8. §. 11. 12. 14. 15. maioris institutionis, & in minori institutione, c. 8. §. 146. 148. 149. & 150. vbi tamen mendaciter & fraudulenter explicans sententiam nostram, dicit, nos asserere, ecclesiam nõ posse errare, siue vtatur verbo Dei, siue non: cum tamen ipse non ignoret, nos non loqui de verbo Dei absolute, sed tantum de verbo scripto, ac dicere, Ecclesiam non posse errare, siue proponat, quæ habentur in scripturis, siue dogmata extra scripturam.

NOSTRA igitur sententia est, ecclesiam absolute non posse errare, nec in reb. absolute necessarijs, nec in alijs, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, siue habeantur expresse in Scripturis, siue non: & cum dicimus, ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de vniuersitate fidelium, quã de vniuersitate episcoporum, ita vt sensus sit eius propositionis: ecclesia non potest errare. i. id quod tenent omnes fideles, tanquam de fide, necessãrio est verum & de fide: & similiter id, quod docent omnes episcopi, tanquam ad fidem pertinens, necessãrio est verum & de fide.

His explicatis, probatur hæc veritas. PRIMO, de ecclesia vniuersa, vt continet omnes fideles, ac primum ex illo 1. Timoth. 3. *Ecclesia Dei est columna & firmamentum veritatis.* RESPONDET Caluinus, Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis, quia conseruat tanquam fidissima custos prædicationem verbi Dei scripti, non quod in nulla re errare possit.

AT CONTRA, nam in primis hoc modo officinæ librariorum essent columnæ veritatis, quæ diligentissime custodiunt omnes Scripturas: deinde Apostolus non meminit hic Scripturarum: sed simpliciter dicit, ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. PRÆTEREA, multo amplius est, esse columnam, quã simplicem custodem: nam columnæ innititur dom⁹, & ea remota, cadit. Sic igitur Apostolus vocans ecclesiam columnam veritatis, vult significare veritatem fidei, quoad nos, niti ecclesiæ auctoritate, & verum esse quidquid ecclesia probat, falsum quidquid illa improbat. Adde, quod etiam ecclesia fuit columna, quãdo non erant Scripturæ, ex quo sequitur, non dici columnam propter custodiam Scripturarum. DENIQVE, si de custodia ageretur, melius arcæ, quam columnæ Paulus comparasset ecclesiam: nec enim columnæ, sed arcæ libros custodiunt.

Præterea SECVNDO, Ecclesia gubernatur a Christo, tanquam a capite sponso suo, & à Spiritu san-

tu sancto, tanquã ab anima, vt patet Ephes. 1. *Ipsũ dedit caput super omnẽ Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et Ephes. 4. *Vnũ corpus, & vnus Spiritus.* Ephes. 5. *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ.* Ergo si ecclesia in dogmatibus fidei, vel morũ erraret, Christo & Spiritui sancto error tribueretur. Quocirca Io. 16. Dominꝰ ait: *Spiritus veritatis docebit vos oẽm veritatẽ.*

Respondet Caluinus, Christum & Spiritum sanctum docere ecclesiam omnem veritatem simpliciter necessariam, semper tamen relinquere aliquem næuum. Neque sequitur, tribui propterea Christo, aut Spiritui sancto errorem, sicut eis non tribuitur ignorantia, quæ sine dubio aliqua est in ecclesia.

Respondeo, sicut vir, qui est caput mulieris, non tenetur remouere ab vxore omnẽ ignorantiam, tenetur tamen remouere omnem errorem, ex quo magnũ aliquod malum oriatur, licet vxor excusetur per ignorantiam: ita etiam Christus tenetur remouere omnẽ errorem ab ecclesia, ex quo magnum oritur malum, talis autem est omnis error circa fidem. Nã magnum est malum, quod ecclesia falsa fide Deum colat, cum præcipue cultus diuinus in Fide, Spe, & Caritate consistat, vt Augustinus docet in Enchiridio, cap. 3.

Tertio, obligamur sub anathematis pœna, credere ecclesiæ in omnibus, vt patet Matth. 18. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus:* & concilia omnia dicunt anathema non assentientibus ecclesiæ decretis: at iniquum esset, sub tam graui pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis.

Respondet Caluinus, ideo Christum iussisse, vt ecclesiam audiremus, quia sciebat, ecclesiam nihil docturam extra verbum Dei scriptum. At contra, nam, vt omittam plurima, quæ diximus in disputatione de traditionibus: vera ecclesia docet, epistolam ad Romanos esse verbum Dei, epistolam ad Laodicenos non esse verbum Dei, & idem de Euangelio Marci et Nicodemi, & similibus dici potest, quæ nusquam scripta sunt. non igitur est verum, ecclesiam nihil docere extra verbum Dei scriptum.

Quarto, ecclesiam esse sanctam, docet Symbolũ Apostolorum, ista autem sanctitas proprie in professione dogmatum consistit, ergo Christiana professio nihil continet, nisi sanctũ, id est, verum, quo ad fidei doctrinam, & iustum, quoad præcepta morum, & in hoc reuera excellit omnibus professionibus Philosophorum, Ethnicorum, Iudæorum, Hæreticorũ: Omnes enim habent dogmata aliqua falsa admista veris.

Quinto, si esset vera Caluini sententia, maxima pars dogmatũ fidei in dubium reuocari posset: nam multa sunt de fide, quæ non sunt absolute necessaria ad salutẽ. Sane credere historias Testamenti veteris, vel Euangelia Marci & Lucæ esse canonica scripta, imo vllas esse diuinas Scripturas, non est omnino necessariũ ad salutẽ: nã sine hac fide multi saluati sunt, antequã Scripturæ scriberẽtur, & postea tempore noui Testamenti, multæ barbaræ nationes: de quib. scribit Irenæus lib. 3. c. 4. At hoc est absurdissimũ, nec vllo modo admitteret Caluinus posse dubitari de Scripturis: non igitur verum est, solum in rebus necessarijs ad salutem, ecclesiam non posse errare.

Probatur Vltimo ex Patribus: qui, vt supra ostendimus, in quæstione de iudice controuersiarum, omnes ad ecclesiam prouocant in quæstionibus fidei quibuscunque: quod certe nullo modo facerent, si ecclesiam falli posse existimarent. Tertvllianvs libro de præscript. *Age,* inquit, *omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus sanctus.* Avgvstinvs li. 1. cõtra Cresconium, c. 33. *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod vniuersa iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commẽdat auctoritas, vt quoniam sancta Scriptura fallere nõ potest, quisquis fal-*

li metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illae consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. Et Epist. 118. *Disputare contra id, quod vniuersa Ecclesia sentit, insolentissimæ insaniæ esse dicit.*

Iam quod etiam ecclesia repræsentatiue non possit errare, probatur Primo, quia si omnes episcopi errarent, tota etiam ecclesia erraret, quia tenentur populi sequi suos Pastores, dicente Domino Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* & Matth. 23. *Quæcunque dixerint, facite,* Secvndo, ex epistola concilij Ephesini ad Nestorium, vbi cogitur Nestorius, si ecclesiæ satis facere velit, iuramento confirmare, se ita sentire, vt sentiũt Orientis & Occidentis episcopi. Item ex Augustino lib. 1. de Baptismo, c. 18. vocat decretum concilii generalis, ecclesiæ vniuersæ consensum: & merito, nam ecclesia non docet nec decernit quidquam, nisi per suos Pastores, sicut quodlibet corpus per suum caput. Vnde etiam 3. Reg. 8. congregatio Sacerdotum & Seniorum vocatur omnis ecclesia Israel. Et Chrysostomus exponit illud Matth. 18. *Dic Ecclesiæ,* id est, *Prælato.* Sed de his plura in materia de concilijs.

CAPVT XV.

Soluuntur argumenta, quib. astruitur ecclesia inuisibilis.

Svperest, vt argumẽta aduersariorum diluamus. Ac primum, ecclesiam esse inuisibilẽ, his testimonijs probant. Hiere. 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Vbi Deus distinguit ecclesiam noui Testamenti ab ecclesia Testamenti veteris, quod illa fuerit cœtus quidam externus, & propterea habuerit legem scriptam in tabulis externis, & lapideis: ista autem sit populus quidam interior, & propterea legem habeat scriptam in cordibus. Idem habetur Lucæ 17. *Regnum Dei non venit cum obseruatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est.* Et Ioã. 4. Venit *hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Ergo ecclesia noui Testamenti non consistit in aliquo signo exteriore, nec est alligata locis & cæremonijs corporalibus. Et Heb. 12. Non *enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, sed ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis, &c.* Vbi comparat Synagogam monti Sinai visibili & tangibili, ecclesiam autem monti Syon spirituali. Item 1. Petri 2. *Et ipsi tãquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo:* at hęc domus est ecclesia. Denique ecclesiam esse, est articulus fidei, ergo non videtur ecclesia, sed creditur.

Respondeo ad primum locum, Hieremiam non conferre ecclesiam cum Synagoga, sed Testamẽtum nouum cum veteri, vt eo loco patet: & quãuis Testamentum nouum proprie sit caritas, quæ est lex in corde scripta, Testamẽtum vetus proprie sit doctrina exterior, siue lex scripta in lapidibus, tamen non sequitur, ecclesiam noui Testamenti esse inuisibilem: vt. n. corpus cuiuslibet animalis visibile est, & tamẽ habet multa intus, quæ non videntur, vt cor, hepar, spiritus vitales, & similia: ita ecclesia visibilis habet multa inuisibilia, Fidem, Spem, Caritatem, &c. & quãuis hæc dona inuisibilia, sint necessaria in ecclesia, & in sola ecclesia, non tamen in omnibus eius partibus: sicut sensus est necessario in animali, & soto animali, & tamen non est in omnibus eius partibus.

Ad Secvndvm dico, per Regnũ Dei Lucæ 17. intelligi vel gratiam, per quam Deus nũc regnat in cordib. hominum, vt exponit Theophylactus, vel ipsum Christũ, vt Beda exponit: loquitur. n. eo loco Christus de vtroq. suo aduentu. Interrogauerant. n. Pharisæi: *Quãdo veniet Regnũ Dei,* id est Regnum Messiæ? Do-

minus aũt respõdet, Messiam venisse, & rursum etiã venturum in die iudicij. Itaque de aduẽtu primo ait: *Regnum Dei non veniet cum obseruatione, ecce enim Regnũ Dei intra vos est*, id est, iam aduenit Messias, iam præsens est. De secundo subiungit. *Et dicẽt vobis: Ecce hic, aut ecce illic, nolite exire: sicut enim fulgur coruscat de sub cœlo, & erit aduentus Filij hominis.*

Ad TERTIVM dico, eo loco doceri, præcipuum cultum Dei in Ecclesia internum futurum, sed non propterea sequitur, Ecclesiam ipsam esse inuisibilem, vt iam diximus: neque ẽt sequitur, oẽm cultum externũ esse reijciendum, & externa templa esse destruenda. Dñs. n. eo loco non agit de loco orationis, sed de modo, & ritu. Si. n. dicere voluisset, veros Dei cultores nõ amplius adoraturos Deum in Hierusalem, neque in monte Garizim, falsum dixisset. Constat. n. Petrũ & Ioannem, post acceptum Spiritum sanctum, ascẽdisse in templum Hierosolymitanum ad horam orationis nonam, vt dr in actis Apost. 3. Constat ẽt, semper fuisse postea in Palestina Christianos, qui Deum adoraueruntin Hierusalem, & in mõte Garizim, & vbicunque eos esse contingebat. Loquitur ergo de ritu adorandi, siue orandi: & sensus est, neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. i. neque ritu Samaritanorum, neque ritu Iudæorũ, sed ritu Christianorum adorabitis, qui ritus est adorare in spiritu & veritate, quod duobus modis exponitur.

Chysostomus, Cyrillus, & Euthymius in hunc locũ, opponunt illud, *In Spiritu*, cęremonijs Iudæorum quatenus corporales erãt: illud in veritate, ijsdẽ cęremonijs, quatenus figurę & vmbræ erant rerũ futurarũ. Theophylactus, beatus Thomas. & Caietanus opponunt illud, *In Spiritu*, rituí Iudæorũ, qui pcipue externus & corporalis erat: illud, *In veritate*, ritui Samaritanorum, qui falsus & erroneus erat: illi. n. simul colebant Deum verum, & Deos falsos. Itaque Dñs dicit, ritum populi Christiani fore præcipue spiritualẽ, & simul verum ac purum ab omni errore, licet spiritualis ritus non excludat corporales cęremonias, quatenus prosunt ad spiritualem cultum promouẽdum.

Ad QVARTVM dico cũ Chrysostomo, Theophylacto, D. Thoma, & alijs, Apostolum ibi per mõtem Syon spiritualem, & ciuitatem Dei viuentis, non intelligere Ecclesiam militantem, sed triumphantem, quæ ex beatis spiritibus constat. Confert enim Synagogam cum Ecclesia, ac dicit, homines Testamẽti veteris accessisse ad mõtem Syna corporeum, vt aliquo modo per corporeas imagines ibi Deum viderent: at homines noui Testamenti accessisse non re, sed spe, ad montem Syon spiritualem, ideſt, ad gloriam beatorum, vbi Deus videtur facie ad faciem. vnde ibidẽ subditur: *Et multorum millium Angelorum frequentiam, & spiritus iustorum & perfectorum, &c.*

Ad QVINTVM respondeo, duobus modis dici aliquid spirituale. Vno modo, secũdum substantiã. quo modo Ephes. 6. dicũtur *spiritualia nequitiæ in cœlestib.* Altero modo, secundum ordinationem ad Spiritum, quia ordinatur aliquid ad spiritum, vel spiritus in eo dominatur. Quomodo 1. Corint. 2. dicitur homo spiritualis, & 1. Cor. 15. corpus spirituale, & 1. Pet. 2. vocãtur hostiæ spirituales omnia bona opera, vt Eleemosyna & Ieiunia. Beatus Petrus ergo cum dicit, Ecclesiam esse domum spiritualem, intelligit hoc secundo modo: vult enim, Ecclesiã non esse domum ex lignis & lapidib. sed ex hoib. Deo consecratis ædificatam.

Ad SEXTVM posset dici, in Symbolo non poni tãtum, Credo Ecclesiã, sed. *Credo sanctam Ecclesiã*. Poro sãctitatem Ecclesiæ fine dubio inuisibilẽ esse. Sed melius dico, in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus. n. eũ cętum hoium, qui est Ecclesia, sed q̃ ille cętus sit ipsa vera Christi Ecclesia, nõ videm⁹, sed credimus. Vera. n. Ecclesia est, quę profitet Christi fidem. Quis aũt euidenter scit, nostram fidem esse Christi? id quidem firma ac certissima fide credimus: sed aliud est credere, aliud videre: immõ ipsum credere definit ab Apostolo, argumentum non apparẽtiũ.

Quod vt melius intelligatur, notandũ est, oẽm sẽntiã de fide, nasci, vel ex duab. propositionib. de fide, & tunc totam conclusionem ineuidẽtem esse: vel ex vna de fide, altera euidenti: & tunc conclusionem partim esse euidẽtẽ, partim ineuidentẽ. Talis est ista conclusio: Isti hoies, qui nunc profitentur fidem sub Romano pontifice, sunt Ecclesia Christi: nam oritur ex hoc syllogismo: Ecclesia Chri est cętus hoium, pfitẽtium Christi fidem, sub regimine legitimorũ Pastorum: sed isti qui subsunt hodie Romano Põtifici, sunt talis cętus: igitur sunt ecclesia Christi. In quo syllogismo maior est de fide, & proinde ineuidens. Minor est euidens: nam nihil ponimus in minore, quod non oculis, aut auribus percipiatur. Rectè ergo inde infert conclusio partim euidens, & partim ineuidẽs.

Denique, res illa, seu (vt logicè loquamur) incõplexum illud, de quo prædicatur ecclesiæ ratio ac definitio, visibile quiddam est: at complexum, seu cõnexio prędicati cum subiectõ, sola fide tenetur. Nec desunt exempla, quib. hoc illustretur. Siquidem hominem illum, qui est Christus Dei Filius, Apostoli videbant, & tamen illum esse Christum Dei Filium, non videbant, sed credebant. Vnde Io. 20. dictum est Thomę, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Et in Symbolo dicimus: *Credo vnum Baptisma*, licet videamus, & sentiamus Baptisma. i. aquæ aspersionem, & verborum prolationem. Nõ enim videmus, sed credimus illam aquæ aspersionem, & verborum prolationem esse Baptisma Christi, id est, Sacramentum quoddam.

CAPVT XVI.

Soluuntur argumenta, quibus aduersarij probant, Ecclesiam posse deficere.

IAM quod ecclesia possit deficere, & aliquando desiciat, probant his argumentis. PRIMO, initio mũdi in solis Adamo & Eua ecclesia tota consistebat, saltẽ in virtute: at vterque fidem amisit, & a Deo apostatauit, vt patet tum ex Gen. 3. tum ex Patrib. Ambrosio lib. de Paradiso, c. 6. Augustino Enchir. c. 45. & Prospero lib. de gratia Dei, contra collatorẽ, ante mediũ.

SECVNDO, tempore Mosis tota ecclesia a Deo apostatauit. Nam Aaron summus Pontifex proposuit vitulum adorandum, & totus populus clamauit: *Hi sũt Dii tui Israel*, Exod. 32.

TERTIO, tempore Heliæ tota ecclesia visibilis defecerat. Nam 3. Reg. 19. Helias dicit: *Relictus sum ego solus. Et Dominus ad eum: Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, qui nõ curuauerunt genua ante Baal*, hos autem occultos fuisse non dubium est, cum eos ne Helias quidem cognosceret.

QVARTO, ex Isaiæ 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit. A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas*, Et Hierem. 2. *Confusi sunt domus Israel, ipsi & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorũ, dicentes ligno: Pater meus es tu. Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* Et 2. Paral. 15. *Transibunt dies multi in Israel sine Deo vero, sine Sacerdote, & Doctore, & sine Lege.*

QVINTO, pdictum est, ecclesia istã visibilem cessaturã, Dan. 9. *deficiet hostia, & sacrificium.* Luc. 18. *Filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra?* 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* Itaque nobis Caluinus dictum esse existimat id, quod legimus Hier. 7. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templũ Domini.* Vt enim antiqui illi Iudæi nõ credebãt Prophe-

phetis prædicentibus desolationem, quia videbant se habere templum Domini, & externas cæremonias: ita nos gloriamur, quod habeamus antiqua tẽpla, epi scoporum successiones, Apostolicam sedem, & interim non attendimus ad Scripturas, quæ nobis desolationem aperte prædicunt.

SEXTO, Concilium Basileense generale deposuit Eugenium tanquam hæreticum, & omnes ei adhærẽtes, & elegit Felicem, deinde tamen concilio concluso & soluto, iterum Eugenius in sedẽ irrepsit sine vlla canonica electione, & ab eo nati sũt quotquot postea fuerunt Papæ, Cardinales, & Episcopi: ergo saltẽ ab eo tempore Ecclesia Romano Pontifici adhærens, nõ fuit vera Ecclesia, & cum nulla fuerit alia visibilis, sequitur, visibilem Ecclesiam perijsse. Hoc argumentũ Caluinus in præfatione Instit. ponit in vltimo loco tanquam fortissimum, & addit hæc verba: *Hic deprehensi hæreant necesse est, aut igitur aliter Ecclesiam definiant, aut omnes a nobis schismatici habebuntur.*

SEPTIMO, proferunt Patrum testimonia, ac primũ HILARIVS libro contra Auxentium, circa finẽ: *Male*, inquit, *vos parietum amor cepit: male Ecclesiam Dei in tectis, ædificijsque veneramini, male sub his pacis nomẽ ingeritis: montes mihi, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores.* Vbi dicit, adeo suo tempore fuisse obscuratam veram Ecclesiam, vt solum in latebris & cauernis inueniretur. Deinde HIERONYMVS in Dialogo contra Luciferianos de eodem tempore loquens: *Ingemuit*, inquit, *totus orbis, & se Arianum esse admiratus est.* Item Basilius epist. 69. & 70. & Bernardus serm. 33. in Cantica, ita deplorant vitia Prelatorum omniũ sui temporis, vt satis ostendant, eo tempore omnes declinasse in viam suam, & nullam fuisse visibilem Ecclesiam. Denique Chrysostomus homil. 49. in Matthæum, docet, interdum nullum esse visibile signum, quo vera Ecclesia cognoscatur, & ideo tunc solum ad Scripturas esse recurrendum.

Respõdeo ad PRIMVM, si primos parẽtes peccasse, est Ecclesiã defecisse, tũc nõ solũ visibilẽ, sed ẽt inuisibilẽ Ecclesiam defecisse, quod est cõtra aduersarios. Dico SECVNDO, tunc non fuisse Ecclesiam: nec enim duo homines sunt Ecclesia, sed tñ fuisse initium Ecclesiæ, & initium tam materiale, quam formale. Nam Adam fuit principium Ecclesiæ materiale, quia primus omnium fuit caput siue Doctor & Rector populi Dei, dum vixit. Porro caput Ecclesię non potest quidem errare docendo falsam doctrinam, tamen potest errare male viuendo, & male etiam sentiendo, vt priuatus homo, atque hoc tantum videmus accidisse Adamo: male enim aliquando vixit, & forte etiam male de Deo sensit, tamen non male docuit.

Ad SECVNDVM, de peccato Aaronis & populi in cultu vituli aurei, dico, eo tpe neq. caput, neq. corpus Ecclesiæ defecisse: nam caput erat solus Moses, quem certum est nõ errasse. Aaron siquidem nondum erat Pontifex: nam postea factus est, vt patet Exodi 40. Non etiam corpus defecit, nam omnes Leuitæ immunes fuerunt ab eo peccato, vt patet ex eodem tricesimo secundo capite, vbi Moses dicit: *Si quis est Domini, iungatur mihi, cõgregatiq; sunt ad eũ omnes filij Leui.*

Ad TERTIVM, de tempore Heliæ, negatur consequentia & antecedens huius argumenti. Consequentia quidem, quia non est eadem ratio populi Iudęorũ, & populi Christianorum: nam populus Iudæorũ non erat Ecclesia vniuersalis, vt est populus Christianorum, sed particularis, & propterea etiam extra illum populum inueniebantur fideles & iusti, vt Melchisedech, Iob, & postea Cornelius Centurio, & Eunuch⁹ Candacis Reginæ, & alij nonnulli. Itaque etiamsi vniuersa Synagoga Iudæorum defecisset, non continuo omnis Ecclesia Dei in terris defecisset. Sed antecedens etiam negatur. Non enim ostendi potest, vnquam Synagogam Iudæorum defecisse omnino vsque ad Christi aduentum, quo tempore etiam non tam defecit, quam mutata est in melius.

Ad illud ergo de Helia dico, Heliam non loqui de omni populo Iudæorum, sed solum de illa parte, quæ subiecta erat Regi Samariæ. Constat. n. ex eodẽ libro tertio Regum, tempore Heliæ regnasse in Hierusalẽ Asa, & post eum Iosaphat optimos Reges, & sub ipsis fuisse in Hierusalem populum & Sacerdotes manifestissime in vera religione persistentes. Vnde Dominus, cum ait: *Reliqui mihi septem millia virorum*, addidit: *In Israel.* Israel enim tunc dicebantur ij, qui erant sub Rege Samariæ, sicut ij, qui erant sub Rege Hierusalem, dicebantur Iudas. Ex quo apparet euidenter, deceptum esse Philippum Melanchthonem, qui in Locis communibus, cap. de Ecclesia, dicit, tempore Heliæ Ecclesiam fuisse in solo Helia, & Helisæo, & paucis Sacerdotibus. Quem etiam in errore sequutus est Caluinus præfatione Institutionum, qui hoc argumento de Helia præcipue nititur.

Ad QVARTVM respondet Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 12. & libro contra Donatistas, post collationem, c. 20. vbi docet, Prophetas & Apostolos interdum reprehendere vniuersum populũ, quasi nemo ibi sit bonus, cum tñ permulti sint boni, & è contrario interdum consolari omnes, quasi oẽs sint boni, cum constet ibi multos esse malos. Ezech. 3. dicitur: *Omnis domus Israel attrita fronte est, & duro corde.* Et tamen c. 9. dicitur: *Signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctas abominationes, quæ fiunt in medio eius.* Ad Galat. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit nõ obedire veritati?* Et tñ c. 6. ait: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Ad illud ex Paralipomenon respondeo, in primis solum intelligi de regno Israel, non de regno Iuda. Deinde fortasse loqui Scripturã de tpe, quod erat futurum post Messiæ aduentum: Nunc enim transeunt dies multi in Israel sine Deo, sine Sacerdote, sine Lege.

Ad QVINTVM dico, nos non gloriari in templis, et successione episcoporum, & Apostolica sede secundũ se, sed propter Christi promissionem, qui ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et portæ inferi non præualebunt, &c.* Qualem promissionem Iudæi nunquã habuerunt. Neque verum est, alicubi in Scripturis prædictam esse Ecclesiæ ruinam, sed potius contrarium vbique. Quare ad illud Danielis, etsi Hilarius can. 25 in Matthæum, & Hippolytus atque Apollinarius apud Hieronymum in ca. 9. Danielis, intelligunt eam prophetiam de tempore Antichristi, tamen sine dubio decepti sunt. Loquitur. n. Daniel apertissime de euersione Hierusalem, & cessatione sacrificij Iudæorũ. Sic. n. exponunt Chrysostomus & Theophylact⁹, & Hieronymus in ca. 24. Matthæi, Augustinus epist. 80. ad Esichium, nec non Eusebius libr. 8. Euangel. demonstr. ca. 2. Clemens Alexandrinus libr. 1. Stromatum, Tertullianus libro contra Iudæos, cap. 5. alias 8. & communis opinio Hebræorum, ac Iulius Africanus apud Hieronymum, in cap. 9. Danielis.

Et hanc solutionem coguntur admittere hæretici: nam ipsi dicũt, nunc esse tempora Antichristi, & fuisse iam a multis seculis, & tamen non cessauit hostia & sacrificium: ergo debent intelligere hunc locũ Danielis non de tempore Antichristi, sed de euersione Hierosolymæ, quod sane ex Euangelio euidenter colligitur. Quod enim Matthæus cap. 24. ait: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stante in loco sancto, qui legit intelligat, tũc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Idem sic exposuit Lucas cap. 21. *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius: qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.*

Ad illud Lucæ 18. *Putas inueniet fidem in terra?* Dico, Dominũ non loqui de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quæ in paucis reperitur, & in paucissimis reperietur in vltimis diebꝰ. Ita exponunt Hieron. in Dialog. contra Luciferianos, & August. lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 13. vel dicamus cum Theophylacto, loqui Dominum de fide absolute, & velle dicere paucos futuros fideles tempore Antichristi, non tamen nullos, nec tam paucos, vt non faciãt Ecclesiam.

Ad illud Pauli dico, discessionis nomine, vel intelligi ipsum Antichristum, vt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & August. li. 20. de ciuit. Dei, c. 19. exponunt, quem volunt appellatũ discessionem per metonymiã, quia erit caussa, vt multi discedãt a Christo: vel defectionem a Romano imperio, vt Ambrosius, Sedulius, & Primasius exponũt, quæ est valde probabilis sententia: vel demum discessionem ab Ecclesia non generalẽ, sed particularem. i. non omnium, sed multorum, vel omnium quidẽ, sed occultorum hæreticorum: vt. n. pulchrè exponebant quidã veteres apud August. lib. 20. de ciuit. Dei, c. 19. sicut modo multi, qui aliquandiu fuerunt in Ecclesia ficto animo, tandem apertè discedunt per manifestã hæresis professionẽ, ita veniente Antichristo, oẽs prorsus, qui tunc inuenientur in Ecclesia occulti hæretici, ab Ecclesia discedent, & Antichristo se adiungent.

Ad Sextvm dico, Basileense concilium initio quidem fuisse legitimum: nam & Legatus aderat Romani pontificis, & Episcopi plurimi: at quo tempore Eugenium deposuit & Felicem elegit, non fuit concilium Ecclesiæ, sed conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis. Sic enim appellatur in concilio Lateranensi vltimo, sess. 11. & proinde Eugenius semper fuit verus Pontifex, & mẽdacium est apertissimum Caluini, qui dicit, hoc concilium vsque ad finẽ pduraſſe ī eadẽ auctoritate, & dignitate.

Nam in primis, quo tempore concilium in Pontificem sententiam pronunciare ausum est, non erat in concilio Legatus pontificis, & Episcopi præcipui omnes discesserant, sed Cardinalis quidam Arelatensis assumpserat sibi munus præfidẽdi, quia Episcopi pauciſſimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem multitudinem presbyterorum, ita vt contra omnem formam antiquorum conciliorum, non Episcoporum, sed presbyterorum Synodus esset.

Deinde eodem tpe agebatur Florentiæ concilium alterum, in quo præsidebat summus Põtifex, & cum eo sedebant Epi Latini & Græci sine comparatione plures, quam essent Basileẽses, & vna cum Episcopis aderat Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum, vt nullo modo dubitari posset, vtrum ex duobus esset verum concilium Ecclesiæ generale.

Tertio, Deus quoque sententiam suam dicere volens, tam horribili peste Basileam tunc affligebat, vt maior pars eorum Patrum, qui ibi erant, vel extincti, vel secedere coacti fuerint. Quę omnia refert Æneas Syluius in historia concilij Basileensis, cui ipse interfuit, & quam ediderunt nuper hæretici Basileenses, tanquam sibi fauẽtem, propter damnatum Eugeniũ, cum reuera illis plurimum noceat. Adde, quòd concilium Basileense Lausannæ continuatum, subiecit se Nicolao, vt patet ex epistola Nicolai V.

Nvnc ad loca Patrum. Ad Hilarivm dico Primo, id quod respondit olim August. epist. 48. Donatistis idem testimonium obijcientib. Ecclesiam quidem interdum obscurari multitudine scandalorum, sed ita tamen, vt etiam tunc in suis firmissimis emineat, sicut reuera eo tpe, de quo loquit Hilarius, eminebat Ecclesia in Iulio, Athanasio, Hilario, Eusebio, Vercellẽsi, ac deinde in Damaso, Ambrosio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, alijsque non paucis firmissimis atque constantissimis Ecclesiæ columnis.

Dico Secvndo, Hilarium loqui eo loco tantũ de Ecclesia Mediolanensi, in qua multi simplices venerabantur Auxentium, vt Catholicum, cum tamen esset Arianus: nam mira calliditate agebat Auxentius, vt ab Arianis agnosceretur Arianus, & tamen a multis simplicib. crederetur Catholicus. Vult igitur Hilarius, non esse credendum Auxentio, etiamsi Episcopus videretur, & in templo concionaretur, & melius esse, in carceribus & speluncis manere cum recta fide, quàm in templo Dei cum hæreticis.

Hoc autem, quod dicitur de vna ciuitate, vna Basilica, & vno Episcopo, non potest trahi ad Ecclesiam vniuersam. Potest enim fieri, vt vnus Episcopus in vna vrbe, & vno templo doceat hæresim, non tamen vt omnes Episcopi in omnibus vrbibus & templis mundi totius idem faciant.

Ad locum Hieronymi respondeo, in verbis Hieronymi duas esse figuras: vnam intellectionis, cũ ait: *Ingemuit orbis*: vocat. n. orbem magnã partem orbis, non totum orbem: alteram abusionis, cum ait, *Arianum se esse miratus est*, vocat. n. Arianos improprie eos, qui per ignorantiam subscripserant hæresi. Loquitur. n. de illa multitudine Episcoporũ, qui ex toto orbe conuenientes Arimini, ab Arianis decepti, decreuerunt, tollẽdum esse nomen ὁμοούσιος quod quid significaret, non intelligebant, qui sine dubio non fuerunt hæretici, nec errantes, nisi materialiter: quemadmodum si quis nostrum blasphemam sententiã proferret lingua extranea, putans esse piam aliquam precationem, non proprie blasphemus dici posset: Quocirca ijdem Episcopi, vt admoniti sunt, & fallaciam agnouerunt, continuo errorem etiam correxerunt, & cum lacrymis pœnitentiam egerunt blasphemiæ, licet sola lingua prolatæ, & tum videlicet ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est.

Ad Basilivm dico, eũ non deplorare in illis epistolis vitia Catholicorum, sed miseriam Ecclesiæ, propter infestationem hæreticorum, quæ enim dicuntur eo loco aduersus Episcopos, non dicuntur aduersus Episcopos Catholicos, vt Brentius putauit, sed aduersus Episcopos Arianos.

Et sanè credibile est, Brentium non ex ignorantia, sed ex malitia peccasse. Nam ibidem, vt apud Episcopos Catholicos doceat non esse veram Ecclesiam, refert ex lib. 11. Ruffini hist. Eccles. cap. 6. Mosem Eremitam sanctum noluisse vllo modo ordinari ab episcopo Alexandrino, qui erat post Romanum Pontificem primarius Patriarcha.

At in eodẽ libro & capite Ruffinus dicit, illũ epm Alexandrinũ fuisse Arianum, & sæuissimum persecutorẽ Catholicorum, & propterea Mosem noluisse ab eo, sed ab aliquo Catholico ordinari, ita vt nulla ratione fraus & impudẽtia Brẽtij tegi vel excusari queat.

Ad Bernardvm dico, eum reprehendere vitia morum, non vitia doctrinæ, & non propterea credidisse, Episcopos illos malos nõ fuisse vere Episcopos. Ipse enim serm. 66. in Cantica refellit ex instituto Apostolicos hæreticos, qui dicebant, Episcopos malos non esse Episcopos.

Ad Chrisostomvm iam respõsum est supra, verba illa desumpta esse ex opere imperfecto, quod vel habet auctorem hæreticum Arianum, vel fuit ab hæreticis deprauatum. Vide homil. 48. ubi apertè uocat hæreticos homousianos.

CAPVT XVII.

Soluuntur argumenta, quib. aduersarij probant, pastores Ecclesiæ omnes simul errare posse.

Qvod Ecclesia uel saltem omnes pastores ecclesiæ simul errare possint, probatur Primo, quia tẽpore Michææ, Prophetæ omnes, qui erant CCCC,

excepto

excepto Michæa, errauerunt, vt patet li. 3. Reg. 22. & proinde Ecclesia, quæ illos sequebatur, vt debebat, decepta fuit. SECVNDO, Isaiæ 65. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, &c.* TERTIO, in passione Domini summus Sacerdos cum omnibus sacerdotibus, & senioribus populi condemnauerunt Christum esse reum mortis. Marc. 14. & totus etiam populus a sacerdotibus seductus, clamauit ad Pilatum: *Crucifige eũ.* Mar. 15. Eodem tempore Apostoli omnes fidem amiserunt: nam Dominus Marc. vlt. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiem cordis, &c.* Et Matt. 26. ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me.*

Adde, quod non desunt etiam Catholici, qui dicãt in passione Domini non mansisse veram fidem, nisi in sanctissima Virgine Maria, idque significari credunt vna illa candela, quæ sola accensa conseruatur, in triduo ante Pascha in officio nocturno. Ita Alexander Alensis 3. par. q. vlt. ar. 2. & Ioannes de Turrecremata, lib. 1. de Ecclesia, ca. 30. & lib. 3. cap. 61. Sed hæc satis leuia sunt, nec magno negotio refellentur.

Ad PRIMVM dico, illos CCCC. Prophetas manifeste fuisse Pseudoprophetas, neq. id ignorasse, vel ipsum Achab, qui eos consulebat. nam ibidem cum diceret Rex Iosaphat: *Non est hic aliquis Propheta Domini, per quẽ interrogemus Dominum?* Respondit Achab: *Remansit vnus, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi nisi malum.* Certe si quis nunc in media Saxonia consuleret CCCC. Ministros Lutheranos de fide iustificante, & postea vnũ Catholicũ: non esset mirũ, si maior pars erraret. Et sicut nunc non sequitur totam Ecclesiam errare, etiam si errarent CCCC. Ministri Lutherani, quia præter Saxoniam, & vicina quædam loca, sunt alia multa, vbi vera fides prædicatur, ita nõ sequitur omnes Doctores Iudæorum tempore Achab errasse, etiam si errauerint CCCC. Prophetæ, qui in Samaria erant. nam præter eos Prophetas erant in Iudæa multi alij prophetæ, & (quod potissimum est) erãt sacerdotes in Hierusalem, quibus ex officio incumbebat, respondere ad consulta de lege Domini.

Ad SECVNDVM dico, verba illa Prophetarum esse figurata, & dirigi quidem ad omnes, non tamen reuera intelligidebere de omnibus, sed de multis, vt supra diximus.

Ad TERTIVM dico, Sacerdotes, & Pontifices non habuisse priuilegium non errandi in docẽdo populo, nisi vsque ad tempora Christi, Christo autem præsente, & docente parum oberat illorum error. Immo hoc videtur prædictum per Hieremiam, cap. 18. cum ait: *Peribit lex a sacerdote, verbum a Propheta, consilium a sapiente.* Quamuis propter honorem sacerdotij Deus prouidit, vt sententia Pontificis Caiphę in aliquo sẽsu, licet a Caipha non intento, esset vera & iusta. Nam Ioan. 11. dicitur, quia erat Pontifex anni illius, prophetauit: de qua re plura diximus in lib. 2. de concilijs.

Quod ad populum attinet, qui clamauit: *Crucifige*, dico cum populum non fuisse omnes Iudæos: sed aliquos tm̃, & forte minorẽ partẽ: nam in ipsa vrbe Hierusalem erat Nicodemus, & Ioseph ab Arimathia, & multi alij, quibus id displicebat, & extra Hierusalem in tota reliqua Iudæa, & in toto orbe terrarũ erãt plurimi Iudæi dispersi, qui nihil sciebant de morte Christi, & proinde in vera fide, & religione permanebant.

Ad illud de Apostolis dico, PRIMVM Apostolos tunc non fuisse episcopos nisi designatos, vt patet, sed solum partes Ecclesię materiales, quæ errare possunt, neq. in eis solis Ecclesia consistebat: nam status ecclesię Christianę cum obligatione ad ingrediẽdum in eã incepit in die Pentecostes, quando peractis omnibus mysterijs redẽptionis ceperũt Apostoli in Hierusalẽ publice promulgare fidẽ Christi, & Baptisma. Itaq. ẽt si Apostoli oẽs tẽpore passionis Christi errassent circa fidẽ, nihil obfuisset eorum error Ecclesiæ vniuersali, Dico SECVNDO, non esse probabile quod Apostoli fidem amiserint: nam non leguntur reprehensi, nisi de fide resurrectionis, illam autem non potuerunt amittere, cum eam non habuerint, nisi postquam Dominus resurrexit, etsi enim antea Christus sæpe illis prędicauerat se resurrecturum, tamen ipsi putauerãt eum loqui figurate, & non intellexerant, neque credi derant. Siquidem Lucæ 18. cum dixisset Dominus: *Occident eum, & tertia die resurget.* Subiungit Lucas: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Et Ioann. 20. legimus, Petrum & Ioannem, audito a Magdalena sublatum esse corpus Domini de monumento, mox cucurrisse ad monumentum, & visis linteaminibus & sudario credidisse, nimirũ Christi corpus fuisse ab aliquo sublatum: *Nam*, inquit, Ioan. *nondum sciebant Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere*, i. ideo crediderunt ab aliquo sublatum, quia non sciebant eum debuisse resurgere. PRÆTEREA Lucæ 22. dictum est Petro: *Rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua.* Quomodo igitur credibile erit eadem nocte fidem Petri defecisse, ita vt non saltem in corde eius remaneret? nam quod in ore nõ permanserit certum est. DENIQVE, Maria Magdalena summa caritate flagrabat in illo triduo, vt patet ex Ioan. 19. & 20. at sine fide non potest esse caritas, ergo non amiserat Magdalena fidem in Christum, quam ante habuerat, ergo non in sola B. Virgine fides permansit.

Quod autem dicitur Marci vltimo: *Exprobrauit incredulitatem*, non significat eos amisisse fidẽ, q̃ habuerant, sed tardos fuisse ad credendum, quod nondũ crediderant, quod quidem aliquod peccatũ fuit, sed non proprie infidelitatis. Illud vero Matth. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista*, significat peccatum, quod commiserunt Apostoli fugiendo, & nimis timendo, & vacillando, etiam circa fidem, ex occasione Dominicæ passionis: nec enim omnis vacillatio est infidelitas, sed solum vacillatio deliberata.

Miror autem Ioannem de Turrecremata, qui pp argumentum leuissimum de candela, dicit esse cõtra fidem vniuersalis Ecclesiæ, asserere, nõ in sola B. Virgine mansisse fidẽ in die passionis Domini. Nam Rupertus lib. 5. de diuin. offic. cap. 26. dicit vltimam candelam tempore suo cõsueuisse ẽt extingui, & addit c. 28. illis trib. noctibus post omnia lumina extincta, iterum postea ex lapide nouum ignem accendi solitũ: & quidẽ per omnia lumina, quæ paulatim extinguebantur, significari prophetas, quos diuersis seculis Iudæi occiderunt, & illos occidentes sibi ipsis tenebras mẽtis faciebant: per vltimam vero significari Christum, quẽ cum occiderunt, sibi ipsis tenebras dẽsissimas pepererunt: per nouum autem lumẽ, quod singulis illis tribus noctibus ex lapide excutiebatur, significari nouum lumen Christianorum, quod ex lapide Christo a Iudæis percusso in mentibus nostris ortum est.

Quod si neglecta consuetudine, antiquæ Ecclesiæ vim faciãt in eo vsu, qui nunc est, vltimam candelam non extinguendi: põt cum Abulensi respõderi quęst. 14. prologi in Matthæum, per illã candelã significari beatam Virginem, in qua sola, vt pie creditur, fuit in illo triduo fides explicita resurrectionis. Ex quo tamẽ nõ sequitur in alijs fuisse errorem, vel infidelitatem, quia non tenebantur credere explicite resurrectionẽ, nisi post legitimam eius promulgationem, & probationem, & præsertim illi, qui aberant a Hierusalem, & nihil de Christo audierunt, & sane videtur periculosum dicere in sola Virgine mansisse veram fidem: tum quia Ecclesia perijsset, non enim vna persona potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus & regnũ Dei: tum etiam quia tunc illi qui aberant a Hierusalem, & vsque ad illud tempus habuerant veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE NOTIS ECCLESIAE.

CAPVT PRIMVM.

Tractationem de notis Ecclesiæ vtilissimam esse.

SVPEREST CONTROVERSIA de notis veræ Ecclesiæ, quæ controuersia vtilissima est: omnes enim confitentur, in sola vera Ecclesia esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis æternæ, adeo vt CYPRIANVS de simplicitate Prælatorum dicat: *Cum Deo manere non possint, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt, ardeant licet flammis & ignibus tradi, vel obiecti bestijs animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.*

Similia docent omnes Patres, nec hæretici ea negant: nam idcirco omnis hæresis ad se solam trahit veram Ecclesiam, & alios omnes extra Ecclesiã ponit, vt his verbis. LACTANTIVS docet, lib. 4. c. vlt. diuinarum institutionum. *Sola Catholica*, inquit, *Ecclesia est quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est, domicilium fidei, hoc templum Dei, quo si quis nõ intrauerit, vel à quo si quis exierit, a spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Sed tamen singuli quique hæreticorum cætus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Itaque si in hac controuersia conueniremus, reliquæ omnes facilè componerentur. Duo igitur tractanda sunt. PRIMO refellenda sententia hæreticorum huius temporis de notis veræ Ecclesiæ. SECVNDO explicanda & defendenda sententia Catholicorum.

CAPVT SECVNDVM.

Refellitur sententia hæreticorum.

QVANTVM ad PRIMVM, Lutherus in libro de Conciliis & Ecclesia, in vltima parte libri proponit has septem notas. Primo, veram, & incorruptam prædicationem Euangelij. II. Legitimam administrationem Baptismi. III. Legitimum vsum Eucharistiæ. IV. Legitimum vsum clauium. V. Legitimam electionem ministrorum, qui doceant, & Sacramenta ministrent. VI. Orationem publicam, & Psalmodiam, & Cathechismum, sed lingua, quæ intelligatur ab omnibus. VII. Mysterium crucis, ideſt, tribulationes intus & extra, ita vt intus sit mœstitia, pusillanimitas, terrores: foris, paupertas, contemptus, & vt habeantur ab hominibus hæretici, cacodæmones, catharmata.

NOTANDVM verò est, Lutherum valde cauisse, ne vllam notam reciperet earum quæ sunt in Symbolo Constantinopolitano, cum tamen omnia vetera cõcilia per eas notas, maximè per Apostolicam ecclesiam se discerni vellẽt ab omnibus sectis. PORRO ceteri solent duas tantum proponere, quæ complectuntur primas quinque notas Lutheri, id est, prædicationẽ synceram verbi Dei, & syncerum vsum Sacramentorũ: & ex his duab. quælibet secta probat apud se esse veram Ecclesiam. Ita docet Confessio Augustana, arti. 6. & in Apologia eiusdem. item Brentius in Confessione VVirtembergensi capite de ecclesia. & Ioãnes Caluinus in Instit. lib. 4. c. 1. §. 9. 10. & 11. Centuriatores, Centur. 1. lib. 1. cap. 4. colum. 173. & 174. & Cõtur. 1. libro 2. cap. 4. colum. 379. 380. & 381. his duabus addunt alias duas, quæ possunt reduci ad quintam, & septimam Lutheri, id est, constantiam in confessione fidei, siue perseuerantiam: & obedientiam erga ministros verbi, quatenus verbum ipsum administrant.

HÆ NOTÆ non sunt vllo modo sufficiẽtes. nam in primis non declarant, quę sit vera ecclesia secundum hæreticos, nisi probabiliter: non enim hinc scire possumus, qui sint electi, vel iusti, & potius discimus, vbi lateat ecclesia, quam quæ sit: præterea, neque hoc sufficienter declarat. id quod de singulis facilè probari potest.

Ac primum de prima, tribus rationibus. PRIMVM enim, notæ debẽt esse propriæ, non communes. si. n. velim designare tibi certum hominem, quem nunq̃ vidisti, vt mox atque eum videris, discernas ab alijs, non debeo dicere, est quidã qui hẽt duos oculos, duas manus, &c. nam hęc sunt cõia omnibus, neque etiã debeo eum designare per notas, quæ licet sint ei propriæ secundum rem, tamen non sunt propriæ opinione aliorum, cum multi sibi illas vindicare soleãt: sic enim nunquam ille, qui quæritur, inueniretur.

Iam verò syncera prędicatio veritatis est nota communissima omnibus sectis, saltem opinione ipsarum: nam vel debet esse prædicatio pura ab omni errore, vel solum ab essentialibus, & fundamentalibus. Si detur primum, ex hac ipsa nota colligemus, apud nullos Lutheranorum esse Ecclesiam: nam ipsi fatentur suas Ecclesias non carere nævis. Lutherus libro de ecclesia clarè dicit, verbum Dei esse notam, licet alias magis, alias minus purè prædicetur: & Caluinus idẽ fatetur, lib. 4. Instit. ca. 1. §. 12. Si secundum, iam erit nota communis multis sectis: certè Lutherani, & Zvvingliani non dissentiunt de fundamento præcipuo fidei, vt de Trinitate, & Incarnatione, immò etiam Pelagiani veram ecclesiam habuissent, qui in primarijs articulis, antequam Nestòrianos peperissent, non desentiebant: vnde etiam Celestinus apud Augustinum lib. 2. de peccato originali, ca. 22. hac ratione conabatur ostendere se non esse extra Ecclesiam: & tamen Lutherani, & Caluinistæ nullos magis execrantur, quam Pelagianos. & nos ideo potissimum ponũt extra Ecclesiam, quia Pelagianos putant.

Præterea hoc secundo modo, etiamsi reipsa aliquibus non conueniat hæc nota, vt Anabaptistis, tamen omnibus conuenit opinione sua. quæ enim secta vnquam fuit, quæ non diceret se habere syncerã prædicationem veritatis? certè Augustinus lib. cõtra epistolam fundamenti, c. 4. dicit, Catholicam quidem ecclesiam multis notis facilè cognosci, sed hæreticos nihil habere nisi veritatis pollicitationem, id est, quod apud se sit vera, & syncera prædicatio.

SECVNDO, notæ debent esse notiores ea re, cuius sunt notæ, alioqui enim non sunt notæ, sed ignotæ. Iã aduersarij non volunt solum externam prædicationẽ verbi esse notam Ecclesiæ, sed prædicationem, & receptionem. Ibi enim dicunt esse verã ecclesiam, vbi prædicatur, auditur, & creditur verbum. At quis nosse potest, vbi verè credatur verbum? præterea etiam de externa prædicatione. sine dubio notius est, quę sit vera ecclesia, quam quæ sit vera prædicatio verbi: nã id ab ecclesia discimus, vt Irenæus, Tertullianus, Augustinus, & omnes veteres docent.

IRENÆVS lib. 3. c. 4. *Quid enim* inquit, *& si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret*

in an-

in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum & re liquidum est? Tertullianus libro de præscript. *Quid*, inquit, *prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hic perscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinã, q̃ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus, & originalib. fidei conspiret, veritati deputandã: reliquam verò oẽm de mendacio præiudicandam.*

Idem ratione ostenditur: nam vera prædicatio, est prædicatio, & interpretatio veræ Scripturæ diuinæ, quæ sit autem vera scriptura, & quis eius verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ, vt Augustinus docet, libro contra epist. fundamenti, c. 5. & libro de vtilitate credendi, c. 14. & ipse quoque Brentius in confessione V Virtembergensi, c. B de Scriptura, qui confitetur ecclesiam habere ius testificandi de vera scriptura, & etiam interpretandi veram scripturam: & Caluinus, lib. 4. c. 1. §. 5. vult ecclesiam esse fidelem custodem verbi Dei; & Philippus in Locis, cap. de Ecclesia, requirit testimonium veræ Ecclesiæ ad dirimendas lites. At prius debet esse notus custos thesauri, quam thesaurus: & Doctor, quam doctrina, cum à Doctore petatur doctrina, non contrà: ergo potius ecclesia est nota veræ prædicationis, quam vera prædicatio sit nota veræ ecclesiæ.

Tertio, veræ notæ sunt inseparabiles à vera ecclesia, sed Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum, ad quas scribebat Paulus, veræ ecclesiæ erant, & tamen ibi non erat aliquando syncera prædicatio verbi, vt C ex Apostolo cognosci potest, qui dicit se scribere Ecclesijs Dei, quæ sunt Corinthi, vel in Galatia, 1. Cor. 1. & Gal. 1. & tamen 1. Cor. 15. arguuntur Corinthij, q̃ docerent non esse futuram resurrectionẽ, & Galatæ per totam ferè epistolam reprehenduntur, q̃ docerent, seruandam esse legem Mosis cum Euangelio.

Sed Dices, quomodo erant istæ veræ Ecclesiæ, cũ hæresim docerent? Respondeo, aliud esse errare, & paratum esse ad discendum, & cum didiceris, ad obediendum: aliud nolle discere, & cum audieris veritatem, nolle acquiescere: neutrum horum esse potest in Ecclesia vniuersali: in ecclesia autem particulari esse potest illud primum, in neutra autem illud secundũ, sed solum in Synagogis Satanæ, & ecclesijs malignãtium. Rursvm, esse potest pura doctrina ab omni error in falsa ecclesia: nam schismatici puri quondam D Luciferiani, & Donatistæ, initio integram habent doctrinam, & tamen sunt extra ecclesiam: si dicant non habere integram doctrinam, quia doctrina vera docet manendum in veræ ecclesiæ vnitate: contra, nam tunc petetur principium, cum ipsa nota ponatur esse in vera ecclesia. Præterea schismatici credunt oportere esse in vera ecclesia, & obedire vero capiti, licet nõ faciãt: & ꝓinde nõ errãt ĩ fide, sed deficiũt ĩ caritate.

At Obiicvnt pro hac nota Brentius, Philippus & Caluinus quædam loca scripturæ. Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audient*: Ergo ibi est Ecclesia, vbi auditur verbum Dei. Item ad Ephes. 5. *Mũdans eam lauacro in verbo vitæ.* Ecclesia mundatur verbo, ergo vbicunque est verbum mundans, ibi est ecclesia. Ita Philippus in Apologia. At Caluinus lib. 4. c. 1. §. 9. cõ E tentus est illo Matth. *Vbi sunt duo vel tres, &c.*

Brentivs in confessione capite de ecclesia, profert illud Ioan. 10. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Et illud 15. capite *Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Illa enim est Ecclesia, quæ est munda coram Deo. Et illud Rom. 1. *Euãgelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Addit Chrysostomvm hom. 40. in Matth. *Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Et Avgvstinvm epist. 166. *In scripturis didicimus Christum, in scripturis* A *didicimus Ecclesiam, &c.* Item lib. de vnitate Ecclesiæ, c. 2. *Quæstio inter nos versatur, vbi sit Ecclesia: quid ergo factur sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui? puto quod potius in illius verbis eã quærere debeamus, qui veritas est, et optimè nouit corpus suũ.* Etc. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, hæc dicit Dominus.* Et infra: *Nolo hominis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.*

Respondeo. Primvs locus non docet vbi sit ecclesia, sed docet, qui sint electi, nimirum qui corde pseueranter audiunt, & retinent verbum, vt exponit Augustinus: cum autem non possit sciri, qui corde audiant, non potest hæc esse visibilis nota ecclesiæ, sed est nota vnicuique, vt saltem coniecturaliter cognoscat suam electionem.

Secvndvs locus nihil probat: nam illa mundatio est inuisibilis, nec Paulus ibi vult docere, quę sit, vel vbi sit ecclesia, sed quid boni Deus cõtulerit ecclesię.

Tertivs, non demonstrat vbi sit ecclesia, sed vbi sit Christus. Vbi enim est vera ecclesia, ibi est Christus: præterea si congregari in nomine Christi sit nota ecclesiæ, certè non erit congregari quomodocunq. in nomine Christi, sic. n. oẽs hæreses, & schismata cõgregantur in nomine Christi: sed erit congregari ab illis, qui funguntur Christi auctoritate, quales sunt epi legitimè ordinati, & succedentes alijs & alijs vsq. ad Apostolos, quos Christus primo reliquit loco suo, & sic ista nota coincidit cum nostris, de quib. postea.

Qvartvs locus nihil probat. Primò, quia ibi dicuntur dij soli Principes, quibus Deus aliquid commisit: id. n. est fieri ad aliquem verbum Dei. Secundò qa verbum Dei non facit Deos, si tantum prædicet, sed si recipiat, & credat: at hoc inuisibile est, vt patet.

Qvintvs locus est similis secundo, vnde idẽ Brentius dicit, ecclesiam esse mundam coram Deo, id est, non coram hominibus; & non aduertit ex hac nota sequi, illam fieri Deo manifestam, non nobis.

Sextvs locus nihil probat: nam effectus Euangelij est inuisibilis.

Sed instat Calvinvs. Verbum Dei est ferax, & vbicunque prædicatur, fructificat, ergo vbicũque prædicatur, ibi est aliqua Ecclesia.

Respondeo. Si quid probat hæc ratio, tantum ꝓbat, vbi prædicatur, ibi esse aliquos bonos: sed nos illos non nouimus. Sed neque hoc probat: nam verbum Dei semper fructificat, cum legitimè prædicatur, id est, a prædicatoribus missis ab ordinaria potestate: alioqui uidemus ꝓdicari inter hæreticos uariarum sectarum, vbi non fructificat nisi lolium. Ad locum Chrysostomi iam sæpe respondimus. Ad loca Augustini respondeo, ex scriptura probari, vbi sit ecclesia, non tanquam ex nota ecclesiæ, sed quia scriptura docet, quæ sint notę, dum docet, qualis illa sit, ubi cęperit, quom do creuerit.

Dices, saltem scriptura est notior, quam Ecclesia quandoquidem inde probatur ecclesia.

Respondeo. Simpliciter ecclesiam esse priorem, & notiorem, quam sit scriptura: nam ecclesia fuit ante scripturam, & ipsi data est scriptura a Deo, & ipsa eam aliis tradit, & explicat: tamen aliquando ex hypothesi scripturam esse notiorem, quando uidelicet scriptura est recepta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de ipsa ecclesia, sicut interdum è contrario ecclesia est recepta, & nota, & quęstio oritur de scriptura. & sic unum probatur ex altero, uerbi gratia quando disputabatur de Baptismo hæreticorum, quia scriptura obscurè loquitur, & ecclesia nota erat, Augustinus probabat secundum scripturas ratum esse Baptismũ hæreticorum, quia ecclesia illum habet pro rato. Contrà, cum disputabatur de ecclesia, an esset in sola Africa, quia scripturæ receptæ, & claræ erant, inde Augustinus probabat: & idem nos faciemus, cum deducemus

cemus notas Ecclesiæ ex Scripturis, sed non propterea Scriptura est simpliciter notior, quàm ecclesia.

SECVNDA nota ijsdem argumẽtis refutatur: nam PRIMO eam sibi omnes vendicant. nam præter Catholicos, Caluinistæ ideo separati sunt a Lutheranis ceteris, quod vtrique putant, sè solos habere verũ Sacramentum Eucharistiæ. Anabaptistæ autẽ separati sunt ab vtrisque, quia se solos putant habere verum vsum Baptismi. Præterea Pelagiani habebant omnia Sacra, & similiter oẽs schismatici. SECVNDO, legitimus vsus Sacramentorum minus notus est, quàm sit Ecclesia. Nam ille est legitimus Sacrorum vsus, qui est conformis Scripturæ, vt ipsi docent: Scripturæ autem pendent ab ecclesia, non cõtra, vt sæpe diximus. TERTIO, ecclesia Corinthiorum erat vera ecclesia, & tamen 1. Cor. 11. reprehenduntur Corinthij, quòd non syncerè tractarent præcipuum Sacramẽtorum, & similiter ecclesiæ Africanæ, quæ erant sub Cypriano, & sub illis 86. Episcopis, quorum sententias ipse refert in epistola ad Quirinum, veræ ecclesiæ erant, vt beatus Augustinus lib. 6. c. 7. de Baptismo, & beatus Hieronymus contra Luciferianos docent: & tamen non syncerè tractabant Sacramentum Baptismi, vt ijdẽ Hieronymus & Augustinus ibidẽ docẽt.

TERTIA nota refutanda, est oratio & psalmodia quæ est sexta Lutherana. refellitur autem: quia si loquatur de inuocatione, quæ ex corde procedit, inuisibilis nota est: si de externa tantum inuocatione & psalmodia, est nota communissima: nam hoc tempore omnes sectæ, etiam Anabaptistarum, dicunt orationem Dominicam, & canunt Psalmos lingua vulgari, & idem olim faciebant Ariani, vt refert Socrates lib. 6. c. 8. & Ambrosius de tradendis basilicis. imo hoc tempore nota veræ ecclesiæ fere dici potest, canere Psalmos lingua Latina, quia hoc relictum videtur fermè soli antiquæ, & Catholicæ ecclesiæ, quæ non mutatur quotidie, vt sectæ hæreticorum.

QVARTA nota refellenda, est septima Lutherana, nimirum interna mœstitia, pusillanimitas, externæ persequutiones, & vocari hæretici: ac de internis falsissima nota est, nam obscurè sunt, si internè sunt. Itẽ pusillanimitas est vitium, & Paulus vbique hortatur ad internam lętitiam, & dicit regnum Dei esse gaudium in Spiritu sancto. Vide Rom. 14. Coloss. 3. Philip. 4. Ephes. 5. De externis nõ est nota perpetua, nam ecclesia in principio & in fine passa est magnas angustias, at in medio florentissima fuit. & omnia prædicta sunt. Vide Augustinum epist. 50.

QVINTA nota est Centuriatorum, quod ea sit vera ecclesia, in qua inueniuntur qui perseuerant in cõfessione fidei vsque ad mortem. Quæ refelletur PRIMO, quia non magis nota est confessio veræ fidei, quam vera Scripturæ prędicatio, & legitimus Sacramentorum usus.

SECVNDO, quia ex hac nota colligeretur verã ecclesiam non posse esse vllo modo apud Lutheranos. Ipsi enim dicunt per multa secula ante Lutheri aduẽtum cessasse confessionem veręfidei, & ecclesiã conseruatam in latebris, & fuisse prorsus inuisibilem, ergo ecclesia Lutheranorum est noua, & proinde falsa.

TERTIO, quia hanc notam uidemus in omnibus, sectis, & in nulla minus, quàm in cœtu Lutheranorum, nam in primis ecclesia nostra habet innumerabiles martyres, qui perseuerarunt constantissimè in confessione fidei: deinde Montanistæ ualde gloriabantur de suis martyribus, vt patet tum ex Eusebio lib. 5. hist. cap. 18. tum ex Tertulliano in lib. de fuga in persecutione, quem scripsit, cum Mõtanista esset, contra Catholicos, objiciens eis quod male facerent fugiendo.

Item MASSALIANI apud Epiphanium hæres. 80. ideo dicti sunt etiam Martyriani, quia gloriabantur ualde de numero martyrum suorum. Idem de Donatistis cõstat. S. AVGVSTINVS epist. 68. *Viuebant*, inquit, *vt latrones, honorabantur vt Martyres*. De Anabaptistis, qui erant tempore B. BERNARDI, scribit ipse serm. 66. in Cantica. *Mirabantur*, inquit, *aliqui quod non modo patienter, sed etiam læti ducerentur ad mortẽ*. De ADAMITIS scribit Æneas Syluius lib. de histor. Boemorum, c. 41. uiros cum fęminis coniugibus suis lętos, atque canẽtes properare solitos ad ignem. Hoc uerò tempore nostro nemo ignorat in hac obstinatione moriẽdi pro perfidia, primum locum tenere Anabaptistas, secundum Caluinistas, extremum ac penè nullum meros Lutheranos, qui tamen hanc notam ueræ ecclesiæ soli proponunt.

CAPVT III.

Proponuntur veræ notæ Ecclesiæ.

HIs igitur notis breuiter refutatis, restat ut ueras notas proponamus. Est autem initio obseruandum, ecclesiam Catholicam esse quasi solem quendã, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut facillimè per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas, siue testimonia, ac signa, quæ eam discernunt ab omni falsa religione Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum: & non quidem efficiunt euidenter uerum, ipsam esse ueram Dei ecclesiam, sed tamẽ efficiunt id euidenter credibile, nec enim est idẽ euidenter uerum, & euidenter credibile. Nam euidenter uerũ dicitur, quod uel in se, uel in suis principijs uidetur: euidenter credibile illud dicitur, quod non uiderur, nec in se, nec in suis principijs, habet tamen tot, & tam gratia testimonia, ut quilibet uir sapiens meritò id credere debeat: ut si iudex uideat hominẽ a latrone occidi, uel uulnerari lætaliter, & postea mori, habet euidentiam ueritatis, quod ille latro sit homicida: si autem eędem fieri non uideat, sed habeat uiginti testes uiros grauissimos, qui dicunt se uidisse, habet euidentiam credibilitatis.

Dicimus ergo, notas ecclesiæ, quas adferemus, nõ facere euidentiam ueritatis simpliciter, quia alioqui nulli inuenirentur, qui id negarẽt, sicut nemo inueniuntur, qui neget sententias, quas Mathematici demonstrant: sed tamen efficiunt euidentiam credibilitatis, iuxta illud Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Apud eos autem, qui admittũt Scripturas diuinas, & historias, ac Patrum ueterum scripta, faciunt etiam euidẽtiam ueritatis. Tametsi enim articulorum fidei ueritas non potest nobis esse euidens absolute, tamen potest esse euidens ex hypothesi, id est, suppositа ueritate Scripturarũ. quod enim a scriptura euidenter deducitur, est euidenter uerum, suppositis Scripturis.

Porro hæ notæ a uarijs uariè nominãtur, & numerantur. B. AVGVSTINVS lib. contra epist. fundamẽti, ca. 4. sex notas ponit. B. Hieron. contra Luciferianos in fine, duas. Vincentius in suo commonitorio, tres.

Ex recẽtioribus DRIEDO li. 4. c. 2. par. 2. de eccl. dogmat. & Petrus a Soto prima parte defensionis, ca. 44. & seq. alias tres. Cardinalis Hosius in explicatione symboli, quatuor. Nicolaus Sanderus lib. 8. de uisibili monarchia, ca. 50. alias sex. Michael Medina lib. 2. de recta fide ponit decem. & lib. 7. c. 26. addit undecimam. Cunerus Petri in libello de notis ecclesiæ ponit (ni fallor) duodecim, neq; enim, cum hæc scriberemus, libellum eius habebamus in manibus.

Nos quindecim notas proponemus, quas, si quis uelit, poterunt aliquo modo reuocari ad illas quatuor, quæ communiter a recentioribus assignãtur ex Symbolo Constantinopolitano, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam.

CA-

CAPVT IV.

Explicatur prima Nota.

PRIMA NOTA, est ipsum Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen: nam, vt S. AVGVSTINVS docet lib. contra epist. fundamẽti, c. 4. etiamsi omnis hæresis velit videri, & dici Catholica ecclesia, tamen cum interrogantur hæretici à paganis, vbi ad catholicam conueniatur? nemo audet domum suam ostendere, & CYRILLVS Cateches. 18. dicit: *Si ueris in aliquam vrbem, non petas, vbi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & ecclesiam, sed petas, vbi sit Catholica Ecclesia: id. n. nomen proprium est huius sanctæ Ecclesiæ matris oium nostrum, quasi dicat, si hoc petas, nullꝰ hæreticus suã ecclesia ostendet.*

PACIANVS in epistola ad Sympronianum, quæ est de nomine Catholico: *Certe*, inquit, *non est ab homine mutuatum, quod per secula tanta non cecidit. Catholicũ istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores.* Et infra: *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit.* Et ibidem pulchrè dicit, nomẽ catholicum conuenire capiti principali, & trunco illius arboris, vnde multi rami varijs temporibus excinduntur: sectæ. n. hæreticæ sunt rami, i. partes quædam ab arbore ecclesiæ præcisæ: ipsa autem arbor, quę sua radice nititur, & semper eadem manet, & est quid totum, Catholica dicitur. Similiter nulla est hæresis, q̃ non accipiat nomen ab aliquo homine auctore suo, & nomen Christianum ijs relinquat, à quibus discedit. Sic 1. Cor. 3. schismaticorum alij dicebant: *Ego sum Pauli, alij, ego Apollo, alij, ego vero Cephæ.*

IVSTINVS in Triphone: *Et sunt*, inquit, *distincti cognominibus, denominati à quibusdã viris, vt quisq. fuit auctor alicuius nouæ doctrinæ. ex ijs alij vocantur Martionistæ, alij Valetiniani, alij Basilidiani, alij Saturniani alij alio vocabulo, quisque à primo inuentore sui dogmatis.* IRENÆVS lib. 1. cap. 20. *Habent*, inquit, *& vocabula, à principe impiissimæ sententiæ Simone dicti Simoniani.* LACTANTIVS lib. 4. c. 30. *cum Marcionitæ aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula induerunt.* ATHANASIVS serm. 2. contra Arianos: *Nunquam*, inquit, *populus ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditũ fuit, nomẽ accepit: certè à beatis Apostolis præceptoribꝰ nostris appellationes adepti nõ sumus, sed à Christo Christiani sumus, & nuncupamur: illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta præ se ferunt. Quapropter cum à Christo omnes Christiani essemus, & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos: reliqui autem, qui remanserunt, Christiani titulum retinuerunt: qui verò Marcionem secuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt. Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichæus & ceteri sectatoribus suis nomina impertierunt.*

HIERONYMVS contra Luciferianos, in fine: *Si cubi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino* IESV *Christo, sed a quoquo alio nuncupari, vt Marcionitas, Valentinianos: scito non ecclesiã Christi, sed Antichristi esse Synagogam.* Iam ergo si nunc dicũtur alij Martinistæ, vel Lutherani, alij Zvvingliani, alij Caluinistæ, &c. nos aũt ab aliquo certo hoie nemo vnq̃ vocauit, constat nostram solum esse veram Ecclesiam.

AT, INQVIVNT, vos vocamini passim, Papistæ, Romani, vel Romanenses. RESPONDEO, etiam olim fuisse vocatos Catholicos homousianos, sed ista ipsa nomina veritati attestantur: non enim sunt nomina alicuius noui auctoris, & hæsiarchæ, ut sunt ipsorum nomina: sed homousianus significat eũ, qui credit Filiũ Patri consubstãtialem, quod est dogma verissimum. Papista deducitur à Papa, qualis fuit etiam Petrus, & Christus ipse, vt notum est. Romanus autem, & Romanensis, etiam ante M. C. annos idem erat, quod Catholicus, vt patet ex Ambrosio in oratione de obitu Satyri. ADDE, quod Chrysostomus homil. 33. in acta dicit, non esse malum si Catholici denominentur ab ijs, qui ecclesiam gubernant nomine Christi, modò non denominentur ab aliquo homine particulari, sicut hæretici faciunt. vbi videtur præuidisse nos vocandos, quandoque Papistas. Adde, quod nos vocamur Papistæ, nisi a Lutheranis in Germania, & vicinis regionibus, non sic autem vocamur in Græcia, Asia, Africa, Indijs, vt interim omittam Italiam, & Hispaniam.

CAPVT V.

Nota secunda.

SECVNDA NOTA est ANTIQVITAS: nam sine dubio vera ecclesia antiquior est, quam falsa: quemadmodum Deus antè fuit, quam esset Diabolus. Quo circa Matth. 13. prius seminatum legimus fuisse bonum semen, quam zizania: & ecclesia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit, & similiter dicitur Apostolica, quia fundata est ab Apostolis, & proinde antiquissima. IAM quod nostra ecclesia sit antiquior omnium paganorum conuenticulis, immò quod nostra scriptura sit antiquior ipsis Diis Gentilium, demonstrat TERTVLLIANVS in Apologetico, ca. 19. & 20. & B. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, ca. 37. & 38. Quod autem nostra Ecclesia, quam aduersarij Papisticam vocant, sit illa ipsa, quam Christus instituit, & proinde vetustior omnibus sectis hæreticorum, hac ratiocinatione concludi potest.

In omni insigni mutatione religionis semper ista sex demonstrari possunt. Primò, auctor eius. II. dogma aliquod nouum. III. tempus, quo cœpit. IV. locus vbi cœpit. V. quis eam oppugnauerit. VI. exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim alijs accedentibus cœperit. nam illa omnia inuenimus in ipsa Christi ecclesia, quæ tamen non fuit noua ecclesia, sed solum mutatio quædam status Ecclesiæ, secundum Prophetarum prædictiones. PRIMO enim scimus, auctorem fuisse Christum, vnde Christiani dicimur. SECVNDO cœpisse tunc explicitè credi noua dogmata Trinitatis, & Incarnationis. TERTIO cœpisse ista prædicari anno XV. Imperij Tiberij Cęsaris. QVARTO cœpisse in Iudæa. QVINTO mox oppugnatam fuisse hanc religionem à Scribis & Pharisæis, deinde à Gentilibus summa vi. SEXTO scimus, initio fuisse multò pauciores Christianos, quam essent Iudæi, cum separatio facta est. Si ergo in hac mutatione status eiusdem Ecclesiæ illa sex ostendi possunt, multò magis eadem poterunt demonstrari in quauis perfecta mutatione. Iam verò nos illa omnia, de singulis hæreticorum sectis facillimè demonstramus. nihil autem horum aduersarij vnquam de nostra ecclesia post Apostolica tempora demonstrare potuerunt.

Ac vt exemplis rem illustremus. Arianorũ auctorem scimus fuisse ARIVM quendam Presbyterũ Alexandrinum. Nestorianorum vero NESTORIVM, Episcopum Constantinopolitanum. Lutheranorum autem Martinum LVTHERVM presbyterum, & monachum ordinis sancti Augustini.

SECVNDO scimus, q̃ dogmata inuenerint. ARIVS enim docuit, Filium Dei esse creaturã. NESTORIVS in Christo duas esse personas. LVTHERVS iustificari homines per solam fidem specialem, id est, per hoc solum, quod se iustos putent: item negauit Eucharistiã esse sacrificium.

TERTIO scimus tempora. Cœpit enim Ariana hęresis anno Domini CCC. XXIV. Nestoriana anno

CD.XXXI. Lutheranorum anno M.D.XVII.

Qvarto scimus loca. Cepit Arianismus in Ægypto. Nestoriana hæsis i Thracia. Luterana i Saxonia.

Qvinto scimus, Arianos mox oppugnatos fuisse a Syluestro Pontifice, a Concilio Nicæno, ab Athanasio, Hilario, & alijs. Nestorianam a Pontifice Celestino, Concilio Ephesino, Cyrillo, alijsque permultis. Lutheranam a Leone X. Pontifice, a Cõcilio Tridentino, ab Academijs omnibus Catholicis, & Doctoribus plurimis.

Sexto scimus, initia harum hæresum valde exigua fuisse, & multò plures initio separationis sine cõparatione fuisse Catholicos toto orbe terrarum diffusos quàm erant Ariani, Nestoriani, vel Lutherani, quod ne ipsi quidem negant.

Quod verò nihil horum de nobis ostendere possint, perspicuum est nam Primo, nunquam ostenderunt nobis auctorem nostræ sectæ, nec ab vllo particulari homine nos appellauerunt, quod certè libentissimè facerent, si possent.

Secvndo, nunquam ostenderunt primam originem vllius dogmatis nostri: immò Centuriatores in singulis centurijs, cap. 4. circa finem, annotant, qui auctores defenderint nostra dogmata, quæ nunc ipsi oppugnant, nec originem inueniunt, nisi tẽpore Apostolorum. nã etiam Iustinum, & Irenęum numerant inter nostros fautores. quos constat proximè insequutos Apostolorum tempora. Et capite 5. in singulis cẽturijs enumerant omnes hæreses cuiuslibet seculi, & qui restiterint, nec vnquam annotarunt aliquam hæresim excogitatam a Romanis Pontificibus, sed potius omnes hæreses ab illis condemnatas. Nvnc quidem nobis multas hæreses obijciunt. Nam Tilmannvs Heshusius scribit librum de sexcentis hæresib. Papistarum, sed illę hæreses, exceptis mendacijs Tilmanni, sunt antiquissima dogmata, quod vel ex Centurijs, facillimè probari posset: nam Illyricus nostra dogmata in omnium Patrũ libris inuenit: sed in Patribus vocat nęuos, in nobis hæreses, scilicet, hæc est astutia Aduersariorum: vt ostendant nos esse extra ecclesiam, nostra dogmata vocant hæreses: vt non videantur ipsi separati ab ecclesia Patrum, eadem dogmata in illis vocant nęuos.

Tertio, nunquam designare potuerunt tempus certum nostrę defectionis ab ecclesia. Dicũt quidem post primos quingentos annos cœpisse valde inualescere hanc sectam, tamen quando cœperit, absolutè nunquam dixerunt.

Qvarto, nunquam ostenderunt, quo loco cœperit, nam post primos quingentos annos floruit Gregorivs, cum quo totum orbem terrarum communicasse, ex epistolis eius, quas ad omnes prouincias mittit, cognosci potest. Item post Gregorij obitum celebratum est Concilium VI. generale, ex quo manifestè colligitur, totum Orientem, & Occidentẽ eo tempore cum Romano Pontifice, vt membra cum suo capite, coniuncta fuisse.

Qvinto, nunquam ostenderunt, quis eam oppugnauerit, tanę nuper ortam: & quæ Concilia contra eam celebrata fuerint. Obijciunt quidem Concilium Constantinopolitanum sub Copronymo, quod videtur fuisse generale, & dãnauit imagines, quas Romani defendebant. At non fuit hoc verum generale concilium, cum nõ habuerit vllum uerum Patriarcham. Præterea istud Concilium non damnauit dogma tũc exortum, sed dogma antiquum, & in tota ecclesia receptũ: nam non statuit, vt nõ reciperetur cultus imaginũ, sed vt aboleret, & vt imagines è tẽplo auferrentur. Vide Cedrenum, Zonarã, & Paulum Diaconũ.

Sexto, non potest vllo modo ostendi, quod unquã nostra ecclesia separauerit se ab aliqua maiore, ita ut qui adhærebant Romanę sedi, essent pauciſſimi, reliqui Christiani multo plures, nam ex epistolis B. Gregorij, quas scribit ad episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italię constat omnes ferè Christianos cum eo communicasse.

Hoc argumento ab antiquitate semper vsi sunt veteres Patres contra hæreticos, ad ostendẽdam veram ecclesiam. Tertvllianvs libro de præscript. *Qui estis vos*, inquit, *vnde, & quando venistis? vbi tam diu latuistis?* Optatvs lib. 2. cõtra Parmenianum: *Vestræ*, inquit, *cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Hilarivs lib. 6. de Trinitate ante medium: *Tardè mihi*, inquit, *hos piissimos Doctores ætas nunc huius seculi protulit, serò hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros, inauditis ego his omnibus in te credidi, &c.* Hieronymvs in epist. ad Pãmachium, & Oceanũ: *Quisquis*, inquit, *assertor es nouorũ dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? vsque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.* Et lib. contra Luciferianos in fine: *Ex hoc ipso*, inquit, *quod posterius instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit.* Denique Avgvstinvs libro contra epistolam fundamenti, c. 4. antiquitatem inter notas ecclesiæ ponit.

Ad hoc argumentum quatuor adferũt solutiones. Primo, respondet Caluinus lib. 4. Instit. c. 2. §. 3. nõ posse ex antiquitate inuictum argumentum duci. nã Ismael fuit senior, quam Isaac, & tamen dictum est: eijce ancillam, & filiũ eius. At Ismael non fuit figura falsæ religionis, sed solum Testamenti veteris quod erat bonum, & a Deo: Sed quia status hoĩum eius testamenti erat seruorum, qui timore ducũtur, debuit ei succedere testamẽtum nouum perfectius, ad quod pertinent liberi, qui ducũtur amore. Gal. 4. *Scriptum est, quia Abraham duos filios habuit, &c. quæ sunt per allegoriam dicta, hæc enim sunt duo Testamenta, &c.*

Secvndo dicunt, non posse ostendi de nostra ecclesia, quo tempore, quo loco, per quem auctorẽ præcisè cœperit, &c. non quod reuera non sit noua, sed quia non facta est simul ista mutatio, sed paulatim irrepserunt errores non aduertentibus, immo etiã dormientibus pastoribus. At etiam aliæ mutationes non factæ sunt totę simul, sed paulatim, vt patet de Luthero, qui initio non negabat nisi indulgentias, &c. & tamẽ scimus de singulis, quãdo, & quomodo ortæ sint. Præterea Matth. 13. non dicuntur zizania nata dormientib. hominibus, sed seminata dormientibus hominibus: mox autem nata apparuisse, & cognita fuisse. quomodo igitur nostræ hæreses per mille fermè annos detectę non sunt? sanè non solum pastores, sed etiam Deus valde dormiuisset, si per tot secula nunquam excitasset aliquem, qui istis errorib. resisteret. & delendum esset ex Euangelio illud: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

Tertio dicunt, quòd licet non possit ostendi, quãdo cœperit initium huius deprauationis, tamen posse ostendi, quãdo insignis mutatio facta est. nam initio anni DC. Papa in Antichristum aperte mutatus est, quando videlicet Romanus Pontifex obtinuit a Phoca Imperatore, vt caput episcoporum diceretur, & quando aperuit Pantheon templum omnium Deorum. ita docent Magdeburgenses cent. 7. c. 1. & concordant plerique aduersariorum. Nam etiam Theodorus Bibliãder in tabulis suę Chronologię initio anni DC. ponit apparitionem Antichristi, id est, Papæ: & Lutherus in supputatione temporum, vult S. Gregorium fuisse vltimum Papam, & passim Caluinistę, & Lutherani, vsque ad primos D. vel DC. annos extendunt ecclesiæ puritatem.

At in primis post annum DC.LXX. diu post tẽpora Phocæ celebratũ est Cõcilium VI. generale, quod aduer-

aduersarij, vt sacrosanctum recipiunt, ut patet tũ ex alijs, tum ex Confessione Tigurinorum, & ex Centurijs Magdeburgensium: in eo autem concilio præcipuæ partes fuerunt Romani Pontificis Agathonis: nam eius sniam per legatos & epistolas ipsius explicatã, omnes sequuti sunt, vt etiam prolixè describũt Centuriatores Cent. 7. c. 9. vel ergo Papa nondũ erat Antichristus, vel tota ecclesia, & sanctum generale Concilium Antichristum venerata & sequuta est.

Præterea falsum est, quod Phocas primus tribuerit Romano Pontifici nomen capitis ecclesiæ. nam Iustinianus senior, qui ferè centum annis fuit ante Phocã in epistola ad Ioannem II. Papam disertis verbis vocat eum caput omnium ecclesiarum, & hoc idẽ habetur in epistola eiusdem Ioannis II. responsiua ad Iustinianum, vbi Papa repetit summam literarum Imperatoris, & habetur vtraque epistola in Codice libri 1. titu. 1. leg. 4. & 6. nec id ignorabant Centuriatores. nam Centur. 6. c. 10. col. 670. meminerunt legis quartæ Codicis, quæ ex epistola Ioannis Papæ sumpta est. Itaque contra conscientiam suam mentiuntur.

Præterea ante tempora Iustiniani concilium Chalcedonense in epist. ad Leonem vocat eum caput omnium episcoporum. & ipse S. Leo serm. 1. de sanctis Petro, & Paulo, sic Romam alloquitur: *Per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta latius præsides religione diuina, quam dominatione terrena.* Et infrà, *Minus est, qđ tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.* Phocas igitur non primus hoc nomen tribuit Romano Pontifici, sed primus compescuit superbiã Episcopi Constantinopolitani, qui se Romano Pontifici æquare volebat.

Ad illud de Ecclesia, quæ dicitur Pantheon, dico primò, argumentum esse cõtra aduersarios. nã Dan. 11. legimus, Antichristum pugnaturum contra omnes Deos, & solum in occulto adoraturum Deũ Maozim. & 2. Thess. 2. dicitur, eleuaturum seipsum supra omne, quod dicitur Deus. Ergo si Papa aperuit templum oĩbus Dijs, hoc ipso non est Antichristus. Præterea antequam templum Pantheon consecraretur Deo in memoriam oium Sanctorum, iam erant Romę templa S. Petri, Pauli, Laurentij, Sebastiani, &c.

Sed Obiicit Melanchthon in Confessione & Apolog. art. 21. inuocationem Sanctorum non fuisse ante Gregorij tẽpora, ergo tunc cœpit. Respondeo, mendacium esse: nã plurimi Patres, & in ijs Ambrosius in lib. de viduis, meminerunt inuocationis Sanctorum: sed de Antichristo, & inuocatione Sanctorum suis locis fusè disseruimus.

Quarto, respondet Caluinus in præfat. instit. suã Ecclesiam non esse nouam, sed antiquissimam: immo illam ipsam, quam Christus fundauit: tamen non esse uisam per multa secula, & nunc demum apparuisse. At contrà est argumentum, quod facit B. Augustinus contra Donatistas lib. 3. de Baptismo, ca. 2. aut ista Ecclesia, quæ nũc apparuit, antea perierat, & nũc resurrexit: aut non perierat, sed tantum latuerat, & nunc extulit caput. Non Primvm, quia tunc non potuissent renasci ipsi, si mater perierat. Si perijt; *Vnde ergo*, inquit, B. Augustinus, *Donatus apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emersit? de quo cœlo cecidit?* Et præterea falsè erũt pmissiones Christi, Matt. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et Matthæi ultimo: *Ego vobiscum sum vsque, &c.* Non Secvndvm, quia tunc vel ista Ecclesia latens profitebatur suam fidem, vel non profitebatur, si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta. & si manifesta, quomodo nemo aduertebat? quomodo non capiebantur, & coercebantur ab inquisitoribus, qui longo tpe ante Lutheri ætatem esse cœperunt in Ecclesia? quomodo nullum vestigium, nulla memoria eorum exstat? si autem non profitebatur fidẽ, sed verè & prio latebat, (quam partem ipsi defendere coguntur) ergo illa non fuit Ecclesia, ac proinde nulla fuit in mundo uera ecclesia. nã ut ipsi dñt, confessio fidei est nota ueræ ecclesię. Et Ro. 10. *Ore confessio fit ad salutẽ.*

Præterea si ita est, quomodo apparente Luthero, & Caluino nemo fuit, qui se illis adiũgeret, nisi quos ipsi deceperunt? si multi Lutherani, & Caluinistę latebant, debuissent multi prædicante Luthero, & Caluino, mox cognoscere socios suos, & ad eos currere ét non uocati. at non ita factum est, nã oẽs ferè qui sint Lutherani & Caluinistę, fatentur se antea fuisse ex nostris, & nihil cogitasse de noua illa doctrina. Immo Lutherus ipse fatetur, se aliquando non fuisse Lutheranum, sed Monachum Catholicum, & Missas celebrasse per quindecim annos seriò, ac deuotè. Vide librum de Missã angulari, uel Ioannem Cochlæum in actis Lutheri anni M D XXXIV. Itẽ librũ 2. Lutheri cõtra Zvvingliũ, vel Septicipitẽ Ioã. Cochlęi, c. 24.

Denique, si ita ecclesia latuisset, vt Caluinus dicit, sequeretur ecclesiam Christi fuisse peiorem, & miseriorem omni secta hæretica, & ipso etiam populo Iudęorum post euersionem Hierosolymæ, quod certè est blasphemum, cum Deus per Prophetas passim prædicet gloriam ecclesiæ, & polliceatur se cum ea semper futurum. Quod illud sequatur, patet, nam omnis hæretica secta habuit sua templa, suos Episcopos, sua Sacramenta, & similiter Iudæi post euersam Hierusalẽ semper habuerunt aliquas Synagogas, vbi liberè exercuerũt suas ceremonias, vt patet ex Gregorio lib. 7. epist. 5. nec vnquam coacti sunt, generaliter adorare Deos alienos. At Ecclesia, quam latentem fingit Caluinus, per annos ferè mille, nulla habuit templa, nulla sacra, nullos Episcopos, nec habuit vnum angulum terrę vbi liberè exerceret actus Religionis suæ, & quod peius est, coacta est seruire Dijs alienis, adorare idola, sacrilegijs cõmunicare, quæ est horribilior & longior captiuitas, q̃ vnquam fuerit Iudęorum, imò est ista ecclesia deformior ipsis ruinis Synagogę.

CAPVT VI.

Nota tertia.

Tertia Nota est Dvratio diuturna, nec unquam interrupta. ecclesia enim dicitur Catholica, nõ solum quia semper fuit, sed etiam quia semper erit, iuxta illud Dan. 9. *Regnum quod in æternum nõ dissipabitur.* Et Act. 5. *Si est ex hominibus Concilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere.* De hęreticis autem S. Paulus dicit. *Sed vltra non proficient*, 2. Tim. 3. & B. Cyprianvs lib. 4. epist. 2. dicit schismaticos semper inter initia feruere, incrementa uero habere non posse, sed statim cum praua sua æmulatione deficere. Et B. Avgvstinvs Psal. 57. in illud. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens *Nos vos terreant*, inquit, *fratres quidam fluuij, qui dicuntur torrentes. decurrens aqua ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Mulæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in ruinis suis quantum potuerũt, decurrerunt. siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.*

Iam uerò cõstat Ecclesiam nostram durasse ab initio mundi hucusque, vel si de statu noui Testamenti loquamur, durasse à Christo hucusq. p MDLXXVII. annos, frustra eam oppugnantibus primo Iudęis, deinde paganis, ultimo hęreticis, nec solum durasse, sed etiam ex persecutionibus creuisse. Vt enim aquę diluuij, palatia regum obruebant, atque deijciebant, arcã verò Noe semper magis ac magis attollebant: ita pse quutiones regna temporalia facilè destruunt, Christi regnum, quod est ecclesia, non modò non destruunt, sed etiam illustrant. Itaque Ivstinvs in Triphone, dicit persequutionẽ id esse ecclesię, quod est vineis putatio;

tatio: vt enim vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque ecclesia persequutionibus crescit. & TERTVLLIANVS c. vlt. Apologetici sanguinē Martyrum eleganter semen Christianorum vocat, quod explicasse videtur LEO serm. 1. de SS. Petro & Paulo, cum ait: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dū grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

Quamuis autem hæretici huius temporis non concedant nostram ecclesiam M.D.LXXVII. annos durasse, concedunt tñ durasse sine vlla interruptione a Greg. I. hucusque. i. annos fere mille, quod tempus & si solum esset, adhuc esset longius, quam fuerit ætas vllius hæresis: sed tamen falsum est non diutius durasse, ipsi enim non possunt ostendere per vllam historiam, aut veterum scripta, factam esse mutationem religionis in ecclesia Romana tempore S. Gregorij.

Deinde nostram ecclesiam esse veram ecclesiā probari potest etiam hoc argumento: nam ante Lutheri tempora, non erant in mundo, nisi hæ religiones, Paganismus, Iudaismus, Mahumetismus, Græcismus, Nestorianismus, Hussitarum hæresis, & Romana ecclesia: sed certū est non fuisse verā ecclesiam Christi apud vllā ex p̄dictis sectis, vt & Lutherani fatent, ergo fuit apud Romanam ecclesiam, aut certe perijt de mundo omnis vera, & visibilis ecclesia: quod nō posse fieri, supra docuimus. At vero sectæ omnes hæreticæ breui defecerunt præter eas, quæ nūc exortę sunt.

Refert Theodoretus in lib. de hæreticis fabulis septuaginta sex diuersas hæreses vsque ad sua tempora exortas, & lib. 3. eiusdem operis testatur omnes illas extinctas fuisse, paucissimis exceptis Aug. ī lib. de hęresib. numerat 88. hereses, ex quib. plurimas perijsse testatur in expositione Ps. 57. Nos numeram⁹ vsque ad tempora Lutheri CC. hæreticorum diuersissimas familias: ex his aūt non supersunt, nisi reliquię quędā Nestorianorum, & Eutychianorū in Oriēte, & Hussitarum in Boemia: reliquę oēs funditus interierunt. Et mirabilis valde est in hac re prouidētia Dei, quod fuerint hactenus vsque ad Lutheri tempora, vt minimum CC. hæresiarchæ, quorū multi habuerunt multos ep̄os, multas ecclesias, multos potentissimos Patronos, & Imperatores, & Reges, & scripserūt libros innumerabiles, vt viderētur nunq̄ posse deficere, & tamen ita defecerunt, vt iam non supersint nec ipsi, nec libri eorum, nec dogmata, nec nomina, aut vestigia vlla, nisi in libris Catholicorum. Itaque si Catholici non scripsissent eorum nomina in suis libris, nesciremus quidem eos fuisse vnquam in hoc mundo.

Quàm firmis radicib. nixa videbatur hæresis Ariana tp̄ib. Athanasij & Hilarij? At nūc vbi, q̄so, est? euanuit velut puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Ante annos ducentos regnabat in Gallia hæresis Albigensium, q̄ præter vires doctrinæ, magis abūdabat copijs militum, & potentia, q̄ nunc hæresis Caluinistarum, vt cognosci potest ex lib. 6. Pauli Æmilij de rebus Gallorum, & tamen vbi nūc sunt Albigenses? quotusquisque est, qui eos vel nominari audierit?

Porro Lutherani vix nati arescere cęperunt. cœpit regnū LVTHERI anno M.D.XVII. sed vix septē annis pacificè regnauit. nā anno M.D.XXV. surrexit Zvvinglius, & post duos alios annos surrexerūt Anabaptistæ, q maiorē partē Lutheranorū a Luthero separatā ad se traxerunt. Qui vero manserunt Lutherani, ita immutarunt Lutheri doctrinā, vt uix ulli iam inueniantur puri Lutherani, de quo grauiter conqueritur Illyricus in præfationib. omniū Centuriarum.

Sed nec Zvvinglius diu regnauit: nā anno M.D.XXXVIII. surrexit Caluinus, qui ita breui inualuit, vt vix pauca quædam oppida Heluetiorum Zvvinglianis reliquerit. Ipsi quoque Caluinistæ per Libertinos in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Trinitarios in Polonia, & Samosatenos in Transyluania, quotidie magis ad paucitatem rediguntur.

Porro CALVINVS, vt erat sagax, regnum suum nō fore diuturnum præuidit & prædixit in præfatione Catechismi Geneuensis, quem ad Ministros in Frisia Orientali misit: *De posteritate*, inquit, *ego sic sum anxius, vt tamen vix cogitare audeam: nisi enim mirabiliter Deus è cœlo succurrerit, videre mihi videor extremā barbariem impendere orbi: atque vtinam non paulo post sentiam filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam.* Quæ Caluini anxietas satis aperte declarat, sectam ipsius rem esse plane humanam, non spiritu Dei, sed industria quadam, atque artificio humano excogitatam, ac denique longissime abesse a Spiritu eius, qui dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi nō præualebūt aduersus eā.*

CENTVRIATORES quoque in præfatione secundæ Centuriæ idem vaticinantur de suo Lutherismo. *Maximæ* inquiunt, *in doctrina variationes, & inclinationes impendere videntur, & sic mierentur hominum peccata, quæ sunt in dies atrociora: ac tempora quidē Germanici Prophetæ, Martini Lutheri, cuius voce & ministerio lux Euangelij quasi è tenebris Aegyptiacis reuocata est, propemodum Apostolorum ætati respondent: nunc vero ipso sublato, quasi alteram Euangelij ætatem ingressi sumus, vbi plures phanatismi incipiunt pullulare, & paulatim regnare.* Et in præfatione Cent. 5. postquam ostenderunt, præcipuos articulos de libero arbitrio, de fide iustificante, de bonis operibus, non defendi amplius a Lutheranis plurimis Lutherice, sed Papistice, subiungunt *Periit iam, idque repente, veritas patefacta, Philosophia, Papismus & aliæ sectæ longe lateq; in templo Dei primam cathedram occupant.*

Concludimus ergo cum S. Hieronymo in extremo Dialogo aduersus Luciferianos: *Breuem*, inquit, *apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat.* Et cum S. Augustino lib. de vtilitate credendi, cap. 17. *Dubitabimus*, inquit, *nos illius Ecclesiæ concedere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit?*

CAPVT VII.

Nota quarta.

QVARTA NOTA est AMPLITVDO, siue multitudo, & varietas credētium, ecclesia. n. vere Catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed & omnia loca, omnes nationes, omnia hominū gña. Sic enim explicat, quid sit esse Catholicum, Vincētius Lyrinensis in suo commonitorio, vbi dicit eos proprie esse Catholicos, qui tenent id, quod semper, quod vbiq; , quod ab omnibus creditum est. Et sic prędictum erat Psal. 2. *Dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* Et Psal. 71. *Dominabitur a mari vsque ad mare*, &c. Et Dominus ipse Luc. vlt. & act. 1. dicit prædicandum Euangelium in omnes gentes initio facto a Hierusalem.

Sunt āt aliqua obseruanda, antequam ex hac nota argumētū depromamus. PRIMVM est ex Augustino lib. de vnitate ecclesiæ, c. 6. & Beda in c. 6. Cant. vt Ecclesia sit Catholica, in primis requiri, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominū genera, in quo distinguitur a Synagoga, quę erat ecclesia particularis, non Catholica, quia erat alligata vni tempori, id est, vsque ad aduentum Messiæ: item vni loco, id est, templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare: & vni familiæ, id est, filiis Iacob.

SECVNDO, nota ex Augustino epistola 80. ad Hesychium, vt sit ecclesia Catholica, non requiri, vt sit in omnib. hominibus totius mundi, sed tantum, vt inno-

teſcat omnibus prouincijs,& in oĩbus fructificet, ita vt in omnib. prouincijs aliqui ſint de Eccleſia: donec .n. hoc fiat, non veniet dies Dñi, vt patet ex Matt. 24. TERTIO ex Driedone lib.4.c.2.par.2.de Eccleſ.dog mat.nota, non requiri, vt hoc fiat ſimul, ita vt vno tẽpore in omnibus prouincijs neceſſariò eſſe oporteat aliquos fideles. Satis.n.eſt, ſi fiat ſucceſſiuè. Ex quo id id ſequitur, q̃ ſi ſola vna prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Eccleſia Catholica, dummodò clarè oſtenderetur, eam eſſe vnam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis in toto mundo, quemadmodũ nunc quælibet Dieceſis dicitur Catholica, quia eſt continuata cum alijs, quæ faciunt vnam Eccleſiam Catholicam.

AT, INQVIES, hoc eſt incidere in errorem Petiliani, & Donatiſtarum, qui dicebãt, Eccleſiam quidem fuiſſe in toto orbe, ſed poſtea perijſſe, ex omnibus prouincijs, & in ſola Africa remanſiſſe, quos Auguſtinus reprehendit Pſal.101.conc.2. RESPONDEO, Donatiſtas erraſſe in duobus. Primum, q̃ vellent, Eccleſiam tantum fuiſſe in Africa, eo tempore, quo manifeſtè in toto mundo adhuc fructificabat. Secundò, q̃ ſuam Eccleſiam Africanam non poterant continuare cum illa, quę in toto orbe fuerat; nam in illa ſemper fuerunt boni & mali, vt Auguſtinus probat, ipſi autem non volebant niſi bonos.

VLTIMO, nota, quod etſi Eccleſia non neceſſariò debuit ſimul eſſe in omnibus locis, tñ hoc tẽpore debet neceſſariò vel eſſe, vel fuiſſe in maiori parte orbis terræ. Nam Eccleſia omnium conſenſu, etiam hæreticorum, iam ſenuit: ſi ergo in ſua adoleſcentia, & iuuentute nõ creuiſſet, quomodo nunc in ſenectute creſceret? Oportet igitur, vt iam creuerit, atque occupauerit, ſi non totũ orbẽ terrarũ, at certè magnã partẽ.

Iam vero noſtrã eccleſiã maximam partem orbis occupaſſe, & eſſe verè Catholicam, ita probatur. Nã tempore Apoſtolorum in toto mundo fructificare cępit vt Paulus dicit Col.1. Item tempore Irenæi erat ſparſa per totum orbem, id eſt, per omnes prouincias tunc cognitas, id quod ipſe refert lib.1.c.3. Idem poſtea refert de ſuo tempore Tertullianus lib. contra Iudæos, c.3. Idem poſtea Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ. Idem poſtea Athanaſius libr. de humanitate Verbi. Idem poſtea Chryſoſtomus & Hieronymus in c. Matt.24. & Auguſtinus in epiſt.78. & 80. ad Heſychium, necnon Theodoretus in lib. de legibus, & Leo Magnus ſerm.1. de ſanctis Petro & Paulo, ac S. Proſper, qui in lib. de ingratis, ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris.
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,
Relligione tenet.

Sed hæc fortaſſe non negabunt aduerſarij. at nos idem oſtendemus de poſterioribus tpibus. Tempore B. GREGORII Eccleſiam noſtram fuiſſe in toto orbe terrarum, planũ eſt, ut ſupra etiam adnotauimus ex epiſt. ipſius Gregorij ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ. Itẽ ex Beda in c.6. Canticorũ, necnon ex Bernardo, qui diſputans coram Rege Siciliæ Rogerio, aſſerebat, Romano Pontifici ſuo tpe paruiſſe Orientem, & Occidẽtem totum, itẽ Franciã, Germaniã, Angliã, Iberos, & plurimas barbaras nationes. Vide vitam S. Bernardi lib.2.c.7.

Deniq;, noſtro tpe Eccleſia Romana præter Italiã & Hiſpaniã totã, p̃ter Galliã ferè totã, præter Germaniã, Angliã, Poloniã, Boemiã, Hungariam, Græciam Syriam, Aethiopiã, Aegyptũ, in quib. multi inueniũtur Catholici, in ipſo nouo orbe habet Eccleſias ſine admiſtione hæreticorum, in oĩb. quatuor partib. mundi; ad Orientẽ, in Indijs; ad Occidẽtẽ, in America; ad Septentrionẽ, in Iaponia; ad Meridiẽ, in Braſilia, & exteriore parte Africę. At ſectæ hæreticę nunq̃ totũ orbem, aut certè dimidiam eius partem occuparunt. Secta Mahumeti, cum hæreſibus Neſtorij, & Eutychetis, quæ adhuc vigent in Oriente, nunquam ad Occidentem tranſierunt. Hæreſes autem Lutheranorum nunquam tranſierunt mare, nec Aſiam, aut Africam, Ægyptum, aut Græciam viderunt. Ex quo intelligemus illuſtre eſſe mẽdaciũ, quod habetur in principio præfationis Concordię Lutheranorũ, anno M.D.LXXX. editæ: dicunt. n. Confeſſionẽ Auguſtanã in toto orbe terrarum percrebuiſſe, & in ore & ſermone oĩum eſſe cępiſſe. At ex tribus partib. orbis terræ, duę maiores, Aſia & Africa, nec nomen huius Confeſſionis audierunt, in Europa multæ prouinciæ. vt tota Græcia, Italia, Hiſpania, vel neſciunt quid ſi Confeſſio Auguſtana, vel execrantur; Gallia, Heluetia, & Britannia, non recipiunt, niſi nomine tenus; immò rara eſt ciuitas, q̃ ab vna aliqua ſecta hæretica tota poſſideatur; & quamuis videantur hæretici hoc tempore magnam partem Septentrionis obtinere, tamen nõ tenentur omnia illa loca ab vna ſecta, ſed à plurimis, quæ inter ſe non minus pugnant, quàm nobiſcum.

Itaque pulchrè Auguſt. in lib. de paſtor. c.8. docet, Eccleſiam eſſe vbique, & hæreſim vbique. Sed Eccleſiam eſſe vnam & eandem vbique, hęreſes autem non eaſdem, ſed diuerſiſſimas, quæ ſe inuicem nõ nouerunt, & proinde nullã earum eſſe Catholicã. Quocirca rectè eas comparat ſarmentis præciſis., quę vbi cadunt, cum præciduntur, ibi manent, cum interim Eccleſia tanquam vitis viua, vbique palmites ſuos extendat. Hinc etiam ipſe paſſim hoc argumẽto vtitur, vt lib. contra epiſt. fundamenti, c.4. & de vtilitate credendi, cap.14. & 17. & alibi.

Neque ſperare poſſunt hæretici, ſectam ſuam aliquando occupaturam eſſe totum orbem; nam non debet nũc incipere eccleſia creſcere, cum iam ſenuerit, vt ſupra diximus, & ſi Auguſtinus abſurdiſſimum cẽſuit, q̃ hæreſis Donatiſtarum poſt annum Domini CCC. ex Carthagine eſſet propaganda in omnem terram, lib. de vnitate Eccleſiæ, c.14. & 15. quanto magis abſurdum erit nunc poſt annũ M.D.LXXVII. Hæreſim Lutheranam vel Caluinianam ex VVirtẽberga vel Geneua in oẽm terram eſſe diffundendam?

CAPVT VIII.

Nota quinta.

QVINTA NOTA eſt SVCCESSIO Epiſcoporum in Romana Eccleſia ab Apoſtolis deducta vſque ad nos; hinc enim dicitur Apoſtolica. Ac propterea omnes veteres hac ſucceſſione, tanquam argumento euidentiſſimo vſi ſunt ad veram Eccleſiam oſtendendam. IRENÆVS lib.3.c.3. enumerat Epiſcopos Romanos à Petro, vſque ad Eleutherium, qui ſuo tempore ſedebat, ac dicit, per hanc ſucceſſionem confundi oẽs hæreticos. TERTVLLIANVS in lib. de præſcrip. *Cedãt* inquit *hæretici origines Eccleſiarum ſuarũ, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem a Petro ordinatum refert.* confingant tale aliquid hæretici. Euſebius in hiſtoria, & in Chronico, & Hieronymus ac Proſper, qui Chronicum Euſebij cõtinuarũt, diligentiſſimè annotant ſucceſſionẽ Romanorũ Epiſcoporum, vt inde cõtinuatio Eccleſiæ manifeſta ſit. EPIPHANIVS hæreſ.27. quæ eſt Carpocratis, enumerat ordine Pontifices Romanos, & ſubiungit. *Et ne quis*, inquit, *miretur, q̃ tam exactè ſingula recenſemus. Per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.*

OPTATVS Mileuitan. lib.2. contra Parmenianum enumerat omnes Romanos Pontifices à Petro vſque ad Syriciũ, qui tunc ſedebat, vt oſtendat non eſſe Eccleſiã apud Donatiſtas, qui per ſimilẽ ſucceſſionẽ ad

Apostolos ascendere non poterant,& subdit: *Vos*, inquit, *vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare*.

Denique AVGVSTINVS in epis.165.ad Generosũ, ad eundem finem enumerat Pontifices Romanos a Petro vsque ad Anastasiũ,qui tunc sedebat. Et in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*. Et lib.contra epist.fundamenti, c. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum*.

Si ergo veteres tanti fecerunt ad veram Ecclesiam ostendendam continuationem XII. vel XX. aut XL. Pontificum, quanti nos facere debemus continuatio nem non interruptam Pontificum CC. & amplius? præsertim cum videamus defecisse alias Apostolicas sedes, Antiochenam, Alexandrinam,& Hierosolymitanam, in quibus posteaquam a Persis, vel Saracenis, ea loca Romanis adempta sunt, quod accidit ante annos DCCCC. aut nulla, aut obscurissima fuit successio. Et in ipsa vrbe Roma toties mutatam esse formam temporalis dominij, nunc Imperatoribus, nunc Regibus Gothorum, nunc Exarchis Græcorum, nũc etiam Consulibus, siue iuste siue iniuste dominantibus,& ipsam vrbem aliquoties euersam,& tamen sedem Petri nunquam defecisse, neque euersam fuisse, sed immobilem semper permansisse.

Sed vt vis huius argumenti melius intelligatur, aliqua notanda sunt. PRIMVM est, non posse vllo modo ecclesiam esse sine Pastoribus & episcopis, vt recte docet Cyprianus in epist.9.li.4. vbi dicit, ecclesiam esse plebem episcopo adunatam, & episcopum esse in Ecclesia,& ecclesiam in episcopo. Quare HIERONYMVS lib.contra Luciferianos: *Ecclesia*, inquit, *non est, quæ nõ habet Sacerdotes*. Id quod aperte probatur ex Paulo Ephes.4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes, &c.* Vbi docet Apostolus, futuros pastores in ecclesia vsque ad diem iudicij; tũc enim occurremus Domino in vnitate fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Esse autem episcopos Pastores huius gregis, docet idẽ Apostolus, apud Lucam Act.20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sãctus posuit epõs regere Ecclesiã Dei*. Sed nec Lutherus id negat, quin potius in li.de Eccl.& Conc.inter notas ecclesiæ ponit, habere veros pastores. Ex quo sequitur, eã non esse veram ecclesiam, quę aut nullos, aut non veros habet pastores.

Nota SECVNDO, illos solos in ecclesia semper habitos fuisse veros episcopos, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descendisse ostẽdebantur. Omnes autem alios, fures & latrones; quippe qui non per ostium intrassent, sed ascendissent aliunde; nam cõstat, Christum, a quo ecclesia noui Testamenti cœpit, duodecim Apostolos tantum elegisse episcopos & Sacerdotes,& eis commisisse omnem auctoritatem pascendi & gubernandi ecclesiam; Apostolos autem postea elegisse atq; ordinasse alios episcopos, & eis tradidisse similem potestatem, alios deinceps ordinandi; id quod ex historijs non solum antiqs Eusebij & similium, sed etiam ex ipsis Cẽturijs Magdeburgensium aperte ostẽditur. & hinc est quod Paulus, qui extra ordinem Apostolus a Christo post ascensionem in cœlum factus est; non fuisset agnitus in Ecclesia pro tali, nisi prius in ipsa ecclesia baptizat⁹ fuisset,& ab Apostolis dexteras accepisset; immo & ab illis ordinatus fuisset, vt patet ex Act.9.& 13.& Gal.1. Itaq; sicut in populo Testamenti veteris, qui p carnalẽ generationẽ propagabat', nulli erãt de populo illo Dei, nisi qui descẽdebãt a duodecim filijs Iacob; nulli Sacerdotes, nisi qui descendebãt a Leui per Aarõ. Et idcirco diligentissime tunc conseruabantur genealogiæ, vt patet ex toto veteri Testamento: ita in populo Testamenti noui, qui spirituali generatione multiplicatur, nulli sunt Christiani, nisi per Apostolos, vel eorum successores, aut ab eis missos conuersi; nulli Episcopi, nisi qui eisdem legitime succedunt, & ideo tam diligẽter annotãtur a nostris episcoporũ successiones

Nota TERTIO, duo requiri, vt aliquis episcopus dicatur ab Apostolis legitime descendere,& proinde esse legitimus Episcopus. Vnum est successio, alterũ est ordinatio. Quantum ad successionem, id requiritur, vt is qui verus episcopus haberi cupit, succedat alicui Apostolo, quomodo Clemens successit Petro,& Polycarpus Ioanni, vel certe, vt succedat alicui, quem aliquis Apostolus fecerit episcopum, quomodo Ignatius successit Euodio,& Anianus Marco, quos Petrus fecerat episcopos, vel demum, si episcopatus est nouus, vt fiat episcopus ab eo, qui habet Apostolicam auctoritatem, qui est solus Rom. Pontifex. Nam, vt B. Augustinus scribit in epist.162.in Romana ecclesia semper viguit Apostolicæ cathedræ principatus.

Ratio huius est, quia institutio nouorum episcopatuum non potest pertinere ad vllum, qui habeat definitam regionẽ, quales sunt episcopi particulares, sed ad eum, qui toti ecclesiæ præest,& cui proprie cura incumbit ecclesiam propagandi, quales fuerunt omnes Apostoli. Petrus quidem ex officio,& ceteri ex delegatione,& quicunq; aliter intrat, non est de ecclesia Apostolica, cum non possit ostendere originem suã ab Apostolis. Nec tamen ob id negamus, quin etiam Patriarchæ & Metropolitani aliquando possint nouos episcopatus erigere, quod sanctũ Athanasiũ in Oriente, & sanctum Bonifacium in Germanis fecisse constat; modo a sede Apostolica facultatem habuerint.

Quantum ad ordinationem autem, requiritur, vt qui fit episcopus, ordinetur a tribus episcopis, qui & ipsi sint ab alijs ordinati,& illi ab alijs, donec ad Apostolos veniatur. Id clare habetur can. 1. Apostolorũ, vbi præcipitur, vt episcopus ordinetur a duobus vel tribus episcopis, id est, a duobus, assistentibus Metropolitano, vel a pluribus. Item Anacletus epist.2. docet, Iacobum ordinatum fuisse episcopum Hierosolymæ, a Petro, Iacobo,& Ioanne,& eodem modo a tribus, vt minimum, omnes alios ordinari debere. Idem habetur in Concilio Nicæno I.c.4.& in Carthag.IV. c.2. immo Apostolus hoc ipsum indicat, cum 1.Tim. 4. scribit. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterij*. Siquidem nomine Presbyterij intelligit cœtum Episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi, vt exponunt Chrysostomus, Theophylactus,& Oecumenius; neque mirum est, episcoporum cœtum vocari Presbyterium; nomen. n. Presbyteri commune erat olim Presbyteris & episcopis, vt patet ex epistola Irenæi ad Victorem, quæ est apud Eusebium libro 5. histor. capit. 24. vbi Irenæus vocat Presbyteros Romanos Pontifices, Victorem, Anicetum, Pium, Telesphorum & Xystum. Itaque dubium esse non potest, quin requirantur ordinarie tres, vt minimum, episcopi, ad noui episcopi ordinationem, nisi forte ex dispensatione cum vno episcopo ordinante adsint Abbates infulati, qui vicem episcoporum ferant, vt aliquando fieri solet ob episcoporum raritatem.

Nota QVARTO, antiquos hæreticos consuesse, vt plurimum ecclesiam imitari in ordinatione episcoporum, vt patet ex Cypriano 1.li.epist.3.& August.epi. 165. & ideo sanctos Patres non reprehendisse in eis, nisi defectum successionis,& ex eo solũ probasse, eos nõ esse veros episcopos, quippe qui ad ecclesiam Apostolicam

stolicam non pertinerent, cum ab Apostolis per successionem non ducerent originem. Nostri autem tẽporis hæretici neutrum habent, id est, nec ordinationem, nec successionem, & propterea longe inuerecundius, quam vlli vnquam alij hæretici, sibi nomen & munus Episcopi vsurpant.

Ex quo argumentum insolubile sumitur hoc modo. Ecclesia non potest esse sine Episcopis, vt ostendimus. Apud Lutheranos non sunt episcopi; nã non habent ordinationẽ, nec successionem ab Apostolis: igitur apud eos non est ecclesia. Et quidem q̃ nec Lutherus, qui habitus est Episcopus VVittembergẽsis, nec Zvvinglius, qui habitus est episcopus Tigurinus, nec Oecolampadius, qui in ipso sepulchri Epitaphio vocatur primus Basileæ episcopus, nec Caluinus, qui dictus est Episcopus Geneuensis, nec vlli alij ordinati sint a tribus episcopis, neque ex dispẽsatione ab vno, assistentibus Abbatibus, notissimum est, nec ipsi negant. Ergo saltem Patribus Nicæni & Carthaginensis Concilij, immo & ipsis Apostolis, qui statuerunt, episcopum a trib. episcopis debere ordinari, isti non sunt episcopi, eisque conuenit, quod Cyprianus li. de simplicitate Prælatorum ait: *Ii sunt, qui se vltro apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiũt, qui se Præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

Respondet Brentius: Nos legitime vocati sumus a populo & magistratu, & ab eis episcopatum accepimus, & non nos intrusimus. At Contra; Nã hic nõ disputamus de electione episcopi, quam scimus varie varijs temporibus celebratam. Constat.n. Apostolos & veteres Romanos Pontifices, misisse episcopos ad varias ciuitates, sine vllo consensu populorum requisito. Constat etiam, aliquando populum simul cum Clero episcopum elegisse, aliquando solum Clerum. Ceterum quomodocunque fieret electio, semper fuit necessaria ordinatio, quam non populus, sed soli Episcopi, & quidem tres vt minimum, regulariter conferebant, quod nemo nescit, nisi qui nihil legit. Dicat ergo Lutherus, a quib. episcopis ordinatus fuerit Antistes VVittembergensis. Dicant etiam ceteri, a quib. fuerint ordinati: sed nec dicunt, nec dicere possunt.

Deinde, quod non successerint in episcopatu antiquis episcopis, certissimum est, tum quia in omnibus vrbibus, vbi isti se fecerunt episcopos, erant antea, & sunt etiam modo in plerisque locis episcopi Catholici, qui legitime successerunt antiquis; non autem succeditur, nisi episcopis defunctis, aut legitime depositis. Tum etiam, quia ipsi fatentur, se primos esse earũ vrbium episcopos. Certe Basileæ exstat adhuc epitaphium ad sepulchrum Oecolampadij, vbi dicitur, vt paulo ante notaui, & ego ipse legi, non sine risu: Oecolampadius primus illius vrbis episcopus. De istis ergo dici potest, quod ait Cyprianvs, lib.1.epist.6. ad Magnum: *Nouatianus*, inquit, *in Ecclesia non est, neque Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ordinatus est.* Et infra: *Aut pastor haberi quomodo potest, qui manẽte vero pastore, & in Ecclesia Dei, ordinatione succedanea, præsidente, nemini succedens, & a seipso incipiens, alienus sit & profanus?* Et lib.4.epist.2. ad Antonianum: *Cornelius*, inquit, *Episcopus factus est, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atq; omnium nostrum consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est.* His similia sunt, quæ supra citauimus de successione legitima, ex Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Optato & Augustino.

Sed obijciunt Primo, episcopi Papistæ deseruerunt veram fidem, ergo non sunt amplius episcopi, ergo merito possunt pij Ministri loca eorum occupare.

Respondeo ad hoc Brentij argumentum (admisso quod sit dubium, vbi sit vera fides, quanquã apud nos certissimum est esse) episcopos Catholicos, qui p tot secula possẽderunt sedes suas pacifice, nõ posse eis priuari, nisi legitime iudicentur, & damnentur. Nam in omni controuersia melior est conditio possidẽtis; constat autem, episcopos Catholicos in nullo legitimo iudicio esse damnatos. quis.n. eos damnauit, præter Lutheranos? at ipsi accusatores sunt, non iudices. Quis enim eos constituit iudices nostros? Præterea etiamsi nostri iam damnati essent, non continuo illi succedunt, cum nemo eos episcopos instituerit, qui habuerit instituendi Episcopos auctoritatem: nec veri sint episcopi, cum eos nemo ordinauerit, qui habuerit ius ordinandi, vt supra ostendimus.

Secvndo, obijcit Brentivs ibidem, id est, in Prolegomenis contra Petrum a Soto. Caiphas legitime successit antiquis Pontificibus, & potuisset vsque ad Aaronem deducere maiores suos, & tamen non petierunt Apostoli, vt a Caipha ordinarentur: sed Caipha, & omnibus illis Pontificibus, qui legitime succedebant inuitis, facti sunt episcopi & Pontifices sine vlla successione, ergo etiam modo cum ordinarij Episcopi imitantur Caipham, licet sine eorum ordinatione & successione Episcopatum gerere.

Respondeo, sacerdotium Aaronicum fuisse, temporale, & solum durasse vsque ad inchoationem noui Testamenti; deinceps autem cœpisse sacerdotium secundũm ordinem Melchisedech a Christo institutũ, cuius sacerdotij cũm primitiæ fuerint Apostoli, non debuerunt succedere Caiphæ, sed esse principium noui sacerdotij, vt patet ex Psal.109. *Tu es Sacerdos in æternum.* & ex ca.7. ad Hebræos. Sicut ergo ab Aaron vsque ad Christum non fuerunt veri Sacerdotes, nisi qui successerunt Aaroni, ita ab Apostolis vsque ad finem mundi non erunt veri Sacerdotes, nisi qui Apostolis succedent. Verum tamen est, quod vt cum honore sacerdotium Aaronicum deferretur ad sepulturam, Apostoli illud honorabant, vt patet ex Cypriano lib.1.epist.3.ad Cornelium, & lib.4.epist.9.ad Florentium Pupianum, vbi adducit illud ex Act.23. *Ne sciebam fratres, quia Princeps Sacerdotum est.*

Tertio, obijcit Caluinus lib.4.inst. ca.2.§.2.& 3. cur non enumeremus etiam successiones episcoporũ Africæ, Ægypti, & totius Asiæ; & respondet ipsemet nobis insultãs, qa perijt ibi sacrosancta ista successio.

Respondeo, vel Caluinus ex eo, quod perijt successio in illis locis, vult concludere, non esse Ecclesiã, vel esse ecclesiam; si Primum, pro nobis facit; nã si ibi non est ecclesia, quia ibi non est successio, ergo hic est ecclesia, quia hic est successio. Si secundũ, respõdem⁹, eos qui ibi ad veram ecclesiam pertinent, non posse q dem ostendere successionem continuam Episcoporũ suorum particularium, sed posse ostendere successionem continuam episcoporum vniuersalium, qui sũt Romani episcopi, quibus illi subiectos se esse fatẽtur. Hæc.n. est caussa, cur veteres episcopi magis solliciti fuerint de successione Romani Pontificis, q̃ de sua. Irenæus erat episcopus Lugdunensis in Gallia, Optatus, & Augustinus erant episcopi in Africa, Epiphanius Salaminæ in Cypro, Eusebius Cæsareæ in Palæstina, & tamen nullus eorum texere voluit suæ Ecclesiæ successionem, sed Romanæ tantum ecclesiæ. Satis enim illis videbat ostẽdere cõtinuã successionẽ in ecclesia principali, cuius ipsi se membra esse gaudebãt.

Qvarto, obiicit idẽ Caluinus. In ecclesia Græca adhuc seruat successio nõ interrupta episcoporum, et tñ non est illa vera ecclesia, secundum opinionem nostram, non igitur successio est nota veræ ecclesiæ.

Respondeo primum, non posse ostendi in Ecclesia Græca certam successionem; nam in primis fatetur Caluinus, in Asia, in Ægypto, & proinde Antiochiæ, Hierosolymæ, & Alexandriæ interruptã fuisse

successionem; sola restat Constantinopolitana Ecclesia ex Patriarchalibus, quæ non vī vnquam caruisse proprio Patriarcha. At Constantinopolitana ecclesia non est Apostolica, nec ostendit certam originem ab Apostolis; tametsi enim Nicephorus Patriarcha in Chronologia conatur deducere ab Andrea Apostolo successionem Episcoporum Bizantij, tamen nulli veteres id tradunt, nec unquam a Patribus Ecclesia Bizantina, siue Constantinopolitana dicta est Apostolica, & Patres concilij Constantinopolitani I. in epistola ad Damasum Romanum Pontificem, apertè fatentur, Ecclesiam illam nouellam esse. Itaque habet quidem Ecclesia Constantinopolitana qualemcunq; successionē a tpe Constantini hucusq;, non autē ab Apostolicis temporibus, quod præcipuè quęritur. A

Dico SECVNDO, argumentum à successione legitima adferri à nobis præcipuè ad probandum non esse Ecclesiam, vbi non est hęc successio, quod q dē euidēs est; ex quo tñ non colligitur necessario, ibi esse ecclesiā, vbi est successio. Itaq; hoc argumento probamus euidenter, nō esse Ecclesiā apud Lutheranos. QVOD aūt apud Græcos non sit ecclesia, probamus alio mō, quia nimirum conuicti sunt legitimè in tribus plenarijs Concilijs, Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino, de schismate & hęresi; ac p̄cipuè de hæresi circa p̄cessionem Spiritus sancti à Filio, quā esse manifestā hęresim, Lutherani & Caluinistæ ēt confitentur. B

Adde VLTIMO, q̄ omnes ecclesię illę Patriarchales habuerunt per longa tempora Episcopos manifestos hæreticos, & proinde interrupta est veterum Patrum successio. C

QVINTO, obijcit idem Caluinus, veteres Patres, q̄ ostendunt ecclesiam ex successione Pontificum Romanorum, id facere, quia illis temporibus constabat non fuisse mutatam fidem & religionem in Ecclesia Romana; at nunc contrarium constat.

RESPONDEO, vel intelligit Caluinus, eo tempore constitisse Catholicis tantum, vel Catholicis simul & hæreticis, quod in Romana ecclesia non esset mutata religio. Si primum assumat, nihil dicit, nam etiā hoc tempore Catholicis constat, non esse in Romana Ecclesia mutatam religionem. Si secundum asserat, aprè mentitur. Nulli. n. fuissent hæretici, si semper omnes putassent, in Romana Ecclesia esse veram fidem. Præterea Donatistę Romanam Ecclesiam oppugnabant, vt nunc faciunt Lutherani & Caluinistæ. D

OPTATVS lib. 2. contra Parmenianum: *Vnde est*, inquit, *quod claues Regni vobis Donatistæ vsurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris præsumptionib. & audacijs sacrilegis militatis?* Et AVGVSTINVS li. 2. contra literas Petilian. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesia Romana, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet? Cur appellas cathedram pestilentæ, cathedram Apostolicam?* Et tamen Optatus & Augustinus à successione ista contra Donatistas argumentantur, vt supra diximus.

CAPVT IX.

Nota sexta.

SEXTA NOTA est CONSPIRATIO in doctrina cum Ecclesia antiqua. Vera enim ecclesia dicitur Apostolica teste Tertulliano, libro de præscri. non solum propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, ut ipse loquitur, quia videlicet doctrinam retinet, quam Apostoli tradiderunt, certum autem est, antiquam Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiā fuisse, & proinde Apostolicam doctrinam retinuisse. Quare laudatur THEODOSIVS Imperator à Sozomeno, lib. hist. c. 12. quod hac arta cōpescuerit hæreticos sui tēporis. Iussit Principes sectarum conuenire, deinde pertijt, an existimarēt, antiquos Patres, qui ecclesiā rexerāt ante dissidium illud, quod tunc de religione ortū fuerat, rectè consensisse, & verè sanctos & Apostolicos fuisse, quod cum illi concessissent, subiunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cū illis consenserit, retineatur: sin minus, abijciatur.* E

Iam duobus modis possemus ex hac nota probare nostram esse veram Ecclesiam, nō autem aduersariorum. PRIMO, proferendo sententias veterū, quib. singula nostra dogmata confirmaremus, aduersariorum refutaremus; sed hic modᵒ prolixissimus esset, & multis calūnijs & obiectionib. obnoxius. ALTERA via est breuior & certior, nimirum ostendendo primū ex cō fessione aduersariorum, nostra dogmata esse doctrinā oīum veterum. Deinde, dogmata aduersariorum habita fuisse in Ecclesia antiqua p̄ exploratis hæresib. Sic. n. constabit, doctrinam nostram consp̄irare cum doctrina veterum Catholicorum, doctrinā vero illorum consp̄irare cum doctrina veterum hęreticorum.

Ac primum CALVINVS in sua institutione cū nostra oppugnat, passim fatet, se repugnare toti antiquitati; ex quo sequitur, nostra esse oīno antiquitati consentanea. Sic igitur ait, li. 2. c. 2. §. 4. *Semper apud Latinos nomen liberi arbitrij exstitit, apud Græcos verò αὐτεξούσιος vocabulum multo arrogantius.* Et infra §. 8. *Ego vero neq; ipse huiusmodi vocem vsurpare velim, & alios, si me consulant, abstinere optarim.* Ibidem dicit, oēs veteres, excepto Augustino, in hac rē plus æquo extulisse humanas vires, & d libero arbitrio aut variasse, aut vacillasse, vt nihil certi ex eorū scriptis sumi possit.

Ita profitetur, se nullum veterum, excepto Augustino, sequuturum, & paulo post ēt Augustinum deserit. Nam lib. 2. c. 3. §. 7. reprehendit illam Augustini sententiam, ex epist. 106. voluntatem nostram cooperari gratiæ, non vt præuiam, sed vt pedissequā, atqui, ait Caluinus, nec vt pedissequam cooperari, sed simpliciter totum fieri a gratia. Et lib. 3. c. 11. §. 15. *Ac ne Augustini quidem*, inquit, *sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, q a in vitæ nouitatem regeneramur per spiritū.* Itaq; in articulo de gratia & libero arbitrio fatetur Caluinus se toti antiquitati repugnare. Item li. 2. c. 14. §. 3. *Excusari non potest veterum error*, inquit, *qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Ioannis legitur, iecunium obseruant, sensum, sese q implicant multiloquijs.* Docet hoc loco Caluinus, Filiū Dei subiectum esse Patri etiam ratione Diuinitatis; & qa omnes veteres contrarium docent, ipse ait, omnes erraſſe, neque eorum errorem excusabilem esse.

Item lib. 2. c. 16. §. 9. *Fabula*, inquit, *de luco subterraneo, qui dicitur Limbus, tametsi magnos auctores habet, tamē nihil aliud quam fabula est.* Vocat magnos auctores, antiquos Patres: nam scholasticos Doctores non solet appellare, nisi Sophistas.

Item lib. 3. c. 3. §. 10. *Ab vno Augustino*, inquit, *sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volūt. Porrò inter illum & nos, hoc discrimimis videri potest, q ipse morbū concupiscentiæ, tunc demū peccatum fieri docet, cum appetitioni cedit voluntas: nos autem illud ipsū p peccato habemus, quo aliqua omnino cupiditate contra legē Dei homo titillatur immò ipsam prauitatē, quæ huiusmodi cupiditates nobis generat, asserimus esse peccatum.* Hic apertè oīb. Patrib. se fatetur cōtrariū, atq; ipsi ēt Augistino, in qōne de concupiscentia, quæ præcipua quæstio est; nā ex hoc fundamento deducunt nō esse in nobis verā iustitiā, sed tātum imputatiuam, & nulla esse bona merita, immò omnia opera esse peccata.

Item lib. 3. c. 4. §. 38. *Omnes fere veteres*, inquit, *quorū libri existunt, aut hac in parte lapsi sunt, vbi de satisfactione agitur, aut nimis aspere & dure loquuti sunt.* Item lib. 3. cap. 5. §. 10. *Ante mille & trecentos annos vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis. Sed veteres*

omnes,

omnes, fateor, in errorem abrepti sunt. Item lib. 3. c. 15. §. 2. *Vsi sunt, fateor, passim vetusti Doctores nomine meriti.* Et infra dicit, pessime consuluisse fidei synceritati, q hoc nomen inuenit. Item lib. 4. cap. 4. §. 10. *Peccauit antiquitas immodica seueritate, quod plus requireret in Episcopo, quam Paulus requirat, ac præsertim successu temporis cœlibatum.* Item lib. 4. cap. 12. §. 8. *Excusari nullo modo potest immodica veterum austeritas, quæ & prorsus Domini præscripto dissidebat, & erat mirum in modũ periculosa, cum peccatori pœnitentiam solennem nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent.* NOTA, Caluino ita videri hoc asperum, quia ipse putat, per fidem sic iustificari hominẽ, vt nihil pœnę luendum restet; quod si verum esset, recte accusaret oẽs veteres. proinde sequitur sniam nostram de pœna remanente post remissionem culpæ, iudicio Caluini sententiã esse omnium veterum.

Item libr. 4. cap. 12. §. 20. *Non in totum excusare audeo veteres; qui & superstitionis quædam semina iecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi, quæ postea exorta est, & tunc passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ observatio, quia & vulgus eximium aliquod obsequium præstare se Deo in ea existimabat, & pastores eam commendabant pro sancta imitatione.* Et infra: *Fuit igitur mera κακοζηλία et superstitionis plena, quod titulo ac colore imitationis Christi ieiuniũ ordinabant.* Ibidem §. 23. *Quod Sacerdotibus interdictum fuit coniugium, id factum est impia tyrannide.* Quando autem fuerit interdictum, notat ipse in margine ponens, Syricius in epistola ad Episcopos Hispaniæ. Porro Syricius fere ante annos MCC. sedit. Et infra subiungit de hac lege: *Hæc quæ videbantur reuerentiam sacerdotio conciliare, magno plausu etiam antiquitus recepta esse fateor.*

Idem lib. 4. c. 15. §. 20. *Quod multis ab hinc seculis, adeoq; ab ipso fere Ecclesiæ exordio vsu receptum video, vt in periculo mortis Laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione possit defendi.* Item lib. 4. c. 18. §. 21. *Excusari non posse arbitror, veteres, quin aliquid in actionis modo peccauerint; imitati sunt. n. Iudaicum sacrificandi morẽ magis, quam aut ordinauerit Christus, aut Euãgelij rõ sinebat.* Hęc Caluin?.

Iam Centuriatores in singulis centurijs ad finem 4. capitis, annotant, omnes fere Doctores illius seculi, docuisse ea dogmata, quæ nos hoc tempore tuemur, quæ ipsi næui's sanctorum Patrum vocant. Et quia de omnibus dicere nimis longum esset, annotabo solum aliqua pauca ex 2. 3. 4. & 5. Centurijs.

In secunda ergo Centuria, ca. 4. col. 59. de libero arbitrio, dicunt, id ab omnibus Patribus eius seculi concessum fuisse. *Eodem*, inquiunt, *modo Clemens liberũ arbitrium vbique asserit, vt appareat in eiusmodi tenobris, non tantum fuisse omnes eius seculi Doctores; verum etiam in posterioribus eas subinde creuisse & auctas esse.*

NOTANDVM autem est, Lutheranos habere articulum de libero arbitrio pro fundamento totius suæ doctrinæ: Lutherus. n. in assert. ar. 36. dicit, hunc articulum esse optimum, & summum rerum suarum, adeo vt articuli de Papatu, de Concilijs alijsq; similib⁹ rebus, nugæ dici possint. Itaque in præcipua cõtrouersia, & in ipsa summa rei omnes veteres (testibus Magdeburgen sibus) nobis fauent. Deinde col. 60. *Doctrina*, inquiunt, *de iustificatione negligentius & obscurius ab his Doctoribus tradita est. videlicet, non docent nos sola fide iustificari.* Et Cent. 3. c. 4. col. 83. *Videas*, inquiunt, *in Doctorum huius seculi scriptis, non obscura vestigia inuocationis Sanctorum.* Et col. 85. *Martyrium immodicè extulerunt omnes huius ætatis Doctores.* Nolunt. n. Lutherani esse martyrium genus quoddam Baptismi, aut vllo modo expiari peccata per martyrium.

Centuria 4. col. 295. ponunt testimonia veterum fere omnium illius seculi, vt Athanasij, Basilij, Naziãzeni, Epiphanij, Ephrem, Ambrosij, & Prudentij, A pro inuocatione Sanctorum, quam ipsi tamen idololatriam vocant.

Centuria 5. col. 500. *Sicut*, inquiunt, *prioribus aliquot seculis doctrina de libero arbitrio depranata est, ita hoc etiam, &c.* Et infra: *Etiamsi autem interdum bene, & sane videntur loqui, tamen tandem liberum arbitrium in rebus etiam Spiritualibus in sua conuersione statuunt.* Et col. 506. *Nimirum hæc ætas bonis hominum operibus adscripsit, id quod ex depranato articulo iustificationis emanat, &c.* Et statim citant omnium veterum illius seculi, etiam Augustini, multa testimonia, quod opera sint meritoria, quod ipsi pro magno errore habẽt.

Porro eleganter aduersus istos, qui omnes antiquos erasse dicunt, loquitur TERTVLLIANVS libro de præscriptionibus: *Age*, inquit, *nunc omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat, ec quid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? Audeat ergo aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt? quoquo modo sit erratum, tamdiu vtiq; errauit error, quã diu hæreses non erant. Aliquos Marcionistas & Valentinianos liberãda veritas expectabat, interea pperã enãgelizabat, tot millia milliũ pperã cincta, &c.*

NVNC ad alteram partem vt accedamus, præmittendum est, in Ecclesia antiqua illos errores habitos esse communiter ab omnibus pro exploratis & damnatis hæresibus, qui ponuntur in Catalogo hæresium ab Irenæo, Hieronymo, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, Damasceno, alijsque probatis auctoribus; nam illi cum essent viri sancti & docti, nunquam fuissent ausi, simpliciter in Catalogũ hæreseon referre ea dogmata, de quibus in Ecclesia dubitari sciuissent. Et præterea neminem legimus, qui vnquam contradixerit his Patribus tanquam qui non iuste aliquem notassent hæreseos. Hoc præmisso, aggrediamur Catalogum.

SIMONIANI docebant, saluari homines secũdum gratiã Simonis, quẽ Deũ faciebant, & *nõ secũdũ operas iustas*, inquit Irenæus li. 1. c. 20. EVNOMIANI similiter docebant, non posse homini vlla peccata nocere, modo fidẽ habeat, vt Augustinus testatur, lib. de hær. c. 54. qui ẽt libro de fide & operib. c. 14. dicit, hanc hæresim de sola fide sufficiẽte ad salutẽ sine operib. ortã esse tpe Apostolorum, ex non intellecto Paulo, & propterea contra hanc hæresim stylũ præcipue direxisse alios Apostolos in suis epistolis, id est, Petrum, Ioannem, Iacobum, & Iudam. At hæc eadem est sententia omnium sectariorum huius temporis.

LVTHERVS in libro de captiuitate Babylonica, ca. de Eucharis. *Nõ alia via*, inquit, *põt homo cũ Deo cõuenire: aut agere, q̃ per fide; opera ille mihil curat.* Ibid. *Tanduc est Christianus vt nõ possit perire, etiãsi velit, quãtũcunq; male viuat, nisi nolit credere.* Etsi ãt Caluinus, Brẽtius, & alij quidã conantur nonnihil temperare hanc sententiam, dum dicunt, opera bona esse necessaria; tanquam effectus fidei; tamen adhuc hærent in eodem errore; nam etiam posita ista necessitate, docent, opera non mereri vllo modo vitam æternam, etiamsi Deus ea requirat, tanquam testimonia fidei. Hæc autem erat impijssima hæresis Simonis, qui dicebat, hominem saluari per gratiam, non per operas iustas. Præterea posita illa necessitate operum, docent omnes sectarij; Si quis post omnia scelera patrata habeat actum fidei, nullum ei peccatum imputari, quod nihil est aliud, quam q̃ Eunomius & Lutherus docent.

Deinde FLORINI hæresis fuit, Deum esse causſam peccatorum, quam Irenæus apud Eusebium li. 5. hist. cap. 20. dicebat esse plus quam hæresim, quam etiam tribuit Vincentius Lyrinensis in suo commonitorio

Simoni Mago. Eadem sine vllo pudore docet CALVINVS, li. 1. Inst. c. 18. §. 2. *Nõ solum permissu*, inquit, *sed etiam voluntate Dei homines peccant, ita vt nihil ipsi deliberando agitent, nisi quod Deus apud se decreuerit, et arcana directione constituit.* Et lib. 3. c. 24. §. 24. dicit, Dei non solũ præuisione & pmissione, sed ẽt voluntate in peccatum lapsum esse Adamum. Et infra, c. 24. §. 14. *Quod*, inquit, *aliqui verbum Dei audire contemnunt, ipsorum est prauitas, sed in hanc prauitatem a Deo addicti sunt, vt in eis potentiam suam & seueritatem ostendat.*

Idem aperte docuit Lutherus in libro de seruo arbitrio, vbi dicit, illud velle, quo Iudas voluit Christũ prodere, fuisse opus Dei, nec fuisse in manu Iudæ, aut vllius creaturæ, mutare illam voluntatem. Similiter docuit Petrus MARTYR in commentario, cap. 2. li. 1. Regum; & PHILIPPVS Melanchthon in commentario, ca. 8. ad Romanos, vbi dicit, ita fuisse opus Dei Iudæ proditionem, ac Pauli conuersionem; quæ commẽtaria adeo dicuntur placuisse Luthero, vt diceret, Philippum secundum esse a Paulo, hunc tamen errorem Philippus retractauit, tum in Locis, tum in Apologia, art. 19. Confessionis Augustanæ.

III. ORIGENIS hæresis fuit, pdidisse Adamũ imagi nẽ Dei, ad q̃ creatus fuerat, testis est Epiphanius, hæres. 64. Idẽ docet CALVINVS li. 2. Inst. c. 1. §. 5. *Per peccatũ*, inquit, *primi hõis obliterata est cœlestis imago.* Itẽ Origenis fuit error, infernum nihil esse, nisi cõsuetudinis horrorẽ, teste Hieronymo, in epistola ad Auitũ. Idem docet Caluinus lib. 3. Instit. cap. vltimo, §. vltimo.

IV. PEPVTIANI hæretici, vt ait Augustinus libro de hæres. c. 27. tantum dant mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud eos honorentur. LVTHERVS ar. 13. ex ijs, quos Leo X. damnauit, dicit in Sacramento Pœnitentiæ æquè absoluere posse mulierem, vel puerũ, atq; Episcopũ, vel Papã; & iam re ipsa Caluinistis in Anglia mulier quædã est summus Põtifex.

V. PROCLVS hæreticus apud Epiphanium hæres. 64. dicebat, peccatum in renatis semper viuere; concupiscentiam enim vere esse peccatum, nec tolli per Baptismum, sed sopiri per fidem: quod idem postea docuerunt Messaliani hæretici apud Theodoretum lib. 4. de hæreticis fabulis. Hæc est ipsissima sententia Lutheri, ar. 2. & 31. atq; in assertionibus eorundem articulorum. Item Philippi in locis communibus, cap. de peccato originis, & Caluini lib. 4. inst. cap. 15. §. 10.

VI. NOVATIANORVM error præcipuus erat, non esse in Ecclesia potestatẽ reconciliãdi homines Deo, nisi per Baptismum, postea etiam addiderunt, non debere baptizatos inungi Chrismate ab episcopo. Ita refert Theodoretus lib. 3. de hæret. fabulis; & S. Cornelius Papa apud Eusebium, lib. 6. cap. 33. hist.

Quæ sñia pro parte priore expresse Caluinistarum est. Nã Caluinus li. 4. insti. c. 19. §. 17. sic ait, nullũ esse Pœnitentiæ Sacramentũ, præter Baptismũ. *Quod vero Hieronymus ait: Pœnitẽtiã esse secundã tabulam post naufragiũ, plane impiũ est & excusari non potest.* Pro altera parte est omnium Lutheranorũ. LVTHERVS de captiuitate Babylonica, c. de Eucharistia, tria tantum agnoscit Sacramenta; Baptismum, Pœnitentiam, & Panem; tamen infra ca. De extrema Vnctione, reijcit Pœnitentiam. Confessio Augustana, artic. 12. diserte reijcit Confirmationem. Et Caluinus li. 4. instit. c. 19. §. 5. & sequentib. dicit, Chrisma nostrum esse oleum Diaboli mendacijs pollutum, & propterea Caluinistæ ex illo ocreas suas inungunt, cum possunt.

VII. SABELLIVS docuit, vnam tantum esse personam in Deo, non tres, testis Epiphanius, hær. 57. Idẽ docuit nostro tempore Michael Seruetus, li. 1. de Trinitate, sine vllis ambagibus, & nunc ea sententia in multis locis regnat.

VIII. MANICHÆORVM, inquit Hieronymus in p̃fatione Dialogorum contra Pelagianos, *est, hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitriũ.* Et Augustinus de hæres. c. 46. *Peccatorum originem*, inquit, *non tribuunt Manichæi libero arbitrio.* Idem aperte sectarij omnes. LVTHERVS art. 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de solo titulo. in assertionibus autem eiusdem articuli dicit, esse titulum sine re, & omnia ex necessitate absoluta euenire. Et ꝓpterea libro, quẽ scripsit cõtra liberum arbitrium, in Erasmum, nomẽ posuit, de seruo arbitrio. CALVINVS li. 2. inst. c. 2. 3. & 4. nõ permitti homini liberam electionem vlla in re, adeo vt nẽ ipsum quidem nomen tolerare possit. Hoc tamen est magis impius Caluinus Manichæo, quod Manichęus Deo malo tribuat peccatorum originem, Caluinus Deo bono.

Manichæi præterea accusabant passim Patres Testamenti veteris, vt Abraham, Sampsonem, Sarã, Rebeccam, & similes, vt Augustinus testatur lib. 22. contra Faustum, & duobus libris contra Aduersariũ Legis & Prophetarum. Idem fecit CALVINVS. Nam li. 3. c. 2. §. 31. instit. *Sara*, inquit, *multis modis peccauit cũ ancillam viro suo supposuit. Rebecca vero variis fraudib. & imposturis Dei veritatem corrupit, cum malo artificio filij benedictionem procurat, maritum decipit, filium mentiri cogit.* Item li. 3. c. 5. §. 8. *Superstitione & præposstero zelo non caruit factum Iudæ Machabæi, qui oblationẽ misit pro mortuis in Hierusalem.* Item lib. 3. c. 14. §. 11. dicit, Abraham fuisse idololatriam. Item li. 2. ca. 20. §. 15. *In Sampsone*, inquit, *cum ait: Robora me Domine, &c. vitiosa cupiditas vindictæ dominata est.* Item lib. 4. cap. 15. & 22. posteaquam docuerat, mulieri in nullo casu licere baptizare, subdit: *Nec in exemplum trahi debet, quod Sephora stulta mulier filium circumcidit, in quo multis modis grauiter peccauit.*

IX. DONATISTÆ Ecclesiam ex solis iustis constare volebant, atque inde deducebant, Ecclesiam visibilem perijsse de orbe terrarum, & in sola Africa remansisse, vt Augustinus docet libro de vnitate Ecclesiæ, c. 22. Ijdem Catholicos crudelissime trucidabant, oderant præcipue Monachos & Episcopos, quos Pharisæos vocabant, & in primis Episcopum Romanum, cuius sedem cathedram pestilentiæ appellabant, altaria frangebant, Ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant, Eucharistiam canibus dabant, sacrum Chrisma proijciebant, vt patet ex Augustino, li. 2. cõtra Petilianum, c. 51. & 61. li. 3. ca. 40. & epist. 163. & alibi. Idem ex Optato libr. 2. & 6. contra Parmenian.

Eandem esse doctrinam & vitam Caluinistarum certum est, nam Ecclesiam ex solis bonis constare, docet Caluinus, li. 4. instit. c. 1. §. 7. quod etiam docet articulus 7. Confessionis Augustanæ. Ecclesiam visibilem a multis seculis perijsse, & nunc solum esse in Septentrionalibus partibus, vbi ipsi sunt, docẽt omnes, præcipue Caluinus, li. 4. instit. c. 2. §. 2. Porro nihil eorum, quæ blasphemè, vel crudeliter, vel sacrilegè dixerunt Donatistæ, vel egerũt in Catholicos, & Sacramenta, atq; altaria, &c. omisisse Caluinistas, sed multo plura & maiora dixisse, & egisse, patet ex historia Surij, & ex libro, qui nuper prodijt, qui inscribitur; De furoribus Gallicis, & alijs auctoribus fide dignis.

X. ARIANI docebant, Filium Dei esse Patre minorem, vt est apud Epiphanium, hær. 69. Deinde, ijdem Ariani non recipiebant vllo modo traditiones nõ scriptas, vt docet Maximinus Episcopus Arianorũ apud Augustin. li. 1. ca. 2. & vltimo contra Maximinum; q̃ hæresim postea imitati sunt multi alij, vt Nestorius, Dioscorus, Eutychęs, vt habetur in VII. Synodo, act. 1. Deniq; ijdem Ariani plura & maiora sacrilegia patrarunt in Sacramenta, Altaria, Sacerdotes, Monachos, Sanctimoniales, &c. quam Donatistæ, vt patet ex Athanasio in Apologia pro fuga sua, Rufino li. 11. hist. c. 3. Theodoreto, lib. 4. hist. c. 19. & 20. & Victore Vticensi, lib. 2. & 3. de VVandalica persecutione.

PRI-

PRIMVM errorem Arianorum apertè docent hoc tempore multi, qui Tritheitæ dicuntur, vt agnosci potest ex Prothesibus Valentini Gentilis. Quamuis autẽ Lutherus, Philippus, Caluinus, & similes habeant Arium pro hæretico: tamen negare nõ possunt, quin in suis scriptis huius erroris semina iecerint, vnde postea orti isti noui Ariani, quos ipsimet impugnant, vt nos demonstrauimus in præfatione librorum de Chro. Deinde ALTERVM errorẽ docẽt omnes huius temporis hæretici. Sectarij enim huius temporis omnes traditiones reijciunt, vt patet ex Brentio in prolegomenis, Caluino lib. 4. instit. c. 8. §. 8. & alijs. Porrò illa crudelia & sacrilega facinora Arianorum, si tantum nomina mutentur, sunt illa ipsa, quæ Caluinistæ passim factitant.

XI. AERIANI hæretici, teste Epiphanio, hæres. 75. & August. lib. de hæres. c. 33. tres errores docuerunt: *Orare*, inquit Augustinus, *vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter celebranda esse ieunia, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege.* Denique, presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Addit Epiphanius, eos è contrario consueuisse feria sexta, & in Quadragesima, ac præcipuè in hebdomada sancta vesci carnibus, & si quando ieiunare volebant, potius die Dominico, quam alio dei ieiunare solitos.

Eadem docent & faciunt Caluinistæ, & Lutherani ferè omnes. Caluinus instit. lib. 3. ca. 5. §. 6. 7. & sequentib. disputat ex professo contra orationem prò defunctis. Idem lib. 4. c. 12. §. 20. disputat contra ieiunium Quadragesimæ, & superstiosum vocat. Denique lib. 4. c. 3. §. 8. inquit: *Episcoporum, ac Presbyterorũ Pastorum, ac Ministrorum eadem functio, & prouincia est.* CENTVRIATORES Cent. 4. c. 5. col. 401. cum in aliorum hæreticorum erroribus numerandis soleant omittere eos, quos suos etiam esse agnoscunt, eum ad Aerium venerunt, quia videbant hos tres errores tantum, tanquam propriios Ærij, ab Epiphanio & Augustino annotatos fuisse, non potuerunt eos omittere. Itaque posuerunt illos quidem, sed mox addiderunt, si nihil aliud sit, hos non videri errores, sed cõtrarios potius. Fatentur igitur, has tres sententias sibi cum Aerio esse communes, neque negant, in antiqua Ecclesia prodamnatis hæresibus habitas esse. Ex quo sequitur, vt etiam Centuriatores, licet tum nondum nati, antiquæ ecclesiæ hæretici fuerint.

XII. IOVINIANVS, non posse peccare asseruit hominem post Baptismum, si verè baptizatus fuerit, id est, si reuera fidem & gratiam Dei acceperit: deinde ciborum delectum, & ieiunia non esse meritoria: præterea cõiugium virginitati dignitate & merito æquari. Vnde etiam aliquot Sanctimoniales eius hortatu nupserunt. Item præmia beatorum esse paria: deniq. B. MARIAM in partu carnis virginitatem amisisse: Ita referunt Hieronymus lib. 1. & 2. contra Iouin. & Augustinus lib. de hæres. cap. 82.

PRIMVS horum errorum est etiam Caluini, lib. 2. instit. c. 2. §. 11. & 12. vbi dicit, veram fidem, q̃ a gratia separari nequit opinione ipsius, semel habitam, nunquã amitti posse: & ideo non esse, nisi electorum.

SECVNDVS eiusdem Caluini est lib. 4. ca. 12. §. 19. vbi arguit omnes veteres, q̃ laudauerint ieiunium, quasi esset meritorium. Idem error Iouiniani habet in Confessione Augustana. art. 24. & in locis Philippi, cap. De mortificatione.

TERTIVS est error Martini Lutheri in epithalamio, vbi exponens c. 7. primæ ad Cor. 4. comparationes facit. PRIMA est, castitatis cum matrimonio absolutè, & sic fatetur castitatem esse nobilius donum. SECVNDA, castitatis cum matrimonio coram Deo, & sic dicit esse æqualia. TERTIA, mulieris coniugatæ cũ virgine, & ait: *Oportet admittamus mulierẽ coniugatã coram Deo præstare virgini.* QVARTA, status coniugatorũ cũ statu religiosorum, & Ecclesiasticorum profitentium cœlibatũ; & dicit, statum coniugatorum ex natura sua esse spiritualem, diuinũ, cœlestem, & quasi aurum: statum verò cœlibum esse secularem, terrenum, & quasi lutum. Similia habet Confessio Augustana, art. 23. & Caluinus lib. 4. instit. c. 13. & 3. & seq. De ijs duobus erroribus Centuriatores Cent. 4. ca. 5. col. 381. dicunt, perperam reprehendi Iouinianum, à Hieronymo & Augustino, cum ipsi potius, si contrarium senserunt, fuerint hæretici.

QVARTVS error Buceri ac Molinæi est. Hic. n. Bucero auctore, in tertia vnionis Euangelicæ parte affirmat, IESVM nascẽtem adaperuisse vulnã B. MARIÆ.

QVINTVS est Lutheri in sermone de natali B. MARIÆ, & in commentario primæ epistolæ Petri, vbi dicit, omnes Christianos esse æquè sanctos ac iustos, atque est mater Dei: Ex quo sine dubio sequitur, fore omnes æquè beatos.

XIII. VIGILANTIVS multa etiam docuit. Primò, Sanctorum reliquias non esse venerandas. Secundò, orationes mortuorum pro aliis nõ exaudiri: ex quo sequit, frustrà Sãctos inuocari. Tertiò, Ecclesiasticos debere esse vxoratos. Quartò, non expedire, relinquere oĩa & dare pauperib. & ad religionẽ, relicto seculo, perare: Ita refert Hieron. in lib. contra Vigilantium.

Eadem oĩa docent nunc sectarij. LVTHERVS in sermone de sancta cruce dicit, reliquias Sanctorum esse fidelium seductionem, & ideo sub terram penitus cõdi debere; & in libro de abroganda Missa, par. 3. affirmat, non maiorem esse Deo curã de sancto sepulchro Domini, quam de bobus, de quibus Apostolus ait: *Numquid Deo est cura de bobus.* Idem Lutherus libro de Eucharistia ad VValdenses dicit, stultam & pernitiosam esse Sanctorum inuocationem. Idem in Epithalamio dicit, Matrimonium iure diuino esse præceptum oĩbus, etiam Ecclesiasticis & Monachis, qui nõ sentiunt se habere donum continentiæ. Vocat autem ipse donum continentiæ, non gratiam, qua nõ cõsentimus tentationibus carnalibus, sed qua non tentãmur, qualẽ ferè nulli habent. Deniq;, idem ferè in libro de votis monasticis ex professo dehortatur à religione, & solum permittit, vt fœminæ LX. annor. & viri LXXX. & XC. annorum in monstarijs maneãt. Eadem docet Confessio Augustana; nam contra Sanctorum inuocationes agit art. 21. contra Clericorum continentiam & Monachorum, art. 23.

Similiter CALVINVS contra inuocationem Sãctorum agit lib. 3. instit. c. 20. & §. 21. vbi etiã dicit, Papistas in suis Litanijs, Hymnis & Prosis, in quibus Sanctis mortuis nihil non tribuunt, nullam Christi mentionem facere, q̃ est mendacium crassissimum. Contra reliquiarum visitationem agit, li. 4. c. 13. §. 7. & in lib. quẽ inscripsit, Admonitionem de reliquijs: & reipsa Caluinistæ combusserunt, & in flammam proiecerũt corpora Sanctorum Irenæi, Martini, Hilarij, Bonauẽturæ, &c. Contra cœlibatum Clericorum, & Monachorum professionem disputat Caluinus lib. 4. c. 12. & 13. totis capitib. DENIQVE Centuriatores non voluerunt numerare Vigilantium inter hæreticos, sed scribunt de eo Centur. 4. c. 8. col. 602. vbi dicunt fuisse contentionem inter duos sanctos Presbyteros, i. Vigilantium & Hieronymum de reliquiis, inuocatione Sanctorum, &c. sed Hieronymum clamoribus tãtum egisse, Vigilãtium autem solidis rationibus: vbi etiam impudentissimè censuram quandam Erasmi in librum Hieronymi contrà Vigilantium tribuunt Gregorio, quasi Gregorius desideraret in Hieronymo modestiam. Sed de his alias.

XIV. PELAGIANI duo inter alia docebant. Primò, non esse in hominibus peccatum originale, & præcipuè in filijs fidelium; ita refert Augustinus libro 6.

contra Iulianum, c. 2. & 3. & lib. 4. ad Bonifacium, ca. 2. & 4. Secundò, per quodlibet peccatum, q̃uis leuiſſimum, perdi iuſtitiam, ac proinde omne peccatũ eſſe mortale. Ita refert B. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos. Primum horum diſertè docet Zvvinglius in libro de Baptiſmo, Martinus Bucerus in ca. 3. Matthæi, & Caluinus lib. 4. inſtit. c. 15. §. 20. niſi quod Zvvinglius negat ſimpliciter peccatum originale ĩ quolibet homine, & tantum vult miſerias quaſdam per Adamum nos contraxiſſe. Bucerus autem & Caluinus, ſolum in filijs fidelium negant peccatum originale, quos dicunt Sanctos naſci: & ſaluari etiam ſine Baptiſmo. Errorem alterum docent omnes ſectarij. Lutherus aſſert. art. 32. Philippus in locis, c. De diſcrimine peccati mortalis & venialis, Caluinus lib. 2. inſtit. c. 8. §. 85. & lib. 3. cap. 4. §. 28. ceteri omnes omne peccatum natura ſua volunt eſſe mortale.

XV. Nestoriani docuerunt, in Chriſto duas eſſe pſonas, & duas naturas: ita Theodoretus lib. 4. de hæret. fabulis: ijdem oẽs veteres contemnebant, teſte Vincentio Lyrinenſi, id quod egregiè præſtat Luthe rus, Caluinus, & alij omnes: errorem aũt præcipuum Neſtorij docet hoc tpe Teodorus Bezv ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia, qui in libro de hypoſtatica dua rum in Chriſto naturarum vnione, dicit, ſe duas vnio nes hypoſtaticas in Chriſto ponere, vnam animæ cũ carne, alteram diuinitatis cum humanitate.

XVI. Eodem tempore fuerunt aliqui, neſcio an etiam ipſi Neſtoriani eſſent, qui docuerunt, in Eucha riſtia non manere corpus Chriſti, ſi ſeruetur in alteram diem, quos Cyrillus in epiſtola ad Caloſiriũ epiſcopum inſanire dicit. Hunc errorem rurſum excogi tauit Bucerus, docens, in Euchariſtia non eſſe Chriſti corpus, niſi quando ſumitur. Vide Cochlæum tra ctat. 8. lib. 3. Miſcellaneorum. Idẽ poſtea docuit Philippus Melanchthon in locis, c. De cœna Domini, & Caluinus lib. 4. inſtit. c. 17. §. 39.

XVII. Evtychiani docuerunt, vnã eſſe in Chriſto naturam, ſicut vnam perſonam: ita refert Theodoretus lib. 4. de hæret. fabulis. Eandem hoc tempore multi inſtaurarunt. In primis Gaſpar Svvencxfel dius in lib. de diuina Maieſtate humanitatis Chriſti, aſſerit poſt aſcenſionem Chriſti humanam eius naturam conuerſam eſſe in diuinam, & iam eſſe verum Deum, non creaturam. Idem, vel aliquid aliquanto peius videtur ſenſiſſe Brentius, qui in ſerm. de aſcenſione Domini docet, Chriſti humanitatem ab ipſa in carnatione ſemper fuiſſe vbique. Idem docet Iacob. Smidelinus in diſputatione Tubingenſi, c. 34. de qua re vide libros noſtros de Chriſto.

XVIII. Xenvias Perſa primus palam aſſeruit, Chriſti & Sanctorum imagines non eſſe venerandas teſtis Nicephorus, lib. 16. c. 27. Idem nunc Caluinus lib. 1. Inſtit. c. 11. toto, vbi etiam §. 7. nõ vult vllo modo erigi ſignum crucis: in quo ſe fratrem Diaboli oſtẽdit, niſi quod Diabolum ipſum impietate vincit. Diabolus enim crucem execratur, quia timet, & timendo honorat: Caluinus execratur, quia deſpicit atque irridet. Ibi etiam §. 13. & dicit, primis quingentis annis nullas fuiſſe imagines in templis Chriſtianorũ, quod eſt inſigne mendacium, etiam ipſo Caluino teſte: nã in præfatione Inſtit. dicit, Epiphanium in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum ſcribere, ſe in templo vidiſſe imaginem Chriſti, aut neſcio cuius Sancti pẽdere: Et præterea Lactãtius in carmine ad crucifixũ: Baſilius in oratione in Barlaam, circa finem: Nyſſenus oratione in Theodorum, non procul ab initio: Paulinus in vita Felicis: Prudentius de S. Caſſiano: Euodius lib. 2. de miraculis S. Stephani: Athanaſius ab Athiochum, q. 16. docent, ſuo tpe imagines Sanctorum fuiſſe in templis: iſtos autẽ omnes vixiſſe ante mille & centum annos, notiſſimum eſt. Adde qd Nicephorus lib. 14. c. 2. dicit, imaginem B. Mariæ à ſancto Luca depictam, poſitam fuiſſe in tẽplo, quod Pulcheria ſoror Theodoſij Conſtantinopoli exſtruxit in honorem B. Virgints.

XIX. Lampetiani docuerunt, Monaſteria debere eſſe libera, i. ſine votis perpetuis: ita refert Damaſcenus libro de centum hæreſibus, circa finem. Idem hoc tempore Lutherus, qui in libro de votis monaſticis dicit, non poſſe voueri piè in Monaſterijs, niſi hac forma: Voueo caſtitatem, paupertatem, & obedientiam vſque ad mortem, liberè, id eſt, vt mutare poſſim, quando volo.

XX. Quorundam, qui negabant, Euchariſtiã verè eſſe carnem Chriſti, & tantum eſſe volebant figurã, ſeu imaginem corporis Chriſti: ita refert in VII. Synodo, act. 6. to. 3. & longè antea ex Ignatio idẽ refert Theodoretus in Dialogo, qui dr Impatibilis. Hãc hęreſim docẽt hoc tpe Zvvinglius in lib. de verbis cęnæ Domini, & Caluinus lib. 4. inſtit. c. 17. §. 12.

Habemus hactenus viginti Hæreſiarcharum hæreſes, quę damnatæ ſunt ab Eccleſia, quæ fuit primis DCC. annis, quas hæreſes cum nos pro hæreſibus, ad uerſarij noſtri pro articulis fidei habeant, ſequitur noſtram doctrinã conſpirare cum doctrina antiquæ eccleſiæ: Aduerſariorum aũt cum hæreſibus antiquis.

CAPVT X.

Nota ſeptima.

Septima Nota eſt Vnio membrorum inter ſe, & cum capite: nam eccleſiam eſſe vnum corpus, vnam ſponſam, vnum ouile, paſſim ſcripturæ docent, ad Ro. 12. Cantic. 6. Ioan. 10. & in Symbolo Conſtãtinopolitano, dicimus vnam eccleſiam. Præcipua autem vnitas corporis conſiſtit in coniunctione membrorum cum capite, & inter ſe. De vtraque vnione dicendum eſt, & primum de prima: ſed quoniam de capite eccleſiæ, qui eſt Romanus Pontifex, alibi diſſeruimus, hic ſolum, aliquot in medium allatis teſtimonijs Patrum, oſtendemus, apud veteres ſemper fuiſſe habitam pro nota veræ eccleſiæ, coniunctionem cũ Romano Pontifice.

Irenaevs li. 3. c. 3. aperte dicit, ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe omnem conuenire eccleſiam, i. eos, qui vndique ſunt fideles. Cyprianvs lib. 1. epiſt. 3. *Poſt iſta*, inquit, *adhuc inſuper Pſe udo epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram atque Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt à ſchimaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Rom. ad quos pfidia habere non poſſit acceſſum.* Et li. 4. epiſtol. 8. de cathedra Romani Pontificis loquẽs: *Scimus*, inquit, *hortatos nos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ matricem & radicem agnoſceremus, & teneremus.* Ambrosivs in oratione de obitu Satyri: *Rogauit*, inquit, *ſi cũ Epis Catholicis, id eſt ſi cũ Eccleſia Rom. conſentiret.*

Hieronymvs in epiſtola ad Damaſum de hypoſtaſis nomine: *Hic*, inquit, *in tres partes ſciſſa Eccleſia, me ad ſe rapere eſtimat, ego interim clamito: Si quis cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut oẽs.* Et in epiſto. ſuperiori: *Ego*, inquit, *Beatitudini tuæ, i. cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam petram ædificatã Eccleſiã ſcio: Quicunq. extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noæ non fuerit, peribit regnante diluuio. Noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum: quicunque tecum non colligit, ſpargit, id eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Et in epitaphio Marcellæ ſcribit, S. Athanaſium & eius ſucceſſorem Petrum, Alexandrinos Epiſcopos, perſequutione Arianæ hæreſeos declinantes, tanquam ad tutiſſimum ſuę communionis ortum, Romam confugiſſe.

Opta-

OPTATVS lib.2.contra Parmen.a principio per aliquas paginas, docet, veræ ecclesiæ dotem primam, & præcipuam esse cathedram Petri, quæ Romæ est, & inde probat, Donatistas non pertinere ad Ecclesiã veram, quia non essent coniuncti cum Syricio, qui tunc sedebat in cathedra Petri.

AVGVSTINVS in epist. 162. loquens de Ceciliano Epo, *Qui*, inquit, *posset non curare cõspirantẽ multitudinẽ inimicorũ, cũ se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua sẽper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, per cõmunicatorias literas esse coniunctũ.* Et in Psal. cõtra partẽ Donati: *Venite fratres, si vultis, vt inseramini in vite: dolor est, cũ vos videamus præcisos ita iacere: numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrũ quis, cui successerit, videte: Ipsa est petra, quã nõ vincunt superbæ inferorũ portæ.* LEO epist. 87. ad Episcopos Viennenses prouinciæ: *Prædicationis*, inquit, *Euãgelij Sacramentũ ita Dominus ad omnium Apostolorũ officiũ pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorũ omnium summo, principaliter collocaret, vt ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.*

His adde experiẽtiã: videmus.n. oẽs illas ecclesias, quæ ab isto capite se diuiserunt, tanquã ramos præcisos a radice, continuo aruisse. Certe ecclesiæ Asiaticæ & Africanæ, quæ quõdam ita florebãt, vt numerosissima Concilia celebrarent, & sẽper haberẽt multos homines, vel doctrina, vel sanctitate, vel vtroq. Dei munere clarissimos: ab eo tẽpore, quo a Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla Concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines fama sanctitatis, aut doctrinæ toti orbi notos, & nunc in summa ignoratione versant.

Veniamus nunc ad consensionem membrorum inter se. Certũ est, Concordiam esse signum Regni Dei, quod stare debet in æternum: Discordiam ãt, Regni Diaboli, quod tandẽ ruere debet. Vnde Matt. 12. *Omne Regnum in seipsum diuisum, desolabitur.* Et 1. Cor. 14. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et D. Aug. li. 18. de ciuit. Dei, cap. 52. dicit, Diabolum cupiuisse per hæreticos efficere, vt in ecclesia Christi essent liberæ dissensiones, quomodo erant in Academijs Philosophorũ: vt sicut illæ per multas diuisiones tandem intereunt, & ab inuicem consumuntur, ita fieret in ecclesia.

Iam ex hac nota clarissimum est, nostram Ecclesiã solam esse verã Dei ecclesiam: si quidem in nostra ecclesia in primis omnes Scriptores sacri mirifice inter se cõsentiunt, licet fuerint homines diuersi, & i locis, tẽporibus, ac linguis diuersis scripserint, quod pro re plane diuina B. Augst. obseruat lib. 18. ciuit. Dei, ca. 41. deinde omnia legitimorum conciliorum & Pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus inter se cõueniũt, licet edita sint a diuersis hominibus, diuersis locis, temporib. occasionibus, & contra diuersissimas, immo sæpe contrarias hæreses. quod est apertum signum vnius & eiusdem Spiritus sancti, hanc, ecclesiam gubernantis. Hoc autem esse verum, ostendit diligentia hæreticorum, qui licet omnia diligenter euoluerint, tamen non inuenerunt quidquam vllius momenti, quod reprehendere possent: vt in disputatione de Concilijs ostendimus.

Denique, nũc omnes Catholici toto orbe dispersi de omnib. dogmatibus fidei sentiunt idẽ: nec possunt aliter sentire, cum omnes subijciant sensum suum sẽ sui vnius, & eiusdẽ summi Pastoris ex cathedra Petri cum consilio aliorum pastorum ecclesiam dirigentis.

Quod autem nulla vnquam fuerit secta Gentiliũ, vel Hæreticorum, in qua talis cõsensio esset: facile potest ostẽdi. Ac primũ de Paganorũ sectis, docet Augustinus serm. 11. de verbis Domini, ad cãdem religionẽ apud eos Iunonẽ, & Herculem, aliosque Deos inter se dissidentes, & ẽt belligerantes pertinuisse. De Philosophis notum est omnib. adeo, vt Basilius orat. 1. de A opere sex dierum dicat, non esse opus, vt nos pugnemus contra Philosophos, cum illi mutuis dissensionibus sufficiant ad ipsorum doctrinam euertendam: de quo etiam vide Theodoretum libro de fide, & Augustinum lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 41.

Eundem fuisse morem omnium hæreticorum, certissimum est: nam Irenæus lib. 1. ca. 21. & sequentib. docet, hæresim Simonis primi hæresiarchæ mox diuisam, & inde natas esse sectas Menandrianorum, Basilidianorum, Saturninianorum, &c. Item li. 1. c. 5. scribit de Valentinianis, quod cũ essent plurimi, vix duo, aut tres inter se conueniebant in omnibus dogmatibus. De Donatistis scribit Augustinus li. 1. de Baptismo, ca. 6. hæresim Donatistarum in multa minutissima frusta concisam fuisse suo tempore.

B Marcionistas mox diuisos fuisse, & inde natos Lucianistas, Appellianos, & Seuerianos docet Epiphanius li. 1. to. 3. contra hæreses. Montanistas diuisos esse in Pepuzianos, Artotyritas, Phrygastas, &c. scribit Epiphanius li. 2. to. 1. Manichæos quoq. in sectas diuisos testatur Aug. li. 1. de hæres. c. 46. Messalianos ãt diuisos in Martyrianos, Sathanianos, Entusiastas, docẽt Epiphanius hæres. 80. Theodoretus li. 4. de hær. fab. Ariani mox diuisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, vt patet ex Ruffino, li. 10. hist. ca. 25. idem etiam Ariani singulis fere annis fidem mutabãt, vt scribit Hilarius in vtroque libro ad Constantium. Pari ratione Eutychiani ita diuisi fuerunt, vt omnes fere sectæ, quæ postea exstiterunt in Oriente, sint proles Eutychianorum, vt patet ex Euagrio, li. 3. & 4. hist.
C & ex Damasceno libro de centum hæresibus.

Denique nostro tempore cõstat ex Friderico Staphylo in libello de Concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vix dum natos, diuidi cœpisse in Anabaptistas, Confessionistas, & Sacramentarios: & rursum singulas sectas in alias & alias vsque ad 34. et hoc quidem tempore Staphyli: nunc autem numerantur fere 100. diuersissimæ sectæ ab vno Luthero prodeuntes. id quod fit magna prouidentia Dei: nam hoc modo hæreses seipsas consumunt: diuisio enim earũ non est Mathematica, quæ procedit in infinitum. Vnde Isaiæ 19. dicitur: *Concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios.* Et HILARIVS lib. 7. de Trinitate: *Bellum hæreticorum*, inquit, *pax est Ecclesiæ.*

Adde, quod iidem etiam auctores hæretici secum
D non consentiunt, quæ est certissima nota falsæ doctrinæ, vt ipsemet LVTHERVS ait in lib. de votis monasticis: *Mendacia*, inquit, *certius dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, vt impij semper seipsos confundant, & quod mẽdacia non consonent, sed semper contra semetipsa testetur.* PORRO Lutheri contradictiones innumeras collegit Ioannes Cochlæus in Septicipite, vbi ad finem adiecit, 36. varias sententias vnius Lutheri de vno articulo, id est, de communione sub vtraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam omnes pro sacro sancta habent, ita immutarunt, & varie ediderunt, vt nesciãt ipsi, quæ sit vera Confessio Augustana, de qua re consule Harmoniam Andreæ Fabritij Leodij, vbi videbis præter cetera editionem anni XXX. & editionem anni XL. quarum vna duplo est maior altera.
E

SED ad hoc argumẽtum aduersarij respõdẽt vt possunt. CALVINVS in primis in præfatione Instit. dicit, non esse mirũ, si ex religione sua mox oriant diuisiones, & sectæ cõtrariæ: nã id accidit ẽt ecclesiæ Apostolorũ: ex ea.n. prodierunt Simoniani, Nicolaitæ, &c. sẽper.n. Diabolus, vbi videt bonũ semẽ seminari, accedit, & superseminat zizania. DEINDE, idem Caluinus lib. 4. Instit. cap. 13. §. 14. dicit, ex hac nota colligi, non esse apud nos veram ecclesiam: nam tot sunt apud nos schismaticorum conuenticula, & diuisiones, quot sunt monasteria: olim enim Monachi viuebant

quidem

quidem separati ab alijs, sed non percipiebant Sacra A
separatim, imò concurrebát ad ecclesias ordinariorũ
ministrorũ, & ibi cum reliqua plebe sacris intererãt:
nunc autem singula monasteria sibi priuatum altare
erexerunt, & Sacramenta percipiunt separati a popu
lo Christiano, quod etiam nominib. testantur, cũ alij
Benedictini, alij Franciscani, alij Dominicani dican-
tur. TERTIO addunt alij, plures apud nos esse sectas,
Thomistarũ, Scotistarum, & similiũ, quã apud illos.

RESPONDEO ad primum, hoc esse discrimen inter
diuisionem hæreticorum ab ecclesia, & diuisionẽ ab
aliqua hæresi, quòd in Ecclesia Catholica inuenitur
certa regula componendarum controuersiarum, id
est, sententia summi Pastoris, vel Concilij plenarij, &
ideo non oritur ex doctrina ecclesiæ dissensio, sed ex B
sola malitia Diaboli. PRÆTEREA vndecunque ortia-
tur, mox damnatur, & eiecto hæretico scissura resarci
tur, nec vlterius in ipsa ecclesia progreditur. At apud
hæreticos non est vlla regula finiendarum cõtrouer-
siarum. Quisque enim se præponit alijs, & quisque
vult esse iudex aliorum, & inde fit, vt ordinariè quili
bet noua hæresis statim pariat alias, & alias, donec
per multas diuisiones consumatur, ita vt miraculum
videatur, si aliqua hæresis diutius duret. ITAQVE ec-
clesiæ doctrina per se gignit vnionem, & coniunctio
nem animorum: hæresis verò per se, & ex propria sua
natura diuisiones, & schismata germinat. Cum ergo
videamus more aliarum hæresum, sectam Lutheria-
nam mox diuisam fuisse in tam multas alias sectas,
& quotidie magis, & magis diuidi, nec sperari ab illis
vllũ finem diuisionum, merito iudicamus eos hæreti C
cos, & tandẽ penitus interiturũ nomen Lutheranũ.

Ad SECVNDVM argumentum dico, in primis esse
mendacium Caluini, quòd antiqui Monachi non ha-
buerint proprium altare, sed acceperint Sacramenta
in ecclesijs ordinariorum parochorum: nam Epipha-
nius in epistola ad Ioannem Hierosolym. testatur, se
in Monasterio S. Hieronymi ordinasse presbyterum
Paulinianum, qui in ipso Monasterio Sacramenta
cõficeret ceteris Monachis: quia S. Hieronymus præ
humilitate nimia non audebat sacrificia altaris offer
re. Item Cassianus collat. 18. quæ est Abbatis Pyamo
nis, c. 15. narrat ipsa eremo habuisse Monachos suos
Presbyteros, etiam Monachos, qui Sacramenta cete-
ris ministrabant. Augustin. lib. 1. de morib. Eccle. c. 31.
& 33. docet non solum in solitudine, sed etiam in vr- D
bibus vt Mediolani, & Romæ habuisse Monachos in
suis cœnobijs præpositum Presbyterum, qui sine du-
bio ideo Presbyter erat, vt in cœnobio Sacramẽta cõ-
ficeret, & non cogerentur Monachi egredi è Mona-
sterijs, vt irent ad ecclesias. Denique Ioannes Dama-
scenus in historia de Barlaam & Ioasaphat scribit, Bar
laam eremitam in sua cella sacrificium Missæ cele-
brasse, præsente solùm ministro suo Ioasaphat.

Dico SECVNDO, schismaticũ non fieri vllũ pp di-
uersũ altare materialiter, sed formaliter, alioqui oẽs
parochi essent schismatici, quia habẽt diuersa altaria
in eadem ciuitate. & oẽs Epi essent schismatici, quia
habẽt altaria diuersa in ciuitatib. diuersis. Soli igitur
schismatici sunt, q ita erigunt altare pprium, vt alta-
re aliorũ pfanũ censeant. Denique Monachos huius E
rpis non esse schismaticos ex eo perspicuum est, q pa
rent vni summo Pontifici, ordinantur Presbyteri ab
epis ordinarijs, denique frequẽtant a populis. Porro
nomina illa Benedictinorum, Franciscanorum, Do-
minicanorum desumpta sunt non ab auctore doctri
næ, sed ab istitutore seuerioris disciplinæ, vt notũ est.

Ad TERTIVM dico, Thomistas & Scotistas nõ dis
sentire, nisi in ijs reb. q ad fidẽ non pertinẽt, vt B. Au
gust. dicit de dissentionib. Doctorũ sui tpis lib. 1. con
tra Iulianũ, & pterea sẽper subijciũt se, & sua ecclesiæ
definitioni oẽs Catholici. Proinde etsi verbis interdũ
pugnare videant, re tñ ipsa in reb. fidei oẽs cõueniũt,
cũ oẽs id vnũ credere se pfiteant, qđ in ecclesia Ca-
tholica Romana credendum esse iudicatum fuerit.

At hæretici de reb. fidei pcipuis dissentiunt, & vn⁹
habet alium pro hæretico, & tñ eundem Lutherũ pa
trem agnoscunt. de quo vide Hosiũ, lib. 1. cõtra Bren
tium, & Canisium in præfatione librorum Vegæ Co
loniæ excusorum. neque id aduersarij inficiari vlla ra
tione possunt: Siquidem primo non negant, Anaba-
ptistas hæreticos esse Lutheranis & Zvvinglianis, &
contra, & tamen ex eodem Luthero omnes prodie-
runt: deinde Zvvingliani sunt hæretici Lutheranis
ceteris, vt patet ex testamento Brentij, & multis Lu-
theri libris: at Zvvingliani, & Caluinistę non audent
Lutherum execrari, & tamen in rebus grauissimis ab
eo dissentiunt, ut patet ex libris Caluini, Bezæ, Mar-
tyris, de cœna Domini, & de loco corporis Christi.

Rursus inter Cõfessionistas Lutheranos, rigidi, &
molles grauissimè contendũt, id apparet ex libris Ioã
nis VVigandi, & Illyrici contra Georgium Maiorẽ,
& Philippum Melanchthonem, & horũ contra illos.
Cẽturiatores in prefatione 5. Centuriæ de se sic aiũt:
*Etsi sunt aliqui adhuc Doctores Ecclesiæ Dei in variis lo-
cis dispersi, tamen vt non tãtum a filijs huius seculi quibus
hoc solenne est, sed etiam a propriis synergis, & confratri-
bus irrideantur, molestantur, affligantur, debilitantur, &
frangantur, dum eos Stoicos, & sedritiosos proclamant: dã
seditionis, & hæresum crimina eis impingunt.*

Ioannes VVIGANDVS in lib. de errorib. Georgij
Maioris: *Tu*, inquit, *Georgi, es ille vir, qui turbat Israel,
non nos, qui te monemus de fœdis erroribus pugnantibus
cum verbo Dei: nam tu ista zizania & tetros errores, in
Ecclesia Dei libris editis, longe lateque disseminas, ac pla-
tas. Nos verò Ecclesiam Dei hortamur, vt in vera, & se-
mel agnita, atque accepta puritate doctrinæ a Deo per sa-
lutare organum Lutherum perstet.* Et infra: *Non sunt la
na, neque latum, de quibus hic disceptatur, sed de grauissi-
mis doctrinæ Christianæ capitibus, quæ a Maiore, & alijs
fœde depravantur.* Et infra post quartum errorem: *Ma-
ior*, inquit, *ingenti audacia gloriatur, se ne pilum quidem
de doctrina Lutheri discessisse, & interim totam Lutheri
doctrinam de seruo arbitrio, reprobæ mente, & Diabolo in
cathedra Lutheri sedam attribuit.* Et infra post septi-
mum errorem: *Hos pernicioſos errores*, inquit, *Maioris,
vir Dei Lutherus tum in scriptis suis, tum disputationi-
bus publice refutauit, & explosit.*

Præterea inter ipsos rigidos quæstio grauissima or-
ta est de peccato originis nam Illyricus contẽdit pec-
catum originis esse substantiã, & contrariam senten-
tiam vocat spectra Pelagiana. Contra uero Ioannes
VVigandus, Tilmannus Heshusius, & alij scribunt
contra Illyricum, vt contra manifestum Manichæũ.
Certè Heshusius in titio antidoti cõtra Illyricum, do-
cet istam quæstionem ad fundamẽta fidei pertinere.

Deniq; ex eadem prouincia Saxonia, intra decem
annos prodierunt contradictoriæ sententiæ publico
nomine editæ, de re omnium grauissima. Nam in Sy
nodo Dresdensi anno MDLXXI. celebrata cõmu-
ni consensu exploserunt sententiam Brentij, Illyrici,
& aliorum de persona Christi, & tamen illam ipsam
sententiam a se damnatam, anno MDLXXX. in li- E
bro Concordiæ publicè receperunt, & tam Synodus,
quam Concordiæ VVittembergæ impressa sunt, &
eiusdem Principis auctoritatem præ se ferunt.

CAPVT XI.

Nota octaua.

OCTAVA NOTA est SANCTITAS doctrinæ. Vera
n. Ecclesia non solũ est Catholica, Apostolica,
una, sed etiam sancta, ut hẽt Symbolũ Constantino-

poli-

politanum: Conſtat autem ſanctam dici Eccleſiam, quia profeſſio eius eſt ſancta, nihil continens falſum quoad fidei doctrinã, nihil iniuſtum quoad fidei doctrinam morum. unde in Pſ. 118. appellatur lex Domini immaculata, teſtimonium fidele, præceptum Domini lucidum. Ex hac nota euidenter oſtenditur nullam eſſe ueram Eccleſiam niſi noſtrã; nulla enim eſt ſecta uel Paganorum, uel Philoſophorum, uel Iudęorum, uel Turcarum, uel Hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifeſtè contrarios.

De PAGANIS multorum Deorum cultoribus oſtẽdit quàm abſurda, ac turpia ſenſerint Minutius Felix in Octauio, Arnobius lib. 4. 5. 6. & 7. contra Gentes. & Auguſt. lib. 7. de ciuitate Dei, per totum, nec ullus de hac re hoc tempore dubitat.

De PHILOSOPHIS antiquis idem docet Theodoretus in lib. de legib. qui eſt nonus ad Græcos, ubi docet, Lycurgi Legib. permitti adulteria: legib. Perſarũ, permitti inceſtas nuptias cũ matrib. filiab. ſororib. legib. Maſſagetarum, morituros & ſenes a propinquis deuorari: legib. Tibarenorũ, deijci ſenes ex altis turribus: legib. Hircanorũ, proijci cadauera hoĩum canib. legib. Scytharũ, cũ mortuis ſepeliri uiuos, qui ab eis dilecti fuerant: legibus Platonis, quæ uiſæ ſunt omnium optimæ, horrẽda uitia præſcribi, uel laudari, ut communionem uxorum, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum, cędes infantium, & ſimilia.

De MAHVMETANIS idem patet ex Alcorano: nã c. 2. docet oẽs ſaluari ĩ ſuis legib. ſi eas ſeruẽt, Iudęos, Chriſtianos, Turcas. c. 5. 28. 47. 48. & alijs paſſim docet, beatitudinem futuræ uitę cõſiſtere in cibo, & potu, & uxorum multitudine, nec unquã in toto Alcorano mentio fit actionũ ſpũalium uiſionis, uel amoris Dei. c. 43. dicit Deũ, & Angelos orare pro Mahumero: ſimilia abſurdiſſima paſſim leguntur in Alcorano.

De IVDÆIS, qui poſt Chriſti aduentum ſcripſerũt, manifeſtum eſt ex libris ipſorum: nã in primis in doctrina Talmud, quæ eſt ipſorum uerbum Dei nõ ſcriptum, inueniuntur innumerabiles errores, de quib. uide Sixtum Senenſem, lib. 2. bibliothecæ ſanctæ. R. Salomon, quem Iudęi maximi faciunt, in commen. c. 2. Gen. in illud. *Hoc nunc os ex oſſibus meis:* dicit Adamum cum omnib. beſtijs, & feris carnaliter congreſſum, nec potuiſſe libidinem explere quouſq; ad Euæ amplexus peruenit; Idem in c. 28. Num. in illud: *In Kalendis autem offeretis holocauſtum Domino.* ipſe legit; holocauſtum Domini, & dicit præceptum eſſe offerri holocauſtum in die nouilunij pro peccato Dei, quod commiſit, cum diminuit lumen lunæ. quam fabulam narrat idem R. Salomon in c. 1. Gen. in illud: *Duo luminaria magna:* Idem in cap. 4. Deuteron. in illud: *Creauit Deus hominem,* dicit Adamum fuiſſe tam procerum, ut capite cœlum tangeret, dum eſſet in terra: ſimilia paſſim occurrunt in libris Iudæorum.

De HÆRETICIS antiquis idem oſtendi poteſt; nulla enim fere fuit hæreſis, quę nõ habuerit manifeſtos errores. GNOSTICI inter alia frequentari debere docebant ſcortationes, & luxuriam omnem exerceri, tamen uitari conceptum, & ſi conceptus caſu ſequebatur, extrahebant de utero prægnantis, & contuſum in mortario, ac melle & pipere conditum deuorabant, & hoc modo magnum Paſcha ſe celebrare dicebant: Ita refert Epiphanius hæreſi 26.

CARPOCRATIANI docebant, teneri unumquemque ad omnia genera ſcelerum perpetrãda, & ſi cum moriebantur, non perpetrauerant omnia, dicebant animas remitti ad corpora, idque toties, donec implerent ſcelerum menſuram, & hoc modo exponebant illud Euangelij; Non exies inde, donec reddideris nouiſſimum quadrãtẽ: Ita Epiphanius refert, hæreſ. 27.

MONTANISTÆ ſacrificium efficiebant ex ſanguine anniculi infantis, quem minutis uulneribus ęreis aciculis totum exprimebant incredibili crudelitate; Teſtis eſt Auguſtinus, hæreſ. 26.

MANICHÆI docebant, ęquale peccatum eſſe prędere folium de arbore, atque hominẽ interficere. ijdẽ aſſerebant partes diuinæ eſſentiæ teneri captiuas a principib. tenebrarum, & ex ijs aliquas liberari, alias in æternum damnandas; Auguſtinus hæreſ. 46.

DONATISTÆ, ut ſeipſos martyres facerent, de mõtibus ipſi ſe præcipitabant, uel aquis prędabant, uel in ignem conijciebant, uel mortem minabantur, & inferebant ijs, qui eos occidere nollent; Teſtis Auguſtinus, epiſt. 50. & Theodoretus. lib. 4. de hæret. fabulis; eiuſmodi generis infinita adduci poſſent.

Sectarij noſtri temporis docẽt, omnem hominem iuſtificari ſola fide ſpeciali, qua quiſque certo credit, ſe propter Chriſtum coram Deo eſſe iuſtum, quod cũ quolibet paradoxo comparari poteſt; non enim eſt id ſupra, uel præter rationem, ſed plane contra omnem rationem. Quæro enim, cum incipio credere me eſſe iuſtum, uel ſum iuſtus, uel iniuſtus; ſi iuſtus, igitur nõ iuſtificor per fidem, qua credo, me eſſe iuſtũ, quia iſta fides eſt poſterior mea iuſtitia; ſi iniuſtus, ergo iſta fides eſt falſa, ergo non eſt fides diuina iuſtificans, niſi dicamus, homines iuſtificari per mendacium.

Præterea Lutherani omnes, maxime ſpiritum precum, & inuocationem extollunt, & tamen hæc fides tollit orationem Dominicam; nam ſi certo credo, me nullum habere peccatum, mentior, ſi cum hac fide dico, dimitte nobis debita noſtra; præterea Caluiniſtæ Anabaptiſtas omnino damnant, nec cenſent poſſe eos iuſtificari, nec ſaluari, niſi conuertantur ab erroribus ſuis, & tamen ſciunt Anabaptiſtas certo credere ſe eſſe iuſtos, ergo cogũtur dicere eos ſimul & iuſtos, & non iuſtos eſſe.

Præter hoc dogma commune, ſinguli habent ſua propria dogmata, plena manifeſtę abſurditatis; Anabaptiſtæ præter alia multa habent nocturna conuenticula; in quibus nuptias caninas exercent, ut colligitur ex articulis eorum, quos Ioannes Cochlęus refutauit, & aperte etiã proprijs ſororib. iunguntur. Art. 11. Anabaptiſtarum eſt; nemo debet publice prædicare. art. 17. poſt ſermonem fiat adhortatio, ut creſcant, & multiplicẽtur. art. 19. licet fratri germanam ſororem in uxorem accipere.

LVTHERANI habent quaſi proprium errorem illũ manifeſtiſſimum, quod infantes dum baptizantur, utantur ratione, audiant uerbum Dei, credant, diligãt, qđ ĩ Synodo VVittẽbergẽſi anno MDXXXVI. publice definierant; quod tamen aperte repugnat ueritati, ut Auguſt. epiſt. 57. ad Dardanum ſcribat, iniuriam facere humanis ſenſibus, qui hoc dicunt; Quomodo enim credibile eſt infantem, qui plorat, & reluctatur quantum poteſt, dũ abluitur, intelligere, quid agatur? Porro CALVINISTÆ habent tãquam propriã ſententiam illam, non modo pietati, ſed etiam rationi apertiſſime repugnãtem, quod omnia abſoluta neceſſitate eueniant, quodq; Deus ſit cauſſa peccatorũ, a qua Lutherani penè omnes iam diſceſſerunt.

AT Eccleſia noſtra Catholica nullum errorẽ, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet, etſi multa ſupra rationem. Proinde ſola eſt abſolute ſancta, eiq; ſoli cõuenit, quod in Symbolo dicimus; *Credo ſanctam Eccleſiam.* Quam rem oſtenderũt aduerſus Paganos, Iuſtinus in utraque Apologia; Tertullianus in Apolog. c. 36. & ſeq. Arnobius lib. 1. 2. & 3. cõtra Gentes; Minutius Felix in Octauio; Auguſtinus in libris de ciuitate Dei. Cõtra Paganos autem & hęreticos omnes, idem oſtendit accuratiſſime beatus Thomas in libris contra Gentes.

Concludamus igitur cum ſancto Auguſtino lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 28. *Nihil in Chriſtianis Eccleſiis turpe,*

pe,& flagitiosum spectandum,imitandumq́, proponitur, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur,aut miracula narrantur,aut dona laudantur,aut beneficia postulantur. Et lib.22.c.7.*Persuadebatur veritas nouæ consuetudini,sed non contraria rationi.*

CAPVT XII.

Nota nona.

NONA NOTA est EFFICACIA doctrinæ; sola.n. vera Ecclesia habet doctrinam,non solum immaculatam,sed etiam conuertentem animas, vt dicitur Ps.18. & sermonem viuum penetrantem vsq; ad diuisionẽ animæ,ac spiritus,Hebr.4. Philosophi antiqui tametsi magnam sapientiã ostentarent, & summa eloquentia leges suas populis suaderent, nunquã tamen vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerunt,vt docet Athanasius libro de humanitate Verbi,& Theodoretus libro de legib. quia non erant verba eorum viua,sed mortua,non spiritus Dei,sed spiritus hominũ. Mahumetani aũt traxerunt quidẽ multos,sed terrore armorum,nõ vi,& efficacia doctrinæ. Quare ipsemet Mahumetus in Alcorano,c.18.& 19. docet bello cogendos hoïes ad fidem. Porro hæretici nunquam leguntur cõuertisse vllos Ethnicos,aut Iudæos ad fidem,sed solum peruertisse Christianos,qd etiam notauit Tertullianus in lib.de præscript.hæret. *De verbi,*inquit,*administratione quid dicam? Cum hoc sit negotium illis non Ethnicos cõuertendi,sed nostros euertendi,nostra suffodiunt, vt sua ædificent,&c.*

AT INQVIES, Freculphus in Chronico tomo 2.libro 4.cap.20.refert ab Arianis tempore Valentis Imperatoris totam gentem Gothorum a Paganismo ad fidem conuersam.

RESPONDEO, non ab Arianis Gothos esse conuersos,sed miserè deceptos;Gothi.n.cum iam de finibus suis egressi sub Romani Imperij auspicijs militarent, & multa præclara de Christianis audirent, sua sponte,nemine impellente, ab Imperatore petierunt Episcopos,a quib.docerentur,parati ad credendum,quid quid eis diceretur: Imperator vero,quia Arianus erat,Arianos epos misit,atq; ita Gothi misere decepti, cum Christiani fieri vellent,Ariani facti sunt; non tamen vlla virtute,aut miraculis Arianorũ,quæ.n.difficultas est instillare venenum homini parato ad illud sumendum? ADDE,q Freculphus non integre historiam hanc refert,constat.n.ex Socrate,li.4.ca.27. Sozomeno lib.6.c.37.Theodoreto,lib.4.ca.vlt. maiorẽ partem illorum Gothorum fuisse Christianã, & Catholicam,& ab Arianis postea deceptam.Non igitur conuertunt homines ad fidem hæretici,nec possunt; nam hæretici habent quidem Scripturam,sed nõ habent verum sensum scripturarum,qui proprie est gladius spiritus.verba n.non tam gladius, quam vagina sunt, qua gladius spiritus continetur. Cũ ergo illi nõ pugnent gladio,sed vagina tãtum,quid mirum,si nõ feriunt corda infidelium? Neque etiam mirum est, quod Catholicos peruertant, nam proni sunt homines ad descensum, ad viam latam & facilem,quam illi aperiunt:Et Deus id fieri sinit propter ingratitudinem eorum, qui semel sunt illuminati, & lumini accepto bonis operibus non respondent.

At Ecclesia vere sancta, & Apostolica olim breuissimo tempore per homines contẽptibiles externa specie,sine armis,& sine pompa verborum totũ traxit.i. homines magnos,paruos,doctos, indoctos, iuuenes, senes,viros,fœminas: & traxit, non ad delicias huius seculi,sed ad res credendas supra omnem rationẽ, & ad crucem & angustias,& vitam perfectissimã repugnantem carni & sanguini,& hęc omnia propter præmium nullum in hac vita,sed solum in futura,& hoc ita persuasit, vt maluerint plurimi potius amittere omnes opes,honores,amicos,affines,& vitam ipsam, quam Christi fidem;de quo vide Athanasiũ,& Theodoretum locis notatis, & Augustinum lib. 22. de ciuit.Dei,c.5. vbi ponit inter præcipua miracula,quòd pauci Apostoli sola Verbi diuini efficacia sine eloquẽtia,aut armis totum mundum subegerint.

Deinde a tpe B.Greg. vsq; ad nostra tpa conuersos multos a nostris probari potest testimonio aduersariorum:nam quod sexto seculo iussu B.Gregorij Anglos paganos non hæretici, qui tunc etiam non deerant,sed Monachi Pontificij ad fidem Christi cõuerterint,testantur Centuriatores, cent.6.c.2.col.37.

Deinde tempore Cononis Papæ, S.Kilianus a Papa missus conuertit Francones, vt dicũt ipsimet Centuriatores,Cent.7.cap.2.col.31.

Deinde tpe Greg.II.& Greg.III.ac Zacharię Pontificum conuersa est magna pars Germaniæ ad fidẽ, non per hæreticos Iconomachos,quib.tunc mundus abundabat,sed per S.Bonifacium Episcopũ,& Martyrem,quem Papa Gregorius II. miserat,vt fatentur Centuriatores, Cent8.c.2. col.20. vbi honorificè de eo loquuntur his verbis: *Hoc seculo postquam illuxit tempus,quod Dominus suæ misericordiæ præfiniuit,maiori cum fructu res successit.nam excitauit Dominus Vinofridum, quem Romani dixerunt Bonifacium , cum suis collegis ad Ecclesiæ suæ in Germania propagationem,& opus manuum eorum ipse gubernauit,& promouit,&c.*

Hic erant obliti Centuriatores S.Bonifacium fuisse Papistã, propterea tam bene de eo loquunt. Nã in pfatione eiusdem Centuriæ blasphemi,& ingratissimi in suum Apostolum sic loquunt. *Hanc ad rem hõt Papa suos Dromones egregios, peritissimos eiusmodi aucupiorum,audaces,temerarios,qui præmijs,& honorib.illecti & irretiti,sedulam operam in ob.nationib. & regnis nauant.* Et infra: *Talis fuit Dromo,Bonifacius ille,Germanorum Apostolus dictus,qui in hoc summo studio,arte,ac vi incubuit,vt vniuersam Germaniam in potestatẽ Papæ Romani redigeret. Etsi aũt in nonnullis locis Ethnicam idololatriã abolesse narratur,tamẽ religionẽ Christianam non seminauit puram,& incorruptam.* Et infra: *Ea fuit insolentia inflatus iste Pseudoapostolus,vt nõ modo monitores omnes ex alto despiceret,verumetiam apud tyrannum illum Romanum inuidiose deferret tanquam hæreticos,& turbatores Ecclesiæ,&c.* Ecce quomodo tractant Apostolum Germaniæ,de quo omnes historici eius temporis honorificentissimè loquuntur.

Deinde Cent.9.c.2.col.15.fatent, Monachos Corbeienses conuertisse VVãdalos,& col.18.fatent Bulgaros,Sclauos,Polonos, Danos, Moraues, eo seculo cõuersos,subiectos fuisse Romanis Põtificib. ex quo apparet a Papistis fuisse cõuersos.Item Cent.10.c.2. col.18.& 19. plures reges, & populos ad fidẽ conuersos docent opera Henrici I.Imperatoris,& Adalberti Boemorum;ac Methodij Morauorum Archipræsulum,quos omnes Papistas fuisse negare non possunt, cum constet eos Põtificib.Romanis subiectos fuisse.

Denique Centu.11.c.2.col.27.docent, Hungaros magna ex parte hoc seculo conuersos,& Episcopos illi genti datos,a Romano Pontifice confirmatos fuisse,perente hanc eorum confirmationem S.Stephano Hungarorum Rege nuper conuerso.

Post illa tpa non defuerunt, et in Ecclesia Catholica similes conuersiones, siquidem Adrianus Pontifex IV.ante suum Pontificatũ ab Eugenio Papa missus,Norvegiam ad fidem conuertit,vt Platina,alijq; testantur:&,ni fallor,ipsi etiam Centuriatores Centu.12.quam vna cum 13.editam audio, sed nondum vidi.Ab vno S.Vincentio ordinis Prædicatorum cõstat esse conuersos ad fidem viginti quinq; millia, partim Iudeorum,partim Saracenorum,vt scribit B.Antoninus 3.par.hist.tit.23.c.8.§.4.q floruit eadẽ ætate.

Denique,

Deniq;, hoc nostro seculo in nouo orbe multa millia Gentilium Catholici conuerterunt: Iudæorũ quoque singulis annis conuertuntur & baptizantur Romæ aliqui a Catholicis Pontifici Romano addictis, nec desunt etiam Turcæ, qui tum Romæ, tum alibi a Catholicis conuertãtur; Lutherani verò vix vnũ aut alterum conuerterunt, cum tamen comparent sẽ cũ Apostolis, & Euangelistis, & habeant in Germania plurimos Iudæos, & in Polonia, & Hungaria vicinissimos Turcas. Rectissimè igitur B. Augustinus li. 13. contra Faustum, c. 12. comparat hæreticos cum perdicibus, quæ congregant pullos, quos non pepererunt: cum e cõtrario Ecclesia sit columba fœcundissima, quæ quotidie parit nouos pullos.

CAPVT XIII.

Nota decima.

DECIMA NOTA est SANCTITAS vitæ auctorum siue primorũ Patrum nostræ religionis. Ecclesia n. vera non solũ habet doctrinã sanctam, & efficacẽ, sed ẽt Doctores sanctos, & miraculorũ gloria clarissimos; nũc de probitate, postea de miraculis dicemus.

Iam ergo si quis consideret magistros Ecclesiæ Catholicæ, Primũ patriarchas, & prophetas, deinde Apostolos, tum Doctores, qui contra singulas hæreses dimicarunt, denique institutores ordinum religiosorum, inueniet oẽs tã sanctos, castos, pios, sobrios fuisse, vt aduersarij nihil habeant, quod reprehendãt, nisi nimiam sanctitatẽ, vt B. Augustinus ait de Monachis sui tpis, libro de moribus Ecclesiæ, c. 31. & idem August. lib. 2. in Iulianum de Catholicis Doctoribus ait: *Isti sunt Episcopi, & Pastores docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in latte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac, & cibum paruis, magnisque ministrauerunt: Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatorib. pastoribus, nutritoribus creuit.* Adde, q; Bernardum Dominicum, & Franciscum, sanctos fatentur fuisse, Lutherus c. 2. libro de captiuitate Babilonica, Philippus in Apologia art. 5. & 27. & alij ex aduersarijs.

At Ethnicorum Doctores fuerũt vel Poetæ leues, Pel Philosophi superbi; vtrique aũt impurissimi, nam præcipuos sapientes Græcorum supra modum impudicos fuisse, adeo, vt etiam apud suos essent infames, præcipue propter vitia contra naturã; testis est Athenæus lib. 13. c. 27. & ex nostris Theodoretus libro de legibus & apertè etiam B. Paulus Rom. 1. Mahumeto autem nihil incontinentius fingi potest, nam ipse in Alcorano cap. 43. dicit se à Deo priuilegium accepisse coniungendi sibi omnes fœminas, quas dilexisset, quamuis consanguineæ essent.

De hæresiarchis plurima dici possent, sed vnũ est vitium omnibus commune, superbia. Augustinus libro de pastoribus cap. 8. *Diuersis locis*, inquit, *sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Et certè nulla hæresis inuenitur ex intentione, & per se inuenta, sed per accidens ex aliqua mala occasione, vt solent monstra generari.

De THEOBVTE primo omnium hæreticorum scribit his verbis Egesippus apud Eusebium lib. 4. histo. cap. 22. *Tunc*, inquit, *Ecclesia virgo vocabatur, quia nõdum fuerat adulterini verbi subreptione corrupta: sed Theobutes quidam, quia repulsam meruit Episcopatus, cœpit initio perturbare omnia, & corrumpere.*

Post hunc surrexit SIMON MAGVS, quem constat ex Acto. 8. Episcopalem auctoritatem ambiuisse, & data pecunia emere voluisse. Vbi vero exclusus fuit, hæresim nouam excogitasse, vt qui in Ecclesia nõ poterat salutem extra eam principatum gereret.

Paulò post Simonẽ extitit VALENTINVS, de quo A sic Tertullianus libro contra Valentinianos, nõ procul ab initio, *Sperauerat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio, sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, vt solent animi proprioratu excitati præsumptione vltionis accendi.*

Exoritur deinde MARCION, de quo sic Epiphanius hæres. 42. circa initium: *Aemulatione*, inquit, *elatus, Marcion, vbi non accepit præsidentiam, & ingressum Ecclesiæ, excogitat sibi ipsi consilium* Et infra: *Aemulatione*, inquit, *igitur commotus, & ad magnam indignationem, & superbiã elatus fissurã efficit sibi ipsi hæresim erigẽs, ac dicens: Ego findam Ecclesiã vestram, & mittam fissurã in ipsã in æternũ, & reuera fissurã immisit nõ paruã: sed nõ Ecclesiam fidit, verum seipsum, & eos, qui ipsi obediunt.*

B De MONTANO sic scribit Theodoretus lib. 3. de hæreticis fabul. *Is*, inquit, *ambitione, & primum locum obtinendi cupiditate motus seipsum Paracletũ vocauit, &c.* De NOVATIANO idem scribit ex Cornelio in epistola ad Fabium libro 6. histor. cap. 35. *Refert*, inquit, *q; Episcopatus cupiditate, quam intra se latenter gerebat, in hæc omnia decidit*; SABELLIVS, inquit Epiphanius, hæres. 57. *ad maiorem fastum ac dementiam delatus, se ipsum dixit esse Mosem, & fratrẽ suum Aaron.* ARIVS, vt ait Theodoretus lib. 4. de hæreticis fabul. in principio: *Cum esset relatus in numerum Presbyterorum Alexandrinæ Ecclesiæ, & magnum Alexandrum in pontificali cathedra sedentem videret, inuidia stimulo percitus est, cum q; aduersus eum pugnæ committendæ materiam quæreret, occasionem inuenit dogmatum impietatem.*

C De hæresi Semiarianorum sic loquitur Epiphanius hæres. 73. *Itaque ad contentionem deuenerunt*, inquit, *idem rursus cum sodalibus suis, propter odia quædam & æmulationem humanam, rixantes inter se, & de principatu litigantes.* De AERIO idem Epiphanius hæres. 75. *Cum autem*, inquit, *vemisset Eustachius ad Episcopatũ, Aerius magis concupiscebat, sed non peruenit ad ipsum: hinc oritur æmulatio.*

NESTORIVM scribit Theodoretus lib. 4. hæret. fabularum, magnam partem ætatis egisse aucupando fauorem populi fusca veste, simulato pallore, compositis verbis, donec tandem ad Episcopatum peruenit. De SABBATIO item hæresiarcha scribit Socrates lib. 5. cap. 20. *Quum etiam*, inquit, *adipiscendi Episcopatus desiderio flagrabat.* IOANNEM VVICLEFVM, quia Episcopus esse non potuit, hæresiarcham factum scribit D Thomas VValdens. lib. 2. doct. fid. c. 60.

Eodem modo sectas huius temporis exortas esse ex ambitione, superbia, inuidẽtia, odio, aduersarij certè negare non possunt; nam initium primum omniũ hæresum huius temporis constat fuisse inuidentiam, & ambitionem Lutheri ægrè ferẽtis munus promulgandarum indulgentiarum à sui ordinis Monachis, ad Monachos ordinis Prædicatorum translatum fuisse, vt scribit Ioannes Cochlæus in actis Lutheri anno MDXVII. vnde (vt idem refert paulò post in actis anni MDXIX.) in prima disputatione, quæ Lipsiæ habita est inter Lutherum, & Eckium, exclamauit Lutherus: *Hæc causa nec propter Deũ cœpta est, nec propter Deum finietur.* Idem in epist. ad Argentinenses dicit, se libenter negaturũ fuisse in Eucharistia esse corpus Christi, si Scripturæ non essent tam claræ, quia ea ratione videret se multũ Papatui posse incõmodare.

Idem lib. contra Regem Angliæ tanta superbia iactat se, & sua, vt dicat Reges, Principes, Pontifices, &c. non esse dignos, qui soluant suarum corrigiam calciamentorũ: & se pro sancto viro velle haberi, velint, nolint homines: & se nõ magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos: & in libro de Missa angulari, ut Patrem suũ esse ostenderet eum, qui est Rex supra omnes filios superbiæ, dicit se a Diabolo doctum, quod Missa esset res mala, & rationibus Diaboli conuictũ aboleuis-

aboleuisse Missam. Denique tantus fuit Lutheri fastus, vt etiam a suis tolerari non potuerit: Sic enim de eo scribit CONRADVS Gesnerus in vniuersali sua Bibliotheca: *Illud*, inquit, *non est dissimulandum, virum esse Lutherum vehementis ingenij, impatientem, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre nesciat.* Et infra: *Dominus faxit, ne contentione, & impudentia oris obsit Ecclesiæ suæ, cuius olim crepũdia tam feliciter promouit.*

Tigurini vero Ministri in responsione ad librum, quẽ inscripserat Lutherus cõtra Zvvingliũ, sic aiunt: *Prophetæ*, inquiunt, *& Apostoli Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ, & superbiæ studebãt: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus, quàm minimum verò amici, & paterni animi deprehenditur.* Similes sunt Lutheri discipuli omnes, è quorum libris si iactationes, mendacia, scommata, maledicta, conuitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli per exigui effici possent.

Quod vero attinet ad populũ, sunt quidẽ in Ecclesia Catholica plurimi mali, sed ex hæreticis nullus est bonus, & quamq̃ res ipsa notissima est ijs, qui norunt mores vtrorumque, tñ nõ est contẽnendũ LVTHERI testimonium ab ipsa veritate extortum; is in Postilla super Enang. Dñicæ primæ Aduentus sic ait: *Mundus in dies fit deterior, sunt nũc hões magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab oĩ misericordia remoti, magis immodesti, & indisciplinati, multoq̃, deteriores, quã fuerint in Papatu.* Hæc ille, Testimonium hoc verũ est, cui nõ absimile est testimoniũ Iacobi Andreæ Smidelini in concione 4. super c. 21. Lucæ, cuius concionũ partem hẽs apud Petrũ Canisiũ lib. 1. c. 4. de corruptelis verbi Dei. Inter alia sic loquit de Lutheranis suis Smidelinus: *Vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operib. quidq̃ fidere, illorũ ẽt operum nullũ exercent penitus: Ieunijs loco comessationib. & perpotationib. nocte dieq̃ vacant, vbi pauperib. benigne facere oportebat, eos deglubunt & excoriant, precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes, vdq̃, tam perdite: vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur: Demũ pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio atque hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelicũ dicitur institutũ.* Hęc ille.

Addã & tertiũ testimoniũ ERASMI, qui & res eorum optimè nouerat, & ab eorũ doctrina nõ omnino abhorrere visus est. Is igitur ĩ epist. ad Vulturiũ Neocomum, quam scripsit anno MDXXIX. *Circumspice*, inquit, *populum istum Euãgelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quã faciant ij, quos detestamini: Profer mihi, quẽ istud Euangeliũ ex comessatore, sobrium: ex feroci mansuetum: ex rapaci, liberalẽ, ex maledico, benedicum: ex impudico, reddiderit verecundũ. Ego tibi multos ostendã, qui facti sunt seipsis deteriores.* Vide, si placet, Ioannẽ Cochlæum in præfatione libri de actis & scriptis Martini Lutheri.

CAPVT XIV.

Nota vndecima.

VNDECIMA NOTA est GLORIA miraculorum: sunt autẽ duo fundamenta præmittenda. Vnũ, q̃ miracula sint necessaria ad nouam fidem, vel extra ordinariam missionem persuadendam. Alterum, q̃ sint efficacia, & sufficientia: nam ex priore deducemus non esse apud aduersarios veram Ecclesiam: ex posteriore deducemus eam esse apud nos.

Quod igitur miracula sint necessaria, probat PRIMO Scripturæ testimonio. Exod. 4. cum Moses mitteretur a Deo ad populũ, ac diceret: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*, non respondit Deus, debẽt credere, velint nolint, sed dedit illi potestatẽ faciendi miracula, & ait: *Vt credant, q̃ apparuerit tibi Dominus, &c.* Et in nouo Testamento Mat. 10. *Euntes, prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

PRÆTEREA qui mittitur, dẽt ostẽdere testimonio eius a quo mittit, suam auctoritatẽ, alioqui nemo tenetur eũ recipere; ois autem, qui mittitur ad p̃dicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios p̃latos, vel extraordinarie a solo Deo: & quidem qui mittitur per ordinarium p̃latum, debet ostendere testimoniũ ordinarij p̃lati, nimirum literas eius sigillo munitas; q̃ vero mittitur a solo Deo, dẽt ostendere sigillum Dei, qnod nihil est aliud, quam miraculum. Sic enim dicitur Marc. vlt. *Illi verò profecti prædicauerunt vbiq̃; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentib. signis.* Et Heb. 2. *Contestante Deo signis, & virtutibus.*

DENIQVE, adeo est hoc verũ, vt non solũ B. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8. dicat miracula fuisse necessaria, vt mundus crederet, sed etiam Philippus Melanchthon id concedat. nam in c. 3. Mat. dicit, quãdo magnæ sunt tenebræ, vocari nouos Doctores, & semper addi a Deo miracula, ut certo sciam⁹ a Deo eé missos.

Iam quod attinet ad SECVNDVM, q̃ miraculum est testimonium sufficiẽs, & ubi est verum miraculum, ibi sit vera fides, facile probari potest; si quidem vera miracula nõ possunt fieri, nisi Dei virtute, dicitur. n. miraculum, quod superat vires omnium creaturarũ, & ideo omnib. creaturis est mirabile, & propterea ẽt in Scripturis dicuntur testimonia Dei, vt supra vidimus; quare, quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur, Deus autẽ non potest esse testis mẽdacij, igitur quod miraculo confirmatur, verũ sit necesse est. Neque repugnat, quòd vera miracula non semper fiunt ad confirmãdam fidem, sed interdum ad illustrandam Sanctorum vitam: nam cum miracula fiunt ad gloriam alicuius sancti demonstrandã, illa miracula ostendunt eum hominem vere esse sanctum. Cum autem nemo sit vere sanctus sine vera fide. *Quia iustus ex fide viuit*, Hebr. 10. eadem miracula ostendunt, & confirmant veram fidem.

His iactis fundamentis facile erit colligere apud Ethnicos, Turcas, Iudæos, Hereticos non esse veram fidem, nulla sunt enim apud eos vera miracula, & tamen omnes illi nouam doctrinam prædicant, & non sunt missi ab ordinarijs prælatis.

De PAGANIS notum est, nã solum leguntur q̃dam leuia, quę facillimè arte dęmonis fieri possunt, qualia sunt quæ refert Valerius Maximus li. 8. de statuis, de brutis loquentib. deq̃; Virgine Vestali aquam cribro hauriẽte, & M. T. de augure, qui nouacula cotem scidit, lib. 1. de diuinat. quæ omnia quomodo a dęmonibus facillimè fierent, ostendũt, Tertullianus in Apolog. c. 22. & 23. & B. Aug. lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 16.

De IVDÆIS post Christi aduentum notum est, non habuisse eos ulla miracula, & id unum de piscina, quod adhuc durabat Christo prædicante, postea interijsse.

De MAHVMETANIS testatur Damascenus lib. de centum hæres. circa finem, Mahumetum nullo testimonio probare potuisse suam legem. Et in Alcorano ipse fatetur Christo miracula, sibi gladium esse datum: tamen capit. 64. dicit, tantum semel in luna nescio quod miraculum fecisse, non enim clare explicat; expositores autem dicunt aliquando lunam in duas partes fuisse diuisam, tunc Mahumetum eam in manus accepisse, & reparatam ad cœlum remisisse, sed neminem fuisse, qui uideret hoc miraculum, nisi auctorem, id est, Mahumetum.

De FALSIS Prophetis, & hereticis non minus est certum, eos & sæpe miracula facere cõatos, & semper

per spe sua esse frustratos: Nota est historia Prophetarum Baal, qui ignem de cœlo deducere voluerunt per inuocationem Baal: nec tamen potuerunt; quod tamen verus Propheta Helias per inuocationem veri Dei nullo negocio effecit. vide lib. 3. Reg. c. 18.

Pari ratione delusum SIMONEM MAGVM scribit Egesippus lib. 3. de excidio Hierosol. c. 2. nam & mortuum excitare, & per aerem volare tentauit, sed nihil ei successit. MANICHÆVM frustra conatum filio Regis ægrotanti sanitatem afferre scribit Epiphanius hæresi 66. CYROLAM Patriarcham Arianorum planè excæcasse miserum quendam, qui se cæcum finxerat, & ab eo præsidium implorabat, scribit Gregorius Turonicus lib. 2. hist. Francorum, c. 3. Eunomianum quendam a S. Machario victum in contentione de suscitatione hominis mortui, scribit Ioannes Cassianus collat. 15. c. 3. POLYCHRONIVM Monothelitam frustra sudasse in excitatione alterius cuiusdam defuncti, testantur publica acta sextæ Synodi, act. 15.

De DONATISTIS, quòd cõtra se miracula fecerint, dum amptullam Chrismatis proiecerunt in saxa, quæ Angelica manu sustentata frangi non potuit, & dum Eucharistiam canibus dare voluerunt, & ipsi ab ijsdem canibus discerpti sunt, scribit Optatus lib. 2. contra Parmenianum.

De TIMOTHEO Aeluro Eutychiano scribit Theodorus lector. li. 1. collectaneorum, per multas noctes eum habitu nigro indutum per cellas Monachorum discurrisse, dicentem se esse Angelum a Deo missum, vt illis significaret, ne Proterio (is erat vir sanctus, & Catholicus Eps Alexandriæ) communicarẽt: sed eius loco Timotheũ Aelurum Episcopum designarent.

De quodam Iconomacho scribit Paulus Diaconus lib. vlt. rerum Romanarum, eum in sepulchro quodã inclusum, inde Constantinum Iconomachum laudibus in cœlum vehere cœpisse, vt nimirum ita quasi mortuorum responsis hæresis confirmaretur.

De nostri seculi hæreticis idem oĩno constat. Nam in primis LVTHERVS bis tẽtauit miraculũ facere: voluit aliquando de quadam discipula sua Diabolũ eijcere, sed periculũ fuit, ne ipse a Demone occideretur. Vide Staphylũ, qui interfuit, in absoluta respõsione.

Rursum, (vt scribit Ioannes Cochlæus in actis Lutheri anno MDXXIII.) Nesenũ in Albi misere submersum, spe miraculi Lutherus vanis immurmurationib. frustra in vitam reuocare tẽtauit. Sed quamuis viuenti miracula nõ successerint, idem tamẽ post mortem miraculo insigni claruit: nam eius cadauer cum deferretur in media hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies cõseruari solent, & esset inclusum in arca stãnea optime clausa, vt VVittembergæ sepeliretur, tam tetrũ odorem spirare cepit, vt nemo eũ ferre potuerit: Proinde coacti fuerũt corpus relinquere ĩ itinere. Vide historiolã de morte Lutheri, q̃ solet annecti lib. Cochlei de vita, & actis eius. Lutheri.

Aliud miraculum refert Felicianus Ninguarda in libro contra Annam Burgensem, & Lindanus in Dubitatio, & Alanus Copus lib. 6. Dialogorum cuiusdã Ministri, qui in finibus Poloniæ & Hungariæ anno MDLVIII. excitare voluit hominem nomine Matthæum, quem ipse persuaserat, vt se mortuum fingeret, & reuera mortuũ effecit. Simile narratur de Caluino ab ijsdem, sed fusius a Hieronymo Bolseco in vita Caluini, c. 13. ex quo hic pauca inserere placuit.

Præterire, inquit, non debeo vafram eius & subtilem machinationem, qua tum vsus est, cum quendã, cui Bruleo nomen, & Patria Ostunum, in vitam reuocare cogitaret, moliretur q̃, vt sancti atque glorioſi Dei Prophetæ, miraculorum q̃ patratoris nomen sibi, & famam pararet. Historia talis est, is, quem dixi, Bruleus Ostuno Geneuã demigrarat, & cum inops esset ipse, & vxor eius, Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati, peculij paupe-

rum fierent participes. Eis Caluinus vitæ subsidia benigne pollicetur, si ipsi contra suam operã sibi nõ negarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: sed opus esse fide, et magna taciturnitate. Vicissim illi ad id quod iubere vellet promptos se offerunt, & quemadmodum a Caluino instructus fuerat, miser hic Bruleus morbum simulat. Ministri pro concione populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemosynis paupertati succurrerent: non diu post personã mortui induit, & mortuum se simulat. Hic Caluinus clam admonitus, quasi tum omnium rerum ignarus deambulatũ prodit: sed comitatus magna caterua amicorum: post quam eo ventum esset, vbi clamores, & eiulatus vxoris, quæ miserrimam, & desolatam egregie exprimebant, exaudiret, quidnam hoc esset, scisciatus, domũ ingreditur, vbi in genua ipse, & reliqua caterua, puoluitur, precibusq̃ alta voce profusis Deum obtestatur potentiam suam ostendere & mortuo huic vitã restituere, gloriamq̃ suam sic vniuerso populo declarare vellet, simulq̃ manifestum facere se (Caluinum) peculiarem, sibiq̃ gratum seruum esse, & a se ad Euangelici sui ministerij atq; Ecclesiæ reformationem singulariter, & vere vocatum: post quas preces ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehẽsa in Dei nomine imperat, vt se erigat: repetit iterum, sæpiusq̃ eosdem sermones voce etiã altius eleuata. Quid fit? neque audit, neq; loquitur, neque se cõmouet mortuus: iusto. n. iudicio, qui fucos, mendacia q̃ detestatur, is qui se mortuum simulabat, uerè esse mortuus repertus est. Et vxor, quidquid eum agitaret, quomodocunque impelleret, neque uocem extorquere, neque vt se commoueret, efficere potuit: sed totus frigebat, rigebat totus. Quo animaduerso plorare, vlulatus serio edere, & ex animo cœpit vxor, & in Caluinum inuecta, impostorẽ eũ, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem, quo modo erat gesta, clara elataq̃ voce exposuit. Et infra: *Negent hoc quantũ velint Caluini mancipia, exploratum & cognitum satis fuit, veritasq̃ rei probata, immò per ipsamimet vxorem confirmata.*

Possumus ergo his opponere quod ait Tertullian⁹ in lib. de præscript. *Si alium Deum prædicant, cur eundem, rebus, & literis vtuntur, contra quem prædicant? si eundem, quomodo aliter? alioqui probent se nouos Apostolos: dicant Christum iterum descendisse, & dedisse eis virtutem eadem signa edendi. Volo igitur*, inquit, *virtutes eorum proferre, nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur: illi enim de mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.*

RESPONDET Caluinus in præfat. instit. & alij, nos iniuriã eis facere, quod ab eis miracula exigimus, cũ ipsi doctrinam antiquam, & innumeris miraculis ab Apostolis, & Martyribus, confirmatam prædicent.

At CONTRA: nam ostendimus supra doctrinã eorum esse nouam, & pugnantem cum tota antiquitate: deinde constat eos saltem aliter docere, quam doceant ordinarij pastores Ecclesiæ, constat etiam eos non missos ab ordinarijs pastorib. ergo non tenemur eos recipere, nec tutò possumus, nisi suam missionẽ, & Apostolatum probent diuino testimonio.

RESPONDET, Ioãnem quoque Baptistam missum extraordinarie, & tamen signum nullum feciſſe; vt dicitur Ioan. 10.

AT quamquã Ioannes ipse non fecit miracula, tamen in eo facta sunt a Deo multa, & magna: Primũ quod natus de anu, & sterili; deinde q̃ pater eius obmutuit, & postea soluta est lingua eius in natiuitate filij: quod in vtero exultauit: qđ a puero in desertis locis vixit. Luc. 1. deinde Ioãnes erat filius Sacerdotis, & pinde Sacerdos, & ordinarius minister. Præterea nihil docuit contra cõem doctrinam, neq; se a ceteris sacerdotibus & populo separauit. & quanquã Principes, & Pharisæi eum odissent, quia Christum prædicabat, tñ inter rogati a Christo Matt. 21. quid sentirẽt de Baptismo Ioãnis, non sunt ausi illum improbare.

Deni-

Denique Iosephus lib.18.antiquit.c.10. testatur Ioã- A nem a Iudæis habitum inter præcipuos viros, iustitię & probitatis caussa. Vnde mendacium est, quod Centuriatores dicunt, Cent.1.lib.1.c.10.col.363. Ioan.habitum a Sacerdotibus, & Pharisæis pro hæretico.

Veniamvs nunc ad alteram partem, ac nostram Ecclesiam esse veram Dei Ecclesiam demonstremus ex miraculis, quæ singulis ætatib. habuit plurima, & testatissima: Ac Primvm de vndecim primis seculis planum est ex XI. tomis hist. Eccles. Magdeburgensium: In singulis.n. Centurijs illis, c.13. annotant ex auctorib. illorum temporũ oĩa miracula, & in singulis seculis inueniunt miracula plurima in confirmationem dogmatum nostrorũ, vt confessionis Sacramentalis, reliquiarũ, imaginũ, Eucharistiæ, pontificatus, monachatus, inuocationis sanctorum &c. ipsi.n. B hos titulos ponunt, & quãuis postea subiungant, illa omnia fuisse dæmonum illusiones, vel falsas narrationes: tamen nihil afferunt, quo id probent, nisi quod ea miracula pugnant cum Euangelio Lutheri.

Proderit tamen breuiter annotare, qũo oĩb. seculis Ecclesia miraculis claruerit, vt ẽt nunc intelligamus eam esse veram Ecclesiam, quæ antiquæ similis est. i. in qua durat hoc donũ. Primo seculo habemus miracula Christi, & Apostolorum in Euangelijs, & actis.

Secvndo seculo habemus miracula Christianorum militum in exercitu M. Antonini, de quo vide Tertul. in lib. ad Scapulam, & in Apolog. c.5. Euseb. lib.5. hist. c.5. & Oros. lib.7. hist. c.15. & ipsam epistolam Imperatoris ad Iustini opera adiunctam. C

Tertio seculo habem⁹ miracula Gregorij Thaumaturgi, de quib. vide Basilium libro de Spiritu sancto, cap.29. Gregorium Nyssenum in vita eius. Hieronymum de uiris illustribus, & Eusebium ex uersione Ruffini lib.7. cap.25.

Qvarto seculo habemus miracula Antonij, Hilarionis, Martini, Nicolai, & aliorum, scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, & alijs.

Qvinto seculo hẽmus miracala plurima, quę describit Aug. facta suo tẽpore, lib.22. de ciuit. Dei, c.8.

Sexto seculo habemus miracula, quæ narrat Gregori⁹ in dialogis, ubi narrat duo facta a Romanis Põtificibus, Ioanne, & Agapeto, lib.3.c.2.&3.

Septimo seculo miracula facta in Anglia a S. Augustino, & socijs, de quibus Gregorius lib.9. epist.58. & Beda lib.1. hist. c.13. Item ab Osualdo Rege per li D gnum crucis lib.3. cap.2.

Octavo seculo miracula S. Cuthberti, & S. Ioannis in Anglia, teste Beda lib.4.&5. hist.

Nono seculo miracula Tharasij, scripta ab Ignatio Niceno. Item alia innumerabilia oĩs generis facta in ciuitate Suessionensi in trãslatione reliquiarum sancti Sebastiani Martyris, quæ facta est anno Domini DCCCXXVI. de qua uide annales Francorum, scriptos summa fide ab auctore, qui illo ipso tpe floruit.

Decimo seculo miracula S. Romualdi, scripta a B. Petro Damiani. Item VVenceslai Regis Boemorũ, S. Vdalrici, & S. Dunstani, de quib. uide Surium.

Vndecimo seculo miracula S. Eduardi Regis & Virginis, S. Anselmi, Gregorij Papę VII. & aliorum. Post illa undecima secula. E

Dvodecimo seculo claruerunt in Ecclesia Catholica miraculis B. Malachias, & B. Bernardus. De Malachia Episcopo legato Pont. Rom. sic scribit Bernardus in uita eius, posteaquam narrauit multa eius miracula: *Quo*, inquit, *antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? si bene aduertimus pauca ipsa, quæ dicta sunt, non prophetia defuit illi, non reuelatio, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum suscitatio.*

Beatus autem Bernardvs Monachus, & pater Monachorũ, ac Romanis Pontificib. addictissimus, plurib. miraculis claruit, quam ullus Sanctorũ, quorum uitæ scriptæ exstant: nam una die in Cõstantiẽsi diœcesi constat eum illuminasse cęcos undecim, curasse mancos decem, & claudos decem & octo, ut scribit Gotfridus, qui cum ipso uixit, lib.4.c.4. uitæ eius, & præterea omnes quinque libri plenissimi sunt miraculis, ut difficile sit eorum numerum inire.

Decimo tertio seculo claruerũt in Ecclesia Catholica multi, sed præcipue B. Frãciscus: cuius uitam miraculis pleniss imam scribit B. Bonauentura: Item B. Dominicus, cuius uita, etsi negligẽtius scripta fuit, tamen constat eũ tres mortuos excitasse: Claruerunt eodem seculo miraculis B. Petrus Martyr, & B. Thomas ex ordine Prædicatorum, & B. Antoninus, ac B. Bonauentura ex ordine Minorũ, de quibus uide Antoninum 3.par. hist. tit.23. & 24. & ad finẽ eius seculi claruit miraculis plũrimis S. Celestinus V. Pontifex Romanus tam ante Pontificatum, quam postea, ut scribit in eius uita Petrus Cardinalis Cameracensis.

Decimo qvarto seculo claruerunt miraculis etiam multi, sed præcipue S. Bernardinus, S. Catharina Senensis, S. Nicolaus Tolentinas, de quibus uide Antoninum, ubi supra.

Decimo qvinto seculo claruit S. Vincẽtius uiu⁹, & mortuus miraculis plurimis, adeo ut B. Antonin⁹ 3.par. hist. tit.23. dicat, constare de XXXVIII. mortuis per eum excitatis. Idem B. Antoninus eodem seculo miraculis claruit, cui⁹ uita exstat apud Surium.

Denique hoc nostro seculo claruit ĩ primis S. Frãciscus de Paula plurimis miraculis, ut in Bulla Canonizationis scribit Leo X. Pont. quæ Bulla exstat apud Surium, claruit etiam in Indijs omni genere miraculorum beatus pater Franciscus Xauerius Societatis Iesv Presbyter; Constat enim ex Indicis literis, quas ij, qui cum eo uersabantur, huc miserunt, ab eo paralyticos, surdos, mutos', cęcos esse curatos, mortuum quoque ad uitam reuocatum, & cum mortuus deferretur ad insulam Goam ex Malacca, maris tempestatem sedatam, denique corpus eius post XV. menses a morte integerrimum, & suauiter olens repertum, cũ tamen iacuisset per multos menses calce obrutum; nec dubium est, quin usque ad hanc diem integrum & incorruptum conseruetur.

Conferantur ista cum Lutheri uita, & morte; Lutherus deserit monasterium, ducit uxorem post uotũ continentiæ, bellum indicit Papæ; Franciscus ingreditur ordinem religiosum, seruat diligentissime uotũ continentiæ; obligat se Papæ uoto obedientiæ peculiari, & ab eo missus in extremas mundi oras proficiscitur. Certè isti contrarijs itinerib. incedunt, ut necesse sit alterum eorum aberrare a recta uia. Quis poterit melior esse iudex, quam Deus, qui scrutatur renes & corda? Quomodo autem potuit Deus apertius sententiam suam explicare; quam tribuendo uni donum singulare miraculorum, & conseruando corpus eius præter naturæ ordinem perpetuo incorruptum, cum interim alter ne unam quidem muscam excitare potuerit, & corpus eius præter naturæ etiam ordinem subito putrescere cęperit, idq; in hyeme, quando gelu omnia rigebant, & ita putrescere, ut intra arcam stanneam fętor contineri nequiuerit?

Merito igitur Augustinus libr⁹ de utilitate credẽdi, c.17. & lib. contra epist. fundamenti, c.4. dicit, se teneri in Ecclesia uinculis miraculorum; & Richardus de S. Victore lib.1. de Trinit. c.2. audet dicere; *Domine, si error est quod credimus, a te decepti sumus: ista enim in nobis ijs signis & prodigijs confirmata sunt, quæ non nisi a te fieri potuerunt.*

Sed respõdet Calvinvs in præfatione Institutionis, & Magdeburgenses in singulis ferè Cẽturijs, miracula Sãctorum nostrorum uel esse ficta, uel imaginaria, id est, uel non ita res contigisse, & falsò narrar

ab hi-

ab historicis, uel si contigerunt, esse præstigias dęmonũ. Quocirca Magdeburgenses cẽt. 5. c. 10. col. 1393. dicunt, si uera sunt, quæ de miraculis B. Martini scribit Sulpitius, B. Martinum sine dubio fuisse nec romanticum: & quidem esse hæc miracula ficta, non probant, sed dicunt solum.

Fuisse autem dęmonum præstigias, ex eo probare nituntur, quod uera miracula confirmant Euangelium, Marci ultimo; ista autem euertunt Euãgelium & confirmant idololatriam. i. reliquiarum, & imaginum cultum, Sanctorum inuocationem, Missam, & alia id genus. Addunt secundo, ex miraculis non sumi argumentum firmum ad probãdam ueram fidẽ, id quod probant quatuor argumentis. PRIMO, quia etiam Antichristus faciet signa, & prodigia magna, Mat. 24. Apocalyp. 13. & 2. Thessal. 2.

SECVNDO, quia August. tract. 13. in Ioã. dicit, non esse credendum Donatistis etiamsi miracula faciant; ubi per contemptũ uocat eos mirabiliarios; & lib. de unit. Eccles. c. 16. postquam docuit nõ esse credendũ miraculis Donatistarum, addit, nec etiam miraculis Catholicorum: *Quacunque*, inquit, *talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia hæc in ea fiunt.*

TERTIO, quia olim ad sepulchrum Hieremiæ fiebant miracula, opera Dæmonum. quod inde patet, quia fiebãt in eorum utilitatem, qui Hieremiam pro Deo, sacrificijs, diuinisque honoribus colebant.

QVARTO, quia ex Suetonio constat, Vespasianum Imperatorem cęco lumen, & claudo gressum aliquando reddidisse. Item ex Socrat. lib. 7. histo. c. 17. proferunt Centuriatores Magdeburgenses Centu. 5. c. 13. col. 1463. miraculum Pauli Episcopi Nouatiani: nec tamen, inde colligere licet ueram fuisse religionem, quam Vespasianus, aut Nouatiani colebant.

Sed respondeamus ad singula. Ad PRIMVM cum negant facta esse miracula, quæ a nostris referuntur, RESPONDEO, impudentissime negari; stultum. n. est credere potius Caluino, & Illyrico de historijs antiquis, quibus non interfuerunt, quam Bernardo, Bonauenturæ, Antonino, qui interfuerũt. Præterea, ut sanctus Augustinus respondit Paganis negantib. historias miraculorum nostrorũ lib. 10. de ciuit. Dei, c. 10. si liceat absque ulla ratione negare facta olim miracula, peribit fides omnium librorum, & tolletur non solum nostra, sed ẽt oĩs alia religio: oẽs. n. qui Dij habẽtur, opib. mirabilib. a doctis uiris conscriptis, diuinitatẽ suam, siue uerã, siue falsam, mundo persuaserũt.

Ad SECVNDVM, cum dicunt esse pręstigias Dęmonum, RESPONDEO, in primis hanc esse ueterem calũniam; sic. n. Scribæ, & Pharisæi loquebantur de miraculis Christi, Mat. 12. & Pagani de miraculis martyrum, quos magos, & necromanticos uocare solebant; Et Ariani, Eunomiani, Vigilantiani de miraculis Catholicorum, ut testantur Ambrosius in serm. de SS. Geruasio, & Prothasio, Hieronymus contra Vigilantium, & Victor. lib. 2. de persequutione VVandalica. Deinde nullam habet probabilitatem, quòd SS. Martinus, Frãciscus, & alij quidã, qui simpliciſſimi erant, magica arte uterentur.

Sed, inquiunt, ista miracula euertunt Euãgelium, Respondeo, uerum est, sed Caluini, non Christi; uel probent ipsi quod tam audacter affirmãt. Nec minus facile refelluntur illa argumenta postrema, quibus probant, miracula non facere certam fidem.

Ad PRIMVM respondeo, miracula Antichristi fore mendacia, ut Apostolus dixit 2. Thessal. 2. ideſt, nõ uera, & solida, sed apparentia, uel mirabilia hominib. non tamen absolutè miracula, qualia arte Dęmonis fieri possunt. id patet ex Apocalypsis c. 13. ubi pro maximis Antichristi miraculis ponitur, quod faciet ignẽ de cœlo descendere, & ut imago bestiæ loquatur, hęc autem facillima esse Diabolo, palam est: At miracula Sanctorum sunt illuminationes cæcorum, curationes claudorum, excitationes mortuorum: quæ non nisi eius uirtute fieri possunt, de quo canimus in Psal. 135. *Qui fecit mirabilia magna solus.*

Ad SECVNDVM dico, miracula Donatistarũ, quæ Augustinus cõtemnit, non fuisse miracula talia, qualia Sanctorũ sunt, sed occultas quasdam visiones tantum, quas sine vllo teste iactabant se uidisse; qualis fuit visio Zvvinglij, qui in libro, qui inscribitur subsidium de Eucharistia, dicit se uidisse spiritum, sed nõ potuisse discernere, esset ne albus, an niger; qualis est etiam visio, quæ narratur in libro, qui inscribitur que rela, uel somnium Lutheri, ubi Lutherus narratur apparuisse quibusdam Lutheranis tristique vultu conquestus, quod tam se, quam doctrinam suam discipuli sui breui essent deserturi. Itaque non sine causſa ea miracula S. Augustinus uocat fabulas.

Quod autem Augustinus maximi faciat uera miracula, patet ex libro 22. de ciuitate Dei, capit. 8. ubi contra Paganos adducit miracula maxima, facta ad reliquias Sanctorum, præcipue Stephani Protomartyris.

Ad id, quod Augustinus dicit, Ecclesiam non demonstrari ex miraculis, sed ex scripturis, Respondeo, Augustinum contrario modo loqui in libro contra epistolam fundamenti, cap. 4. & 5. ubi dicit, Ecclesiã demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis, immò Scripturas demonstrari ex Ecclesia. Ne igitur secum pugnet, dicendum est, in utroque loco eum loqui ex hypothesi. quia enim Manichæi admittebant miracula, & negabant Scripturas; nam ueterem dicebant esse a Diabolo, nouam dicebãt esse totam corruptam a falsarijs; Augustinus in libro contra epistolam fundamenti Manichæorũ, ex miraculis demonstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat Scripturam. Sed quia Donatistæ credebant Scripturæ tam ueteri, quam nouæ, & iactabant suas visiones, contemnentes miracula Ecclesiæ, ideo Augustinus contra Donatistas alia via procedit, & ex Scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam uult iudicari de miraculis.

EST AVTEM obseruandum, recte demonstrari ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesia miracula, sed diuerso genere demonstrationis; quemadmodum ex effectu demonstratur causſa, & ex causſa effectus: nam ex miraculis demonstratur Ecclesia, non quoad euidentiam, uel certitudinem rei, sed quoad euidẽtiam, & certitudinem credibilitatis. Cuius rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiæ, non est euidens aut certum certitudine fidei de vllo miraculo, quod sit uerum miraculum; tamen est tale, vt euidenter faciat rem credibilem: Et quidem, quod non sit euidens, patet, quia tunc fides esset euidẽs; quòd non sit certum certitudine fidei, patet, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem Dęmonis: Dęmon enim etsi non potest facere uere miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quæque.

Cur ergo (INQVIES) tenebantur credere Christo prædicãti, qui eius miracula uidebãt? RESPONDEO, quia homo nõ potest saluari sine fide Christi: & ideo tenetur accipere eam fidem, vt medium ad salutem suam necessarium. Noluit autem Deus obligare homines, vt crederent incredibilia, sed solum quando per miracula, & similia motiua fides facta est credibilis; At ex Ecclesia demonstratur miraculum, quoad certitudinem rei, quia, quando Ecclesia declarat miraculum factum, esse uerum miraculum, certi sumus ita esse.

Ad TERTIVM dico, mẽdacium esse Caluini, quod populi coluerint Hieremiam sacrificijs, diuinisque

honoribus;nam nullum testem adducit huius rei, ni- A quod in margine ponit (Hieronymus præfatione in Hieremiam)Ceterum,neque in præfatione Hieronymi in Hieremiam a se translatum,neq; in præfatione commentariorum Hieremię vlla mentio fit huius historiæ. Præterea exstat alia quædam præfatiuncula in Biblijs Benedicti, Hieremiæ præfixa, ad quam videt Caluinus respexisse; sed ea non est Hieronymi, neq; in ea fit mentio sacrificiorum, diuinorumque honorum; sed solum, quod miracula facta sint ad sepulcrũ eius. Denique Epiphanius & Isidorus in vita Hieremiæ,dicunt quidem miracula facta; sed de sacrificijs, diuinisq; honoribus nihil dicunt.

Ad QVARTVM respondeo,nec cęcum vere,nec vere claudum a Vespasiano esse curatum: nã, vt scribit Cornelius Tacitus li.4. histor.interrogati Medici, an B morbi duorum illorum curabiles essent;responderũt esse curabiles; *Medici*, inquit,*varia disserere, huic non exesam vim luminis, & redituram, si pellantur obstantia,illi elapsos in prauũ artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari.* Igitur mirum non est,si morbi curabiles naturaliter,opera Diaboli curati fuerint. ADDE, quod, vt Tertullianus docet in Apologetico, cap.22. credibile est totum illum morbum fuisse a Diabolo, qui insidens in oculo vnius,& alterius tibia, impediebat vsum eorum membrorum:idq; eo fine, vt videretur sanare,cum desineret nocere.

Ad POSTREMVM de miraculo Nouatiani respondeo,miraculũ factum esse non in confirmationem fidei Nouatiani,sed Catholici Baptismi;id.n. pro miraculo scribit Socrates,quod cum ad Paulũ Episcopum C Nouatianum venisset quidam Iudæus impostor, vt ab eo baptizaretur,&apud se Baptismũ irrideret,continuo tota sacri fontis aqua euanuit;At non fuisse hoc miraculum Nouatiani erroris,sed veri Baptismi,perspicuum est ex eo,quod idem Socrates subiungit,cognitum paulo post fuisse,eum Iudæum iam antea baptizatum ritu Catholico ab Attico Episcopo Constãtinopolitano. Itaq; Deus,quia noluit irrideri Baptismum in Ecclesia rite susceptum,non permisit impostorẽ Iudæum, ab hæretico Episcopo iterũ baptizari.

CAPVT XV.

Nota duodecima.

DVODECIMA NOTA est LVMEN propheticũ;sicut D enim Christus Matt.vlt. promittit Ecclesiæ donum miraculorum,ita etiam Ioel.2.exponente Petro Actor.2. promittit donum prophetiæ, quod certe est maximum;cum certum sit,neminem cognoscere futura contingentia,excepto Deo,Isaiæ 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus,quia Dij estis vos.* Et è contrario Deut. 18. ponitur tanquam nota falsæ doctrinæ,si Propheta prædixerit aliquid,& non euenerit.

Iam apud Ethnicos & Hæreticos nulla fuerunt vera vaticinia, sed multa falsa, nisi fortæ fierent in testimonium nostræ fidei,vt fuerunt vaticinia Sybillarũ, & Balaam. Etsi enim Ethnici habuerunt plurima oracula Apollinis,tamen illa,vel per ambages respondebant,quando scilicet Apollo non sciebat reuera,qd E esset futurum;vel ea prædicebant, quæ Dæmones ipsi facturi erant;vel ea,quæ cœpta erant fieri,ignorantibus nunciabant tanquam futura;vel demum ea prędicebant, quæ naturales habent causlas nobis ignotas, illis autem notas propter maiorem naturæ subtilitatem.de qua re vide S.Athanasium,in vita S.Antonij,S.Augustinum lib.de diuinatione Dęmonum,& Theodoretum libro de oraculis.

Hæretici quoq;,quotiescunq; aliquid prædicere voluerũt,decepti sunt:id patet de falsis Prophetis in Testamẽto veteri,3.Reg.22.Temporeãt noui Testamẽti fuit olim Montanus, qui Propheta videri voluit cũ duabus Prophetissis Prisca & Maximilla, & prædixerunt bella,& nescio quæ alia tũc futura:sed plane cõtrarium accidit,vt notat Eusebius li.5.c.16.& 18. Nostris temporib.Lutherus, quem Lutherani constãter Prophetam Germanicum,& Heliã vocant, apud Cochlæum in actis Lutheri, anni MDXXV. prædixit fore, vt, si ipse adhuc per duos annos suã doctrinã prædicaret,euanescceret Papa, Cardinales,Episcopi, Monachi,Moniales,turres, campanæ, Missæ, &c. & tamen prædicauit postea non duos,sed fere XXII.annos;obijt.n. anno MDXLVI. & tamen non euanuit Papa,Cardinales,Episcopi,Monachi, &c. Ibidẽ Cochlæus refert de Thoma MVNCERO, qui se Gedeonẽ vocabat,& infinitos rusticos armauerat contra Principes Germaniæ, quod prædixerit certam victoriam suis, & se in manica excepturum omnes globos tormentorum bellicorum,& tamen paulo post cęsi sunt fere omnes rustici,& Thomas captus, & securi percussus.Idẽ Cochlæus in actis Lutheri,anni MDXXXIII. scribit, tam constanter asseruisse Lutheranorum Prophetas,illo anno futurum diẽ vltimi iudicij,& ipsum etiam diem designasse, vt multi nec arare, nec serere voluerint;qui tamen mendaces inuenti sunt.

At in Ecclesia Catholica præter Prophetas Testamenti veteris,& eos,qui fuerunt primis quingẽtis annis Christi aduentu,vt Agabum,de quo Act. 11. & Gregorium Thaumaturgum,de quo Basilius libr.de Spiritu sancto,c.29.& Antonium,de quo Athanasius in eius vita, & Abbatem Ioannem, de quo Augustinus li.5.de ciuit.Dei,ca.26.fuerunt etiam posterioribus seculis, quibus iuxta Lutheranos perierat apud Romanos Ecclesia,veri Prophetæ, & quidem Monachi, ac Romano Põtifici addicti.De S. Benedicto ita scribit Gregorius li.2.Dialog.cap.15. *Benedictus*, inquit,*Regem de suis actibus increpauit,atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant euentura, prænunciauit dicens;Multa mala facis,multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris.* Quæ omnia completa se vidisse,ibidem Gregorius testatur.

De S.BERNARDO scribitur in eius vita lib.4.ca.3. eum quatuor hominibus prædixisse conuersionẽ,tribus de ea nihil cogitantibus, quarto etiam ab ea se alieniſſimo; quæ omnia, sicut prædixerat,euenerunt: Sed mirabile est prorsus,quod ibidem de nobili quodam viro narratur;nam cum pro eius conuersione,vt S. Bernardus oraret, quidam illius filius peteret; respondit Sanctus: *Ne timeas, ego illum probatum Monachum in hac Claraualle sepeliam.* Quot sunt in hac vna sententia vaticinia? nam & Monasticum illum aliquando futurum, & in ordine monastico vsque ad mortem perseueraturum; & sancte ac pie diem extremum clausurum, idq; ante ipsum Bernardum,& in Claraualle,& ipsius Bernardi manibus sepeliẽdum; sex vaticinia sunt inter se diuersa;& omnia tamẽ,nec sine singulari Dei prouidentia,impleta.Sic enim auctor pergit: *Et perfectus*, inquit, *Monachus factus est, & a Patre sancto (sicut ipse prædixerat) in Claraualle sepultus: tanquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, & celeberrimũ, immo cõtinuũ resp̃sum mortis in seipso habens,sustinuit donec Pater sãctus rediret,q, vt olim promiserat,eũ trãderet, sepulturæ.*

S.FRANCISCVS (vt scribit in eius vita B. Bonauentura)cum Christianus exercitus certo die cum Saracenis pugnaturus esset, admonuit Duces, ne eo die pugnarent:sibi enim a Deo reuelatum, victoriam hostibus eo die cessuram: Sed cum contemnerent Duces beati Francisci monita, cæsi, fusiq; sunt Christiani inaudita strage. Addi possent multa alia eiusdem generis: fere enim nulli coluntur in Ecclesia sancti ho-

homines, qui simul cum miraculis, non etiam dono clarauerint. Sed hæc pauca hoc loco sufficiant.

CAPVT XVI.

Nota decimatertia.

DECIMATERTIA NOTA est CONFESSIO aduersariorum: Tãta. n. est vis veritatis, vt etiam aduersarios cogat interdum sibi testimoniũ dare, iuxta illud Deut. 32. *Non. n. est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sint iudices.* Iam nusquam inueniuntur Catholici, laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam vllorum Ethnicorum, aut hæreticorum. Scimus. n. vnã tantum esse veram fidem, & sine ea nullam esse verã iustitiam. Itaq; nos constanter asserimus, errare omnes, qui doctrinam nostram non sequuntur. At non sic de nobis loquunt Pagani, Iudæi, Turcæ, Hęretici.

De Paganis multa testimonia sunt; Plinius II. in epistola ad Traianum, li. 10. epistolarum, scribit Christianos omnia vitia detestari, sanctissimeque viuere, & hoc solum in eis posse reprehendi, quod nimis facile pro Deo suo vitam profundant, quodque horis antelucanis surgant ad canendas laudes Christo. TERTVLLIANVS in Apologetico, c. 1. & 2. testatur, Paganos noluisse discuti caussam Christianorum, sed damnari sine discussione, quia sciebant, se in eis nihil mali reperturos. & ca. 5. & 6. affirmat, eos Imperatores, qui sunt habiti optimi, fauisse Christianis; vt M. Aurelĩ, Vespasianum, Antoninum Pium; eos autem persequutiones mouisse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis Gentilibus, vt Neronem, & Domitianum.

Exstat quoque epistola Marci Aurelij Imperatoris, in qua testatur, in Germania cum per dies quinq; siti laboraret exercitus, & essent Romani circundati ab incredibili multitudine Germanorum, vt esset impossibile humanis viribus euadere: tunc se ad Deos patrios cõfugisse, sed frustra; deinde aliquot milites Christianos, qui erant in exercitu, rogasse, vt ĕtipsi Deum suum orarent. Porro vix illos in genua ad orationem procubuisse, cum statim de cœlo in Romanos quidẽ iucundissimus imber descẽdit; in hostes vero ignis & grando pmixta: cuius epistolę meminit Tertullianus in Apologetico, ca. 5. & in lib. ad Scapulam, & nuper inuenta est, & impressa in operibus Iustini.

Denique, S. Antonium, S. Hilarionem, & S. Martinum fuisse honori & reuerentiæ Paganis, scribũt Athanasius, Hieronymus, & Sulpitius, in eorum vitis.

De Iudæis habemus in primis testimonium Iosephi li. 18. antiq. c. 6. vbi affirmat, Christum plus quam hominem fuisse, & vere Messiam esse. PHILO scripsit librum insignem de laudibus eorum Christianorũ, qui sub Marco Euangelista in Ægypto viuebant: quẽ librum scriptum de laude Christianorum, non de secta aliqua Iudaica, vt putant Centuriatores Centur. 1. lib. 2. c. 3. col. 18. testatur Euseb. lib. 1. hist. c. 16. Epiphanius hæres. 29. Hieronymus de viris illustribus, Philone. Sozomenus lib. 1. cap. 12. & Beda præfatione in Marcum.

Mahumetus in Alcorano, ca. 2. docet, Christianos saluari, & cap. 4. dicit, Christum maximum esse Prophetarum, & ipsam Dei animam habere. Testatur quoque S. Bonauentura, Sultanum Ægypti, licet Mahumetanum, in summo honore ac reuerentia habuisse B. Franciscum, quem tamen sciebat Christianum & Catholicum esse.

Idem de hæreticis dici potest; nam B. Benedictum Catholicum a Rege Totila Ariano summo honore affectum, vt verum Dei seruum & Prophetã, scribit S. Gregorius li. 2. Dialog. c. 15. Et LVTHERVS, iam hęreticus existens, sic scribit in lib. contra Anabaptistas, qui in odiũ Papę reijciunt Baptismum paruulorum: *Nos*, inquit, *fatemur, sub Papatu plurimũ esse boni Christiani, immo omne bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatentur in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claues ad remissionem peccatorũ, verũ prædicandi officium, verum Catechismum, vt sũt, oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papatu verã Christianitatẽ, immo verũ nucleũ Christianitatis esse.* Hæc ibi. Vbi si nobis nucleum tribuit, certe sibi nihil seruat, nisi corticẽ vel putamina.

CALVINVS Instit. c. 10. §. 17. vocat Bernardũ piũm scriptorem. At certe Papista fuit Bernardus, & nemo est Pius sine vera fide. PHILIPPVS in Apologia art. 5. & 27. Confessionis Augustanæ, vocat sanctos, Bernardum, Dominicũ, & Franciscũ, quod idem facit Lutherus in libro de abroganda Missa, prope finem. Itẽ, vt scribit Cochlæus in actis Lutheri anni M. D. XXXI. cũ post multa plia inter Catholicos & hæreticos Helueticos pax componeretur, in 1. ar. Concordiæ hæretici scribebant, se velle deinceps dimittere cõfœderatos, suos quietos circa verã, indubitatã, & Catholicã fidẽ suam: Catholici autem scribebant, se velle dimittere confœderatos suos quietos circa fidem eorum; nihil vero addebant de vera, indubitata, vel Catholica.

CAPVT XVII.

Nota decima quarta.

DECIMAQVARTA NOTA est INFELIX exitus, seu finis eorum, qui ecclesiam oppugnant. Etsi enim Deus punit suos, & flagellat, tamen tandem proijcit virgam in ignem. Deut. 32. *Laudate Gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.*

De misero fine Pharaonis, primi persequutoris Ecclesię, legimus Exod. 14. de Dathan & Abiron primis schismaticis legimus Numer. 16. de Iezabel, 4. Reg. 9. De ANTIOCHO 2. Machab. 9. de Pilato, quod seipsum interfecerit, scribit Eusebius lib. 2. inst. c. 7. & ca. vlt. refert breuiter cladem Iudæorum, quã Iosephus late prosequitur in lib. de bello Iudaico. De HERODE Ascalonita, qui obijt scatens vermibus, cum prius occidisset vxorem, & filios, & seipsum occidere voluisset, scribit Iosephus lib. 17. antiquitat. ca. 9. De HERODE Tetrarcha, quod amisso regno, in exilium relegatus perpetuum, miserrime vixerit, scribit idem Iosephus lib. 18. ca. 14. de filia Herodiadis, vide Nicephorum lib. 1. cap. 20. de HERODE Agrippa vide Act. 12. Neronem, Domitianum, & ceteros Imperatores, qui Christianos persequuti sunt, omnes vel a seipsis, vel ab alijs creduliter necatos, vel certe misere perijsse, cõstat ex Chronicis & historijs omnibus, nam Traianus horrenda paralysi, & simul hydropisi extinctus est; Diocletianus Imperium deposuit præ dolore, quod Christianos delere non posset; Galerius, Maximianus & Maximinus tam horrendis doloribus correpti sũt, vt etiam Medici Ethnici dicerent, diuinam esse plagam. Vide Eusebium in Chronico, & lib. 8. hist. cap. vlt. & lib. 9. cap. vlt.

VENIAMVS ad Hæresiarchas & Apostatas. Simon MAGVS cum volare vellet, orationibus B. Petri deiectus, tibias fregit, & paulo post cum summa ignominia obijt: Egesippus lib. 3. ca. 2. de excidio Hierosolymitano, & Arnobius lib. 2. contra Gentes.

Excoriatus est a Rege Persarum MANICHÆVS viuus, non ob fidem, sed quia filium Regis curaturus occidit: Epiphanius hæres. 66.

MONTANVS, Theodotus, & Prophetissæ eorum laqueis seipsos necauerunt. Euseb. li. 5. hist. c. 16. Donatistæ quidam cum canibus Eucharistiam proijcerẽt, ab ijsdem canibus lacerati sunt: Optatus li. 2. contra Parmenianum.

ARIVS cum in ecclesiam intrare vellet, subito mo-

tui alui ad latrinas publicas accessit, & simul cum excrementis intestina omnia & animam effudit: Testis Athanasius orat. 1. contra Arianos, & Ruffinus libro 10. hist. cap. 13.

IVLIANVS Apostata diuinitus occisus, communi etiam caruit sepultura; nam a terra sponte aperta, absorptum scribit Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium, circa finem.

VALENS Arianus, qui Iuliano in persequutione Christianorum successit, viuus a Gothis etiam Arianis crematus est: Ruffinus lib. 11. hist. cap. 12.

NESTORIVS lingua impia a vermibus cõsumpta, miserrime interijt. Euagrius lib. 1. hist. cap. 7.

HVNERICVS Rex Vandalorum Arianus, & persequutor Ecclesiæ, vermibus toto corpore scatens, consumptus est: Victor lib. 3. extremo.

ANASTASIVS Imperator, fautor hæreticorum Eutychianorum, fulmine ictus interijt, vt scribunt Cedrenus, Zonaras, & Paulus Diaconus in eius vita.

Tempore Leonis Iconomachi, pestilentia consequuta combustionem imaginum in foro Constantinopolitano, trecenta millia hominum sustulit Constantinopoli: Vide Chronica Matthei Palmerij anno DCCXLI. De Constantino Copronymo, vide Paulum Diaconum.

LVTHERVS morte repentina sublatus est; nam cũ vesperi opiparam cœnam sumpsisset lætus, & sanus, & facetijs suis omnes ad risum prouocasset, eadem nocte mortuus est: Vide Cochlæum in vita Lutheri.

ZVVINGLIVS in bello contra Catholicos trucidatus est, & paulo post Basileæ frater eius spiritualis OECOLAMPADIVS, cum vesperi sinus cubitum iuisset, mane inuẽtus est ab vxore mortuus in lecto: Auctor Cochlæus in actis Lutheri anno MDXXXI.

ANDREAM Carolstadium a Demone interfectum, Ministri Basileenses scribunt in Epistola, quam ediderunt de morte Carolstadij.

Ioannes CALVINVS vermibus consumptus, expirauit, vt Antiochus, Herodes, Maximinus, & Huneri cus, testatur Hieronymus Bolsecus in eius vita. Qui etiam addit, eum, dæmonibus inuocatis, blasphemantem & execrantem obijsse.

CAPVT XVIII.

Nota decimaquinta.

VLTIMA NOTA est FELICITAS temporalis, diuinitus ijs collata, qui Ecclesiam defenderunt: nũ quã enim Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin facillime de hostib. triũpharent. Notæ sũt in primis victoriæ in Testamento veteri Abrahę, Mosis, Iosuæ, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, Machabæorum. In testamento nouo CONSTANTINVS, qui primus publice ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo fere modo Maxẽtium vicit, quo Moses Pharaonem. Vide Euseb. lib. 9. hist. cap. 9. de eo sic ait August. li. 5. de ciuit. Dei, c. 25. *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonib. sed ipsum verũ Deũ colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet: Vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandæuus ægritudine & senectute defunctus est: filios imperantes reliquit.*

DE THEODOSIO seniore scribit idẽ Augustinus ibidem, cap. 26. ei, quod vere pius & Catholicus esset, adeo prospere omnia successisse, vt in prælijs hostium tela in auctores, Deo agente, retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. histor. capit. 24. sanctos Ioannem & Philippum Apostolos apparuisse in equis albis in eodem prælio pro Theodosio Imperatore pugnãtes.

DE HONORIO etiam plane Catholico, & Romano Pontifici addictissimo, vt patet ex eius epistolis ad Bonifacium Papam, scribit Augustinus li. 5. de ciu. Dei, cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, vt vno prælio multo amplius, quam centum millia Gothhorum prosternerentur, & Rex ipse Radagaisus cum filijs caperetur, & occideretur, ex Romanis ne vno quidem vulnerato, nedum extincto.

DE THEODOSIO iuniore scribit Socrates li. 7. hist. c. 18. exercitu eius pugnante cum Barbaris, & ipso interim in vrbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem, miserrime perijsse.

IVSTINIANVS senior, donec Catholicus fuit, felicissime imperauit, ita vt Italiam, Africam, aliasq; multas prouincias Romano Imperio restituerit, vt patet ex Euagrio li. 4. hist. c. 16. & sequentibus. At, vbi hæreticus factus est, & edictum proponere voluit de sua hæresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, & Ecclesiam magno metu liberauit, vt idem Euagrius scribit lib. 4. cap. vlt.

HERACLIVS quoque, vt ex Ioanne Zonara, alijsq; historicis cognoici potest, dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis repertauit, & crucẽ Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ omnino esse videbantur; At cum in hæresim incidit Monothelitarũ, omnia illi infeliciter successerunt, & ipse nouo atque inaudito morbi genere extinctus est.

Constat item ex Græcorum historijs, Imperatores Orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab Ecclesia Romana separauerunt, semper in dies deterius se habuisse, donec tandem Imperium penitus amiserunt. In Occidente vero ex Latinorum historijs manifeste colligitur, semper Imperatores magis, vel minus floruisse; vt magis, vel minus Romanæ Ecclesiæ addicti fuerunt.

Tempore Vrbani II. ad annũ Domini MXCVIII. Christiani in bello sacro a Papa indicto pro recuperatione Hierosolymę, cum essent Antiochiæ in summa desperatione, eo quod prope adesset infinitus exercitus Turcarum & Persarum, & ipsi pauci essent et diuturna fame prope enecti, ita vt etiã viri fortissimi baculis innixi incederent, nec eques haberent, nisi paucissimos, ita vt præcipuus Princeps Godefredus equo commodato vteretur, & multi Principes in asinis equitare cogerentur. Tãdem Deus reuelauit, vbi esset sacra lãcea, & ea prælata, in bello victoriam dedit, ita vt occiderint cẽtum millia Turcarum, & ex ipsis vix quatuor millia ceciderint: Cecidit etiam ros diuinitus in illos, qui animis & corporibus vires addidit: Denique apparuerunt tres viri sancti pro illis de cœlo pugnantes. Vide Paulum Æmilium libr. 4. Gulielmum Tyrium lib. 6. prope finem, & Dodechinum Mariani Scoti continuatorem.

Tempore Innocentij III. in Gallia ab octo millibꝰ Catholicorum cæsa sunt vno prælio centum millia Albigensium hæreticorum, vt scribit Æmilius lib. 6. historiæ Francorum.

Nostris temporibus anno MDXXXI. quinque prælia commiserunt pro fide Catholici Heluetij cum hæreticis Heluetijs, & semper Catholici vicerunt, cum tamen essent numero & armis multo inferiores: vide Ioannem Cochlæum in actis Lutheri, anni MDXXXI.

Carolus V. miraculo diuino victoriam retulit de Lutheranis anno MDXLVII.

In Gallia quoq; & Belgis multas victorias Catholici de hæreticis, non sine miraculo, reportarunt; immo vix vnquam fuerunt hæretici superiores, quãdo iusto plio dimicatũ est. Atq; hæc de notis Ecclesiæ, & vniuersa hac disputatione, p istituta breuitate dicta sint.

Finis quartæ Controuersiæ generalis.

LAVS DEO VIRGINIQVE MATRI MARIÆ.

SECVNDA CONTROVERSIA GENERALIS.

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

TRIBVS LIBRIS EXPLICATA.

INDEX
LIBRORVM
ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Clericis.

PRÆFATIO.

Ordo disputationis de Clericis.

CAP. I. De nomine Clerici & Laici.
II. Proponitur quæstio de institutione Ministrorum Ecclesiæ.
III. Non pertinere ad populum ius ordinandi Pastores siue ministros.
IIII. Non esse populi, sed Episcoporum vocare Ministros.
V. Electionem Ministrorum non fieri à solo Deo.
VI. Non decuisse Christianos Sacerdotes carnali successione propagari.
VII. Ius eligendi Pontificem, ceterosq; Ecclesiæ Ministros, non conuenire populo iure diuino.
VIII. Electionem Episcoporum, non pertinere iure diuino ad Clerum, sed ad summum Pontificem.
IX. Rationem eligendi summum Pontificem, per solos Cardinales, esse omnium optimam.
X. Ad quos electio summi Pontificis pertinet, si Cardinales nulli essent, &c.
XI. De numero ordinum Ecclesiasticorum.
XII. De antiquitate Ordinum.
XIII. De officijs Ministrorum.
XIIII. De distinctione Episcopi & presbyteri.
XV. Soluuntur obiectiones.
XVI. De Cardinalibus.
XVII. De Chorepiscopis.
XVIII. De cœlibatu Sacerdotum: Sitne iure diuino annexus sacris ordinibus cœlibatus, an non?
XIX. Cœlibatum iure Apostolico rectissimè annexum ordinibus sacris.
XX. Soluuntur argumenta Caluini.
XXI. Soluuntur argumenta Philippi.
XXII. Soluuntur argumenta Magdeburgensium.
XXIII. De bigamia.
XXIIII. Soluuntur obiectiones Lutheri.
XXV. De decimis.
DVBIVM I. An præceptum de soluendis decimis possit contraria consuetudine abrogari.
II. An Laici pauperes teneantur decimas dare Clericis diuitibus.
III. An excusari possint à peccato, qui nullas decimas soluunt, vbi non est consuetudo soluendi.
IIII. Qua ratione ostendi possit, iustam esse determinationem Ecclesiæ, quod Christiani decimam partem suorum fructuum Ecclesiæ tribuant.
CAP. XXVI. De possessionibus, quæ dono Laicorum possidentur à Clericis.
XXVII. De donis secularibus.
XXVIII. An Clerici sint liberi à iugo potestatis secularis.

LIBER SECVNDVS.

De Monachis.

PRÆFATIO.

CAP. I. De nomine Monastices.
II. De natura siue definitione Religionis.
III. De varijs Ordinibus Religiosorum.
IIII. De confirmatione Religionum.
V. De origine Religionum.
VI. Mendacia deteguntur, & calumniæ refutantur.
VII. Quid sit consilium perfectionis?
VIII. Ponuntur variæ sententiæ de Consilijs.
IX. Asseruntur Consilia Euangelica testimonijs Scripturæ.

X. Idem

X. *Idem asseritur exemplis.*
XI. *Idem asseritur testimonijs Patrum.*
XII. *Idem confirmatur naturali ratione.*
XIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIV. *Explicantur nomen & definitio voti.*
XV. *Explicatur status quæstionis.*
XVI. *Omne quod fit ex voto, esse cultum Dei.*
XVII. *Non fuisse Iudæorum proprium vota facere, sed cum Christianis id etiam esse commune.*
XVIII. *Soluuntur obiectiones.*
XIX. *Non esse propriè votum promissionem, quæ fit in Baptismo.*
XX. *Paupertatem voluntariam rectè Deo voueri.*
XXI. *De voto obedientiæ.*
XXII. *Asseritur votum continentiæ ex illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud? &c.*
XXIII. *Idem asseritur ex illis verbis Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt, &c.*
XXIV. *Idē asseritur ex verbis Apost. 1. ad Ti. 5. Damnationē habēt, quia primā fidē irritā fecerūt.*
XXV. *Idem asseritur ex Concilijs.*
XXVI. *Idem asseritur ex responsis Pontificum & Imperatorum.*
XXVII. *Idem asseritur testimonio Patrum.*
XXVIII. *Idem asseritur ratione.*
XXIX. *Soluitur secunda obiectio prima aduersariorum.*
XXX. *Soluitur obiectio secunda.*
XXXI. *Soluitur tertia obiectio.*
XXXII. *Soluitur quarta obiectio ex ratione naturali.*
XXXIII. *Soluitur obiectio quinta ex Concilijs.*
XXXIV. *Soluitur obiectio sexta ex Patribus.*
XXXV. *Quòd iuniores vouere possint.*
XXXVI. *Licere filijs ingredi Religionem parentibus inuitis.*
XXXVII. *Licere coniugatis ex consensu vouere continentiam.*
XXXVIII. *Per vota solennia solui Matrimonium, non consummatum.*
XXXIX. *De Eremitis.*
XL. *De habitu & tonsura Monachorum.*
XLI. *Licere Monachis manibus laborare.*
XLII. *Non teneri Monachos ad laborem manuum.*
XLIII. *Licitum esse Monachis viuere ex bonis patrimonialibus in communi.*
XLIV. *Licitum esse Monachis viuere ex rebus spontè oblatis & donatis.*
XLV. *Licere Monachis ex mendicatione viuere.*
XLVI. *Soluuntur obiectiones.*

LIBER TERTIVS.

De Laicis, siue Secularibus.

CAP. I. *Ordo totius Disputationis.*
II. *Proponitur prima quæstio; An politica potestas sit bona, & Christianis licita?*
III. *Ex Scripturis asseritur politicus magistratus.*
IV. *Idem asseritur exemplis Sanctorum.*
V. *Idem asseritur ex fine principatus.*
VI. *Idem asseritur ratione ducta ab efficiente.*
VII. *Idem asseritur ex antiquitate.*
VIII. *Principatum siue dominium in impijs esse posse.*
IX. *Proponitur quæstio de potestate magistratus.*
X. *Licere Christiano Principi leges condere.*
XI. *Legem ciuilem non minus obligare in conscientia, quàm legem diuinam.*
XII. *Iudicia publica exercere non esse illicitum Christianis.*
XIII. *Licere Christiano magistratui gladio punire perturbatores Reipublicæ.*
XIV. *Licere Christianis aliquando bella gerere.*
XV. *Quot sint, & quæ iusti belli conditiones.*
XVI. *Licere bellum gerere Christianis contra Turcas.*
XVII. *Ad magistratum non pertinere iudicium de Religione.*
XVIII. *Ad magistratum pertinere defensionem Religionis.*
XIX. *Non posse conciliari Catholicos cum hæreticis.*
XX. *Libros hæreticorum abolendos esse.*
XXI. *Posse hæreticos ab Ecclesia damnatos temporalibus pœnis, & etiam morte multari.*
XXII. *Soluuntur obiectiones.*

PRAEFATIO
IN LIBROS TRES
DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

ECCLESIA *Catholica, optime Lector, vni trinoque Deo militans, atque, vt Scripturæ loquuntur, terribilis, velut castrorum acies ordinata, tribus potissimum ordinibus militum, Christo auctore, distinguitur. Alij siquidem in hoc diuino exercitu Clerici, alij Laici dicuntur. Quidam etiam sunt, tum ex Clericis, tum ex Laicis, qui certis symbolis ac functione ab vtrisque distincti, tertium ordinem faciunt, ac Regulares, siue Monachi nominantur.*

Ordo primus ac nobilissimus Clericorum vel Duces habet, vel Ducum ipsorum famulos & ministros. licet enim Imperator Ecclesiæ primus ac summus, Christus ipse sit, tamen quòd non solùm in terris, sed etiam in cœlis, & apud inferos magnos exercitus habeat, quodque solis cœlestibus præsentiam suam, vt par est, aspectabilem præbeat, Vicarium Imperatorem, ac Ducem exercitui, qui est in terris, Apostolum Petrum, eiusque successores summo cum Imperio, & potestate præfecit. Ergo Romanus Pontifex hæres Apostolorum Principis, castra cœlestia in terris ducit, Christumque ipsum nobis mortalibus quodammodo repræsentat.

Proximi sunt Episcopi, qui Tribunorum militarium locum sortiti, imperant etiam ipsi, non totis castris, sed agmini quisque suo. Siquidem in partem sollicitudinis, vt nostri loquuntur, vocati sunt, non in plenitudinem potestatis. Sub his presbyteri, quos Parochos dicimus, quasi quidam Centuriones singulis cohortibus præsunt; Diaconi, Subdiaconi, Lectores, atque Administri ceteri, vel signa atque aquilas gerunt, vel tubis, ac tympanis accendunt ad prælium, vel huc atque illuc celeriter discurrentes, mandata Imperatoris ac Ducum ad milites perferunt.

Porrò Laici, hoc est, populus ipse fidelis, longè lateque toto campo diffusus, atque aduersus Diabolum sub Christi signis in acie constitututus, quasi quadratum agmen efficit, atque stataria legiones. Omnes enim in Baptismo ad Christi militiam nomen dederunt, eiusque charactere insigniti, Sacramentum perceperunt. Omnes per sacram Confirmationem ad prælium inuncti, crucis signo muniti, atque armis cœlestibus donati, instructique sunt. Denique, omnes de mensa Domini opulentissimo commeatu, amplissimæque mercedis pignore in Eucharistia percepto, bellum æternum Diabolo, atque omnibus eius copijs indixerunt.

Jam verò Regulares ac Monachi, neque vno in loco degunt, neque ijsdem muneribus destinantur, sed alij in montibus & turribus quasi vigiles quidam perpetuo excubant, & clamore propè assiduo hostes exterrent; alij tanquam deuoti milites ante ipsam aciem longè progrediuntur, castraque hostilia audacter infestant; quidam etiam sunt, quos Anachoretas nominare solemus, qui diuina quadam virtute præditi, seorsim à ceteris in aperto campo, locisque desertis ad singulare certamen hostem prouocant, nec rarò eundem Christi ope gloriosè prosternunt.

Hæc

Hæc igitur est Ecclesia Dei viui, hæc sunt castra Sanctorum, tribus militum ordinibus ab ipsa Dei sapientia diuino planè consilio dispositа, atque distincta, quæ quidem licet aduersus omnes hostiles acies insuperabilia, atque inuicta consistant, neque vllam, siue humanam, siue diabolicam vim sub omnipotentis Imperatoris præsidio pertimescant: non tamen Satanas sibi ipse deest, circuit, quærit, obseruat, insidiatur, nullam nocendi elabi sinit oportunitatem: non potest ille Dei exercitum profligare, conatur tamen: non sperat victoriam, at non desinit lacessere: non fundet unquam Christi copias, nec delebit, at confundere, & perturbare nouis, ac varijs stratagematum formis, & libris, & sermonibus hæreticorum, non cessat. Hinc enim hæretici huius temporis planè omnes Clericos cum Laicis, ita confundunt, vt ne nomen quidem Clericorum, (de qua re paulò post agemus) superesse patiantur.

Designant illi quidem certos homines, quibus docendi munus, Sacramentorumque administrationem permittunt, quos etiam Ecclesiæ Ministros vocant: At eos nec populis cum potestate præesse, nec legibus continentiæ astringi, nec à tribunalibus politicis liberos esse volunt: Sed Laicorum more, iungere connubia, filios procreare, seculi huius negotia exercere, ad forum, & iudicia pertrahi, inuitis etiam summis Antistibus, iubent. Nam de consecratione, atque vnctione Pontificum, de tiaris, infulis, pedis, de pallijs, tunicisque sacratis, de corona capillorum, de reliquo apparatu, qui ad officium exornandum Ministrorum Dei, atque ad ornatum Ecclesiasticum à cultu profano distinguendum pertinet, nihil commemorare necesse est. Hæc enim omnia adeò confidenter aspernantur, ac de medio tollunt hæretici, ac si ea certissimis rationibus, cùm ne probabiles quidem attulerint, superstitionem redolere Iudaicam demonstrassent. Monachos autem in vniuersum omnes, siue Anachoretæ, siue Cœnobitæ illi sint, nec minus omnia Monastica instituta, ritus, vota, consuetudines, vestes, functiones, & ipsa etiam vocabula execrantur. Neque aliud esse vult Caluinus, lib. 4. Institutionum, cap. 13. Monasteria Cœnobitarum, nisi lupanaria sceleratorum, vel conuenticula schismaticorum: Anachoretas autem, Magdeburgenses Centuriatores Centuria quarta, cap. 6. & 10. monstra quædam humana, vel vrsos potius, ac Mysanthropos appellandos censuerunt.

Soli restant Laici, quibus etsi mirum in modum adulentur Lutherani, vt ea ratione maior Clericis, ac Monachis confletur inuidia, veruntamen adsunt Anabaptistæ, qui nec Laicis parcunt, dum iurisdictione magistratus, magistratibus vrbes, vrbibus genus humanum spoliant, atque ad eam formam regimen vniuersum reuocant, quæ non modò Reipublicæ ipsorum, sed ipsi etiam generi humano, si passim vsu recipiatur, extremam ruinam, atque exitium possit afferre. Sed enim haud scio, plusne Laicis Anabaptistæ noceant vexando, ac detrahendo, an cumulando, & blandiendo Lutherani. Detrahunt illi populo Christiano politicam potestatem, sine qua salus Reipublicæ terrenæ in apertum discrimen, interitumque vocatur: Augent contra Lutherani eundem populum etiam Ecclesiastica potestate, vt nimirum ducantur Pastores ab ouibus, & imperent Imperatoribus milites, atque interim pereat res Christiana, pereat Christi regnum, pereant animæ, quarum salutem propria vita, & sangine Dei Filius emerat.

Quæ cùm ita sint, ad omnes pertinet, qui in Ecclesia Catholica Doctoris munere funguntur, impijs hæreticorum conatibus, vel Satanæ potius consilijs, & furori occurrere, & omnes Ecclesiæ partes, omnia membra, omnes ordines pro viribus protegere, ac tueri: à nobis verò non modò caritas Christiana, & onus à maioribus impositum flagitat, sed

etiam

etiam cogit ordo Disputationum, vt ad eas controuersias explicandas aggrediamur, quæ sunt de tribus illis Ecclesiæ partibus; ideſt, Clericis, Laicis, Monachis, ab hæreticis huius temporis excitatæ. Quando enim pro capite militantis Ecclesiæ, proque ipsa Ecclesia, tum in Concilijs congregata, tum etiam diffusa toto orbe terrarum, pro nostrarum virium tenuitate pugnauerimus: Illud vnum est reliquum, vt pro membris eiusdem Ecclesiæ, pro nostra virili parte dimicemus, & Christo duce, atque imperatore, omnia hostium tela clypeo veritatis, & gladio verbi Dei discutiamus.

Ordo Disputationis de Clericis.

IGITVR *disputatio de Clericis (nam ab ea exordiendum esse, tum antiquitatis, tum etiam dignitatis ordo nos admonet) octo partibus continetur.* PRIMVM *enim, de ipso nomine Clericorum disserendum erit.* DEINDE, *de vocatione, siue electione ad sacrum Ministerium.* TERTIO, *de distinctione, numero & officio Ministrorum.* QVARTO, *de cœlibatu hominum sacratorum.* QVINTO, *de solennibus precibus, & laudibus, certis horis, certoque ordine concinendis.* SEXTO, *de Ecclesiastica tonsura, vel rasura capillorum.* SEPTIMO, *de possessione temporalium bonorum, siue politico, siue Ecclesiastico iure acquisitorum.* OCTAVO, *de exemptione Clericorum à tribunalium ciuilium potestate. Nihil autem de Sacramento Ordinis, nihil item de Ecclesiastica iurisdictione hoc loco dicendum, quòd ea partim ad quæstiones de Sacramentis, partim ad quæstiones de Pontifice, & Concilijs pertinere videantur.*

LIBER PRIMVS, DE CLERICIS.

CAPVT PRIMVM.

De nomine Clerici & Laici.



QVID hæc nomina Clerici atque laici sibi velint, nemini dubium esse puto: tametsi enim Græcam originem habeant, tamen trita sunt, ac peruulgata. Quis enim ignorat idem esse λαὸν Græcis, quod populum Latinis? Idem illis, κλῆρον, quod sortem, siue hæreditatem nobis? Inde igitur laici dicti sunt quasi plebeij, ac populares, quibus nulla pars functionis Ecclesiasticæ demandata est; Clerici autem quasi Domini sors, & hæreditas, qui diuino cultui consecrati, procurandæ religionis ac rerum sacrarum, Deo ipso iubente; prouidentiam, ac solicitudinem susceperunt: *Clericus*, inquit S. Hieronymus in epistola ad Nepot. *interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur; si enim κλῆρος Græce, sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est.* Cur autem hæreditas sortis nomine appelletur, illa ratio reddi solet, quod hæreditas in plures sortes plerunque diuidatur; vnde est illud Prophetę Psal. 77. *Sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.*

Accedit quod licet ad vnum aliquem hæreditas tota perueniat, id tamen non electione, sed sorte fit; nascuntur enim vt plurimum, non fiunt hæredes. quis autem laborauit, quis operam dedit, vt huius potius quam illius filius & hæres nascereture? Atque huc Apostolus Paulus, Chrysostomo teste, respexit cum ait, scribens ad Colossenses. *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Et rursus ad Ephes. *In quo nos sorte vocati sumus.* Non quod vt (Lutherani volunt) æterna beatitudo nullis meritis acquiratur, sed quod ad gratiam & adoptionem filiorum Dei sine vllo opere nostro vocemur. Falluntur enim Pelagiani, qui priores partes homini, posteriores vero Deo tribuunt in conuersione ac pœnitentia peccatoris. Quomodo enim sorte vocamur, si nos ipsi Deum vllo nostro vel opere vel conatu præueniamus?

Nemo igitur gratiam inuocat, nisi pręuentus a gratia, nemo eligit Deum, nisi prius electus a Deo, nemo diligit, nisi prius dilectus, auersos ille conuertit, errantes reuocat, inuenitur a non quærentibus, palam apparet non interrogantibus, quia tamen quod nobis sors est, Deo prouidentia, & prædestinatio est, propterea sapienter Apostolus simul iungit vtrumque, cum ait: *In quo nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum voluntatis eius.* Sed de his hactenus.

Habemus igitur quid Clericorum ac laicorum nomen significet. Hinc autem prima inter nos, & hæreticos quæstio nascitur, recte ne, an secus quidam inter Christianos Clerici, quidam laici nominentur. Lutherani enim & Caluinistæ tametsi minime negant, quod ad rem attinet, ministerium verbi, & Sacramentorum non ex æquo ad omnes pertinere, & habent ipsi quoque suos quosdam Ministros & Pastores, siue (vt ipsi loquuntur) Superintendentes, quibus totam fere religionis suæ curam permittunt: tamen quod eorum contentiones, & schismata ab odio Clericorum, & laicorum fauore initium duxerint, & vocabulũ Cleri non obscure excellentiã quandã, ac dignitatem prę se ferre videatur, nullo modo ferunt, vt Ministri Ecclesiastici, Clerici; ceteri laici appellentur.

Itaque LVTHERVS in lib. illo plane tartareo de abroganda Missa priuata, part. 1. tractans illud B. Petri; Non dominantes in Cleris: *Quod*, inquit, *nostra translatio habet, non dominantes in Cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit, vt Clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a laicis discreuit impia hominum traditio.* Et infra: *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus vnctus, nullus rasus, nullus monachus esse debeat.* Et CALVINVS, in 4. lib. suæ Instit. c. 4. §. 9. *Hæc*, inquit, *appellatio aut errore, aut certe ex praua affectione nata est, cum tota Ecclesia clerus, id est, hæreditas Domini a Petro dicatur.* Et in comment. cap. 5. prioris epist. B. Petri: *Vtinam*, inquit, *nunquam Patribus venisset in mentem, vt hac voce vterentur.* Hęc illi, a quibus ego libenter quærerem, quo tempore, quo loco, quibus auctoribus hanc appellationem natam esse putent?

Si enim paucis ante annis, in angulo nescio quo, ab aliquo ambitioso atque indocto artifice vocabulorum fabricatam esse hanc vocem demonstrare possent Lutherani, possemus & nos vicissim facile credere, ex errore, aut prauo affectu, aut etiam impia traditione natam esse: sin autem ex diuinis literis deprompta hæc appellatio, in ore omnium Conciliorum, omnium Patrum, totius Ecclesiæ, orbis terrarum vniuersi, omnibus ætatibus, ac seculis fuit, quis poterit satis hominum istorum audaciam, impudentiamque mirari?

Et quidem si de Conciliorum decretis, & sanctorum Patrum voluminibus agitur, non tam quærendum est, vbi Clericorum & laicorum nomen & distinctio habeatur, quam vbi non habeatur, ita passim in singulis prope paginis tum Patrum, tum Conciliorum veterum appellatio illa occurrit, quam ex errore, aut prauo affectu, vel impia traditione natam esse Lutherus & Caluinus affirmant.

Prodeat ex vetustis scriptoribus TERTVLLIANVS, qui non modo antiquissimus, sed etiam doctissimus fuit. Is igitur in lib. de Monogamia hoc modo loquitur: *Cum extollimur*, inquit, *& inflamur aduersus Clerum, tunc vnum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes, quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit: cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis prouocamur, deponimus in fulas, & impares sumus.* Et infra: *Laicis vero quia Monogamia non conuenit, cætera quoque aliena sunt.* Quid potuit clarius aduersus Lutherum & Caluinum Tertullianus dicere, quam arrogantes ac superbos esse laicos, qui extolluntur, atque inflantur aduersus Clericos? Sed fortasse singulorum hominum testimonium sine temeritate contemnitur.

Prodeat igitur, non ex hominibus singulis, sed ex cœtibus hominum, Concilium I. NICÆNVM, œcumenicum, vetustissimum, frequẽtissimum, celeberrimũ, cuiusq; auctoritas tanta semper apud omnes veteres fuit, vt ab Eusebio li. 3. de vita Constantini, & Augustino lib. 1. de Baptismo, capit. 18. orbis terræ Concilium appelletur; ab Athanasio in epistol. ad Episcopos Africæ, & Leone epist. 53. ad Anatholium, cum oraculis Spiritus sancti; a Gregorio vero li. 1. epist. 24. cum ipso Euangelio conferatur. In ea igitur tanta Synodo, quam neque erroris, neque praui affectus, multo etiam

to ēt minus impietatis possumus reprehendere, nisi A vitiorum eorundem Ecclesiam totam, & orbem terræ vniuersum reprehendamus: in ea, inquam, Synodo appellatio Clericorum in singulis fere canonibus inculcatur. Sic habet Canon primus: *Si quis in ægritudine vel a Medicis sectus vel a Barbaris castratus est, placuit vt iste permaneat in Clero, si quis autem sanus seipsum abscidit, hic etiamsi est in Clero, cessare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinare.* In II. vero canone III. VIII. in XVII. in XVIII. & XIX. nihil fere tractatur aliud, quam de ordinationibus Clericorum, q̄ in omnibus omnino Conciliis passim occurrit.

Quid, quod in ipsis etiam Apostolorum canonibus a S. Clemente descriptis, distinctio & nomen Clericorum, & laicorum non semel legitur? Can. XII. *Si quis cum damnato Clerico, vt cum Clerico, orauerit, damnetur.* Can. XIII. *Si quis Clericus aut laicus a communione suspensus, &c.* Can. XV. *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad aliam, hunc vlterius ministrare non patimur, præsertim si vocatus ab Episcopo redire contēpserit, verumtamē tanquā laicus ibi cōmunicet.* B

Quid hic Caluinus & Lutherus dicent? ignorabāt Patres Nicæni, ignorabat Clemens Pontifex, ignorabant Apostoli Christianum populum simplicem esse debere, vt nullus in eo Clericus, nullus sit laicus? An potius impia traditione, errore, prauoque affectu Ecclesiæ Ministris eiusmodi nomen indiderunt?

At, inquiunt, non multum nos laboramus, quid homines dicāt, iam dudum enim valere iussimus verba hominum. Verbum Dei proferatur ad medium, si C controuersia finienda est. Videamus igitur qoid habeat verbum Dei, quanquam opus non esset, cum de re constet, magnopere de nomine litigare. Apud Hieremiam cap. 12. ita Spiritus sanctus loquitur: *Cleri eorum non proderunt eis.*

Ac ne forte de istis ipsis verbis Dei litigandum sit, profero testes omni exceptione maiores, Origenem, Epiphanium, Hieronymum, qui non modo Scripturarum diligentissimi tractatores fuerunt, sed etiā pene soli inter oēs Ecclesiæ Patres Hebraicæ linguæ, qua Hieremiæ volumen scriptum esse constat, sciētiā habuerunt. Sic igitur Origenes hom. 7. in Hier. exponit hæc verba, Cleri eorum non proderūt eis: *Hæc, inquit, ante me alij exposuerunt, & quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero; Nos* D *qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, in tantum, vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire, nosse debetis, non statim in eo esse saluandos, quia Clerici sumus; multi enim, & Presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur.*

Sanctus autem Epiphanivs ad initium eius epistolæ, quam ad Ioannem Episcopum Hierosolymæ scripsit: *Oportebat, inquit, nos dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorū Dei, & obseruatione diligentissima hoc esse quod dicimur; si.n. sacra Scriptura loquitur, Cleri eorum non proderunt eis; quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione & sensu, sed etiam sermone peccamus?*

Eodē modo S. Hieronymvs in commētario huius loci, *Dicitur, inquit, hoc & Ecclesiasticis; quid.n. eos iuuare poterit Epi nomen, & Presbyteri, vel reliquus ordo Ecclesiasticus; cum magis grauentur dignitatib⁹ suis, & potētes potēter tormēta patiatur?* Idē quoq; Hieronymus in epist. ad Nepotianū: *Obsecro, inquit, te, & repetens iterum, iterumq; monebo, ne officium clericatus, genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi, Cleri eorum non proderunt eis.* Habemus igitur verbum Dei, in quo, Origene, Epiphanio, & Hieronymo testibus, Episcopi, & Presbyteri, ceteriq; ordines Ecclesiastici, clerici nominantur.

Sed accedat postremo Dei ipsius, grauissimū testimonium, nō solum verbo prolatum, sed etiam horribili quodam prodigio quasi sigillo proprio consignatum. Quod.n. hoc tempore Lutherus, & Caluinus aduersus Clericos clamant, idem olim Datan & Abyrō aduersus Sacerdotes Testamenti veteris clamabant: *Sufficiat vobis*, aiebant illi Num. 16. *quod omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?* Quid vero Lutherus & Caluinus dicunt? Sufficiat vobis quod omnis Ecclesia clerus, id est, hæreditas Domini est, cur eleuamini super laicos? cur soli vobis Cleri vocabulum vsurpatis?

At qualem exitum reperit contentio illa veterum schismaticorū? Acerbum omnino, & luctuosum: siquidem continuo, vt scriptura eodem loco narrat, ad imperium Domini, qui schismata, & seditiones aduersus ministros suos ferre non potest, *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuoraut illos, cū vxoribus, cum liberis, cum tabernaculis, cunctisque opibus, descenderunt que viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Hæc videlicet iustissima pēna illorum est, qui diuersos in Ecclesia gradus, ordinemq; pulcherrimum, ab ipsa Dei sapientia constitutum, confundere, ac perturbare nituntur, vt ad ea inferorum detrudantur loca, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Sed eorum obiectiūculas, licet frigidas, & ieiunas, breuiter diluamus. Christianus populus, inquit Lutherus, simplex debet esse, vbi nemo sit clericus, nemo laicus; nam vt Apostolus ait ad Galat. 3. *Nō est Iudæus neque Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus neq; fœmina, omnes.n. vos vnum estis in Christo Iesu.*

Vnum & simplicē Christianum populum esse debere, negari non potest, sed inter est qua vnitate, qua simplicitate: *Vnus Dominus*, inquit Apostolus ad Ephes. 4. *vna Fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium.* Hæc est vnitas, hæc simplicitas populi Christiani, vt vnius sint omnes fidei, idem dicant, idē sentiant omnes, nec sint in eis schismata. Qua simplicitate cū omnino careant Lutherani, quippe quibus tot pene sunt sectæ, quot ciuitates; tot symbola, quot capita, viderint ipsi quā bene Christianus populus dici possint.

Porro distinctio Clericorum & laicorum cum hac simplicitate non magis pugnat, quam pugnet mēbrorum distinctio cū corporis vnitate. Vnum est corpus humanum, nec tamen totum est oculus, nec totū est auris, nec totum manus, nec totum pedes, alioqui, vt verbis vtar Apostoli 1. Cor. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? & si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autē multa quidem sunt membra, vnum autem corpus.* Sic prorsus in Ecclesia alij Clerici, alij Laici, alij Monachi sūt; & rursus Clericorum, alij Sacerdotes, alij Ministri; Laicorū alij Principes, alij priuati; Monachorum alij anachoretæ, alij cœnobitæ. Sed hęc membrorum ac partium varietas est, corpus vero vnum, quoniam vnum omnes Dominum habemus, vnam Fidem, vnum Baptisma, vnum Deum Patrem, vnam Ecclesiam matrem, vno spiritu viuimus, vno pane nutrimur.

Neque vero his repugnant verba illa Pauli: *Nō est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neq; fœmina.* Tametsi eadem ratione dicere potuisset, non est laicus, neque clericus. Neque enim illis verbis excludere voluit Apostolus ab Ecclesia diuersitatem sexuum, nationum, conditionum, sed admonere, non ista esse quæ filios Dei faciant, sed fidem quæ per dilectionem operatur, sic enim ait: *Omnes vos filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu; Quicunque enim in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis, non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina.* Itaque nihil obest sexus, si adsit fides: nihil prodest, si absit; & laicus

cus cum caritate, Dei filius est, & Clericus sine charitate mancipium Diaboli est: Sunt igitur in Ecclesia clerici, sunt laici, sunt liberi, sunt serui, sunt masculi, sunt fœminæ: sed hæredes regni sempiterni, non istæ graduum, siue conditionum, siue sexuum differentię sed fides cum spe & charitate constituit. A

At B. Petrus in epistola sua priore c. 5. totā Ecclesiā Clerū appellat, cum ad Episcopos ait: *Pascite qui in vobis est gregem Dei prouidentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Exerore igitur, inquiunt, impiaue traditione, aut prauo affectu ab honore Clerici nominis deiecti sunt laici.

Sed hæc obiectio nec difficulter, nec vno modo soluitur. Primum omnino probabile est quod S. Hieronymus in epistola ad Nepotianum, & Oecumenius in B commentario huius epistolę docent, Cleri appellationem hoc loco positam, non ad Ecclesiam vniuersam, sed ad eos tantum esse referendam, qui propriè Clerici vulgò nominantur. tametsi, n. ad Episcopi gregem tum Clerici, tum laici pertinent, tñ quia tanto maius periculum erat, ne episcopi Clericis dominari vellēt quam laicis, quanto Clerici magis subiecti, atque obsequentes Episcopis, vt proprij eorum ad ministri, ex ipsa sua professione debent esse; quam laici: propterea B. Petrus Episcopos monet, vt vniuersum quidem gregem diligenter pascant, sed in pascendis laicis caueant turpe lucrum, in Clericis regendis fugiant dominandi cupiditatem.

Adde, q̄ nomen Cleri deriuatum est ad Christianos à Iudęis, & sine dubio S. Petrus alluſit ad Leui- C tas Iudæorum, qui Num. 18. & Deut. 18. dicuntur esse de sorte Domini, & Dominus dicitur esse eorū sors & hereditas, quia donauit eis quodammodo partem suam, i. decimas, & oblationes filiorum Israel. Porro Leuitis non respodent in ecclesia noui Testamenti omnes Christiani, sed soli sacerdotes, eorumque ministri. Petrus igitur nomine Cleri non omnes Christianos, sed solos ministros Ecclesiasticos intellexit.

Quod si hæc interpretatio ab aduersarijs obstinatè reijciatur, nihil est cur magnopere contendamus. potest enim eadem appellatio Cleri diuersa ratione cū vniuersæ, tum solis templi Ministris aptissimè cōuenire. Nam vt Ecclesia vniuersa, sors atque hæreditas Christi est, q̄ eam aquisierit sanguine suo, & simul tamen quædā certa Ecclesiæ portio, altaris ministerio D consecrata, magis propria ratione sors, & hæreditas eiusdem Christi dici potest, non secus atque olim Synagoga Iudæorum vniuersa in libris Prophetarum passim hereditas Domini vocabatur, q̄ eam vniuersam Deus ex Ægypto liberasset, & quodāmodo redemisset, & tamen solam tribum Leuiticam, quam reb. sacris præfecerat, speciali quadā ratione sortem suam & hereditatem idem Dominus appellabat.

CAPVT II.

Proponitur quæstio de institutione ministrorum Ecclesiæ.

SEQVITVR altera quæstio de institutione Episco- E porum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum, quæ sanè cum grauissima, tum ētvtilissima est, non ad id modo, de quo agimus in præsentia, sed etiā ad veram Dei Ecclesiam cognoscendam. Illud autem initio p̄mittendum est; appellatione creationis Episcoporū tria continerij; electionem, ordinationem, & vocationem seu missionem; Electio nihil est aliud, quam designatio certæ personæ ad Ecclesiasticā præfecturā; Ordinatio, sacra cæremonia est, qua certo ritu futur⁹ Episcopus inungitur & consecratur; Missio seu vocatio iurisdōnē tribuit, ac re ipsa Pastorē, ac p̄sulē facit.

Existit igitur inter nos & aduersarios cōtrouersia, cui potissimum ius sit in Ecclesia Episcopos creandi, id est, eligendi, vocandi, atque initiandi. Rursus obseruandum est, electionem multis ac varijs modis fieri posse; nam aut Deus solus elegit, quomodo Aaron, & Petrus electi fuere, aut Deus per homines. Cum autē per homines Deus eligit, aut id facit naturali propagatione, quomodo filij Aaron, & nepotes olim ad sacerdotium perueniebāt, aut certè voluntaria electione. Quod si voluntaria electione, aut vnius, qua ratione Clemens à Petro electus dicitur, aut plurium; & si plurium, aut populi, aut cleri, aut vtriusq;.

Sunt autem tres de hac tota quæstione sententiæ. PRIMA Ioannis VViclef, & Ioannis Huss, qui teste Thoma VValdensi lib. 2. doctr. fidei, ca. 39. & 40. docebāt, solius Dei munus esse eligere Pastores Ecclesię quod soli pij, & prædestinati, Episcopi & Pastores esse possint, & solus Deus nouerit, qui sint pij, & prædestinati. Vide in concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. articulos horum hęreticorum.

ALTERA sententia est Martini Lutheri, Ioannis Caluini, Matthiæ Illyrici, Ioannis Brentij, Martini Kennitij, aliorumque huius temporis Sectariorum, qui electionem, & vocationem, iure diuino ad Ecclesiam vniuersam, hoc est, ad Clerum & Populum spectare volunt, ita prorsus vt sine populi cōsensu ac suffragio nemo legitimè electus, aut vocatus ad Episcopatum habeatur. Porro ordinationem, quæ per manus impositionem fieri solet, solis Pastoribus tribuūt. Nec enim fieri posset vt totus populus manus imponeret, sed ita tamen ad solos Pastores munus hoc refertur, vt illi nomine totius Cleri ac populi nouis pastoribus manus imponāt, ac verè dici possit totus Clerus ac Populus non solum eligere ac vocare Pastores, sed eosdem etiam initiare & ordinare. Sed verba ipsorum audiamus.

Martinus LVTHERVS in libr. de potestate Papæ: *Hunc ritum*, inq̄t, *per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, & iudicium propinquorum Episcoporum, sta allegans, vt hanc ex Deo ordinationem esse cū fiducia pronuncier.* Et infrà: *Nec referre est necesse quāto felicius hodie is ritus diuinus seruaretur, præsertim tot sacerdotibus malis regnantib. & inuito populo impositis.* Idē, fusè atq; ex verbo Dei, vt ipse iactat, in eo libro demonstrat, quē inscripsit de instituendis ministris, ad Boemos. Ioannes CALVINVS lib. 4. Institutionis Christianę, c. 3. & 15. *Habemus*, inquit, *esse hanc legitimam ex verbo Dei ministri vocationem, vbi ex populi consensu & approbatione creantur, qui visi fuerint idonei. Præesse autem electioni debere alios Pastores, ne q̄d vel per leuitatem, vel per mala studia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Matthias Flaccius ILLYRICVS præter eum librum, quem scripsit de electione Episcoporum, in quo totis viribus contendit, ius eligendi, atque instituendi Episcopos, neque summo Pontifici, neque Regibus, neq; Canonicis permittendum, sed multitudini fidelium, cui conuenit iure diuino, esse restituendum. Scripsit etiam multa cum collegis suis Magdeburgensibus Centuriatoribus in histor. Eccles. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 391. *Habet*, inquit, *Ecclesia in quolibet loco, hoc est, totus cœtus, tum, vt nunc vocamus, laicorum, tum clericorum coniunctim potestatem eligendi, vocandi, & ordinandi ministros idoneos.* Nō dissimilia sunt quæ scribunt Ioannes Brentius in Prolegomenis aduersus Petrum à Soto, & Martinus Kemnitius in Examine Concilij Tridentini in disputatione de ordinis Sacramento. Hæc igitur eorum sententia est, ex qua non obscurè colligi putant, nullos esse apud nos Episcopos ritè vocatos, quod iamdudū nostri in Episcoporum electionib. plebem excluserint à ferendo suffragio. t

CONTRA autem Doctores Catholici summa consen-

consensione docent, ius Episcopos ordinandi ac vocandi ad plebem nullo modo pertinere posse; ius autē eligendi fuisse aliquando, & aliquo modo penes populum, sed Pontificum concessione vel conniuentia, nō lege diuina; ex quo nos longè verius colligemus, nullam esse apud hæreticos veram ordinationem, nullā vocationem, nullam electionem, proinde, nullos Episcopos, nullam Ecclesiam; vt autem hæc omnia distinctè, atque ordine demonstremus propositis aliquot sententijs seu propositionibus, disputabimus primum de ordinatione, tum de vocatione, postremò de electione.

CAPVT III.

Non pertinere ad populum ius ordinandi Pastores, siue Ministros.

SIt igitur hæc prima nostra propositio seu sententia. *Ordinationem tum Episcoporum, tum aliorū Ecclesiæ Ministrorum, non ad plebem, sed ad solos Episcopos pertinere.* Testantur id passim diuinæ scripturæ, testantur decreta Conciliorum, testantur veteres Patres, testantur denique mos populi Dei, & exempla maiorum. Aaronem, & filios eius sacerdotes primos testamenti veteris, solus Moses Sacerdos, & Pōtifex ordinauit, & consecrauit, Leuit. 8. Mosem autem Sacerdotem fuisse, testatur Dauid Psa. 98. *Moses, inquit & Aaron in sacerdotibus eius.* Testatur Philo. lib. 3. extremo de vita Mosis, *Hæc, inquit, fuit vita, obitusq; Mosis Regis, Legislatoris, Vatis & Pontificis.* Testatur Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, testatur August in cō mentario Psal. 98. testatur Gregorius Nazianzenus oratione ad Gregorium Nyssenum, testatur denique S. Leo epist. 88. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ.

In Testamento nouo, vbicunq; mentio fit manus impositionis, quo ritu etiam aduersarios ordinatio celebratur, semper ea Apostolis, ceterisque Episcopis, nunquam vero plebi tribuitur. Acto. 6. Soli Apostoli per manus impositionem Diaconos ordinarunt, 1. Tim. 4. *Noli, inquit Apostolus, negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Quo loco Presbyterium, Episcoporum cœtum significat, vt testantur omnes ferè interpretes, ac præsertim Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus: *Non de Presbyteris*, inquit Chrysostomus *hic loquitur, sed de Episcopis, neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinarunt.* Item in eodem loco loquitur Apostolus ad Episcopum: *Manus citò nemini imposueris.* Ac rursus 2. Tim. 1. *Resuscites, inquit, gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.*

Itaque ex diuinis literis satis probatur, munus ordinandi proprium esse Episcoporum. quod idem ex plurimis Conciliorum decretis confirmari posset: sed quoniam res est perspicua & notissima, eum solū canonem hoc loco ad memoriam reuocabo, quo Episcopum a tribus Episcopis ordinandum esse, definitum est, qui canon primus est inter canones Apostolorū, & rursus 4. est inter canones Concilij I. Niceni, œcumenici, maximi, ac celeberrimi. Denique 12. est Concilij II. Carthaginensis, tricesimus nonus II. secūdus IV. & quartus VI. Quæ Concilia etsi non œcumenica, sed nationalia fuerint, fuere tamen frequentissima & S. Augustini præsentia ac suffragio illustrata.

Accedat, q̄ veteres Patres constanter docēt, solius Episcopi esse initiare sacris, siue Presbyteros, siue Diaconos, siue ipsos etiam Episcopos, neque id vllo modo Presbyteris licere. Vide Epiphanium hæresi 75. quę est Aerij. Ioannem Chrysostomum cum ceteris Græcis in comment. 3. & 4. c. 1. epist. ad Timot. Hieronymū in epistola ad Æuagrium. Augustinū in breuiculo, collat. 3. cap. 5. Quod si Presbyteris non licet Episcopos aut Presbyteros ordinare, quod id munus solis Episcopis conueniat, quanto minus id clericis inferioris gradus, aut etiam laicis licebit?

Accedat postremò antiquissima, ac perpetua Ecclesiæ vniuersæ consuetudo, quæ optima iuris interpres esse solet. Nam, vt verbis vtar Euangelicis, à seculo non est auditum, vt Episcopum non Episcopus ordinaret: neque huiusce rei vllum vnquam vel institutū ex disciplina, vel exemplum ex historijs, vel etiam vsurpatio ex hæretica licentia proferetur. Nam apud Lutheranos quoque & Caluinistas, qui ritus Ecclesiasticos penè omnes sustulerunt, ij solùm manus imponunt, & Pastores, seu Ministros faciunt, qui Pastores & Episcopi, licet re vera nō sint, tamē haberi & appellari volunt. Quare quod attinet ad ordinationes, non Clerus, & populus vniuersus, sed soli Pontifices Episcopos & Presbyteros creant.

Sed, inquiūt: Etsi Clerus ac populus per se manus Episcopis non imponat, id tamen non eo fit, quod de sit multitudini auctoritas, sed quod ad vitandam confusionem, quæ necessariò existeret, si tot manus super vnius hominis caput imponēdæ essent, visum est melius vt paucis Pastoribus ea cura demandaretur. Itaque auctoritas ordinandi ministros, totius multitudinis est, exequutio verò Pastorum: sed cum Pastores, quod faciunt, totius Cleri, ac populi auctoritate, & nomine faciant, ipse etiam Clerus & populus ordinare, & consecrare ministros dici potest.

At certè falluntur, vel fallere volunt aduersarij, dū ita ratiocinantur. Nam tribus modis potest intelligi, quod ipsi dicunt, auctoritate, ac nomine totius Cleri, & populi à Pastoribus ordinari Pastores. PRIMVM, quomodo nomine totius corporis lingua loquitur, oculi vident, aures audiunt, & de ceteris membris ad eundem modum. Quod enim pars corporis facit, toti etiam corpori tribui solet, licet reliquum corpus neque præstet vnquam, neque præstare possit, quod est illius partis proprium: Videt oculis totus homo, sed ita videt, vt nulla ratione queat lingua, manibus, pedib. aliove membro videre. Quod si hoc modo vellent aduersarij ab vniuersa multitudine per Pastores ordinari ministros, non esset cum eis magnopere contendendum. Nihil enim potestatis vel auctoritatis in ipsa multitudine ponerent præter eam quam habēt Pastores, qui in membris, ac partibus eiusdem multitudinis numerantur. Sed non id solum illi quærunt, neque hac moderatione contenti sunt.

ALTERO igitur modo potest intelligi, auctoritate populi ANTISTITES à Pastoribus ordinari, ut videlicet ī ipso populo, remotis etiam omnibus Pastoribus, sit vera ordinandi potestas, neque aliud impediat, quo minus populus reipsa Pastorib. manus imponat, quā cōfusio multitudinis; quomodo prętores in vrbibus, auctoritate ac nomine Principis, pro tribunali sedēt, ac ius ciuibus dicunt, Ita. n. prætor in iure dicēdo locum Principis obtinet, vt possit tamen Princeps, si velit, per se ius dicere.

At neque hic modus aduersarijs probari debet, si ipsi sibi constare velint. Nam si sola confusio multitudinis impediret, quo minus populus ordinaret ministros, posset certè idem populus munus ordinādi pauceis hominibus de suo corpore, i. etiam non Pastoribus mandare; at id non modo Conciliorum decretis, & perpetuæ consuetudini, & omnium Patrū testimonijs, sed ēt aduersariorum exēplis, & verbis, & ipsi rationi repugnat. Nam vt paulò antè diximus, in hæreticorum cętibus nō quiuis è populo, sed soli Pastores manus imponere ordinandis ita solēt, vt si secus fiat irrita censeatur ordinatio. & Ioannes Caluinus lib. 4 Instit. c. 3. §. 16. ita omnino faciendum esse ex Apostolorum consuetudine his verbis docet: *Licet nullū extet certum præceptum de manuum impositione, quia tamen*

men fuisse in perpetuo vsu Apostolis videmus, illa tam ac curata eorum obseruatio præcepti vice nobis esse debet. Et infra: *Hoc postremo habendũ est, non vniuersam multitudinem manus imposuisse suis ministris, sed solos pastores.* Hęc ille. Et sanè cum potestas ordinis, q̃ ad ordinandos ministros necessaria est, per ordinationẽ acciatur; quis capere potest, vt populus vniuersus, vel pauci de populo, nulla prius ordinatione accepta, manus imponere, & ordinare ministros possit?

Restat igitur modus TERTIVS, quo possit intelligi q̃ aduersarij dicunt, auctoritate multitudinis Pastores à Pastoribus ordinari, nimirum, licet nõ habeat multitudo ordinis potestatem, habeat tamen iurisdictionis, & proinde ius pastoribus imperandi, vt certis hominibus a se designatis manus imponant.

Sed quoniam de hac potestate iurisdictionis, quã aduersarij populo tribuunt, in sequenti capite disputandum erit, nunc solum ex ijs quæ dicta sunt, quæq; ab aduersarijs affirmantur, argumentum, ni fallor, indissolubile colligemus, Ecclesiam eos nullam habere; est aũt hoc argumentum. Non sunt veri pastores, qui non sunt per manus impositionem à veris Pastoribus ordinati. Id Caluinus ex Apostolorũ perpetua consuetudine, quæ nobis pro lege, ut ipse ait, esse debet, rectissimè collegit. Lutherus autem, Zvvinglius, Caluinus & ceteri, qui pastores primi apud suos habentur, non fuerunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Nam si secus, a quibus obsecro? à suis ne? an a nostris? non à suis, ipsi enim sunt primi, neque enim ante Lutherum vlli fuerũt Lutherani, neque ante Zvvinglium Zvvingliani, neq; ante Caluinum Caluinistę, qui eos pastores ordinare possent. Non item à nostris, si quidem in Ecclesia Catholica, vnd recesserunt, neque Lutherus, neque Zvuinglius, neq; Caluinus Episcopi fuerunt, sed tantũ presbyteri. Porro presbyteri, qui Caluino Ministri sunt, non pastores, non habent ordinãdi potestatem: *Quid facit*, inquit Hieronymus in epist. ad Euagrium, *Excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Et Caluinus Hieronymo subscribens paulò ante dixit, à solis Pastoribus. i. Episcopis Ministros ordinari.

Adde etiam, quod ordinationem Catholicam aduersarij nihil faciunt; sic enim Caluinus de nostra ordinatione loquitur lib. 4. Instit. c. 5. §. 3. *ordinatio autẽ nihil aliud est: quam merum ludibrium.* Et Martinus Kemnitius loco notato, non magis ratas esse contendit hoc tempore Catholicorum Episcoporum ordinationes, quam olim fuisse Apostolicis temporibus Annæ & Caiphę Pontificum Iudæorum.

Quod si primi illi aduersariorum Episcopi & Pastores, ueri Pastores, & Episcopi non fuerunt, certè nec secundi, nec tertij, nec ceteri, qui primis illis successerunt. At Ecclesia sine Episcopis & Pastoribus esse non potest, ut idem Caluinus uerè affirmat libr. 4. Instit. ca. 3. §. 4. *Sequũtur*, inquit, *Pastores & Doctores, quibus carere nunquã potest Ecclesia.* Hęc ille. *Est enim Ecclesia*, ut S. Syprianus eam definit in epist. 9. lib. 4. *plebs Episcopo adunata & pastori suo grex adhærens.* Sequitur igitur, ut aduersarij, qui ueros Episcopos, & pastores non habent, neque veram Ecclesiam habeant.

Hoc argumento S. HIERONYMVS in Dialogo aduersus Luciferianos, Hilarium quendam hæresiarcham apertissimè confutauit: *Hilarius*, inquit, *cum Diaconus de Ecclesia recesserit, soluq̃, vt putat, turba sit mundi: neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et Presbyteros non habens, neq; Baptisma sine Eucharistia tradere: & cum iam homo mortuus sit cum gomine pariter interiit & secta, quia post se nullum Clericum Diaconus potuit potuit ordinare, Ecclesia autem non est quæ non habet Sacerdotes.*

Vnum duntaxat effugium inuenit Caluinus; scribit enim lib. 4. Instit. c. 3. §. 4. Ecclesia constituta, non nisi à pastoribus Pastores ordinandos esse. At cum Ecclesia uel primum cõstituitur, vel iterum renouatur, ac restituitur, solere Deum extraordinario modo excitare Apostolos & Euangelistas, in quorum numero se & Lutherum sine dubio vult habeti: *Quanquã*, inquit, „*non nego, quin Apostolos postea quoque, vel saltẽ eorum loco Euangelistas interdum excitarit Deus, vt nostro tempore factum est: talibus enim, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit: munus tamẽ ipsum nihilominus extraordinarium appello, qui in Ecclesijs ritè constitutis locum non habet.* Sed hoc miserum est perfugium: nam Ecclesia semel à Christo bene cõstituta non potest ruere, nec deficere ad Antichristũ, cum non sit fundata super arenam, sed supra petram Matth. 16. quocirca non eget nouis Apostolis & architectis.

Deinde, si Lutherus & Caluinus noui Apostoli fuissent, venissent omnino cũ signis, & miraculis Apostolorum: sic enim veri Christi Apostoli legationem suam probauerũt. Alioqui cur potius Lutherum recipiemus, quam Manichæum? Caluinum, quam Ariũ? Eodem enim modo omnes venerunt. Adde, quod primi Apostoli omnes per impositionem manuum ordinati fuerunt. Petrus, quidem a Christo, ceteri a Petro vt Ioannes Turrecremata ostendit lib. 2. c. 22. & nos in primo libro de Pontifice c. 23. docuimus, dum sancti Petri prerogatiuas enumeraremus.

CAPVT IIII.

Non esse populi, sed Episcoporum, vocare Ministros.

SEQVITVR altera propositio. *Vocatio seu missio Ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem.* De hac propositione satis multa dicta sunt in libro de Pontifice, vbi demonstrauimus Ecclesiasticam iurisdictionem non esse in ipso cœtu fidelium; sed in capite, id est, in summo Pontifice, & ab eo ad Episcopos ceteros deriuari. Probatur igitur hęc propositio primũ ex verbo Dei; legimus enim Petro collatam potestatem, Matth. 16. & Io. 21. *Dabo tibi claues.* Et *Pasce oues meas.* Et rursus Apostolis Ioan. 20. *Ego mitto vos.* Et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Multitudini autem fidelium Christus auctor omnis Ecclesiasticę iurisdictionis nihil unquam tribuisse legitur.

Deinde idem hoc probatur ex Apostolica consuetudine. Nam Actor. 14. Paulus & Barnabas, Episcopi & Apostoli constituebant per ciuitates Presbyteros, & ad Titum 1. *Huius rei gratia*, inquit Apostolus *reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros sicut ego constitui tibi.* Et ipsi etiam Centuriatores Centuria 1. lib. 2. cap. 2. fatentur primos Episcopos post Apostolos ab Apostolis constitutos.

Denique idem colligitur ex sequentibus. Demonstraturi enim sumus paulò infra, electionem Ministrorum populo non conuenire: ex quo certè sequitur maiori ratione uocationem eidem populo non conuenire. obiectiones aduersariorum omnes simul tum refellentur, cum de electione disputabitur.

CAPVT V.

Electionem Ministrorum non fieri à solo Deo.

HIs igitur de ordinatione, & uocatione præmissis, ad electionem, de qua præcipua quæstio est, ueniamus. sitque hæc tertia propositio. *Electio Ministrorum Ecclesiæ non fit à solo Deo.* Hęc propositio asseritur aduersus errores Ioannis VViclef, & Ioannis Huss, qui damnati sunt in Concilio Constantiensi.

nam

nam sess.8. damnatur hic articulus VVicleſi, qui est octauus: *Si Papa sit præscitus & malus, non habet potestatem super fideles.* Et rursus iste, qui est articulus 40. quique ex octauo deducitur: *Electio Papæ a Cardinalibus, per Diabolum est introducta.* Sess. autem 15. damnantur hi articuli Ioannis Huss. Articulus 22. *Papa vel Prælatus malus, & præscitus, est æquinoce Pastor.* Articulus 26. qui deducitur ex 22. *Non eo ipso quo electores, vel maior pars eorum consenserit viua voce secundũ vitus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitimè electa. vnde siue electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere.* Hæc ille.

Refellitur iste error, ac sententia nostra cõprobatur. PRIMVM exemplo ipsius Dei, qui non semper eligit prædestinatos ad gubernacula politica, vel Ecclesiastica. Nam 1.Reg.10. Saulem Deus elegit, qui tamẽ postea reprobus fuit. & Christus Ioannis 6. Iudã elegit, quem constat minime prædestinatum fuisse. *Nonne*, inqt, *ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est.*

SECVNDO exemplis Apostolorũ, qui Act.6. elegerunt Diaconos, & inter eos Nicolaum, qui postea fuit hæresiarcha. ex quo apparet eos non laborasse in electione, essent ne prædestinati, an reprobi, quos eligebant, cum satis intelligerent id sciri non posse.

TERTIO ex Patribus. ORIGENES hom.4. in librũ Iudicũ docet ac demonstrat, sæpe diuinam prouidentiam ad punienda peccata populorum efficere, vt impij sedeant ad gubernacula tum Regnorum, tum Ecclesiarum. Chrysostomus autẽ homil. postrema in epist. ad Hebr. Augustinus lib.2.c.4. contra epist. Parmeniani. & Bernardus serm. 66. in Cantica, docent, homines malos veros Episcopos esse posse si legitime eligantur, id quod etiam confirmat S. Bernardus ex testimonio illo Ioan.11. de Caipha: *Cum esset Pontifex anni illius prophetauit.* Fuit enim Caiphas, etsi iniquus & reprobus, verissimus Pontifex, cum eius dignitatis gratia Deus ei dederit, vt prophetaret.

QVARTO ratione. Si solus Deus eligeret Pastores Ecclesiæ, aut id faceret sola sua voluntate, sine vllo signo externo, & visibili, aut certe visibili aliquo signo: si primũ affirmetur, quid nobis eiusmodi electio prodesset? nunquam enim sciremus quis Ecclesiæ esset Pastor; si secundum, aut signum illud esset prodigiosum, ac præter ordinem naturæ, vt columbæ descensus: aut cœlestis aliquis fulgor, aut certe loco signi accipiẽdæ essent sortes, quomodo Apostoli Act.1. cupientes S. Matthiam eligi a solo Deo, sortibus vsi sunt. At prodigia illa columbæ, & luminis rarissima esse solẽt; certè hoc tempore minime ea videmus.

Sortib. autem vti, cum humano consilio res transigi potest, nullo modo licet. Nam aut sortes existimantur gubernari a casu, aut à cœlo, aut a Diabolo, aut a Deo. Si a casu, stultum est homines ratione præditos velle sortib. eligere Pastores suos, & cõmittere fortunæ temeritati, quod poterant consilij maturitate definire. si a cœlo, superstitionis vitium est vti sortibus in eiusmodi electionib. neque. n. cœlum vim habet moderandi liberas actiones, quales sunt iacere sortes, vel educere: si a Diabolo, impium, & sacrilegum est, rerũ sacrarum auctorem Diabolũ facere: si deniq; a Deo, peccatum est tentationis Dei, expetere, atque expectare a Deo, vt ipse sortes dirigat, quando neque ipse id se facturum promisit, neque deest humanum consilium. Quocirca Ecclesia rationem eligendi prælatos sortib. merito improbauit, capite Ecclesia, extra de Sortilegijs. quam rationem reprehendunt etiam Hieronymus in cap.1. Ionæ, & Beda in cap.1. Actor.

AT, INQVIES, Salomon Prouerb.16. asserit sortes a Deo gubernari, cum ait: *Sortes mittuntur in sinu, a Domino autem temperãtur.* RESPONDEO, Salomonem dicere voluisse omnia gubernari a diuina prouidẽtia, etiamsi nobis plane casu quodam fieri videantur, vt id, quod sorte alicui contingit. Porro diuina prouidẽtia in sortibus cernitur, nõ quod semper qui sorte eligitur sit melior, sed quod siue melior siue peior sit, nõ sine Dei prouidentia eligatur; qualis prouidentia in omnibus alijs euentibus, quamuis maxime fortuitis, cernitur. Proinde non tollit ista communis prouidentia casum; neque facit vt melius sit sorte præpositos Ecclesiæ eligere, quam suffragijs.

Neque his repugnat exemplum S. Matthiæ, qui sorte electus fuit. Nam in primis non fuerunt fortasse illæ sortes proprie dictę, sed cœleste aliquod lumen super Matthiam a Deo effusum, vt indicare videtur Dionysius Areopagita de Eccles. hierarch. c.5. par.3. Aut certè sortes illæ veræ, ac propriæ fuerunt, sed priuilegium, atque inspiratio Dei peculiaris caussa fuit, cur ijs Apostoli vterentur. Quia enim Apostoli ceteri a Christo electi fuerant, ne videretur S. Matthias ceteris inferior, voluit fortasse idem Christus per se illum eligere. Itaq; inspirauit Apostolis, vt sorte vterentur. Sed priuilegium, vt Hieronymus notauit in c.1. Ionæ, non debet trahi in exemplum ordinariarũ electionum. Aut postremo sine vllo priuilegio sortibus Apostoli in ea electione vti voluerũt, quod Matthias & Barsabas adeo essent pares sanctitate, & doctrina, vt humano iudicio discerni nõ posset vter præponendus esset. In eiusmodi enim casibus licitus est sortium vsus, tum quia non tentatur Deus, cum id ab eo exquiritur, quod humano iudicio declarari nõ potest, tum quia nullum est periculum, quicunque sorte exeat, etiamsi planè casu exiret, quãdo pares sunt, de quibus præficiẽdis agitur, & tollitur materia querimoniarum, nulliq́ue fit iniuria.

Quapropter sortibus vtendum esse in eiusmodi casibus, docet S. Augustinus lib.1. doctrinæ Christianę, c.28. & in epist.180. ad Honoratum. quomodo apud Iudæos ex multis sacerdotib. sorte eligebatur vnus, qui certo tempore thus Domino adoleret: vnde est illud Luc.1. *Sorte exijt, vt Zacharias incensum poneret, &c.* Atque ad hunc ritum respexisse Apostolos in electione S. Mathiæ testantur Ambrosius in c.1. Lucæ, & Beda in c.1. Actor.

CAPVT VI.

Quarta propositio.

NON *decuisse Christianos Sacerdotes carnali successione propagari.* Confirmatur hæc sententia PRIMVM ex figura, quæ in lege naturæ præcessit, nã Melchisedech, secundum cuius ordinẽ Christus & Christiani sacerdotes esse dicuntur, idcirco sine patre, sine matre, sine genealogia fuisse describitur ad Hebr.7. vt intelligeremus sacerdotes Christianos non debere nasci, sed fieri.

SECVNDO idem probatur ex prophetia Isaiæ 66. *Assumam*, inquit Dominus, *ex eis Sacerdotes, & Leuitas.* In quem locum obseruat S. Hieronymus, ideo dixisse Prophetam. assumam ex eis, quia in Testamento nouo, de quo apertissime eo loco loquitur Isaias, non erãt Sacerdotes nascituri ex vna aliqua familia, sed assumendi ex omnibus Gentibus.

TERTIO, idem probatur ex differentia Testamẽti noui, ac veteris: ut enim in testamẽto veteri populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Iacob, in nouo autem propagatur per spiritualem regenerationem ex Christo: ita quoque par erat ut in testamẽto ueteri Sacerdotes carnali successione propagarentur, in nouo autem spirituali electione assumerentur. Item quemadmodum sacerdotium Aaronicũ carnale fuit, quippe quod totum in bobus, & ouibus mactãdis occupabatur, Christianum autem sacerdotium spirituale est, cum in hostia spirituali, ac diuina sacri-

sacrificanda occupetur, sic etiam æquum erat, vt sacer dotũ propagatio in Testamento veteri carnalis, in nouo, spiritualis esset. ADDE, quod illi vxores, & liberos habebãt, proinde facile potuit illa ratio institui, vt parentibus filij succederẽt, nostri autem cælibes esse debent, præsertim secundum ritum Ecclesiæ purioris: quare nõ potest vllo pacto fieri, vt sacerdotium Christianũ successionẽ carnalis generationis cõsequatur.

QVARTO idẽ probatur naturali ratione. Christianæ.n. Reipub. (quæ sane perfectissima est) perfectissima ratio conuenit instituendi Ministros: At longe melior est ratio per electionem, quam per generationem; nam si electio valeat, semper optimi, & doctissimi Pastores præfici possunt ecclesijs; si autem generatio locum habeat, cogemur non raro pueros habere Episcopos, aut viros improbos, & imperitos.

Neque vero recte obijci potest, etiam nunc eligi sępe improbos, & imperitos, aut adolescentulos, ac pene pueros, id.n. non accidit ex natura rei, sed vitio eligentium, quod facile emendari potest. At generatio naturaliter affert secum eiusmodi incommoda, quæ nullum omnino remedium admittunt, Maneat igitur, melius esse Pastores Ecclesiæ eligi, quam nasci.

CAPVT VII.

Quinta Propositio.

IVs eligendi summum Pontificem, ceteroſque Ecclesiæ Pastores, & Ministros, non competit populo iure diuino. Sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex consuetudine, vel concessione Pontificum. Hæc Propositio proprie statuitur aduersus Lutheranos & Caluinistas, & probatur PRIMO exemplo Aaronis, & testimonio D. Pauli. scribit enim Apostolus ad Hebr. 5. Neminem assumere sibi debere honorem, nisi vocetur a Deo, tanquam Aaron; atqui Aaron a solo Mose fuit electus in Pontificem; sine vllo vel consensu, vel consilio multitudinis.

SECVNDO idem probatur exemplo, & verbo Christi, Christus enim Io. 20. Apostolis ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quocirca voluit, vt ea potestate, eaque ratione Apostoli gubernarent Ecclesiã, qua ipse eam gubernauerat eo tempore, quo præsentiam suam mundo exhibuerat. At ipse Apostolos primum duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos elegit, sine consilio, aut suffragio vllo multitudinis.

TERTIO ex iure diuino, tum naturali, tum etiã scripto; nam iure diuino scripto episcopi sunt Pastores populi, populi sunt oues. Ioan. vlt. Act. 20. 1. Pet. 5. Ratio autem naturalis apertissime docet, ouibus non cõuenire, vt pascant, ac regant, sed regantur, atq; pascantur. At eligere Pastores, ad gubernationẽ & regimen pertinere certissimum est; non igitur populo conuenit Pastores eligere.

OBIICIES fortasse, quod in terrena Republica populi dicantur oues; reges, pastores, & tamen regis electio ad populum spectet. RESPONDEO, aliam esse rationem terrenæ, aliam cœlestis, ideſt, Christianæ Reipublicæ. Nã in terrena Repub. nascuntur oẽs hoies naturaliter liberi, & proinde potestatẽ politicã immediate ipse populus habet, donec eam in regem aliquẽ non transtulerit. At Christiana Respublica nũquam habuit eiusmodi libertatẽ, siquidem cũ ipsa natus est, & Pastor ipsius, Christus enim simul Ecclesiam instituit, & Petrum ei præfecit. Deinde populus in terrena Republica tum solum potest regem eligere, cũ rege caret: at Ecclesia nunquam rege caret, semper.n. Christus viuit, semper etiam sunt in Ecclesia Episcopi aliqui, qui pastores nouos eligere & creare possunt.

QVARTO idem probatur exemplo Apostolorum, qui Episcopos passim eligebant sine vllo suffragio multitudinis, vt vel ex eo constat, quod episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes, & infideles. Neq; valet quidquã responsio KEMNITII, qui in Examine Tridentini concilij in disputatione de Sacramẽto ordinis scribit, episcopos, quos Apostoli mittebant ad infideles, eligi solitos a plebe illius ecclesiæ, vbi ordinabantur. Nã qui dicunt iure diuino pertinere electiones ad populum, eam rationem reddunt, ne populus accipiat Pastorem, quẽ neq; nouit, neq; cupit. Proinde volunt iure diuino pertinere ad populum episcopi proprij, non alieni electionẽ. Deinde quo iure vnus populus episcopum alterius populi eligere potest? Denique vnde probat Kemnitius, Episcopos, quos Apostoli mittebant, a populo eius Ecclesiæ electos fuisse, vbi ordinabantur?

QVINTO probatur eadem nostra conclusio ex conciliorum veterum decretis, ac I. LAODICENVM concilij can. 13. sic habet: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.* Nec valet CALVINI responsio, qui canonem istum ita interpretat, vt velit non excludi eo canone turbas ab electione, sed solum constitui vt non solę turbę eligant, sed interſint etiam seniores. Cum.n. semper interfuerint seniores, nihil omnino Concilium statuisset, si vera esset Caluini interpretatio.

Ad hæc in concilio Martini Papę apud Martinum Bracarensem, c. 1. decretorũ ita legimus: Deniq; *Nõ licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotiũ promouentur, sed in iudicio Episcoporum sit.* Item concilij NICÆNVM II. can. 2. sic habet: *Omnẽ electionẽ, quæ fit a magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere. Oportet enim eum, qui est promouendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.*

Deniq; concilium IV. CONSTANTINOPOLITANVM quod est octauum generale, can. 28. *Sancta*, inquit, *& vniuersalis Synodus definit, neminem laicorum Principum, vel potentum semet inferre electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cuiuslibet Episcopi, præsertim cum nullam in talibus potestatem, quemlibet potentium, vel ceterorum laicorum habere conueniat, sed potius silere, ac attendere sibi, vsque quo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis.*

SEXTO idem probatur exemplis, seu testimoniis veterum, qui post Apostolos floruerunt. S. HIERONYMVS in epist. 85. ad Euagrium: *Alexandriæ*, inquit, *a Marco Euangelista vsque ad Heraclam, et Dionysiũ episcopos Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Hæc ille. Quo satis aperte docet Alexandriæ antiquissimis temporib. episcopos non a populo, sed a Presbyteris eligi solitos. RVFFINVS li. 10. hist. c. 9. scribit, Frumentium a S. Athanasio creatum Episcopum Indorum, Indis ipsis ea de re nihil neque scientibus, neq; cogitantib. EPIPHANIVS in epistola ad Ioannem Episcopũ Hierosolymæ scribit a se Paulinianum S. Hieronymi fratrem Presbyterum ordinatum, & directum ad monasterium, vt in eo fungeretur munere sacerdotali, cum tamen de ea re nihil ad se eiusdem monasterij fratres scripsissent. S. AVGVSTINVM Anglorum Apostolum B. Gregorius Episcopum designauit, atq; ab Arelatẽsi Episcopo ordinari iussit, si Angli fidem reciperent, neq; electionem, aut postulationem vllam Anglorũ exspectauit. Vide Bedam li. 1. hist. gentis suæ. Beatus quoq; Gregorius II. S. Bonifacium Germanis episcopum ordinauit nihil ea de re scientibus, cogitantibusve Germanis. Vide ipsius vitam nuper editam, atque eiusmodi exempla plurima possent afferri.

SEPTIMO idem probatur ex incommodis, quæ popularem electionem consequuntur, PRIMVM, populares imperiti sunt, nec possunt etiãsi maxime velint, iudicare an aliquis sit idoneus sacerdotio nec ne. Valẽtinianus Augustus, vt refert Theodoretus li. 4. hist. c. 6. cum ad eum deferretur ab episcopis electio Episcopi Mediolanensis, respondit: *Maior res est, quam vt*

nobis conueniat, vos autem gratia diuina præditi, & illius splendore fulgentes melius eligetis. Hæc ille. At quanto magis id posset ac deberet dicere imperita multitudo, si saperet? Quo pacto n. quæso, iudicabunt mercatores, agricolæ, cœmētarij, ceteriq; opifices, nū quis habeat eruditionē, & prouidentiam ēpo necessariam?

DEINDE, si populus ius habeat eligēdi, necesse erit, vt semper ij præficiantur quos præfici cupiēt peiores, & stultiores; nam maior pars vincet, plures autē sunt in qualibet ciuitate mali, quam boni, plures stulti, q̄ sapientes. Quare S. Chrysostomus li. 3. de sacerdotio grauiter queritur, quod suo tempore episcoporum electiones in manu populi essent, ac dicit non esse mirandum, si pessimi quique præficiantur, & optimi viri interim negligantur, cum eorum sit eligere; qui nihil norunt nisi de rebus temporalibus iudicare.

DENIQVE, electio popularis obnoxia est tumultib. ac seditionibus, vt S. Augustinus dicit in epist. 110. & 225. vbi refert historiam turbulentissimæ commotionis popularis in electione Piniani. Ruffinus quoque li. 11. hist. c. 11. narrans dissensionem populi Mediolanensis in Epō designando. *Dissensio*, inquit, *grauis & periculosa vrbi propriæ maturum parabat exitium.* Sed insignis contentio præter ceteras fuit in electione S. Damasi, tanto enim ardore animi partes cōcurrerūt, vt in quodam templo C. XXXVII. homines necarent, vt scribunt Ammianus Marcellinus lib. 27. Hieronymus in Chronico, & Ruffinus li. 11. hist. c. 10.

AT, inquit Caluinus, si tam est incommoda hæc ratio eligendi, cur eam veteres patiebantur? Quod ergo eam non tollerent è medio, argumento est non potuisse tolli, ꝓpterea, quod esset iure diuino cōstituta.

RESPONDEO, eam rationem eligēdi ad suffragia populi, paulatim in Ecclesiam irrepsisse, proinde debuisse etiam paulatim suauiterq; de medio tolli; initio. n. hoc est, Apostolicis temporibus, insciente populo, Pastores eligebantur. Deinde cēpit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita, & moribus eligendi. Vnde est illud Tertulliani in Apolog. cap. 39. *Præsunt probati quique seniores, honorem istum non precio sed testimonio adepti.* Tum vt populi magis diligerēt suos episcopos, cēpti sunt ij tātum ordinari, quos populus postulasset. Vnde est illud S. LEONIS in epist. 87. vel 89. *Exspectaretur vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in sacerdotū solent ordinationibus ab his, qui norum Patrum regulas, custodiri.* Vbi S. Leo populis tribuit vota, id est, desideria, & testimonia, Clericis autem electionem.

Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, vt etiam ius suffragij sibi populus vsurparet, vt intelligi potest ex lib. 3. Chrysostomi de sacerdotio. Sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, & apparuit eius rei confusio, & indignitas, tū etiam paulatim sublata est populo electio & postulatio, solumq; relictū est testimonium vitę & morum. Nam etiam nunc ordinātur Episcopi & Presbyteri coram populo, & episcopus, qui ordines collaturus est, per Diaconum populum alloquitur, ac petit, vt si quis est, qui aliquid habeat aduersus ordinandos, accedat, & dicat. Super est argumenta soluere.

Matthias ILLYRICVS in lib. de electione Episcoporum collegit omnia ferme argumēta, quæ a Luthero, Brentio, Caluino, & alijs excogitata fuerant. Sex aūt primo loco ex verbo Dei argumenta depromit. PRIMVM eiusmodi est; Claues regni cælorum non soli Papę aut episcopis, sed toti Ecclesiæ datæ sunt. Nā quod dicitur, Matt. 16. *Tibi dabo claues, &c.* S. Augustinus tract. 124. in Ioan. interpretatur dictum esse Petro, vt is personam gerebat Ecclesiæ. Præterea Matt. 18. toti multitudini dicitur: *Quæcunq; alligaueritis super terrā, &c.* Illis enim hoc dicitur, quibus dicitur paulo ante: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum, &c.* At a nomine clauiū significatur omnis potestas ecclesiastica, igitur tota multitudo fidelium potestatē habet a Christo eligēdi & vocādi, atq; ēt ordinādi Ministros.

RESPONDEO, de hoc argumento multa diximus in 1. lib. de Pontifice, idcirco paucis hoc loco rem totam expediemus. Igitur verba illa Matt. 16. *Tibi dabo claues*, sententię nostrę manifeste fauent, neque illi repugnat S. Augustini interpretatio. Nā propterea S. Augustinus dicit, Apostolum Petrū in persona totius ecclesiæ accepisse claues, quia in totius ecclesiæ commodum & vtilitatem eas accepit, & etiam quia non ipse solus illis vsurus erat, sed transmissurus ad successores, & communicaturus cum alijs omnibus episcopis & Presbyteris.

In altero autem loco: *Quæcunque alligaueritis, &c.* promittitur Ecclesię potestas ligandi & soluendi, sed quæ in Prælatis sit, non in reliqua multitudine. Vere enim dicitur Ecclesia soluere & ligare, quia Prælati eius soluunt & ligant, quemadmodum dicitur homo loqui & videre, licet non nisi lingua loquatur, & oculis videat. Id āt ita esse, ex ipso illo loco deducitur; nā posteaq̄ iusserat, vt qui correptione fraterna, adhibitis etiam duobus aut tribus testibus, non moueretur, deferretur ad Ecclesiam, & ne quis ecclesiæ tribunal contemnendum putaret, adiecit eam promissionem: *Quæcunque alligaueritis &c.* quare illi ecclesię dicitur: *Quæcunque alligaueritis*, de qua dictū est. *Dic Ecclesiæ.*

Illud autem: *Dic Ecclesiæ*, exponitur a Chrysostomo in cōmētario eius loci, ac si dictū esset, Dic Prælato ecclesię; ceteri quoq; Doctores per ecclesiā eo loco positā intelligunt Prælatū, aut concilium Prelatorū, & vsus ecclesiæ idē cōfirmat; semper enim qui ad Ecclesiam deferuntur, ad Episcopum aut concilium deferūtur.

SECVNDVM argumentum tale est; Imperat Dominus Ioan. 10. vt non audiamus vocem alienorum. Et rursus Matt. 7. vt fugiamus falsos Prophetas; & Apostolus ad Gal. 1. iubet anathematizari eos, qui docent aliquid præter Euangelium. Igitur populus Christianus diuinum habet mandatum, quo tenetur bonos Pastores quærere & vocare, & pernitiosos reijcere.

RESPONDEO, populum debere quidem discernere verū a falso Propheta, sed nō alia regula, quam diligēter attendendo, an is, qui prædicat, dicat contraria ijs, quæ dicebantur a prædecessoribus, vel ijs, quæ dicuntur ab alijs ordinarijs Pastorib⁹, & præsertim ab Apostolica sede, et ecclesia principali; nam imperatum est populo, vt audiat Pastores suos. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth. 23. *Quæ dicunt, facite.* Non igitur debet populus iudicare suum Pastorem nisi noua audiat, & a doctrina aliorum Pastorum aliena.

PRÆTEREA, hoc est quod Paulus monet ad Gal. 1. vt anathematizemus, qui docēt noua, & cōtraria ijs, quæ antea euangelizata sunt. Adde, quod populus cū sit rudis, non potest aliter iudicare de doctrina Pastoris. Si enim per se posset iudicare, non egeret prædicatoribus: ex quo deducitur, debuisse hominibus huius temporis suspectam esse doctrinam Lutheri, Caluini, & similium, qui per se veniebant, & prædicabant noua & pugnantia cum doctrina omnium Pastorum ecclesiæ. Nam cum Pastor ordinarius & aliquis alius qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet omnino populus Pastorem suum, potius sequi, quam illum alterum, qui non est Pastor, etiamsi forte contingeret, vt Pastor erraret. Nam cum ipse populus nō possit de ea re iudicare, cur non potius credet illi, cui iussus est obedire? Quanquam non est credibile, Deū permissurum, vt ordinarius Pastor ita erret, vt decipiat simplicem populum; facile enim apparet, an doceat contraria ceteris Pastoribus.

Obseruandum est præterea, populum posse quidē ea regula, quam posuimus, internoscere verum Prophetam a falso, sed non propterea posse falsum Pastorem,

rem, si sit episcopus, deponere, & alium eius loco sub stituere. Nam Dominus & Apostolus tantum iubet, vt falsi Prophetæ non audiãtur a populo: non autem vt populus eos deponat, & certe vsus ecclesiæ semper hoc habuit, vt hæretici episcopi a Concilijs Episcoporum, vel a summis Pontificibus deponerentur. Ex his secundum argumentum manet solutum.

TERTIVM argumẽtum est hoc; episcopi non sunt Domini, sed ministri ecclesiæ, 1. Corint. 3. & 1. Pet. 5. „ Et prẽterea ecclesia est columna & firmamentum ve „ ritatis, 1. Tim. 3. Igitur summum tribunal est penes ec „ clesiam, non penes episcopos, proinde ipsa potest eligere & vocare Ministros.

RESPONDEO, Episcopos esse Ministros Ecclesiæ, quia pro ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo, eiq; præsidendo, vt alias diximus. Duplex. n. est genus Ministrorum, cum alij seruiant obediẽdo, vn mãcipia; alij imperando, vt pedagogi, & omnis magistratus; porro episcopos seruire populis regendo & imperando, patet Act. 20. & ad Heb. 13. Est autem ecclesia columna veritatis, quia semper audit Petrum, pro quo Dominus orauit, ne deficeret fides eius.

Argumentum QVARTVM sumunt ex Actorum 1. „ vbi non soli Apostoli, sed tota ecclesia elegit Matthiã „ & Barsabam, vt ex eis Deus vnum assumeret.

„ RESPONDEO cũ Chrysostomo in hunc locũ, id factũ esse ex concessione Petri, nõ ex necessitate: *Quid*, inquit CHRYSOSTOMVS, *an nõ licebat ipsi Petro eligere? licebat, & quidẽ maxime; verũ id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Præterea illa non tã electio fuit, q̃ postulatio quædã, qua cupiuerunt a Deo aliquẽ eligi in locũ Iudæ. Deniq; ab exemplo vno non deducitur aliquid esse de iure diuino. Nos quidẽ efficaciter probamus, non esse de iure diuino, vt populus eligat; qn exẽplis ostendimus, aliquando, sine populi suffragio Episcopos fuisse electos, quia non potest recte fieri cõtra ius diuinum. At non efficaciter probamus esse de iure diuino id omne, quod aliquando factum legimus.

QVINTVM argumentum ex Act. 6. vbi de multitu „ dine credentium dicitur: *Et elegerunt Stephanũ, &c.*

„ Respondeo PRIMO, ab hoc exemplo non probari, id esse de iure diuino. SECVNDO dico, id etiam esse tributum populo ex concessione Apostolorũ, vt Lucas ipse aperte testatur. TERTIO dico, locum hunc non esse ad propositum: Nos enim agimus de electione Pastorum, qui præficiuntur Ecclesiæ regendę, isti autem Diaconi erant præficiendi mensis:

Argumentum SEXTVM act. 14. *Et cum constituissent illis per singulas ciuitates Presbyteros*, verbum Græ „ cum χειροτονήσαντες, significat, cũ elegissent per suf „ fragia. Nam χειροτονέω est quasi χειρας τείνω, ideſt, ma „ nus tendo, seu attollo in signum suffragij; vt. n. con „ stat ex M. T. in oratione pro Flacco, signum suffragij „ apud Græcos erat, attollere manus. Cum ergo Paulus „ & Barnabas elegerint episcopos ad suffragia populi, „ manifestum est, eos præfuisse quidem electioni, sed „ non solos elegisse.

RESPONDEO ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum Illyrici, Caluini, Kemnitij, & aliorum, verbũ χειροτονέω tria significare posse. PRIMO, eligere per suffragia, vt ratio ipsa etymologiæ docet, & vsus etiam profanorum auctorum.

SECVNDO, eligere ac decernere quocunque id fiat modo: Nã ẽt si etymologia ab extẽsione manuũ sumpta sit, tñ deriuatur postea verbum ad oẽm electionẽ & sanctionem, vt multis aliis verbis accidit. Nã Act. 1. Lucas dicit. *Cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Græce est καὶ συγκατεψηφίσθη, id est, suffragiis additus est. Nã ψηφίζεσθαι est dare suffragium, & ψήφισμα est ipsum suffragiũ, & tamen B. Matthias non suffragiis, sed sorte electus est. Itaque ψηφίζεσθαι eo loco accipitur pro cooptare, quocunque modo id fiat, & Act. 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo*, Græce, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Nec tamen Deus suffragijs elegit, quibus ostenderet Christum redituum.

TERTIO, significat apud Ecclesiasticos, ordinare p manuum impositionẽ. Nam Chrysostomus hom. 14. in Acta, exponens illud: *Et cũ orassent, imposuerũt illis manus.* Sic ait: τοῦτο γὰρ ὅτι χειροτονία. Et ho. 10. in 1. Tim. quærit, cur Apostolus, cum præcepit de Epis, transit ad Diaconos, omissis Presbyteris, & respõdet, quia episcopi & Presbyteri sunt ijdẽ, nisi quod episcopi ordinant, Presbyteri non ordinant. τῶ γὰρ χειροτονίαν μόνῳ ἀνατεθῆναι. Eodem modo concilium Nicænum in epist. ad Alexandrinos apud Theodoretum li. 1. hist. c. 9. vtitur voce χειροτονία, pro ordinatione; si igitur accipiamus illud Act. 14. χειροτονήσαντες, secundo modo, vel tertio, argumentum solutum est; si autem accipiamus primo modo, tunc notãdum est, χειροτονεῖν, non significare eligere per suffragia ab alijs data, sed eligere proprio suffragio, vt patet ex etymologia, & ex vsu auctorũ. Nã Demosthenes in oratione cõtra Timocratem, tribuit populo χειροτονεῖν. Sic. n. ait: ὁ δῆμος τὰς ἐμὰς γνώμας περὶ ἐσωτηρίας τῆς πόλεως ἐχειροτόνει. Similiter Cicero ĩ oratione pro Flacco, de populo dicit; Porrexerunt manus, psephisma natum est. Cũ ergo Lucas dicit de Paulo & Barnaba χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, non vult dicere, Paulũ & Barnabã ad suffragia populi creasse eos, sed ad suffragia propria tñ, nisi velint aduersarii illud, χειροτονήσαντες referri ad populũ, repugnãte tota sñia Scripturæ. Nã de quibus dicitur; cũ constituissent Presbyteros, de ijsdem dicitur: *Commendauerunt illos Deo, in quẽ crediderant*, quæ sine controuersia ad Apostolos tantum referuntur.

Argumentum SEPTIMVM sumunt Lutherus, Cal „ uinus, Kemnitius, & Illyricus ex Cypriano, qui lib. 1. „ epist. 4. sic ait; *Propter quod plebs obsequens præceptis Do „ minicis, & Deum metuens, a peccatore præposito separare „ se debet, nec ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, q̃ „ do ipsa maxime habeat potestatem, vel eligẽdi dignos Sa „ cerdotes, vel indignos recusandi. quod & ipsum videmus „ de diuina auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præ „ sente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque ido „ neus publico iudicio ac testimonio comprobetur &c.*

RESPONDEO dupliciter. PRIMO, Cyprianũ nõ vel le dicere, descendere ex iure diuino, vt eỹus a populo eligatur, sed ab exẽplis diuinis, vt patet ex sequẽtibus. Nã probare volens, hoc descendere de diuina auctoritate, probat solũ tribus exẽplis Scripturarũ; quia nimirũ Eleazarus, Num. 20. corã populo ordinatus est, & similiter Matthias, Act. 1. & septem Diaconi, Act. 6. At exempla scripturarum non faciunt rem esse de iure diuino, sed præcepta Dei sunt, quæ hoc faciunt.

SECVNDO dico, Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones Sacerdotum, nisi vt ferant testimonium de vita & moribus ordinandorum, quod ẽt nunc seruatur in ecclesia Catholica. Dicit autẽ Cyprianus, populum habere potestatem eligendi, & suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid nouerit boni vel mali de ordinando, & sic testimonio suo efficere, vt eligatur, vel non eligatur. Itaq; habet populus secundum Cypriani sententiam, potestatem eligẽdi, & suffragandi per testimonium, non per calculũ, more testis, non iudicis. id quod ex eodem loco perspicuum fieri potest; dicit enim debere in Ecclesia eligi episcopum, quomodo Scriptura docet fuisse electum Eleazarum. At scriptura Num. 20. dicit, Eleazarum electum a Mose, & nihil tribuit populo, nisi corã eo fuisse Eleazarum electum; & Cyprianus explicans hoc, ait: *Coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instrui, & ostendit ordinationes sacerdo-*

tales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel denegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. Et infra: *Propter quod diligenter de traditione diuina & Apostolica obseruatione seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Epi eiusdē prouinciæ proximi quiq; conueniant, & Epus deliganur, plebe præsente, quæ singulorū vitā plenissime noui, & vniuscuiusq; actum de eius cōuersatione perspexit.*

Argumentum OCTAVVM sumit Illyricus ex Nicæno Concilio. Nam in epist. eiusdem concilij ad Alexandrinos, apud Theodoretum lib. 1. ca. 9. hist. habentur hæc verba: *Dignum est, vos potestatem habere, & eligēdi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero sunt digni, & absolute facere omnia secundum leges & sanctiones Ecclesiæ: si quem vero contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, solum modo si videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul & designante maxime Alexandrinæ ciuitatis Episcopo.*

RESPONDEO, ex hoc testimonio nihil aliud colligi posse, nisi iam tum cœpisse cōsuetudinem, vt populus electioni admisceretur, q̄ nos minime negamus. Nō autem inde colligitur, id esse de iure diuino, quod aduersarijs erat probandum. Sed NOTANDA est hoc loco duplex fraus Illyrici. Nam Concilium Nicænū initio huius testimonij ab Illyrico citati, nō loquitur de plebe, sed de episcopis, atque illos dicit habere debere potestatem eligendi, & omnia faciendi secundum ecclesiæ sanctiones: Illyricus autem sic peruertit, & immutauit verba, vt videatur Concilium tribuere plebi omnem potestatem gubernandi Ecclesiam; deinde ad finem eius testimonij Concilium dicit debere eligi episcopum a populo, sed confirmari electionem ab episcopo Alexandrino (nam de episcopis Ægypti agitur) & proinde tribuit Concilium præcipuam auctoritatem episcopo in electionibus: Illyricus autem immutauit verba, vt videretur episcopus nihil amplius posse, quam populus. Vide totum locum.

Argumentum NONVM Illyrici, Caluini & Kemnitij, sumitur ex epistola Concilij II. generalis ad Damasum, eam recitat Theodoretus li. 5. hist. cap. 9. vbi sic legimus: *Reuerēdissimum & Deo amabilem Nectarium Episcopum ordinauimus coram vniuersali Concilio cum omni concordia: sub aspectu etiam Deo amabilis Imperatoris Theodosij, vniuersiq; Cleri, cuncta decernente pariter ciuitate.* Similia profert Caluinus ex Leone epist. 89. & Gregorio lib. 2. epist. c. 69. Addit Kemnitius vnum testimonium ex Ambrosio li. 10. epist. 82. & alia, quæ non ex fontibus citat, sed ex decreto Gratiani, dist. 23. 24. 62. 63. 65. 67. & 8. quæst. 1. can. Licet. multa etiam eiusdem generis citat Illyricus in suo libro de electione episcoporum.

RESPONDEO PRIMO, ex nullo horum testimonio rum colligi, esse de iure diuino, vt populus eligat. SECVNDO, in his oībus, vno vel altero exceptis, nullā fieri mentionem electionis, sed solum postulationis vel testimonij. TERTIO, nos non negare, quin aliquando populus elegerit, sicut etiam nunc in quibusdā locis eligunt Reges, sed id iuris habere eos, vel habuisse ex concessione Pontificum, non ex iure diuino. Ex quib. apparet, quam splendide mentiatur Caluinus libr. 4. Inst. ca. 5. §. 2. cum dicit ritum eligendi episcopos sine suffragio populi, pugnare cū verbo Dei, & cum multis Conciliorum decretis, quæ statuerunt, irritam esse electionem si aliter fiat. Nam nec vllum verbum Dei attulit, nec vllum Concilij decretum, nec vllum afferri potest, in quo habeatur quod ipse dicit.

Argumentū DECIMVM Illyrici, sumitur a consuetudine ecclesiæ. Dicit. n. fuisse vsum istum in ecclesia per annos fere M. CCC. & solum a tempore Friderici II. qui obijt anno M. CC. L. introductum, vt Laici excluderentur ab electione. Probat autem, quod tādiu durauerit consuetudo eligendi ad suffragia populi, ex Gregorio IX. qui sedit tempore Friderici. Exstat enim in decretalibus epistolis a Gregorio IX. editis, tit. de electione, c. Messana, mentio huius rei; nec non in epistola eiusdem Gregorij ad episcopum Bremensem, apud Krantium lib. 8. Metropolis, c. 3. Denique ita concludit Illyricus hoc argumentum. Quare nullum prorsus est dubiū, quin electio ante annos CCC. & deinceps quoque aliquandiu a Laicis, citra omnem controuersiam sit factitata.

RESPONDEO, Illyricum egregie mentiri. Nam in primis, Apostolorum tempore, & deinceps multis annis nihil potuit in electionibus populus, nisi testimonium vitæ dare, vt ex supra dictis patet, deinde consequentibus seculis irrepsit plebs ad suffragia, sed nec tam longo tempore, nec citra controuersiam, vt Illyricus dicit. Nam Gregorius IX. in epist. citata ad Bremensem Episcopum clarissime dicit, Canonicorum fuisse electionem, licet accesserint etiam vota, id est, desideria & postulationes populi.

PORRO caput Messana, est contra ipsum Illyricū; nam in eo capite prohibetur seuerissime, ne Laici eligant: *Edicto*, inquit Honorius, *perpetuo prohibemus, ne per Laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur; quod si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatē, non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela.* Hæc ille. Non igitur citra controuersiā Laici ante annos trecētos eligebant. PRÆTEREA, electio Alexandri III. ante annos CD. per solos Cardinales facta est, vt cognosci pōt ex Radeuico li. 2. de reb. gestis Friderici I. c. 50. & sequentibus. Item electio Gregorij VII. ante annos quingētos, per solos Cardinales facta est, vt patet ex decreto electionis illius apud Platinā. DENIQVE, quomodo citra controuersiā vsq; ad annum M. CC. Laici elegerunt? cum, vt supra citauimus, Concilium octauū ante annos DCC. & Concilium septimū ante annos DCCC. & Concilium Martini Papæ ante annos DCCCC. & Concilium Laodicenū ante annos M. CC. interdixerint, ne Laici eligāt?

Argumentum VNDECIMVM est eiusdem Illyrici, qui politicas rationes quasdam profert, sed ineptissimas, qualis illa est, quod Canonici & Monachi fere semper eligant episcopos, aut Abbates Papistas, raro aut nunquam Lutheranos, scilicet, valde expediret ecclesijs & Monasterijs, vt ab ijs gubernarētur, q̄ nihil oderunt magis, quam Clericos & Monachos. Addit etiam, valde esse incommodum, quod cū Episcopi & Abbates Germaniæ sint etiam Principes tēporales, a sex tantum aut octo interdum hominibus eligātur; quasi Imperator non sit Princeps longe maior, qui tamen a sex tantum aut septem Electoribus creatur.

CAPVT VIII.

Sexta Propositio.

ELECTIO *Episcoporum non pertinet iure diuino ad summum Pontificem, vt vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum.*

Probatur PRIMO, quoniā ex Euangelio nihil aliud habemus, nisi ecclesiam vniuersam sancto Petro esse commissam, Ioan. vlt. Itaque ad illum pertinet, prouidere Christianis de ijs, qui curam eorum gerāt. DEINDE, si ad Clerū pertineret electio iure diuino, ad totū Clerū pertineret. Non. n. ius diuinum definiuit, vt hi potius, quam illi ex Clericis eligant; at non omnibus Clericis conuenire electionem, satis probatur ex eo, quod eadem fere incommoda acciderent ob multitudinem Clericorum, quæ accidebant in electione populari. Quocirca multis iam seculis soli Clerici primarij eligūt, quod tn fieri non potuisset, si iure diuino omnes Clerici electores fuissēt. DENIQVE, S. Petrus, qui

qui ius diuinum certè non ignorabat, non solũ in ecclesia Romana successorem sibi delegit Clementem, neq; exspectauit, vt is à Clericis eligeretur, sed etiam ad plurimas prouincias Episcopos misit. Vide Damasum in Pontificali, Innocentium I. in epist. ad Decentium, & Ioannem III. in epistolad ad Germanos. Vide etiam de tota re Caietanum de Potestate Papæ & Concilij, cap. 13.

CAPVT IX.

Septima propositio.

RATIO *eligendi summum Pontificem per solos Cardinales, est omnium optima, & meritò conseruanda etsi absolutè posset Pontifex eam mutare, si vellet.*

Secunda pars est euidens, quia de iure positiuo est, vt Cardinales eligant. Probatur prima pars huius cõclusionis, PRIMO, inductione. Non debet Pontifex creari per sortes, nec per carnalem successionem, nec ad suffragia populi, nec ad suffragia totius Cleri, ut iã probatum est, ergo ad suffragia primorum ex Clero: Tales sunt Cardinales, sunt enim præcipui Episcopi; Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ.

SECVNDO, nulli melius iudicare possunt, qualis debeat esse Episcopus eligendus, quàm ij, qui sunt Episcopi Consiliarij, & cum eo Ecclesiam regunt, & optimè norunt Ecclesiastica negotia; tales sunt Cardinales, igitur ad eos rectissimè pertinebit electio.

TERTIO, ex duratione; nulla enim forma electionis diu durare potuit, præter istam per solos Cardinales. Constat enim ab anno M.DLXXIX. vsq; ad hoc tempus per annos CD. semper electos Pontifices à duabus partibus Cardinalium, iuxta decretum Alexandri III. promulgatum in Concilio Lateranensi, vt habemus cap. Licet, extra de electione, nec tamen tunc cœpit electio fieri per solos Cardinales, sed diu antea videtur incœpisse. Nam in illo c. Licet, Alexander III. apertè indicat, iam ante cœpisse morem istũ, vt soli Cardinales eligerent, & solum se constituere, vt non sufficiat maior pars Cardinalium, sed requirãtur duæ partes. Porro ante hoc tempus per M. C. annos, XVII. mutationes inueniuntur in electione Romani Pontificis, vt quidam annotarunt.

QVARTO probatur experientia, quia nunquã fuerunt pauciora schismata, quam hoc tempore. Annotauit Onuphrius in lib. de Pontificibus Romanis, schismata XXIX. in Ecclesia Romana, ex quibus XXVI. fuerunt vsque ad Alexandrum; toto reliquo tempore solum tria. ex quibus etiam tribus vnum solum accidit vitio Cardinalium, nimirum illud, quod factũ est tempore Vrbani VI. Nam illud alterum, quod accidit tempore Ioannis XXII. ab Imperatore Ludouico IV. excitatum est; postremum verò temporib. Eugenij à Concilio Basileensi.

QVINTO probatur; nam hæc forma eligendi temperata est ex omnibus alijs bonis & legitimis formis; sciendum est enim quinque modis præcipuè consueuisse eligi Episcopos. PRIMVS modus fuit, vt ipse sũmus Pontifex per se eligeret. qui modus præsertim seruabatur olim in nouis Episcopatibus erigẽdis; nouisq; Episcopis mittendis.

SECVNDVS modus fuit, vt Episcopum eligerent Episcopi omnes eiusdem prouinciæ, vel maior eorũ pars, postulato tamen testimonio, & consensu Cleri, & populi eius loci, cui Episcopus dabatur: & eodem modo eligebantur Metropolitani, & Patriarchæ, & ipse summus Pontifex, nimirum ab Episcopis vicinis prouincialibus. & hic modus antiquissimus fuit, & durauit satis diu. De hoc modo loquitur Cyprianus lib. 1. epist. 4. *Apud nos*, inquit. *& fere per vniuersas prouincias tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Propositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quinque conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vnusquisque actum de eius conuersatione perspexit.* Idem lib. 4. epist. 2. testatur, Cornelium Papã electum fuisse a plurimis Episcopis, de testimonio & suffragijs totius Cleri & populi. De eodem modo legimus in Concilio Nicæno, cãn. 4. Episcopum debere constitui ab omnibus Episcopis prouinciæ, & si id fieri nequit, saltem per literas debere haberi consensum absentium omnium, vel maioris partis, vt exponit can. 6. eiusdem Concilij. Idem habetur in Concilio Antiocheno, can. 19. & in decretis collectis à Martino Bracarensi, c. 3.

TERTIVS modus fuit, vt eligeret Clerus & populus ciuitatis. Hic modus fuit in vsu tempore Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, Leonis, Gregorij, vt patet ex locis supra citatis.

QVARTVS modus fuit, vt Imperatores & Reges, vel soli, vel cum Clero & populo eligerent. Constat enim, Iustinianum seniorem post recuperatam Italiam, noluisse quenquam creari Romanum Pontificem, sine sua approbatione, qđ seruatum est vsque ad Constantinum IV. qui iuri suorum prædecessorum in hac parte cessit, vt ex Platina, & alijs cognosci potest. Constat item, Carolo Magno ius eligendi Romanum Pontificem & alios Episcopos concessum ab Adriano I. & deinde simile ius concessum Othoni à Leone VIII. vt patet ex Gratiano dist. 63. can. Adrianus, & can. in Synodo.

QVINTVS modus fuit, vt soli Canonici, id est, primarij Clerici Episcopum eligerent, qui modus seruatur à longo tempore in multis Germaniæ locis.

Ex his quinq; formis. PRIMA non potest reperiri in electione summi Pontificis, quia non expedit, vt prædecessor eligat successorem: reperitur tamen aliquo modo, quatenus hæc forma electionis ab ipsius Pontificis decreto manauit. SECVNDA reperitur in hac forma, quantum ad id, quod erat in ea præcipuũ; nam eligunt nunc Episcopi vicini, vt tunc eligebant, nimirum sex episcopi Cardinales. TERTIA non reperitur, quia erat omnium maximè incommoda, vt suprà ostendimus. QVARTA non reperitur etiam, quia q; Imperatores se miscuerint electioni, factum est vel vi, & quasi tyrannide Imperatorum, vt quando Græci Imperatores nolebant creari Pontificem sine suo iussu, immò etiam nisi pecuniariam summam accepissent; quam consuetudinem tyrannicam fuisse affirmat S. Gregorius in commentario Psalm. 4. pœnitentialis; vel quia Pontifices ipsi id necessarium iudicabant ad ecclesiæ defensionem, ut quando Carolo Magno & Othoni id Pontifices concesserunt. At nunc nec Imperatores tyrannicè se ingerunt electioni, nec id requiritur ad ecclesiæ defensionem. Immò etiam vix inuenitur aliquis pius Imperator, qui hoc iure sibi concesso vti voluerit, & è contrario exstat aperta renuntiatio huic iuri facta à Ludouico Caroli filio can. Ego Ludouicus, dist. 63. & ab Othone I. can. Cõstitutio, eadem distinctione. QVINTA denique reperitur; nam quod sunt Canonici in alijs vrbibus, id sũt Presbyteri & Diaconi Cardinales in vrbe.

CAPVT X.

Octaua propositio.

SI nulla exstaret Pontificia constitutio de electione summi Pontificis; vel casu aliquo omnes electores à iure designati, id est, omnes Cardinales simul perirent, ius electionis ad Episcopos vicinos & Clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Comitio generali Episcoporum.

In hac propositione non videntur omnes conueni A re; quidam enim existimant, secluso iure positiuo, ius eligendi deuolui ad Concilium Episcoporum, vt Caietanus tractat. de potestate Papæ & Concilij, c. 13. & 21. & Fraciscus Victoria relect. 2. q. 2. de potestate Ecclesiæ. Alij, vt refert Syluester verbo Excommunicatio, 9. §. 3. docet, ad Clerum Romanum pertinere ius eligendi in illo casu. Sed cõciliari possunt hæ duę opiniones. Nam ad Episcoporum Concilium pertinet sine dubio primaria auctoritas eligendi in illo casu; siquidem, mortuo Pontifice, nõ est in Ecclesia vlla maior auctoritas, quàm generalis Concilij: & si Põtifex non esset Episcopus Romanus, nec alicuius particularis loci, sed solum generalis Pastor totius Ecclesiæ, ad Episcopos pertineret, vel eligere successorem, vel designare electores: tamen posteaquam vnitus est Põ B tificatus orbis Episcopatui vrbis, immediata auctoritas eligendi in illo casu deberet ab Episcopis totius orbis permitti Episcopis vicinis, & Clericis Romanę Ecclesiæ. quod probatur dupliciter.

Primo, quia ab omnibus Episcopis vicinis, & clericis Romanis translatum est ius eligendi ad Cardinales, qui sunt quædam pars Episcoporum & Clericorum Romanæ Ecclesiæ; ergo Cardinalibus deficientibus deberet redire ius eligendi ad omnes Episcopos & Clericos Romanæ Ecclesiæ.

Secvndo, quia hæc est antiquissima consuetudo, vt ex Cypriano supra ostendimus, vt Episcopum tam Romanum, quàm alios eligant Episcopi vicini, præsente Clero, nec vnquam est auditum, quod Episcopi aut Archiepiscopi totius orbis conuenirẽt ad electio- C nem summi Pontificis, nisi in casu, in quo dubitatur, qui sint legitimi electores. Hoc enim dubium à Concilio generali explicari debet, vt factum est in Concilio Constantiensi.

CAPVT XI.

De numero Ordinum Ecclesiasticorum.

Sequitvr tertia Quæstio de distinctione Clericorum, seu Ministrorum Ecclesiæ; quæ sanè quæstio tribus in rebus posita est. Dissentimus enim ab aduersarijs de numero, de antiquitate, & de officio Clericorum. Acà numero incipiamus, Ioannes Caluinus lib. 4. Institutionum, ca. 4. & c. 19. & Martinus D Kemnitius in Examine 23. sess. Concilij Tridentini, reprehendunt numerum septenarium ordinum, quẽ Catholici passim asserunt; ac docent, tres tantum esse veros ordines, Episcoporum, quos ipsi Pastores libentius vocant, Presbyterorum, quos Seniores, vel Doctores, vel Ministros verbi appellant, & Diaconorũ.

Ex ceteris ordinibus simpliciter auferunt ordinẽ Exorcistæ, reliquos agnoscunt quidem, sed neque ordines esse volunt, neque certo numero contineri. Dicunt enim, Lectores, Acolutos, Ostiarios, & similes, fuisse ministros quosdã quos pastores liberè assumebant pro necessitate Ecclesiæ, id est, plures aut pauciores, prout Ecclesiæ magnitudo aut paruitas requirebat. Id verò probant ex eo, quod variè à Patrib. isti ordines numerantur. Et quidem Caluinus lib. 4. c. 4. E §. 1. Hieronymum producit testem, qui in commentario cap. 19. Isaiæ, quinque ordines numerat, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, & Catechumenos.

Kemnitivs autem testes producit; Primo, Dionysium Areopagitam, qui in 5. capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ, tres tantum facit ordines, Pontificum, Sacerdotum & Ministrorum. Secvndo, Canones Apostolorum, vbi numerantur quinque ordines, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Lectorum, & Cantorum. Tertio, Ambrosium, qui in commentario cap. 4. ad Ephes. numerat etiam quinque, sed loco Cantorum ponit Exorcistas. Qvarto, Ignatium in epist. ad Antiochenos & Epiphanium in fine Panarij, qui plures numerat, quàm septem; addunt enim κοπιῶντας, id est, laborantes. Addit etiam Ignatius Cõfessores. Qvinto, Canonistas, qui apud Gratianum dist. 23. & 25. addunt Psalmistam: *Non igitur*, inquit, Kemnitus, *Catholicum dogma est, de septem illis ordinibus.* Hæc illi.

Porro Catholici certum ac statum numerum esse volunt eorum, qui propriè ordines Clericorum nominantur. Est autem obseruandum, duobus modis accipi solere apud auctores ordinem Ecclesiasticum; Vno modo propriè: alio modo communiter. Propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu sacro & solenni cõ feruntur ab Episcopo, & ad certum ministerium sacrificio diuino exhibendum referuntur. Qua ratione septem duntaxat ordines numerantur, videlicet, Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolutus, Lector, Exorcista, & Ostiarius. Etsi enim Episcopus & Presbyter distinguuntur, tamen quantum ad sacrificium, idem omnino ministerium exhibent, proinde vnum ordinem, non duos faciunt, sicut etiam Lector, & Cãtor, seu Psalmista.

Quare Cornelius Papa in epist. ad Fabianũ apud Eusebium lib. 6. hist. c. 33. dicit, in Ecclesia Romana suo tempore, id est, ante annos M. CCC. fuisse Presbyteros XLVI. Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos XLII. Exorcistas cum Lectoribus, & Ostiarijs LII. vbi nullam facit mentionem Cantorum, vel laborantium, vel aliorum quos alij numerãt quia nimirum illi nec habent propriam ordinationẽ, nec referuntur distincta ratione ad sacrificium.

In Concilio item Rom. sub Syluestro, ca. 3. numerantur ijdem septem ordines. In Concilio autẽ Carthag. IV. can. 2. & sequentibus, præter ordines iã nominatos, in epist. 5. Cornelij, & in Concilio Rom. additur vltimo loco Psalmista, seu Cantor, sed ibidem Concilium monet, Psalmistam non ordinari ab Episcopo, sed etiam sine licentia Episcopi, sola iussione Presbyteri, posse officium canendi suscipere. Isidorus lib. 7. Etymol. c. 12. & in epist. ad Ludifredum; Rabanus lib. 1. de instit. Cleric. cap. 6. & sequentibus; Amalarius lib. 2. de officijs Ecclesiast. ca. 7. & sequentibus; Hugo de sancto Victore. lib. 2. de Sacramentis, part. 3. c. 5. eosdem septem ordines numerant, & explicãt; Idem facit Magister sent. quem omnes Theologi sequuntur in 4. dist. 24.

Denique eosdem numerat Concilium Florentinũ in instructione Armenorum, & Tridentinum sessio. 23. c. 2. & Ecclesiæ vsus idem testatur; non enim alij ordines præter istos conferri solent: Nam prima tonsura non est ordo, cum nullum habeat officium annexum, sed est præparatio ad ordines, vt Catechismus ad Christianismum.

Communiter autem dicuntur Ordines illi omnes qui quomodocunque dedicantur diuinis obsequijs, etiamsi non referantur ad sacrificium, & hoc modo etiam Monachi, virgines, & viduæ Deo sacratæ, nec non laborantes in sepeliendis defunctis, ordines aliquando dicũtur à Patribus; nã de ordinatione Monachi scribit Dionysius cap. 6. Ecclesiastic. Hierarch. de ordine verò laborantium in sepeliendis mortuis, Epiphanius in Compẽdiaria doctrina: Habebatur enim actio quædam religiosa, sepultura mortuorum. De ordine Diaconissarum, virginum, aut viduarum, quæ seruiebant Ecclesiæ in instructione mulierum, quæ baptizandæ erant, idem Epiphanius ibidem.

Ex his autem facilè erit explicare loca, quæ ab aduersarijs afferuntur contra numerum septenariũ ordinũ. Ac Primvm ad locũ Hieronymi, à Caluino adductum rñdeo S. Hieron. eo loco nõ loqui de ordinibus

bus Clericorum, sed de ordinibus Christianorum, iõ ponit primo loco Clericos, deinde Laicos, quos fideles vocat, vltimo Cathecumenos: Porro ex Clericis nominat tres tantum. i. Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quia volebat perficere numerum quinarium; Explicabat. n. illud Esaiæ: *Erunt quinque ciuitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaanitide*, ac per eas ciuitates Ecclesiam Christianam intelligi volebat; Itaq; ad perficiendum quinarium numerum, ex oib. Clericis tres primos posuit, in quib. omnes alij continẽtur, quos idem Hieronymus alibi distincte ponit: Nam Subdiaconorum meminit in epist. 92. in primis verbis, Acolutorum meminit ac Lectorũ in epist. 2. ad Nepotianũ: Deniq; Exorcistarum & Ostiariorum in comment. c. 2. epist. ad Titum in postremis verbis.

Ad Locvm Dionysij, a Kemnitio productum, respondeo, Dionysium non voluisse exponere numerũ ordinum, sed numerum Hierarchiarum. Tres enim sunt Hierarchiæ in Ecclesia militante, vt etiam tres sunt in ecclesia triumphante; Prima est Pontificum; Secunda Sacerdotum; Tertia Diaconorum. Diaconi enim, etiamsi ministri dicuntur & sunt, si comparentur ad Sacerdotes: tamen sunt ét Principes, & Præsules, si comparentur ad plebem, & ideo dicuntur Hierarchiæ, Ordines aũt inferiores non presunt populis, sed tantum ministrant Diaconis, & Sacerdotibus.

Quòd autem Diaconi præsint, docent Ignativs epist. ad Trallianos: *Subiecti*, inquit, *estote Episcopo, similiter & Presbyteris, atque Diaconis.* Item Hieronymvs in c. 2. ad Titum: *Nõ solum*, inquit, *Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, sermone, ac scientia præcedant, verum & inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, Aeditui, & omnes omnino, qui domui Dei seruiunt.* Docet id etiam Ioannes Chrysostomvs, qui homil. 83. in Mat. Diacono suadens, vt Imperatorem arceat a communione, si indigne adeat: *Cohibe*, inqt, *& coerce, maiorem tu illo habes potestatẽ.* Et hęc ét ratio est, cur episcopi ordinarie assumerentur ex Presbyteris, aut Diaconis ecclesiæ, non ex inferiorib. ordinib. vt patet ex Leone, epist. 84. ad Anastasium, c. 6. quam etiam puto caussam esse, cur in Romana ecclesia soli episcopi, Presbyteri, & Diaconi sint Cardinales.

Ad locum ex Canonib. Apostolorum respondeo, Clementem in canonibus Apostolorum nusquam voluisse omnes ordines numerare, sed data occasione, modo unum, modo alium ordinẽ nominasse; eundem autem Clementem plures ordines agnouisse, perspicuum est ex can. 15. vbi dicit: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, &c.*

Ad testimonium Ambrosij respondeo, Ambrosiũ in comment. capitis quarti ad Ephesios, solum quinque ordinum mentionem fecisse, quia volebat de ordinib. explicare verba illa Pauli; Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, & quia Paulus solum quinque nomina posuit, idcirco conatus est etiam ipse quinque ordines numerare: Itaque per Apostolos intellexit episcopos, per Prophetas Presbyteros, per Euangelistas Diaconos, per Pastores Lectores, per Doctores, vel, vt ipse legit, Magistros, Exorcistas.

Ad testimonium Ignatij & Epiphanij respondeo, illos Patres numerasse non solum ordines proprie dictos, sed etiam alios.

Ad testimonia Canonistarum respondeo, illos facere nouem ordines, quia distinguunt episcopum a Presbytero, & Lectorem a Cantore, quod Theologi non faciunt: sed in re nõ est dissensio. Theologi enim solum considerant ordines, vt se habent ad sacrificiũ; quomodo (vt diximus) episcopus & presbyter; Lector & Cantor non distinguuntur; Canonistæ autem considerant ordines, vt Hierarchiam constituunt, & idcirco recte distinguunt episcopum a Presbytero, atque hæc de primo.

CAPVT XII.

De antiquitate Ordinum.

Ioannes Calvinvs, de Ordinum, præcipue minorum, antiquitate ita loquitur lib. 4. Instit. cap. 19. §. 27. *Primitiæ*, inquit, *Ecclesiæ incogniti fuerunt, & multis postea annis excogitati.* Sed falsam esse hanc Caluini sententiam testantur Clemẽs, & Ignatius, Apostolorum discipuli: Vterque enim eorum Ordinum meminit. Clemens lib. 8. constit. omnium fere Ordinum etiam minorum ritus declarat. Ignativs autem in epist. ad Antiochenses ita concludit: *Saluto*, inquit, *sanctum Presbyterum, vestrum, saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas.*

Ad hæc, tempore S. Cypriani, oẽs ordines erant in ecclesia, nec tamen tunc cęperunt: Nam ut de re antiqua, & ubique recepta loquuntur auctores illius temporis, qui sane nõ multũ aberant ab Apostolicis temporib. Cyprianvs lib. 2. epist. 10. *Exẽplaria*, inquit, *eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum a me missum, & Nicephorum Acoluthum transmisi.* Lib. 2. epist. 5. & lib. 4. epist. 5. scribit se ordinasse Lectores Aurelium, & Celerinum. Lib. 5. epist. 14. *Presbyter*, inqt, *de Clero, & Exorcista, & Lector Lucianus scripsit.*

Eodem tempore scripsit epistolam sanctus Cornelius ad Fabianum Antiochenum, ex qua hęc sunt verba apud Eusebium libro 6. histor. Eccles. c. 33. *Is ergo qui Euangelium vendicabat, nesciebat in Ecclesia Catholica vnum Episcopũ esse debere, vbi videbat esse Presbyteros XLVI. Diaconos septẽ, Subdiaconos septem Acoluthos XLII. Exorcistas, es Lectores cum Ostiarijs LII.* Omitto Concilium Laodicenum, canone 24. & Carthaginense IV. canone 2. & sequentibus, in quib. omnium Ordinum mentio fit, quorum hoc celebratum est ante annos M.C. illud ante annos M.CC. ex quibus satis colligitur rem esse lõge antiquiorem, quam putet Caluinus.

CAPVT XIII.

De officijs Ministrorum.

Restat officiũ, in quo etiam non parum a nobis Kemnitius, & Caluinus dissentiũt. Dicamus de singulis seorsum. Exordium in ecclesia sumitur a prima tonsura, quæ quidem non est ordo, cum nullũ habeat certum officium annexũ: sed est quædam dispositio, ac præparatio ad Ordines; Profitentur enim se ordinibus initiandos, & a seculi negotijs ad militiam ecclesiasticam transituros, qui ita tondẽtur. Porro de ritu tonsuræ & rasuræ erit infra propria disputatio.

Primvs igitur ordo, Ostiariorum est, de quo Ordine fere conuenimus: Fatetur enim Caluinus lib. 4. Instit. cap. 4. §. 9. Officium Ostiariorum apud ueteres fuisse aperire, & claudere fores ecclesiæ, proinde curam habere ipsius templi; ceterum postea libro eodem, cap. 19. §. 27. reprehendit, quod solenni ritu Ostiarios ordinent episcopi apud nos. Existimat enim ipse non esse certum ordinem ecclesiasticum, sed officium tantum quale est eorum, qui Ianitores sunt in profanis domibus. At nihil ipse affert, quod sententiam suam probet: Nos autem habemus testimonia supra citata, in quibus Ostiariorum Ordo inter Ordines ecclesiæ numeratur: ac præterea in Concilio Carthaginensi IV. canone 9. præscribitur forma, & ritus ordinandorũ Ostiariorũ, & est ille ipse quo nunc vtit ecclesia: *Ostiarius*, inquit Concilium, *cum ordinatur*

postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in A
domo Dei debeat conuersari, ad suggestionem Archidia
coni tradat ei Episcopus claues Ecclesiæ de Altario dicēs,
Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ
his clauibus reconduntur. Itaque Caluinus dum hęc ri
det, non solum modernos Papistas, vt ipse loquitur,
ridet, sed etiam Ecclesiam Catholica, quæ est, & quæ
erat in Christo ante annos M.C.

Secvndvs est ordo Lectorum, quorum officium
erat legere ex pulpito in Ecclesia quidquid legēdum
erat ex vtroque Testamento; nam etiam Euāgelia le-
gi a Lectoribus consueuisse, testatur Cyprianvs li-
bro 2. epist. 5. vbi loquens de Aurelio ordinato Lecto
re: *Nihil*, inqt, *magis congruit voci, quæ Dominum glo-*
riosa prædicatione confessa est, quam celebrandis diuinis
lectionibus personare, & post sublimia verba, quæ Christi B
martyrium proloquuta sunt, Euangelium legere, unde
martyres fiunt. Hæc ille. Credibile tamen est, Lecto-
ris officium non fuisse, vt legeret Euangelium tempo
re sacrificij, (id enim Diaconorum fuisse paulo post
ostendemus) sed solum extra illud tempus.

Calvinvs fatetur quidem hoc fuisse officium Le
ctorum, lib. 4. c. 4. Instit. §. 9. Sed dicit non fuisse gra-
dum, neq; ordinem certum in Ecclesia, sed solum so-
litos Epos quibusdā ex domesticis suis ministris iniū
gere, vt in Ecclesia legerēt Scripturas, vt eo modo in
notescerēt plebi, & discerēt ferre conspectū horum.

At non solum Conciliū Carthaginēse IV. can. 8.
præscribit ritum solennem ordinandi Lectores, sed
etiam S. Cyprianus lib. 2. epist. 5. li. 3. epist. 22. & li. 4.
epist. 5. aperte significat, Lectoratum fuisse ordinem, C
& gradum in Ecclesia: nam passim vocat gradum, &
honorem Ecclesiasticum. Item dicit, Celerinum initio ex humilitate refugisse eum gradum, sed tandē di
uina reuelatione admonitū acquieuisse. Ad hæc excu
sat multis verbis, quòd quosdam ordinauerit Lecto-
res, vrgente necessitate, sine consilio, & consensu ex-
presso Cleri. Denique dicit, se prius quendam Saturū
nomine fecisse Clero proximum, quod ei permisisset,
in Paschate legere in Ecclesia, cùm ordinatus non es
set: deinde uero eum in Clerum cooptasse, atq; ad or-
dinem Lectoris promouisse. vbi uides aliud esse lege
re in Ecclesia, quod solum Caluinus agnoscit: aliud
vero promoueri ad ordinem Lectoris.

Tertivs ordo Exorcistarum est, ad quorum offi-
ciū pertinet, exorcismos Ecclesiæ legere super Ener-
gumenos, & eo modo præparare illos, vt sacrificij di-
uini participes fieri possint. Olim siquidem, quia fre-
quentissimè dęmones pellebantur de corporibus hu-
manis, concurrebant plurimi Energumeni ad Eccle
siam, ita vt essent quasi greges Energumenorum, ac
propterea iste ordo institutus fuit.

Fuisse reuera ordinem certum Ecclesiasticū Exor
cistarum, & non solum donum, & gratiam gratis da-
tam, vt uult Caluinus, patet ex testimonijs supra cita
tis, Ignatij in epist. ad Antiochenos, Cornelij Papę in
epist. ad Fabianum, apud Eusebium lib. 6. hist. ca. 33.
& Cypriani lib. 5. epist. 14. Concilij Romani sub Syl-
uestro canone 3. & Cōcilij Laodiceni canone 24. vbi
Exorcistæ inter ordines numerantur, sed præcipuè id
ostenditur ex Concilio Carthaginensi IV. canone 7. E
vbi sic legimus: *Exorcista cum ordinatur, accipiat de*
manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, di-
cente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, &
habeto potestatem imponendi manum super Energume-
num, siue baptizatum, siue catechumenum. Concilium
item Laodicenum can. 26. prohibet, ne quis exorcizet
neque publicè, neque priuatim, nisi ab Episcopo ad
eum ordinem prouectus sit.

Ex quib. Concilijs intelligimus, quam apertè men
tiatur Caluinus, cum ait lib. 4. Instit. c. 19. §. 24. *Fingi*
tur illis Exorcistis potestas data imponendi manus super
Energumenos. Quomodo enim fingimus, quod ex tā
antiquis Concilijs comprobamus? Adde etiam testi-
monium Sulpitij, qui in libro de vita D. Martini, c. 4.
ita scribit: *Tentauit Hilarius imposito Diaconi officio si-*
bi Martinum arctius implicare, & ministerio uincire di-
uino, sed cum sæpissimè restitisset, indignum se esse voci-
ferans, intellexit vir alioqui ingenij, hoc eum modo posse
constringi, si id ei officij imponeret, in quo quidam locus
iniuriæ videretur: itaque Exorcistam eum esse præcepit,
quam ille ordinationem ne despexisse tanquam humiliore
videretur, non repudiauit.

Qvartvs ordo Acolutorum est, quorū id est, pro
prium, vt cum cereo accenso sequantur Diaconum
ad locū Euangelij: & urceolos, atque ampullas ad sa-
crificium præparent, ac Subdiacono porrigant. Inde
n. dict⁹ est Acolutus, quasi pedissequ⁹ ab ἀκολουθέω,
quod est sequor, & ét ceroferarius a gestando cereo.

Hic uero Caluinus risum tenere non potest, sic n.
ait li. 4. Instit. c. 19. §. 23. *Sed, inquit, in primis ridicu-*
lus est argutia, qua in Acoluti nomine Philosophantur ce-
roferarium appellantes, verbo vt arbitror, magico, certe
inaudito Gentib. ac linguis omnib. Et sup. c. 4. §. 9. *Voca-*
bant, inquit, *Acolutos, qui Episcopo in domesticis obse-*
quijs adessent, eumq; perpetuo comitarentur, primum ho-
noris caussa, deinde ne qua suspicio oriretur. Hæc ille.
Itaq; uult Acolutos nihil aliud olim fuisse, nisi Epo-
rum quasi Cubicularios. At ipse quidē nullo teste, pro-
bat quod dicit, proinde uiderit ipse, an non finxerit.
Acoluti officium ex capite suo: Nos autem Acoluta-
tum ordinem fuisse, & gradum Ecclesiasticū, proba-
mus testimonijs plurimis supra citatis, Cornelij, Cy-
priani, Concilij Romani, & Cōcilij Carthaginensis.

Porro ad officium eius pertinuisse cereos, & urceo
los, quæ Caluinus ridet, testatur Concilium Cartha-
ginense IV. can. 6. *Acolutus*, inquit Concilium, *cum*
ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in offi-
cio suo agere debeat, sed ab Archidiacono accipiat cerofe-
rarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ lu-
mina mancipari: Accipiat & urceolum uacuum, ad sug-
gerendum uinum in Eucharistiam sanguinis Christi.
Hæc ibi. Vbi etiam uides nomen ceroferarij non esse
magicum, neque omnibus Gentibus, & linguis inau
ditum, nisi tot sanctos Patres, & cum eis D. Augusti-
num, qui Concilio intererat, Magos, & nullius Gen-
tis aut linguæ homines esse uelis. Idē quoque nomen
est apud Isidorum lib. 7. etymolog. c. 12. apud Amala D
rium lib. 2. c. 10. apud Rabanum lib. 1. de instit. Cleri
corum, ca. 9. apud Hugonem lib. 2. de Sacramentis,
par. 3. ca. 5. & apud alios multos, qui nec Magi erant,
nec nullius Gentis aut linguæ.

Qvintvs ordo Subdiaconorum est, ad cuius offi-
cium proprie pertinet ministrare Diacono in sacrifi-
cio, ac propterea dum ordinatur, accipit calicem ua-
cuum, & patinam, ut habemus in Concilio Carthagi
nensi IV. can. 5. & in Concilio Toletano IV. can. 27.
Eiusdem est epist. B. Pauli ad Missam legere, ut Con-
cilium Remense canone 4. docet. Meminerūt huius
ordinis omnes auctores supra citati. Proinde falsum
est, quod scribit Caluinus libro 4. Institut. cap. 4. §. 5.
Subdiaconorum officium nil aliud fuisse, nisi iuuare
Diaconos in eleemosynis distribuendis, pauperibus- E
que curandis.

Sextvs ordo Diaconorum est, quos oblationibus
colligendis, & opibus Ecclesiæ administrandis prępo
sitos fuisse, inter Catholicos, & hæreticos constat: id
enim testantur Acta Apostolorum, cap. 6. Idem patet
ex Leone in sermone de sancto Laurentio: ex quo of-
ficio fortasse factum est olim, ut Diaconi insolescerēt
aduersus Presbyteros; semper. n. officia pecuniaria a-
damata præ ceteris fuisse uidētur. Reprehēdunt Dia
conorum arrogantiam Concilia nonnulla, Nicęnum
can. 14. Laodicenum canon. 20. & Toletanum IV. ca-

none

none 38. Item patres, Cyprianus libro 3. epistola nona, Hieronymus in epistola 85. ad Euagrium, & libro 14. in Ezechielem exponens caput 48. & Bernardus lib. 4. de consideratione.

Sed præter hoc officium habebant etiam Diaconi alia nonnulla, quæ aduersarij non agnoscũt. PRIMO, Diaconorum erat Sacerdoti sacrificanti assistere, ac ministrare, & populo distribuere Eucharistiam: ac propter sacrum hoc ministerium, potissimum sacram ordinationem accipiunt. Videmus enim Act. 6. per impositionem manuum ordinari Diaconos, qua sacra ceremonia non est credibile Apostolos vsuros fuisse, si solum Ministerium mensarum Diaconis committere voluissent; antea enim viduę ministrabant mensis, nec tamen certo ritu ordinabantur.

Præterea Clemens lib. 2. c. 14. Constitut. significat Diaconos Sacerdoti ministrare solitos in sacrificij oblatione: quod etiam aperte docet Cyprianus in sermone 6. qui est de lapsis; Idem cognoscimus ex historia sancti Laurentij, apud Ambrosium lib. 1. de officijs c. 14. Inducit enim sanctum Laurentium sic loquentẽ ad D. Sixtum: *Quo progrederis sine filio pater? Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueuerας.* Et infra: *Cui cõmisisti consummandorũ consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* Idem patet ex liturgia Chrysostomi, & ex hom. 83. super Matthæum. Idem ex S. Gregorio, qui in epistola ad Leandrum, quę præfigitur libris eius in Iob, nihil aliud Diaconatum, nisi sacri altaris ministerium vocat: Denique Isidorus, Rabanus, Amalarius, Hugo, & alij supra citati, qui describunt officia omnium ordinum, hoc docent, quod nos diximus.

SECVNDO, diaconorũ erat tpe sacrificij Euangeliũ legere: Id testatur præter supra dictos auctores S. HIERONYMVS in epist. 48. ad Sabinianum: *Tu*, inquit, *exanguis & pallidus, vt suspicione omni careres, Euangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas.* Testatur etiam S. GREGORIVS in Synodo Romana, quæ habetur li. 4. epist. cap. 88. vbi prohibet, ne diaconi cantent in ecclesia, excepto Euangelio, tempore sacrificij; Idem etiam testantur concilia antiqua, Vasense canon. 4. & Remense canon. 5.

TERTIO, diaconorum erat baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Eucharistiam deferre, & præbere laicis, ac breuiter omnia facere, quæ Episcopi & Presbyteri faciunt, excepta consecratione corporis Domini, & ordinatione Clericorum, & alijs officijs, quæ requirunt potestatem ordinis. nam diaconos baptizare posse, patet exemplo Philippi diaconi. Act. 8. vnde TERTVLLIANVS in li. de Baptismo: *Ius*, inquit, *dandi Baptismũ summus Sacerdos habet, de hinc etiã Presbyteri, & Diaconi.* Posse item diaconos prædicare, docet exemplum Stephani & Philippi diaconorum, Actor. 7. & 8. Item exemplum sancti Vincentij Martyris, qui cum diaconus esset, prædicabat tamen, vt Augustinus testatur serm. 2. de S. Vincentio.

Denique Gregorius lib. 4. epist. c. 88. docet, ad diaconum etiam pertinere officium prædicationis, & ipsum etiam Gregorium adhuc diaconum prædicasse testatur Ioannes diaconus in eius vita lib. 1. c. 41. Rursus diaconos aliquando reconciliare solitos pœnitentes in absentia Episcopi, & Presbyterorum, docet Cyprianus li. 3. epist. 17. Item Eucharistiam præbere laicis in absentia Presbyterorum posse diaconos, docet Concilium Nicænum canone 14. Testatur item Iustinus in Apologia secunda extremo, diaconos deferre solitos Eucharistiam ad absentes.

Est tamen obseruandum, hæc omnia, ac præcipue officium prædicandi, propria Episcoporum esse, ita vt ne Presbyteris quidẽ prædicare liceat, nisi ex Episcopi mandato, aut consensu. Episcopi enim proprie Apostolis succedunt, Apostoli autem sunt, qui Act. 6. dicunt: *Non est bonum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Scribit et Possidonius in vita B. Augustini cap. 5. Valerium Episcopum concessisse S. Augustino Presbytero suo prædicandi potestatem, quod ipse cum Græcus esset, minus commode Latino populo prædicare posset. Legimus quoque in Concilio Vasensi II. can. 2. factam ab Episcoporum Concilio Presbyteris potestatem prædicandi. Ibidem præcipitur etiam vt diaconi, quando non est Presbyter, qui prædicet verbum, Homilias sanctorum Patrum loco concionis recitent.

SEPTIMVS ordo, Sacerdotum est, de quo grauis controuersia inter nos, & hæreticos versatur, quæ in sequenti capite disputanda est.

CAPVT XIV.

De distinctione Episcopi & Presbyteri.

EXISTIT igitur quæstio; *Sitne Presbyter idem omnino quod Episcopus, ac præsertim iure diuino.* Fuit antiqua hæresis Ærij teste Epiphanio hæresi 75. & Augustino lib. de hæresibus, ca. 53. nihil interesse inter Episcopum & Presbyterum; quam hæresim propterea ille videtur excogitasse, vt seipse consolaretur, quod Episcopus factus non esset, vt aperte significat Epiphanius. Eandem hæresim postea sequutus est Ioannes VViclefus, teste Thoma VValdensi libro 2. doctrin. fidei, art. 2. cap. 60. & nostris temporibus Lutherani & Caluinistæ. siquidem Ioannes CALVINVS libro 4. Instit. cap. 4. §. 2. sic loquitur: *Quibus docendi munus iniunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros, illi ex suo numero in singulis ciuitatibus vnum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex aqualitate, vt fieri solet, dissidia nascerentur; neque tamen sic honore, & dignitate superior erat Episcopus, vt dominũ in collegas haberet, sed quas partes habet consul in senatu, vt referat de negotijs, consulendo, monendo, hortando, alijs præeat, auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur. Id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu; atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres.* Hæc ille. Non dissimilia habent Martinus Kemnitius in examine session. 23. Concilij Tridentini. Nec non & Erasmus annotatione ad 4. caput 1. ad Timotheum.

At Ecclesia Catholica distinctionem agnoscit, ac docet iure diuino Episcopatum Presbyterio maiorem esse, tum ordinis potestate, tum etiam iurisdictione: sic enim loquitur Concilium Trident. session. 23. cap. 4. *Proinde sacrosancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, &c.* Et canon. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Et can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, &c. anathema sit.* Eandem sententiam docent, & defendunt Theologi Doctores apud Magistrum in libr. 4. sent. distin. 24. & S. Thom. in 2. 2. quæst. 184. artic. 6.

Nos igitur omissa illa quæstione, quæ ad disputationem de Sacramentis pertinet; Sitne vnus ordo, vnúve Sacramentũ Episcopatus, & Presbyterij, aut duo: tria demonstrare conabimur. PRIMO, iure diuino maiorem esse Episcopum Presbytero, quod attinet ad ordinis potestatem. SECVNDO, maiorem esse etiam quantum ad iurisdictionem. TERTIO, Episcopos in veteri Ecclesia non fuisse in cœtu Presbyterorum,

quasi

quasi Consules in senatu, sed quasi Reges ac Principes in cœtu Consiliariorum.

Quod ad PRIMVM attinet, facile probari potest, episcopum maiorem esse Presbytero, quantum ad ordinis potestatem, idque iure diuino; Nam solus Episcopus ordinare potest Presbyteros, & eo modo generare Patres Ecclesiæ; vt Epiphanius ratiocinatur aduersus Ærium: Presbyteri autem ordinare non possunt, sed solum baptizare, & eo modo filios Ecclesiæ generare, id autem ita esse docet Damasus in epistola 3. Item Concilium Antiochenum c. 10. & Ancyranũ can. 12. Epiphanius hæresi 75. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, in 3. & 4. c. 1. ad Timotheum. Item sanctus HIERONYMVS in epistola 85. ad Euagrium: *Quod facit*, inquit, *Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Denique S. LEO epist. 88. idem docet, & Ecclesiæ consuetudo. Nunquam. n. est auditum, quod Presbyteri Presbyteros aut Diaconos, nedum Episcopos ordinauerint.

Esse autem ex iure diuino, vt soli Episcopi ordinẽt, inde colligitur, quod habebatur irritũ, si quid in ea re fecissent, qui veri episcopi nõ erant. Sic. n. scribit Gregorius III. in epist. ad Bonifacium: *Presbyteri quos reperisti, si incogniti fuerint viri illi, qui ordinant, & dubium est eos Episcopos fuisse, aut qui eos ordinauerint, si bonæ actionis, viriq; Catholici sint, & ipsi Presbyteri in ministerio Christi, de sancta lege edocti, ab Episcopo suo benedictionẽ Presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.* Et ante eum DAMASVS in epist. 3. loquens de Chorepiscopis, qui cum solum Presbyteri essent, Pontificum more ordinare audebant: *Vnum*, inquit, *est & inane, quidquid in prædicto sacerdotij summi egerunt ministerio.* At certe si iure diuino Presbyteri ex ipsa sua ordinatione, id est, ex charactere suo sacerdotali haberent, vt ordinare possent, non esset irritum quod facerent, tametsi prohibente Ecclesia facerent. Præterea cum ordinatio Sacramentum sit (vt etiam Caluinus admittit) & Sacramẽta omnia a Deo sint instituta, certe qui maior est ordinis potestate, quæ per Sacramentum ordinationis accipitur, is quo que maior sit ex diuina institutione necesse est.

Idem argumentum fieri potest ex confirmatione baptizatorum, & templorum atque altarium cõsecratione. Constat. n. solos Episcopos, vt ordinarios Ministros, confirmationis Sacramentum posse conferre, nec non templa & altaria consecrare, neque id Presbyteris licere, vt S. LEO docet in epist. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, & ante eum Damasus in epist. 3. de Chorepiscopis, & ante vtrumque Dionysius c. 4. & 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi dicit solum Episcopum diuina ordinatione Chrisma consecrare; quin etiam videmus Actor. 8. Apostolos ipsos, quibus Episcopi succedunt, missos, vt per manus impositionem darent Spiritum sanctum iam baptizatis.

Quod ad SECVNDVM attinet de potestate iurisdictionis, Episcopos iure diuino Presbyteris esse maiores. Probamus PRIMO ex figura Testamenti veteris, quanquam hoc argumentum, vt etiam sequens de distinctione Apostolorum & discipulorum, probat etiã de potestate ordinis; nam in Testamento veteri erat vnus summus Sacerdos Aaron, & qui ei succedebãt; erant præterea minores Sacerdotes, omnes videlicet filij Aaron, & qui ab illis descendebant; ac denique erant Leuitæ ceteri, qui a Leui originem ducebant, sed non per Aaronem. Constat autem iure diuino fuisse distinctos hos tres gradus, Pontificum, Sacerdotum, & Leuitarum; ita vt Pontifex maior esset Sacerdotibus, & Sacerdotes Leuitis; nam & consecrationes eorum distinctæ erãt, & vestes, & officia, vt patet Exod. 28. & 40. Leuit. 8. & Numeri 3. 4. & 20.

Quod autẽ iurisdictio penes Pontificẽ esset, nõ autem penes cœtum minorum Sacerdotum, patet ex libro Deut. cap. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia iudicis moriatur.* quod etiam fatentur Centuriatores Magdeburgen. Cent. 1. lib. 1. ca. 7. col. 257. *In Ecclesia*, inquiunt, *populi Iudaici vnus tantum erat lege diuina Sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eiq; parere.* Idem quoque fatetur Caluinus lib. 4. Instit. cap. 6. §. 3. *Illic*, inquit, *vnum Antistitem præfecit, quem omnes respicerent, quo melius in vnitate continerentur.* At Episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in testamento veteri, id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes, vt etiam id Diaconi nostri, quod illorum Leuitæ, vt docent Damasus in epist. 3. de Chorepiscopis, Hieronymus in epistola ad Euagrium 85. Leo epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ 88. Concilium Hispalense II. can. 7. & alij permulti grauissimi auctores.

Et sane nulla ratio permittit, vt distinctior fuerit hierarchia in Testamento veteri, quam in nouo, cum illud vmbræ, istud imagini comparetur ab Apostolo ad Hebr. 10. Sequitur igitur, vt sicut in Testamento veteri iure diuino Pontifices Sacerdotibus minorib⁹ auctoritate præstabant, ita etiam Episcopi in Ecclesia Presbyteris præstent.

SECVNDO, probatur hoc idem ex distinctione Apostolorum & discipulorum LXX. Nam Episcopos Apostolis succedere, Presbyteros autem septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres. Vide concilium Neocæsariense can. 13. Damasum in epist. 3. de Chorepiscopis, Anacletum epist. 2. Hieronymum in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, Augustinum tract. in Psal. 44. Leonem epist. 88. Isidorum li. 2. de diuinis officijs, Bedam in caput 10. Lucæ, & alios. Porro Apostolos iure diuino maiores fuisse discipulis septuaginta, satis aperte colligitur. Primum, ex institutione distincta, & diuersa. Apostolos. n. solum duodecim Dominus esse voluit, Lucæ sexto, & eos sẽ per fere secum habebat, ac priuatim instituebat; Discipulos autem LXXII. Lucæ 10. instituit. Præterea Io. 20. solis Apostolis dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Denique Act. 1. Cum ex Iudæ apostasia numerus duodenarius imminutus esset, assumptus est Matthias, nec sine solenni quadam cæremonia, cum tamen esset ille antea ex numero discipulorum.

TERTIO, probatur hoc idem ex illis Domini verbis Matthæi 24. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Hæc enim verba sanctus Hilarius & ceteri Patres in hunc locum, de Episcopis dicta esse volunt; ex quo intelligimus, ipso Domino instituente, Episcoporum propriam esse curam, & gubernationem Ecclesiæ, quo etiam pertinet locus ille Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

QVARTO, probatur ex antiquitate, nam si iure humano Episcopi Presbyteris præessent, inueniretur certe principium aliquod huius institutionis post Apostolica tempora. At ipso tempore Apostolorum is erat Ecclesię vsus, vt Presbyteri Episcopis subessent; nam 1. Timoth. 5. Apostolus ita scribit: *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Vbi videmus episcopum Apostolorum tempore iudicem Presbyterorum, proinde verum Principem, ac superiorem.

Item IGNATIVS Apostolorum discipulus in epist. ad Philadelphienses ita scribit: *Boni sunt Sacerdotes, & sermonis Ministri; melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli cõmissa sũt secreta Dei.* CLEMENS quoq; Ignatij æqualis, in Apostolorum canonibus canon 40. *Presbyteri*, inquit, *& Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent; nã Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic reddituros est ratione.* Deniq; DIONYSIVS Areopagita Pauli Apostoli

ſtoli diſcipulus ca. 5. Eccleſiaſtic. hierarch. deſcribens hierarchiam diuinitus inſtitutam; primo loco Pontifices, ſecundo Sacerdotes, tertio Miniſtros ponit. IRENÆVS, qui proximus Apoſtolicis temporibus fuit, li. 3. c. 3. *Habemus*, inquit, *annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi, & ſucceſſores eorum. Nam ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, iis vel maxime traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant*, &c. Vbi Epiſcopis dicit commiſſas eſſe Eccleſias, vt Apoſtolorum ſucceſſoribus. TERTVLLIANVS antiquiſſimus Latinorum, in libro de Baptiſmo: *Ius habet*, inquit, *dandi Baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, ſed nõ ſine Epiſcopi facultate.*

Quantum ad TERTIVM, quod epiſcoporũ auctoritas non ſit in cœtu Presbyterorum, quaſi Conſulis in B ſenatu, ſed vt Principis in Concilio Conſiliariorũ ſibi ſubiectorum, primum colligitur ex teſtimonijs iam citatis beati Pauli, in epiſt. ad Timotheum, Clementis, Irenæi, Tertulliani; deinde ex Concilijs, omnia ſiquidem Concilia, tum generalia, tum prouincialia, etiam antiquiſſima, quorum meminit Euſebius lib. 5. hiſt. cap. 23. & 25. a ſolis Epiſcopis celebrata ſunt.

Conſtat autẽ in Concilijs maxime exerceri iuriſdictionem, cum leges in eis ponantur, & pœnæ præuaricatoribus decernantur: Item ex eo, q̃ multis in locis legimus, Presbyteros ab epiſcopis excommunicatos. nuſquam autem epiſcopos a Presbyteris. Vide Concilium II. Carthaginenſe, can. 8. & 9. Denique ex eo, qd ſoli epiſcopi ſolium, ſiue thronum habent in eccleſia, C quod eſt poteſtatis indicium, vnde & imperare Principum more dicuntur a Patribus. Vide Chryſoſtomũ in libro de ſacerdotio, Ambroſium in libro de dignitate ſacerdotali, & Gregorium Nazianzenum in oratione ad Principem iraſcentem, & populum timore perculſum. Sed iam obiectiones diluamus.

CAPVT XV.

Soluuntur obiectiones.

PRIMO loco obijciunt teſtimonium beati Pauli, ex quo ijdem videntur eſſe epiſcopi & Presbyteri, Philip. 1. *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.* Certe hoc loco Presbyteri dicuntur epiſcopi; non enim in vna vrbe multi fuiſſent Epiſcopi, ſi Epiſcopi nomen ſummum aliquem Sacerdotem ſignificaret. Deinde quare non dixit Paulus, cum epiſcopo, Presbyteris & Diaconibus, ſi Presbyteri ab Epiſcopis eo tempore diſtinguebantur?

RESPONDEO; Ambroſij commentarius non refert illud, cum epiſcopis & diaconibus, ad eos quibus ſcribitur, ſed ad eos qui ſcribunt, ita vt epiſcopi hoc loco dicantur Paulus & Timotheus, & hic ſit ſenſus: *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis*, id eſt, cum Paulo & Timotheo, & eorum diaconib. gratia vobis, & pax, &c. Sed nimis dura expoſitio videtur.

EPIPHANIVS in libro de hæreſibus, hæreſi ſeptuageſima quinta, dicit Paulũ ita ſcribere ſolitũ, quod eo E tpe ob miniſtrorũ penuriã multis in locis non eſſent Presbyteri vlli, ſed epi ſoli cum diaconibus: Poſſunt enim epiſcopi etiam Presbyterorum officio fungi. At hæc Epiphanij explicatio tum haberet locum, ſi Paulus diceret, cum epiſcopo & diaconibus, aut ſi non ad vnam ciuitatem, ſed ad multas ſimul ſcriberet: Sed cum ipſe ad vnam vrbem Philippenſem ſcribat, & dicat ſe ſcribere ad epiſcopos & Diaconos; quomodo, quæſo, illa explicatio locum habere poteſt? Si enim in vna vrbe multi epiſcopi eſſe poterant, quanto facilius vnus epiſcopus, & aliquot Presbyteri?

THEODORETVS in commentario huius loci, & fu A ſius in c. 3. primæ ad Timotheum ſcribit, Apoſtolorũ tpe veros epiſcopos, non epiſcopos, ſed Apoſtolos dici ſolitos; Presbyteros autem epiſcopi nomine tũc appellari conſueuiſſe. Nam ad Romanos 16. Paulus Andronicum Apoſtolum vocat, & Philip. 2. Epaphroditum Apoſtolum Philippenſium appellat, qui videlicet epiſcopi erant; poſtea tamen omiſſo Apoſtoli nomine, epiſcopos ſolum epiſcopos, Presbyteros autem ſolum Presbyteros appellari cepiſſe. Quæ obſeruatio Theodoreti ſi vera ſit, non ſolum obiectioni deſumptæ ex hoc loco, ſed etiam ex omnibus alijs locis ſatisfacit; ſemper enim dicere poterimus, Paulum nomine epiſcoporum Presbyteros accepiſſe.

Facilior eſt ſancti Ioannis CHRYSOSTOMI & aliorum multorum commentarius, qui docent, Apoſtolo B rum tempore nomina illa, epiſcopus & Presbyter, cõmunia fuiſſe omnibus Sacerdotibus, tam maioribus, quos nunc epiſcopos dicimus, quam minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res ipſæ & poteſtates diſtinctæ eſſent. Itaque Paulum nomine epiſcoporũ complexum eſſe omnes Sacerdotes, vt hic ſit ſenſus: *Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus*, id eſt, cum Sacerdotibus, & eorum Miniſtris.

Adde, quod videtur beatus Paulus vniuerſum Clerum ſalutare voluiſſe, ſed ne cogeretur ſingulos ordines numerare, generatim id fecit; oẽs .n. ordines ad duo primaria genera reuocãtur, ad Sacerdotes, & Miniſtros, quorũ illud ſubdiuiditur in duas ſpecies analogas, ĩ ſummos Sacerdotes, & ſimplices Sacerdotes; C iſtud vero in ſex alias ſpẽs, in diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Lectores, Exorciſtas, & Oſtiarios. Quarum autem nunc nomen epiſcopi tantum principali analogato, id eſt, ſummo Sacerdoti, tribui ſoleat, & nomen diaconi, tantum principali miniſtro, tñ cõuenit ſuo modo nomen epiſcopi minoribus etiam Sacerdotibus; nam & illi ſuperintendunt, & regũt populum ſaltem in foro conſcientiæ, & ex delegatione Epiſcopi, & nomen diaconi conuenit ſuo modo ordinibus etiã inferioribus, cum omnes miniſtrent Sacerdoti.

ALTERA obiectio ſumitur ex capite primo epiſtolę ad Titum, vbi ſic Apoſtolus loquitur: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Et paulo infra: *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, &c. quo loco videD mus presbyteros epiſcopos eſſe. Sed eadem adhiberi poteſt reſponſio, quæ ad locum ſuperiorem adhibita eſt; Nomina enim eo tempore communia erant.

TERTIA obiectio ſumitur ex 3. ca. prioris epiſtolæ ad Timotheum, vbi B. Paulus poſteaquam præcepta quædam epiſcopis dederat, continuo presbyteris omiſſis tranſijt ad diaconos; quare videtur pro ijſdem habuiſſe epiſcopos, & presbyteros. RESPONDEO, B. Paulum generatim inſtruere voluiſſe Clerum vniuerſum, ac propterea ſub nomine epiſcoporum comprehendiſſe etiam presbyteros, ſub nomine diaconorum omnes inferiores Miniſtros; eadem enim præcepta omnibus conueniebant.

QVARTA obiectio ex c. 4. prioris ad Timotheum, vbi Paulus ait: *Noli neglegere gratiã Dei, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij:* Ex quo loco KEMNITIVS affirmat, S. Hieronymum demonſtraſſe, poſſe Epiſcopũ a presbyteris ordinari: proinde nihil intereſſe inter epiſcopum & presbyterum, ſed impudẽter mentitur Kemnitius. Nã S. Hieronymus in epiſtola ad Euagrium (quã Kemnitius citat) diſertis verbis affirmat, presbyteros ordinare non poſſe: *Quid facit*, inquit, *Epiſcopus excepta ordinatione, quod non etiam faciat Presbyter?* Adduxit autem S. Hieronymus locum illum Apoſtoli, vt oſtẽderet epiſcopos in Scripturis interdum appellari presbyteros. ſic enim expoſuit verba illa: *Per impoſitionem manuũ*

Presby-

Presbyterij, ac si dictū esset, per impositionē manuū, A qua Presbyteratū accepisti, cū tñ constet; Timotheū non Presbyterum simplicē, sed Epm̄ fuisse, quo modo ēt exposuit Anselmus, & quidam alij Latini, & ipse ēt Caluinus, lib. 4. Instit. c. 3. extremo. Quamquam nobis verior videtur Græcorum expositio, qui nomine Presbyterij intelligunt chorum, siue cętum Presbyterorum, id est, Episcoporum, qui nouo Episcopo manus imponunt; sic enim exponūt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

Quinta obiectio ex c. 20. Actor. vbi beatus Paulus mittēs Ephesū, vocauit ad se maiores natu ecclesiæ. i. Presbyteros, & tamen dum eos alloquitur, Episcopos appellat, dicens: *Attēdite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Item ex c. 5. priōris epist. B. Petri, vbi Petrus Presbyteros sic alloquitur: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, &c. Pa* B *scite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, &c.* Vbi illud *Seniores* in græco tex. est. πρεσβυτέρους, illud autem *Prouidentes*, in græco est ἐπισκοποῦντες. Deniq; ex epist. 2. & 3. S. Ioannis, in quib. Apostolus se Presbyterum vocat, cum sine vlla dubitatione Episcopus fuerit. Sed ad hæc omnia vno verbo respondetur. Nomina eo tempore fuisse communia, & propterea in his omnibus locis veros etiam Episcopos Presbyteros appellari. his addunt Patrum testimonia.

Est igitur Sexta obiectio ex S. Hieron. qui in cōment. 1. cap. epist. ad Titum ita scribit: *Idem est Presbyter qui Eps, & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierēt, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, communi Presbyterorum cōsilio Ecclesiæ gubernabantur, postquam vero vnusquisq; eos,* C *quos baptizauerat, suos putabat esse, nō Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Et infra: *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint, se magis consuetudine: quam dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in cōe debere Ecclesiam regere.* Similia habet idem Hieron. in epist. 85. ad Euagriū.

Hęc S. Hieronymi verba aliqui piè interpretari conantur, vt S. Thomas, qui in 2. 2. q. 184. artic. 6. scribit Hieronymum loqui solum de nominib. Episcopi & Presbyteri, non de ipsa re. At certè verba illa citata: *Communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Et illa: *Magis consuetudine, quam dispositionis Do-* D *minicæ veritate Presbyteris esse maiores, &c.* aliud significant quam solam communitatem vocabulorum.

Io. Ant. Delphinvs, libro 2. de Ecclesia docet, ex Hierony. sententia initio nascentis Ecclesiæ oēs Presbyteros fuisse Epos. Non quod idem sit Episcopatus & Presbyteratus, sed quod utraque dignitas omnib. Sacerdotib. primo illo tempore daretur. Deinde autē ad schismata euitanda cępisse aliquos solum presbyteros ordinari, & hoc modo ex ecclesiæ consuetudine factum esse, vt episcopi maiores presbyteris essent.

At hęc etiam solutio nō plene satisfacit: sanctus. n. Hieron. tueri conatur presbyterorum dignitatē, qualis erat suo tempore, aduersus insolentiam Diaconorum, vt patet ex epist. ad Euagrium: inde autē demōstrare nititur dignitatem presbyterorum esse maxi- E mam, quod eadem sit cum episcopali: Nihil autē ad hoc probādum afferret, si solum doceret primos presbyteros ideo fuisse episcopis pares, quod haberent ēt episcopalem potestatem, nec essent simplices presbyteri. Deinde, si ideo primi presbyteri fuissent pares episcopis, & essent etiam ipsi veri Episcopi: distinctio, quæ ex Hieronymi sententia postea exorta est, inde accidisset, quod aliqui simplicem presbyteratū in ordinatione postea accepissent, at S. Hieronymus contrarium significat, docet. n. episcopatum esse nouum, & ex ecclesiæ consuetudine, non simplicem presbyteratum; sic. n. ipse ait: *Communi presbyterorū cōsilio Ecclesiæ gubernabātur, postquā vero vnusquisq; &c.*

Michael Medina in lib. 1. de sacrorum hominum origine, & continentia, c. 5. affirmat S. Hieronymum idem omnino cum Aerianis sensisse, neque solū Hieronymum in ea hæresi fuisse, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomū, Theodoretum, Oecumenium, & Theophylactum. *Atque, ita*, inquit Medina, *isti viri alioqui sanctissimi, & sanctarum Scripturarum consultissimi: quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in VValdensibus, postremo in Ioanne VVicleso, dānauit Ecclesia.* Et infra: *Ergo in Hieronymo & Græcis illis Patrib. olim propter eorum honorem & reuerentiam hæc sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis: contra in hæreticis, quod in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper est damnata.* Hæc ille.

Ceterum hęc Medinę sententia (ut leuissimè dicā) valde est inconsiderata. Nam Primvm iniuriam facit tot clarissimis Patrib. quos sine vlla caussa, ut mox ostendam, Aerianos facit. Deinde iniuriam facit ecclesiæ, quam acceptionis personarum nota inurit. Nā cum omnes citati auctores post Aeriū vixerint, cur, quæso, ecclesia unam atq; eandem sententiā in Aerio damnauit, in Patrib. tolerauit? Nonne Aerio potius ignoscendum fuit, qui ante definitionē ecclesiæ peccasse videbatur, quam Patrib. illis, qui damnatam iā hæresim sequuti sunt? Denique iniuriam facit communi caussæ Doctorum Catholicorum. Qua. n. fronte sanctos Patres aduersus hæreticōs adferemus, si eā sententiam ab ecclesia damnatam dixerimus, quam omnes fere Patres, tum Græci, tum Latini docuerūt?

At (inqt Medina) *VValdenses hæretici Hieronymi testimonio vtebantur, idem igitur illi, & Hieronymus senserunt.* Egregiū pfecto argumentum. hoc modo cōcludere licebit ēt, idē sentire Lutherū, & Paulū: nā Pauli testimonijs passim vtitur Lutherus. Mentiunt igitur VValdenses; cum Hieron. auctorem sequi se dicunt.

Sed instat Medina, Aerius nō ignorabat, secundū ecclesiæ leges episcopum presbytero esse maiorem, sed iure diuino pares esse affirmabat. Quare cum Hieronymus apertissime dicat, non Dominicæ dispositionis veritate, sed sola cōsuetudine ecclesiastica episcopos maiores presbyteris esse, nihil omnino inter Aerij & Hieronymi sententiam interesse videtur.

Respondeo, tantum distare Hieronymū ab Aerio, quantum Catholicus ab hęretico, & cęlum ab inferis distat. Nam in primis S. Hieronymus vbique agnoscit episcopum esse maiorem presbytero, quantum ad ordinis potestatem, & hoc sine dubio iure diuino, vt patet ex epist. ad Euagrium, ubi sic ait? *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiā Presbyter?* At Aerius discrimen non agnoscebat, ut ex Epiphanio potest intelligi, hæresi 75.

Deinde quantum ad potestatē iurisdictionis, Aerius, vt etiam Lutherani, & Caluinistæ, non modo nē gabat iure diuino maiorem esse episcopum presbytero, sed etiam contendebat nō recte facere ecclesiam, quæ episcopos presbyteris anteponat. At S. Hieronymus, etsi iure diuino agnoscere non videtur discrimen inter iurisdictionē episcopi & presbyteri, tamē agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitime, immo & necessario ad schismata vitāda ab Apostolis introductū. Non enim vult S. Hieron. ante paucos annos ex temporum corruptela natum esse episcoporū principatum, sed ab eo tempore, quo cępit dici in ecclesia: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, quę verba Apostoli Pauli sunt, 1. Corint. 1. Proinde in ipsis ecclesiæ primordijs, cum adhuc uiuerēt Apostoli, in toto orbe ab ipsis Apostolis, ecclesias tum regentibus

tibus, vult S. Hieronymus iurisdictionem ecclesiasti cam ad episcopos esse delatam. Iraq; nihil commune est Aerio & Hieronymo. Neque vllo modo credibile est S. Hieronymum Aerij sententiam fuisse sequuturum, quam sciebat iam a S. Epiphanio refutatam.

Est autem hoc loco obseruandum, S. Hieron. in illa sua sinia non adeo constantem videri, ut ualde probabile sit, eum non olno certum fuisse: Docuit. n. in explicatione capitis primi ad Titum, cõsuetudinem, quae eos presbyteris antepositit: cepisse ab eo tempore, quo dictum est: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autẽ Cephæ*, & tamen presbyteros epis pares esse colligere nititur ex epistol. ad Titum, & ad Philippenses, & ex epistolis Petri & Ioannis, quę scriptæ sunt post epistolam priorem ad Corinthios, ubi illa uerba habentur: *Ego sum Pauli, ego Apollo, &c.* Deinde in lib. de scriptorib. ecclesiast. in Iacobo, dicit Iacobum continuo a Christi ascensione ordinatum episcopum Hierosolymorum: Non igitur fuit unquam illud tempus, quo ecclesiæ sine episcopis a presbyteris gubernantur.

Præterea idem Hieron. in epist. ad Euagrium, cõparat episcopum Aaroni, presbyteros filijs Aaronis. & in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, episcopos Apostolis succedere dicit. At certe Aaron iure diuino maior erat ordine & iurisdictione, filijs suis, & Apostoli omnibus alijs Christi discipulis.

Deniq; in lib. 1. aduersus Iouinianũ, idẽ Hieron. affirmat ab ipso Chro vnũ electum ex duodecim. i. Petrum, *vt capite cõstituto, schismatũ tolleretur occasio.* At si Chs uoluit inter ipsos Apostolos vnũ eminere, cur non credemus ẽt uoluisse eum, ut inter presbyteros unus emineret? Ac de S. Hieron. satis, ut ẽt de Anselmo & Sedulio, qui in commentario cap. 1. epistol. ad Titum, ad verbum Hieronymi sententiam retulerũt.

Septima obiectio sumit ex Ambr. qui in cõmen. c. 4. ad Ephes. ita scribit. *Timotheum Epm a se creatũ, Presbyterum vocat, quia primi Presbyteri Epi appellabantur, vt recedente eo, sequens ei succederet: denique apud Aegyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus: sed quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenẽdos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, &c.*

Sed hic locus non habet difficultatẽ. Nam (ut interim omittam; commentaria illa non uideri ab Ambr. edita) auctor eorum cõmentariorum loquitur solum de rõne successionis eorum, ac docet, initio nascentis ecclesiæ, antiquissimum presbyterum consueuisse ordinari epm, eoq; mortuo succedere solitũ, sine alia electione, antiquissimum item presbyterum: sed non negat auctor iste primum illum presbyterum, cum epo succedebat, debuisse iterum cõsecrari, & nouam potestatem ac iurisdictionẽ accipere. Neq; semel idẽ auctor clarissimè docet, multum interesse inter epm, & presbyterum: nam in eodem cõment. c. 4. ad Eph. sic ait: *In Epo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, Princeps est Sacerdotum.* Et in cap. 3. prioris ad Timoth. *Epi*, inquit, *& Presbyteri una ordinatio est: vterque. n. Sacerdos est, sed Eps prim⁹ est, vt omnis Eps Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus: hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est: denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed, quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat, unde, & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit: neq; enim fas erat, aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem: nemo enim tribuit quod non accepit.* Hæc ille. Vbi vides maiorem esse episcopum presbytero, & ideo a presbytero episcopum ordinari non posse, quòd presbyter non habeat episcopalem ordinationem.

Octava obiectio ex Chrysostomo in commentario, c. 3. prioris ad Timotheum, vbi sic legimus homil. 11. *Inter Episcopum atque Presbyterum interest fermè nihil, quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur.* Idem docent, & verbis fere ijsdem, Primasius, Theophylactus, & Oecumenius, in commentario eiusdem loci.

Respondeo, ex istis ipsis versibs aperte colligi, maiores esse epi scopos presbyteris, cum episcopi ordinare possint, presbyteri non possint, vt auctores citati vna voce testantur.

At, inquies, saltem quoad iurisdictionem pares sunt episcopi presbyteri, quandoquidem nihil habẽt episcopi, quòd presbyteri non habeant, excepta ordinatione. Respondeo, hos auctores, cum nihil tribuunt episcopo, quod non sit cum presbyteris commune, excepta ordinatione, loqui de ijs rebus, quæ nullo modo presbyteris conueniunt, tale autem nihil est, nisi ordinatio præcipue Sacerdotum. Nam potestas iurisdictionis, ex commissione episcopi, potest etiam presbyteris conuenire, immò etiam confirmare baptizatos possunt presbyteri ex dispensatione. At ordinatio Sacerdotum ita propria episcoporum est, vt nullo modo presbyteris permitti possit.

Quod autem Chrysostomus senserit, Apostolorum tempore episcopum a presbytero distinctum fuisse, colligitur etiam ex homil. 1. in epistolam ad Philippenses, vbi exponens illud, cum episcopis, & Diaconibus: *Quid*, inquit, *hoc sibi vult? itane vnius ciuitatis plures erant Episcopi? Nequaquam: sed hoc titulo designat Presbyteros, tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.*

Nona obiectio ex Theodoreto, qui in commentario capitis primi ad Philippenses aliquoties repetit, presbyteros fuisse, quos Paulus episcopos appellat. Sed hoc iam antea explicatũ est; Theodoretus enim docet quidem, olim presbyteros episcoporum nomẽ habuisse: sed ibidem addit, veros episcopos nomine Apostolorum, eo tẽpore appellari solitos, ita vt semper & re & nomine maiores fuerint episcopi presbyteris, ex sententia Theodoreti. Quare idem auctor in caput tertium prioris ad Timotheum ita scribit: *Sed tamen, etiamsi Presbyteris has leges constituit diuinus Apostolus, clarum est, quod has leges oportet primos seruare Episcopos: vt qui sint maiorem dignitatem assequuti.*

Decima obiectio ex Augustino, qui in epist. 19. ad Hieronymum sic ait: *Quamuis enim secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, in multis rebus tamen Augustinus Hieronymo minor est.*

Respondeo, illud (*Iam obtinuit*) non opponi tempori antiquo ipsius ecclesię, sed tempori, quod fuit ante exortum ecclesiæ nostræ Christianæ. Itaque non est sensus, olim episcopi, & presbyteri erant æquales, sed iam vsus obtinuit, vt episcopatus presbyterio maior sit. sed hic est sensus; Ante Christiana tempora, nomina ista; episcopus & presbyter, non erant honoris vocabula, sed officij, aut ætatis, nũc autem honoris ac dignitatis nomina sunt, & secundũ hæc nomina Augustinus Hieronymo maior est, quamuis alijs multis nominibus Augustinus Hieronymo minor sit.

Vndecima obiectio; presbyteri succedunt Apostolis non minus quam episcopi, vt patet ex Clemente, lib. 2. constit. c. 32. & Ignatio in epist. ad Smyrnenses: Non igitur sunt presbyteri episcopis inferiores.

Respondeo, Epos & presbyteros varijs modis a Patrib. cõparari, sed semp seruata proportione. Aliqñ dicũt epm tenere locũ Dei, presbyterũ locum Chri, Diaconũ locũ Apostolorũ. Ita Clemens lib. 2. consti. cap. 30. & Ignatius in epist. ad Trallianos. Aliqñ epo dant locum Christi, presbyteris locum Apostolorũ, Diaconis locum Discipulorum LXXII. Ita Clemẽs loco citato, lib. 2. cap. 23. & Ignatius ad Smyrnenses.

Ali-

Aliquando episcopis dant locũ Apostolorum, presbyteris locũ LXXII. Discipulorũ, ut patres supra citati.

DVODECIMA obiectio; Christus presbyteros ordinauit in cœna, ut Catholici oẽs docẽt: at episcopos nusquam legitur ordinasse. Non igitur episcopatus iure diuino est introductus. RESPONDEO, a Christo beatũ Petrum ordinatum fuisse episcopũ, a beato Petro Iacobum & Ioannem, ab his tribus ceteros Apostolos, vt in lib. 1. de summo pontifice supra ostendimus.

CAPVT XVI.

De Cardinalibus.

DE Cardinalibus Romanæ ecclesiæ pauca quædã addenda sunt, ut Ioanni Caluino etiam de hoc ordine Clericorum breuiter respõdeamus. Dicemus autem PRIMO, de antiqnitate, & significatione nominis Cardinalium. SECVNDO, de antiquitate, & varietate officij Cardinalium. TERTIO, de comparatione Cardinalium cum episcopis. Hæc enim tria Caluinus attingit, lib. 4. Instit. cap. 7. §. 30.

Si quis autẽ plura cognoscere uelit, legat ex Theologis Aluarum Pelagium, lib. 2. de planctu ecclesiæ, art. 16. Augustinum Triumphum in summa de potestate ecclesiç, q. 102. Thomam VValdẽsem, lib. 2. doctrinalis fidei, art. 3. c. 54. Ioan. de Turrecremata, li. 1. summæ de ecclesia, c. 81. 82. 83. & 84. S. Antoninum in summa Theologica, 3. par. tit. 21. Io. Ant. Delphinum, lib. 2. de ecclesia. Ex CANONISTIS, Andream Barbatium in tract. de præstantia Cardinaliũ ad Bessarionem, Martinum Laudensem in tract. de Cardinalibus, Dominicum Iacobatium, lib. 1. de Concilijs, art. 12. & Ioannem Hieronymum Albanum in libro de Cardinalibus. Ex HISTORICIS, Onuphrium Panuinum in libello de episcopatibus, Titulis, & Diaconijs Cardinalium.

Vt igitur a PRIMO incipiamus, Caluinus loco notato, ante Gregorij tempora dicit se nõ legisse nomẽ Cardinalium: At in Concilio Romano sub Sylueſtro can. 6. legimus, septem fuisse Diaconos Cardinales in Romana ecclesia; præcessit autem Sylueſter Gregorium annis fere trecentis: neque tamen tũc primum cœpit hoc nomen; non enim Concilium illud instituit Cardinales, sed solum iussit, vt præter Cardinales Diaconos Rom. Ecclesiæ, essent etiam duo Diaconi ad examen Parœciarum.

Porro autem CARDINALIS idem fere significare videtur quod principalis, siue is a quo alij pendent, ut a cardine ostia dependere solent: Hinc enim & uirtutes Cardinales, & uenti Cardinales, & pũcta cęli Cardinalia dici solent, & Augustinus lib. 1. de Baptismo, c. 6. Primarios Donatistas, Cardinales Donatistas appellauit. Cur autem Electores Pontificis Cardinales dicantur, non omnes explicant eodem modo.

CALVINVS loco notato docet, hoc nomen tempore S. Gregorij proprium fuisse episcoporum, proinde non recte nunc tribui presbyteris & Diaconis, aut solis episcopis Romanæ Curiæ: *Hic titulus*, inquit, *Gregorij ætate in solos Episcopos competebat. nam quoties meminit Cardinalium, non Romanæ Ecclesiæ, sed alijs quibuslibet eos attribuit, vt in summa nihil aliud sit sacerdos Cardinalis, quam Episcopus.* Hęc ille. At Caluinus in exploratum errorem incidit, nam S. Gregor. lib. 5. epist. 11. ad Fortunatum episcopum Neapolitanum meminit Diaconorũ Cardinaliũ, & li. 11. epist. 34. ad Ioannẽ epm Syracusanum meminit presbyterorum Cardinalium, & Ioãnes Diaconus, li. 3. vitæ S. Greg. c. 7. enumerat episcopos, quos S. Greg. ex presbyteris Cardinalibus fecerat: Non igitur uerum est, idem esse apud Gregorium, Episcopum & Cardinalem.

LEO IX. Pont. Max. in epist. ad Michaelem, ca. 32. dicit, Clericos Romanæ ecclesiæ Cardinales vocari, quòd summo Pontifici proximè adhæreant, qui est veluti cardo totius ecclesiæ. Nam vt in cardine ostiũ vertitur, & regitur, ac sustentatur, sic etiam a summi pontificis prouidentia, & firmitate tota ecclesia pendet. Hæc verò explicatio recte docet, cur Cardinales Romanæ Ecclesiæ dicantur præ cæteris, & per Antonomasiam Cardinales, at non explicat cur simpliciter dicãtur Cardinales, cum constet etiam alibi esse, & fuisse qui dicerentur Cardinales, ut patet ex Gregorio, locis citatis, lib. 5. epist. 11. & lib. 11. epist. 34. & ex Concilio Meldensi, can. 54.

ONVPHRIVS in libro de Cardinalium titulis existimat, Presbyteros & Diaconos Cardinales dictos esse eos, qui pręerãt alijs presbyteris uel Diaconis eiusdem ecclesiæ, quasi principales presbyteri, uel Diaconi in illa ecclesia; erant enim plures presbyteri in eadem ecclesia, sed Præses tantũ dicebatur Cardinalis.

Hæc Onuphrij explicatio nõ videtur vera: nam in eodem titulo plures erant aliquando Cardinales, ut patet ex Synodo S. Gregorij, quæ habetur li. 4. regist. c. 88. ubi ponuntur subscriptiones presbyterorũ Cardinalium, & inter eas tres inueniuntur tituli S. Balbinæ, duo sancti Damasi, duo sancti Sylueſtri, duo sanctorum Apostolorum: Non igitur is tantum Cardinalis dicebatur, qui præerat titulo. PRÆTEREA, tẽpore S. Sylueſtri, septem tantum Romę erant Diaconi Cardinales; nam adhuc recens erat eo tempore Canon XIV. Concilij Neocæsarienſis, vbi definitur, in qualibet ciuitate, quamuis magna, septem tantũ debere esse Diaconos, & tamen illi omnes Romæ dicebantur Cardinales, ut patet ex concilio Romano sub Sylueſtro can. 6. Non igit' Diaconus Cardinalis erat, qui præerat alijs Diaconis eiusdem ecclesię. ADDE postremo, quod iuxta Onuphrij explicationem, nulla ratio reddi posset, cur dicerentur quidam episcopi Cardinales: non enim dici possunt episcopi Cardinales, quòd præsint alijs episcopis suæ diœcesis, sicut presbyter Cardinalis, quod præsit presbyteris sui tituli: nam non sunt in una diœcesi plures episcopi.

Existimo igitur nomen Cardinalis primo impositum esse loco, & a loco deriuatum ad personas: Dicebantur enim tituli Cardinales, quædam ecclesię principales, ubi Baptisma conferebatur, & dicebantur ecclesiæ vel tituli Cardinales, ad differentiam aliorum locorum sacrorum minus principalium: Inde autem presbyter, qui eam ecclesiam regebat, dicebatur presbyter Cardinalis. Pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam principalia, in urbe distincta, iuxta numerum regionum, & qui in eis residebant Diaconi, dicebantur Cardinales Diaconi, ab ecclesia videlicet Cardinali, quam tenebant. Sic etiam postmodum dicti sunt episcopatus Cardinales: & inde episcopi Cardinales sex illi, qui ad eligendum pontificẽ conueniebant, & eidem Pontifici a cõsilijs erant præter ceteros orbis Christiani episcopos.

Quod autem a loco cœperit hoc nomen, cognosci potest ex concilio Meldensi, can. 54. vbi sic legimus, ut titulos Cardinales in vrbibus, uel suburbijs constitutos episcopus canonice ordinet, & disponat. Item ex Ioan. Diacono in uita S. Gregorij, lib. 3. ca. 11. ubi sic ait: *Cardinales violenter in Parœcijs ordinatos forensibus, in pristinum Cardinem Gregorius reuocabat.* Vbi Cardinem uocat Cardinalem titulum siue ecclesiã. Ac de nomine quidem hactenus. Si quis autem uelit cognoscere nomina, & numerum titulorum, Diaconiarum, & Episcopatuum Cardinalium, Onuphriũ consulat in libro de Cardinalibus.

Iam de officio, & officij antiquitate breuiter dicamus. Tria sunt officia Cardinalium. Primum est commune cum episcopis, presbyteris & diaconis ceteris, omnes enim Cardinales, aut Episcopale, aut presbyterale,

terale, aut Diaconale officium habēt: Alterum officiū est summum Pontificem eligendi: Postremum eidē Pontifici perpetuo assistere, eumq; in regēda uniuersa Ecclesia consilio, & industria adiuuare. Ex his officijs primum negari nō potest, quin sit antiquissimū. Neque id negat Caluinus, quin potius hoc solū agnoscit, hic enim scribit loco citato, lib. 4. c. 7. §. 30. *Et sanè nihil officij tūc hēbant, nisi vt in doctrinæ & Sacramētorū administratione Episcopo adessent ac subessent.* Hæc ille.

At Calvinvs secum pugnare mihi videtur, nam eodem lib. 4. Instit. c. 4. §. 2. docet, antiquissimis temporib. eum fuisse usum in Ecclesia, vt presbyteri eligerent Episcopum, & cum illo ita ecclesiam communi consilio regerent, vt nihilo plus episcopus haberet in cetu presbyterorū, quam Consul in senatu: *Presbyteri*, inquit, *ex suo numero vnum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi.* Et infra: *Quas partes habet Consul in senatu, eas habet Episcopus in Presbyterorum cœtu.* Hæc ille. Quod si verum est, certè sequitur, vt quod nunc Romæ Cardinales faciunt, dum Ep̄m ex suo numero eligunt, aut tanquam senatores quidā Ecclesiastici cum eo ecclesiam regūt, antiquissimum sit, ac proinde omnia tria officia sint antiquissima.

Est autem hoc loco obseruādum; Omnia quidem tria Cardinalium officia esse antiquissima, & ab ipso tempore Apostolorum inchoata, sed tñ non esse æquè antiquum, vt soli Cardinales duob. officijs posterioribus fungantur: Nam a tempore Apostolorū per multos annos, imò ēt per aliquot secula, quia pauci erant Presbyteri, & Diaconi, omnes simul ad electionem Ep̄i, & ad Concilia vocabantur, neq; erat opus tūc distinguere a Cardinalib. non Cardinales, sicut etiā in alijs Ecclesijs non distinguebant Canonici a non Canonicis. Quare Cyprianꝰ cū aliquoties scribat ad Romanū Clerum, non scribit ad solos Cardinales, sed ad oēs presbyteros & Diaconos Romanæ Ecclesiæ, & similiter illi cū Cypriano rñdent, presbyteri & Diaconi oēs rñdēt. Vide lib. 2. epist. 7. & lib. 3. epist. 6. & 21.

Deinde autem cum creuisset multitudo Cleri, vocabantur quidem omnes ad electionem faciendam, sed non omnes ad concilia uocabātur, sed aliqui principales, qui Romæ, & alijs quibusdam in locis Cardinales dicebant. Id constat ex Synodo Gregorij, lib. 4. registri, ca. 88. Nam solum Concilio interfuerunt ex presbyteris XXXIIII. & ij Titulares omnes, id est, Cardinales. certum autem est, tunc Romę fuisse multo plures presbyteros, quam XXXIIII. Nam si tempore S. Cornelij circa annū Domini CCL. in medio persequutionum, regnantib. idololatris, tamen erant Romæ XLVI. presbyteri, vt ex epist. eiusdem Cornelij refert Eusebius, lib. 6. hist. c. 33. certe multo plures erant tempore S. Gregorij, circa annū Domini D C. quando nullus in urbe erat Paganus. Denique, postremis quingentis annis neque ad Concilia, neque ad electionem admissi sunt omnes Clerici, quod nimis multi essent, sed soli Cardinales, ut supra ostendimus, cum de uocatione Ministrorum ageremus.

Quantum ad Tertivm, de comparatione Cardinalium cum Ep̄is, fusè tractāt supra citati auctores, sed in hoc tamen ferè oēs conueniunt, q̄ si consideremus ordinis potestatem, maior sit Episcopus presbytero, vel Diacono Cardinali. Nam Episcopus ordinat presbyteros, confirmat baptizatos, aliaq; id genus facit, quæ Cardinales presbyteri, uel Diaconi facere nō possunt. Qua etiam ratione summus pontifex Episcopum se uocat, non Cardinalem, & episcopos omnes appellat venerabiles fratres, Cardinales autem dilectos filios, quomodo uocat etiam Laicos.

Pari ratione, si consideremus iurisdictionē in propriam Ecclesiam, id est, Episcopi in suam Diœcesim, & Cardinalis in suum titulum, aut Diaconiam, maior est episcopus Cardinali presbytero, uel Diacono:

A Nam in primis maior est ordinarie Diœcesis episcopi, quam titulus Cardinalis, ac præterea episcopus in sua Diœcesi amplissimam habet iurisdictionem tanquam proprius & ordinarius Pastor, ferendi lēges, dispensandi, puniendi, indulgendi, &c. At Cardinalis presbyter & Diaconus, cum in suo titulo sit ueluti Parochus episcopo subiectus, nihil potest, nisi quantum episcopus ei permiserit.

At si consideremus regimen ecclesiæ uniuersalis, maior est Cardinalis presbyter, uel Diaconus episcopo non Cardinali. Nam episcopi simplices nunquam adhibentur ad regimen vniuersalis ecclesiæ, nisi rarissimè, id est, cum ad generale Concilium conuocantur. At Cardinales fere quotidie præstò sunt pontifici, neque ullum negotium maioris momenti sine eo-
B rum Concilio peragitur. Et quia hinc fit, ut episcopi a Cardinalibus, ut summi Pontificis cooperatoribus, iudicentur, creentur, deponantur, non autem contra Cardinales ab episcopis; propterea absolutè Cardinalis episcopum non Cardinalem præcedit. atque hanc rationem vt præcipuam affert etiam Eugenius Pontifex IIII. in epistola ad Archiepiscopum Cantuariēsem, quæ exstat apud Dominicum Iacobatium, li. 1. de Concilijs, art. 12. & ante Eugenium Sanctus Bernardvs lib. 4. de consideratione, de Cardinalibus loquens; *Veniamus*, inquit, *ad collaterales, & coadiutores tuos, hi sedulí tui, hi intimi tui.* Et infra: *An non eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi?* Et in epist. 188. ad
C Cardinales scripta: *Nulli dubium*, inquit, *quin ad vos specialiter spectet tollere scandalum de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas.* Et infra: *Agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate, quam accepistis, &c.* ubi apertissimè agnoscit sanctus Bernardus maiorem in Cardinalibus, quàm in episcopis potestatem.

Sed occurrit Caluinus loco notato, lib. 4. c. 7. §. 10. & obijcit tria testimonia: *Video*, inquit Caluinus, *fuisse tunc Episcopis minores, quos nunc longè antecellunt. Notum est illud Augustini epistola decimanona ad Hieronymum; quanquam secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. Hic certe Romanæ Ecclesiæ Presbyterum ab alijs minime discernit, sed omnes ex æquo postponit Episcopis: idq; eousque fuit obseruatum, vt in Concilio Car-*
D *thaginensi, cum duo adessent Legati Romanæ sedis, unus Episcopus, secundus Presbyter, hic in vltimum locum reiectus fuerit. Verùm ne nimis vetera prosequamur, exstat Concilium sub Gregorio habitum Romæ, in quo Presbyteri vltimo loco sedent, & seorsum subscribūt, Diaconi locum nullum in subscriptione habent.* Hæc ille.

Sed Augustini testimonium ad rem non facit; nō enim negamus episcopatum Presbyterio maiorē esse, sed dicimus, Presbyterum Cardinalem episcopo non Cardinali esse maiorem, non quod Presbyter sit maior episcopo, sed quod Cardinalis maior sit non Cardinali. Nam alioqui episcopus Cardinalis Presbyterum Cardinalem, & Presbyter Cardinalis Diaconum Cardinalem semper præcedit.

At, inquit Caluinus, *Augustinus non quemuis Pres-*
E *byterum, sed Hieronymum Presbyterum Romanæ Ecclesiæ Episcopo postponit.*

Respondeo, sanctum Hieronymum non Romanæ Ecclesiæ, sed Antiochenæ Presbyterum fuisse: id enim ipse testatur in epist. 61. ad Pammachium, de erroribus Ioannis Hierosolymæ Episcopi, neque repugnat quòd ipse aliquando Romæ fuerit, & Damasum Pontificem iuuerit in epistolis scribendis, ut ipse testatur in epistola, ad Ageruchiam de Monogamia. Nam etsi Romæ fuerit, non tamen habuit Romæ titulum aliquem proprium, siue Ecclesiam regēdam, vt Cardinales habēt; quocirca cum iam ex Roma redijsset,

dijsset,& in Syria degeret, quando scripsit epistolam ad Pammachium aduersus Ioannem Hierosolymitanum,non tamē ait,se Romanum, sed Antiochenum Presbyterum fuisse. Et sane,si potuisset vere dicere, se Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem esse, vel fuisse,libenter dixisset.Cupiebat.n.Ioanni episcopo Hierosolymæ demonstrare,se presbyterum fuisse maioris cuiusdam ecclesiæ, quam Hierosolymitana esset; & proinde se non reliquisse suam ecclesiam, ut in ecclesia Hierosolymitana aliquid quæreret: *Ob id*, inquit,*& ego Antiochiam,& ille Constantinopolim, vrbes celeberrimas,deseruimus: non vt te in populis prædicantem laudaremus, sed vt in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.* Hæc ille. Cū igitur constet,semper Romanā ecclesiam Antiochenæ prælatam fuisse, certè S.Hieron.libenter dixisset,si id vere dicere potuisset, ob id & ego Romam, & ille Constantinopolim, &c.

Neque etiam testimonium Concilij VI. Carthaginensis valde est ad rem. Nam etsi in eo Concilio presbyter Romanus sederit post episcopos,tamen in Cōcilio Niceno, in Ephesino,in Chalcedonensi, in VI. VII. VIII. Synodo generali, Romani presbyteri sederunt ante episcopos: sed quanquam hæc ita se habent,fateor tamen, olim episcopos quoscunque prælatos fuisse Cardinalibus non episcopis, immo etiam Cardinalatum gradū fuisse ad episcopatum,ut Onuphrius recte docet in libro de Cardinalibus, & apertissime colligitur ex lib.1.c.7.vitæ S.Gregorij.

Postea tamen mutatus est ordo, & cepti sunt Cardinales episcopis anteponi,& episcopatus gradus esse ad Cardinalatum:cuius mutationis duplex ratio assignari potest. VNA,quòd ad solos Cardinales deuoluta sit electio summi Pontificis: Nam quo tēpore Pontifices eligebant Imperatores,vel Clerus & populus, non est mirum,si non tanti fierent Cardinales. At posteaquam cęperunt soli ipsi eligere, & etiam soli ipsi, vt plurimum,eligi,nō sine caussa cœpit dignitas Cardinalitia pluris fieri,quàm antea.

ALTERA caussa est,quòd soli Cardinales cœperint adesse summo Pontifici in Concilijs:Nam antea Cardinales neque soli,neque primarij Consiliarij Pontificis erant.siquidem primis sexcentis,vel octingentis annis,summi pontifices ad grauiora negotia ecclesiæ dijudicanda cogebant concilia nationalia episcoporū Italiæ, quibus cōcilijs intererant quidem Cardinales presbyteri,sed tamē primus locus episcoporum erat. Id cognosci potest ex tomis conciliorum, ubi plurima inueniuntur concilia Romana, siue Lateranensia, celebrata ab anno Domini CCC.ad DCCC.

Quocirca non erat ratio,cur eo tempore Cardinales presbyteri episcopis anteponerentur,cum eo tempore non minus, imò magis pontificem iuuarent in ecclesia uniuersali regenda episcopi, quam Cardinales.At postea creuerunt negotia ecclesiæ Romanæ, præsertim cum accessisset principatus temporalis,tēpore Pipini & Caroli Magni:proinde egebat summ⁹ pontifex consiliariorum ope multo sæpius,quam antea. Neque poterat tam sępe conuocare concilia episcoporum,quam necesse erat. Concilia enim uix tertio quoque anno cogi poterant. Pontifex autem quolibet anno sæpius egebat consilio. Itaque usu docēte, & necessitate cogente his postremis annis sexcentis vel septingentis cęperunt paulatim omittī cōcilia episcopalia, & res tota redigi ad senatum Cardinalium. Potuisse autem hoc fieri, & recte factum esse, in dubium reuocari non potest: nam non tenetur pontifex hos potius,quam illos in consilium adhibere.

Deinde, hac ratione multa commoda consequuta sunt. PRIMVM,quod habeat nunc summus pontifex senatum in promptu, ita ut possit etiam singulis diebus,si velit, de rebus grauissimis deliberare. ALTERVM, quòd hoc faciat sine detrimento ecclesiarū particularium.Nec enim possent concilia episcoporū sępe cogi sine detrimento ecclesiarū,quib.absentia Pastorum perniciosa est.TERTIVM,quòd habeat consiliarios magis instructos,& exercitatos, cum hæc sola & assidue tractēt:facta autem legitime hac mutatione concilij,pontificij ab episcopis,& Cardinalibus ad solos Cardinales: mirum esse non debet, si etiam facta est mutatio dignitatum.

Sed placet,ad finem huius loci repugnantiam uerborum Caluini in extrema disputatione cap.7. lib.4. Instit.annotare. Nam in vltimo paragrapho miratur Cardinalium amplitudinem: *Nescio*,inquit,*qui factū sit,vt ita subitò in tantam amplitudinem emerserint.* Et mox infra: *Nunc adeo mutata sors est,vt facti sint Regum & Cæsarum cognati. Nec dubium est,quin una cū suo capite sensim creuerint,donec ad hoc dignitatis fastigium euecti fuerunt.* Hæc ille. Qui tamen continuo subiungit contrarium: *Impleri*,inquit,*in illis oportuit, quod de talibus ait Malachias: Vos recessistis de via,& offendere fecistis in lege plurimos: propterea ecce ego dedi vos contemptibiles & viles omni populo.* At quo modo,quæso,ista cohærēt, vt in summum fastigium amplitudinis creuerint Cardinales,ita ut Regum ac Cæsarum cognati facti sint,& tamen contemptibiles ac uiles euaserint omni populo? Sed de his satis.

CAPVT XVII.

De Chorepiscopis.

DIXIMVS de distinctione & officio Clericorū eorum,qui etiam hoc tempore locum suum habēt in ecclesia:nunc addendum usum est aliquid de Chorespicopis, quorum nomen & officium olim in usu erat,nunc autem pene interijsse videtur.

Igitur Chorepiscopi dicebantur olim presbyteri quidam,qui in pagis,aut oppidulis curam animarum gerebant loco episcoporum,ut nunc fere Parochi faciunt. Dicebātur autem Chorepiscopi,vel,vt Damasus indicat in epistol.3. quasi villarum episcopi. nam χώρα Græce oppidum ac regionem significat: vel potius, ut concilium Neocæsariense can.13. & Antiochenum can.8.docent,quasi Vicarij episcopi, vel Vicarij episcoporum, seu loco episcoporum constituti: χωρα enim locū etiam significare potest. Porro eiusmodi Chorepiscopi non poterant presbyteros & Diaconos ordinare,nec Chrismate fidelium frontes inūgere,nec templa,aut altaria cōsecrare. cetera fere omnia præstare potuerunt,quæ præstāt episcopi, ut cognosci potest ex concilio Ancyrano,can.12.& Antiocheno,can.10.& Hispalensi II.can.7.item ex Damaso in epist.3.Leone epist.86.& alias 88.& Ioan.III.in epistola ad episcopos Germaniæ & Galliæ.

Sed quæstio hoc loco occurrit; An Subdiaconos ordinare Chorepiscopis aliquando licuerit. Nam in concilio Antiocheno canon. 10. id eis licuisse disertis verbis asseritur. Contra autem,id eis minime licuisse, Damasius Papa in epistol.3.æque disertis verbis affirmat: concilia & Pontifices ceteri supra citati negant licere Chorepiscopis presbyteros vel Diaconos ordinare: de Subdiaconis, ceterisque ordinibus nihil expressè dicunt.

RESPONDEO, quosdam fuisse chorepiscopos, qui vere episcopalem consecrationem acceperant, sed chorepiscopi dicebantur, quod non haberent propriam ecclesiam, sed in aliena Diœcesi ministrarent, quales sunt hoc tempore episcopi quidam Titulares, qui & Suffraganei dici solent. Alios vero chorepiscopos fuisse, qui nihil aliud, nisi Presbyteri essent,sed, vt diximus, in pagis, ac villis, seu etiam oppidulis, Episcopum aliquo modo repræsentarent.

De

De prioribus loqui videtur Concilium Antiochenũ, vt etiam Damasus annotauit in epist. 3. nam ita incipit Canon: *Chorepiscopi, qui manus impositionem ab Episcopis acceperunt, & vt Episcopi sunt ordinati, &c.* vbi non de omnibus Chorepiscopis loquitur Concilium, sed de illis tantum, qui à pluribus Episcopis, ritu Pontificum, sunt consecrati: præterea in eodem canone Concilium non solum his Chorepiscopis permittit, vt Subdiaconos absolutè ordinent, sed etiam vt Presbyteros & Diaconos ordinare possint, si id Episcopus loci permiserit, ex quo certè sequitur, eos Chorepiscopos veros Episcopos fuisse.

Porrò in fine illius canonis, vbi legimus (*Chorepiscopus ab Episcopo loci ordinandus est*) nõ de ijsdẽ Chorepiscopis agitur, sed de illo altero genere: voluit enim Concilium legem statuere, ut deinceps Chorepiscopus ordinetur ab vno Episcopo, & proinde Presbyter sit, non Episcopus. De quo genere Chorepiscoporum loquitur Damasus in epistol. 3. cum dicit, non licere Chorepiscopis ordinare Subdiaconos.

Cetera autem Concilia & Patres, qui negant, Chorepiscopis licere ordinare Diaconos, & de Subdiaconis nihil dicunt, videntur nomine Diaconorum etiã Subdiaconos accepisse, cum sit vterque sacer ordo, & sæpe apud veteres eodem nomine appellẽtur. Quod si euidenter ostendi possit, concessum aliquando fuisse Chorepiscopis secundi generis, vt Subdiaconos ordinarent; dicendum erit, id fuisse priuilegium & dispensationem quandam, qualis etiam fuit quibusdam in locis, vt Presbyteri, absente Episcopo, Confirmationis Sacramentum exhiberent, vt Ambrosius scribit de Sacerdotibus Aegypti, in commentario c. 4. epistolæ ad Ephesios. Atque hæc de distinctione & officio Clericorum.

CAPVT XVIII.

De cœlibatu Sacerdotum; Sit ne iure diuino annexus sacris ordinibus cœlibatus, an non?

SEQVITVR quarta Disputatio, quæ est de cęlibatu, seu continentia hominum sacratorum, quę quidẽ trimembris erit. Primum enim explicandum occurrit; Sitnè iure diuino annexus cœlibatus ordinibus sacris. Deinde, si constiterit non ita esse, vtrum saltem iure Apostolico, ac rectissimè id factum sit. Postremò num digami Apostolica lege arceantur a sacris ordinibus.

Ac, vt à primo incipiamus, Ioannes Maior in 4. di. 24. q. 2. de iure diuino esse putauit, quod votum Sacerdotum solenne sit, ac proinde indispẽsabile esse. Idẽ ferè docuit Clichtouæus libro de continentia Sacerdotum, c. 4. & sequentib, vbi duo dicit, quæ nescio, an inter se bene cohæreant. Vnum est, de iure diuino esse, ut qui est sacris ordinibus initiatus, non possit vxorem ducere, neque in hoc vllam dispensationem cadere posse. Alterum est eos, qui vxores duxerunt, non posse sacris ordinibus initiari, nisi deinceps continere velint, esse præceptum Ecclesiæ, & à Syricio papa primum editum, nec vnquam ab Ecclesia Orientali receptum fuisse. Itaque licuisse in tota Ecclesia Sacerdotibus vti vxoribus, quas ante ordines duxerant, vsque ad tempora Syricij; in Ecclesia autem Orientali, & nunc licere, & semper licuisse.

At beatus Thomas in 2. 2. q. 88. art. 11. disertè docet, votum continentiæ esse annexum ordinibus sacris ex solo Ecclesiæ decreto, ac proinde dispensabile esse. Idem docet Caietanus in opusculis, tomo 1, trac. 27. & Sotus lib. 7. de iustitia, q. 6. artic. 2. vbi etiam docet, quod ego verissimum puto, decretum hoc, quo votum est annexum ordinibus, non quidem propriè diuinum esse, sed tamen esse Apostolicum, & in tota Ecclesia à temporibus Apostolorum, longo tempore esse seruatum: sed quia hoc multis rationibus in sequenti capite contra hæreticos confirmabimus, nunc solum breuiter probandum est, non iure diuino, sed humano duntaxat prohibitum esse coniugium Sacerdotibus, & proinde in hoc dispensari posse.

Probatur PRIMO, ex altero eorum, quę Clichtouæus asserit; non est de iure diuino, vt coniugati, si ordinentur, ab vxoribus suis abstineant; igitur neque est de iure diuino, vt Sacerdotes non ducant vxores. Nam matrimonium non pugnat cum ordinibus ratione essentiæ suæ, sed ratione officij seu exercitij coniugalis, si enim Deus prohibuisset Sacerdotibus coniugium, certè prohibuisset propter actum coniugalem, qui hominem reddit totum carnalem, & ineptum ad diuina; necnon propter sollicitudinem domus, & liberorum, quæ plurimas parit distractiones, non autẽ propter solum Sacramentum coniugii, vel propter contractum matrimonij, qui celebratur solo consensu animorum, & est res breuissima & honestissima. Si ergo licuit Sacerdotib. iure diuino habere vxores, quas ante ordinationem duxerant, & eis vti maritorũ more: Cur, quæso, non licuisset etiam post ordinationem ducere? Adde, ꝙ rationes, quas Clichtouæus pro se adducit, omnes sumuntur a puritate munerum sacerdotalium, cui certè nõ repugnat, vxorem ducere, vel duxisse, sed ei cohabitare.

Non esse autem iure diuino prohibitum, ne Sacerdotes vtantur vxoribus, quas duxerãt ante ordinem, Conceditur à Clichtouæo: sed propter quosdam alios qui de ea re dubitant, probatur apertissimè ex eo, ꝙ Ecclesia Romana multis iam seculis permisit Græcis Sacerdotibus vsum uxorum, quas ante ordinationẽ duxerant, ut patet ex capit. Cum olim, de Clericis cõiugatis. Adde Gregorij testimonium, libro 1. epistol. 42. vbi permittit Subdiaconis, ut liberè vtantur vxoribus suis, quas duxerant ante ordinationem, licet prohibeat deinceps eiusmodi ordinari, nisi continentiam voueant.

SECVNDO probatur, quia in tota Scriptura nullũ tale extat præceptum. Nam in Testamento veteri Sacerdotibus licitum erat vxores ducere: In nouo autem nihil de hac re Dominus loquutus est. Apostolus quidem in epistolis ad Timotheum, & Titum, iubet Episcopos & Diaconos eligi castos, sed quod Apostolus præcipit, non diuinum, sed Apostolicum præceptum est, de quo postea agemus.

Proferunt illi ex Deuter. cap. 33. benedictionem Mosis, in qua dicitur Leuitis, id est, vt ipsi exponunt, de Sacerdotibus Christianis: Qui dixerunt patri suo & matri; Nescio vos & filios ignorauerunt. At istud, diuinum vaticinium, non diuinum præceptum est; siue enim lege diuina, siue humana fiat, vt Sacerdotes vxoribus careant, impletur vaticinium Mosis. Proferunt deinde illud Christi Lucæ 21. *Videte, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius mũdi.* quod ad Sacerdotes præcipuè spectare, testatur Leo, serm. 8. de ieiunio decimi mensis. Sed in hoc aptè falluntur; qui hoc argumentum adducunt. Nam Leo in isto ipso loco ad omnes fideles, Christi præceptum pertinere dicit; sed ad nos præcipuè, quib. dies Domini iam est uicinior. Deinde, cum Paulus 1. Timoth. 3. iubet Episcopum eligi: *Qui domui suæ bene præsit, & filios habeat subditos in omni castitate*; nec tamen contraria Christo docet: certè non iubet CHRISTVS ulli, ne habeat curam vxoris ac liberorum, sed ne grauetur nimia sollicitudine.

AT inquiunt, ratio naturalis dictat, ministerium purissimum a continentibus esse peragendum.

RESPONDEO, dictare id quidem rationem, sed vt rem conuenientem, non vt omnino necessariam.

TERTIO probatur, ex concilio Ancyrano, c. 10. vbi dicitur posse Diaconos cum licentia Episcopi vxores ducere, etiam post susceptum Diaconatum; ergo nō est de iure diuino; nec enim Episcopi in iure diuino dispensant. Estque hoc Concilium antiquissimum, & confirmatum à Leone Papa, distin. 20. cano. de libellis. ACCEDAT postremò, q̄ Concilia, & Patres in sequenti capite producendi, passim testantur hanc legem esse Ecclesiasticam; quod etiam legimus in Concilio Tridentino, sess. 24. can. 9.

CAPVT XIX.

Cælibatum iure Apostolico rectissimè annexum ordinibus sacris.

IAM VERO de altera quæstione; An rectè factum sit, vt cœlibatus perpetuus sacris ordinibus annecteretur, duo sunt refutandi errores; vnus Græcorum alter Lutheranorum. PRIOR error est; Oportere Clericos, antequam ordines sacros suscipiant, vxores ducere, quia post sacros ordines susceptos, non licet id facere, & nimis magno periculo fornicandi se exponit, qui sine vxore viuit.

Huius erroris aliqui auctorem faciunt Nicolaum, vnum ex septem primis Diaconis: Sed quidquid de hoc sit, constat, Vigilantium hunc errorem expressè docuisse; de quo sic beatus HIERONYMVS initio libri contra Vigilantium: *Pro nefas*, inquit, *Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam.* Hunc errorem receperunt Patres Concilij Trullani, circa annum Domini DCC. vt patet ex can. 13. vbi profana illa Synodus damnat nominatim canones Romanæ Ecclesiæ, & contrarium statuit, nimirum vt Clerici ante Subdiaconatum vxores ducant, & cum eis viuant postea in sacris ordinibus constituti. Tempore huius Synodi cœpit mos Græcorum, qui nunc est. Auctus autem est & confirmatus tempore Leonis IX. quando dissidium Græcorum à Latinis maximè creuit in multis alijs articulis. Vnde exstat liber Humberti Cardinalis eo tempore scriptus de hac re, contra Nicetam Abbatem, qui hunc morem Græcorum tunc acerrimè defendebat.

POSTERIOR error longè grauior est; Non solum licere ante ordinationem, sed etiam post ordinationē, vxorem ducere. Huius erroris fundamenta quædam iecit Iouinianus, qui docuit, virginitatem non præstare matrimonio; inde. n. sequebatur, frustrà Sacerdotes velle carere vxorib. Vnde ēt quædam Sanctimoniales, Iouiniano audito, nupserunt, ut beatus Augustinus refert lib. de hæresib. c. 82. Hæc tamen hæresis mox extincta fuit, nec vsque ad deceptionem alicuius Sacerdotis peruenit, ut ibidem Augustinus ait.

PRIMVS aūt qui docuit apertè, licere post ordinationem vxorem ducere, fuit Ioannes VViclefus, ut refert Thomas VValdensis tomo 2. de Sacramentis, ca. 128. & 129. & tom. 3. de Sacramentalibus, c. 66. & 67. Eum sequuti sunt Lutherus in lib. de abroganda Missa priuata, Pomeranus in lib. de coniugio Episcoporum, Magdeburgenses in Centurijs singulis, ca. 7. & nominatim Centuria. 11. c. 7. col. 389. vbi dicunt, hāc esse hæresim maximè pestiferam omnium, quæ vnq̄ Christianum regnum perturbarunt. Item Beza, & Martyr in primam ad Corint. 7. Philippus Melanchthon in Confessione Augustana, art. 23. & in Apologia eiusdem articuli, Caluinus lib. 4. Instit. c. 12. §. 23. Brentius in Confessione VVittembergensi, c. de coniugio. Præterea Erasmus in declamatione de laudib. matrimonij, vtile esse iudicat, si Sacerdotibus ius cōiugij concedatur, & idem sensisse videtur Panormitanus, Catholicus alioqui & doctus auctor, in ca. Cum olim, de Clericis coniugatis. Audio Kemnitiū in tertia parte Examinis Concilii Tridētini, de cęlibatu Sacerdotum copiosè tractasse, sed eum librum nōdum videre potui. Ac si ex alijs eius operibus coniectura facienda est, nihil aut parum admodum addit ad ea, quæ Centuriatores, & Caluinus collegerunt.

Contra hos errores probandum nobis est, votum continentiæ annexum esse ordinibus sacris, ita vt nec ducere vxores, nec vxorib. antea ductis vti liceat post ordinationem; positiuo quidē iure, sed antiquissimo & æquissimo, & quod nullo modo expediat, ut hoc tēpore relaxetur.

Probatur PRIMO, Scripturis; ac primum Paulus ī epist. ad Titum, c. 1. *Oportet*, inquit, *esse Episcopum hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentē.* Vbi notandum pro eo, quod nos habemus sobriū, Græcè esse σωφρονα, quod, ut Hieronymus in hunc locum dicit, ambiguum est, & prudentem, sobrium, castum significare potest; hoc autem loco significat castum. Quia verò castitas etiam coniugatis communis est, ideo Apostolus addit etiam, *continentem*; quod ibidem B. Hieronymus exponit ab vxoris amplexib. Idē in epist. 2. ad Tim. c. 2. *Labora*, inquit, *sicut bonus miles Christi Iesu, nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Hic Apostolus Episcopo præcipit, vt strenuè militet Deo; deinde dicit, nō posse eum bene militare Deo, si se implicauerit negotijs secularibus, qualia certè esse nuptias, nemo negare potest. Nam, vt S. Basilius pulchrè docet in proœmio constitutionum Monasticarum: *Nuptiæ pedicæ sunt.* Idem Apost. 1. ad Corinth. 7. iubet, coniugatos vacare ex consensu ad tēpus ab opere nuptiarum, ut orationi instare possint; ex quo per bonam consequentiam deducit B. Hieronymus in c. 1. ad Titum, & li. 1. in Iouinianum, eum præcipere Episcopis, & alijs hominibus sacratis, ut perpetuò a nuptiarum opere vacent, cū quotidie orationi insistere debeant: Quo eodem argumento ex hoc loco vtuntur Origenes hom. 23. in Num. & Epiphanius hæresi Catharorum.

Præterea in veteri Testamento, continentiam ab vxoribus videmus in primis fuisse requisitam in ijs, q̄ Deo propinquaturi, vel rem aliquam sanctam tractaturi erant. Nam Exod. 12. præcipitur, vt comesturi Agnum Paschalem renes suos accingerent, quo significabatur, ut Gregorius exponit hom. 22. super Euang. debere eos carnis voluptatem edomare, qui Agnum Paschalem comedunt. Exod. 19. cum populus legem à Deo accepturus esset, ait illis Moses: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Quo testimonio vtitur Ambrosius lib. 4. de officijs, c. vlt. ad probandam continentiam Clericorum.

Item Exod. 28. præcipit Deus, vt Aarō & filij eius cum ingrederentur tabernaculum, feminalibus lineis à renibus vsque ad femora tecti essent; quo exponit Beda, lib. 3. de tabernaculo, c. 9. significatum esse, debere Sacerdotes noui testamenti aut virgines esse, aut contracta cum vxoribus fœdera dissoluisse. Item 1. Reg. 21. noluit Achimelech Sacerdos dare Dauid panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab vxore aliquamdiu se continuisse. Ex quo deducit B. Hieron. in c. 1. ad Titum, perpetuam requiri in sacerdotibus continentiam, etiam ab vxoribus, qui Corpus Christi, quod illo pane propositionis significabatur, conficiunt, edunt, alijsque tradunt.

Denique ex lib. 1. Paralip. c. 24. & Lucæ 1. colligit, Sacerdotes veteris Testamenti per vices suas ministrare solitos, & toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, à domo & vxore abfuisse. Ex quo deducunt Syricius Papa in epistola ad Himericum; Innocentius I. in epistola ad Victricium, necnon Beda in caput primum Lucæ, quod si illi tempore, quo ministrabant,

strabant, ab vxoribus abstinebant, omnino decere, vt Sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper ab vxoribus se contineant.

Hoc vltimum argumentum soluere conatur Caluinus, li. 4. c. 12. §. 25. ac dicit, Sacerdotes Leuiticos ἀντίτυπους Christi fuisse, id est, figuram Christi gessisse, & quia Christi excellentiam & sanctitatem exacte referre non poterant, iussos fuisse vltra humanum morem se purificare. Nunc ãt id necessariũ non esse, cum per Christi aduentũ figuræ, atq; vmbræ cessauerint: At solutio parum valet; nam sicut Leuitici Sacerdotes, Christi venturi figuram gerebant, ita nunc Sacerdotes Christiani Christum, qui venit, repræsẽtãt. Sacerdos enim, dum sacra mysteria peragit, Christi personam sustinet, & propterea sacrificans, non dicit; Hoc est corpus Christi, sed; Hoc est corpus meum. Ip B se enim Christum eo loco agit, id quod etiam vestium sacrarum ornatus designat. Deinde, non est illa primaria caussa, cur Sacerdotes Leuitici deberent abstinere ab vxoribus, quia gerebant Christi figuram, sed quia Domino ministrabant. Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Deum sanctificentur, ne percutiat eos.* Nam alioqui Dauid semper erat Christi figura, & tamen tunc solum iussus est abstinere ab vxore, quando panem sanctum comesturus erat, vt diximus. Denique, si illi, quia Christum significabant, debuerunt vltra humanum modum se purificare, quãto magis purificari debebunt, qui Christũ ipsum quotidie tractant?

Probatur SECVNDO, testimonijs conciliorũ antiquorũ totius Ecclesiæ. Ac primũ ecclesiæ Orientalis. habemus conciliũ ANCYRANVM celebratũ ante an- C nos MCC. can. 10. vbi dicitur: Diaconos qui in ipsa ordinatione non protestantur se velle vxorẽ habere, nõ posse post ordinationem eã ducere. Si autẽ protestentur, posse ducere, quia tunc censetur Epus cum eis dispensasse. Itẽ cõcilium NEOCÆSARIENSE paulo post celebratum, c. 1. *Presbyter*, inquit, *si vxorem duxerit, ordine suo moueatur.* Concilium NICÆNVM I. can. 3. interdicit Episcopo, Presbytero, & Diacono ne domi mulierem vllam habeat præter matrem, sororem, amitam. Nulla vxoris mentio fit, quæ tamen primo loco poni debuit, si cum ea habitare liceret. Itẽ, cur prohibetur Clericis cohabitatio mulierum, si vxorati esse possunt? Nonne vxores ancillas habere possunt in eadem domo? Denique Synodus TRVLLANA, can. 6. prohibet, ne Epi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaco- D ni post ordinationem suam, vxorem ducant, & can. 48. præcipit, vt Episcopus non cohabitet vxori.

Ecclesiæ Africanæ habemus insigne testimonium, concilium enim CARTHAGINENSE II. can. 2. *Omnibus placet*, inquit, *vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, uel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant.* Et ratio ibi redditur: *Vt quod*, inquiunt, *Apostoli docuerunt & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Hoc testimonium non solum refellit Lutheranos, sed etiam eos ex Catholicis, qui volunt hoc decretum de sacerdotum continẽtia a Syricio incœpisse; isti enim Patres ab Apostolis incœpisse dicunt. Item concilium Carthaginense V. can. 3. & concilium Africanum, can. 37. idem constituunt.

Ecclesiæ Italicæ habemus Concilium Romanum E sub Syluestro I. quod can. 8. prohibet Subdiaconis, ne vxores vllo modo ducere audeant.

Ecclesiæ Gallicæ habemus concilium ARELATENSE II. ante annos MCC. celebratum, in quo can. 2. cauetur, ne vllus cõiugatus, ad sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab vxore promiserit. Item Concilium TVRONENSE I. canone 1. & 2. Turonense II. canone 20. AGATHENSE, ca. 9. & AVRELIANENSE III. can. 2. *Vt nullus*, inquit, *Clericorum a Subdiacono & supra, propriæ, si forte iam habeat, misceatur vxori.*

Ecclesiæ Hispanicæ habemus concilium ELIBERTINVM ante tempora Syricij, can. 33. *Placuit*, inquit, *in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis abstinere se a coniugibus & non generare filios.* TOLETANVM II. capit. primo, & Toletanum IV. c. 26. & Toletanum VIII. cap. 6. etiam Subdiaconis vsum vxorum prohibent.

Deniq; Ecclesiæ Germanicæ habemus concilium AQVISGRANENSE tempore Ludouici I. cap. 6. Concilium VVormacience, c. 9. *Placuit*, inquit, *vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiacon abstineant se ab vxoribus, & nõ generent filios.* Denique concilium MOGVNTINVM tempore Arnulphi Imperatoris, c. 10. statuit, vt nulla penitus mulier, ne soror quidem, aut mater, cum Ecclesiasticis habitare permittatur.

Ex his apparet mendacium esse apertissimũ, quod Philippus dicit in ipsa Confessione Augustana, ar. 23. cui tot Principes subscripserunt, in Germania ante annos CD. primum esse legem cœlibatus impositam Clericis. Nam concilia citata, sunt in Germania ante annos DCC. celebrata, vel etiam ampliùs. Nec minus mendacium est, quod in Apologia dicit, legem de cœlibatu Cleticorum in nullo concilio reperiri, sed a solo Romano Pontifice contra Synodorum sententiam inductam esse.

Probatur TERTIO, testimonijs veterum Pontificum. CLEMENS I. in Canonibus Apostolorum, can. 27. in nuptijs autẽ qui ad Clerum prouecti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiãt, sed lectores, cantoresque tantummodo, quod autem de lectorib⁹, & cantoribus dicitur, idem de alijs minoribus ordinibus intelligitur, cum sit omnium eadem ratio. Calixtus I. apud Gratianum, dist. 27. canone Presbyteris: *Presbyteris*, inquit, *Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.* SYRICIVS in epistola ad Himericum, ca. 27. (quod etiam Caluinus fatetur) prohibet cum vxore commercium, iis qui sunt in sacris. Idẽ paulo post confirmauit INNOCENTIVS I. in epistola ad Victricium, c. 9. & in epist. ad Exuperium, c. 1. Idem LEO I. in epist. 82. ad Anastasium Episcopum Thessalonicę, cap. 4. & in epist. 90. ad Rusticum Narbonensem, c. 3. Idem GREGORIVS I. in epistola 42. lib. 1. & epist. 34. libri 3. Idem ZACHARIAS Papa in epistola vltima, ad Bonifacium Episcopum Germaniæ, ante annos DCCC. Vnde etiam apparet clarius Philippi mendacium.

Sed placet verba referre LEONIS I. in epistola ad Anastasium, quia non solum Lutheranos, sed etiam Græcos euidenter coarguunt. Ad Græcos enim scribit hoc modo: *Omnium*, inquit, *Sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in alijs membris Ecclesiæ vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt et qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares & innupti. Quod si in hoc ordine, qui quartus existat a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel in secundo, tertioue seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate vxoria, necdum frenasse deregitur?* His adde expressa testimonia veterum Imperatorum, quæ exstant Codice de Episcopis, & Clericis, leg. eum qui, & sequentibus, item in Authenticis de Monachis.

Probatur QVARTO, testimoniis veterum Patrum Græcorum & Latinorum. ORIGENES homil. 23. in librum Numeri: *Certum est*, inquit, *quia impeditur sacrificiũ indefinẽs ijs, qui cõiugalibus necessitatib. seruiunt, vnde videtur mihi q, illius solius est offerre sacrificiũ, qui*

indefinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. EVSEBIVS libr. 1. demonstrat. Euang. c. 9. *Verumtamen*, inquit, *eos qui sacrati sint atq; in Dei ministerio, cultuq; occupati, continere deinceps seipsos a commercio vxoris decet, &c.*

EPIPHANIVS ad finem operis contra hæreses: *Sanctum*, inquit, *sacerdotium ex virginibus, vt plurimum, aut ex solitarijs, aut si hi ad ministerium non suffecerint de his qui se a propriis vxoribus continent, & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi.* Item hæresi 59. quæ est Catharorum: *Sed*, inquit, *& adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maxime vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.*

CHRYSOSTOMVS homil. II. de patientia Iob, *dixit*, inquit, *vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruetur, oportet enim omni prorsus castitate Sacerdotem ornatum esse.* GREGORIVS NISSENVS li. de virginitate cap. vltimo: *Quomodo*, inquit, *Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum, vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne sacra impurus facias? ac si Deum tibi apparere expetis, quid caussæ est, cur Mosem non audias, qui populo edixit, vt a nuptijs purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?* CYRILLVS Catechesi 12. *Si*, inquit, *qui apud* IESVM *bene fungit sacerdotio, abstinet a muliere: ipse* IESVS *quomodo ex viro, & muliere produturus esset?* OECVMENIVS in caput 3. primæ ad Timoth. in illud; Vnius vxoris virum: *Non statuit*, inquit, *vt ab vxore pendeat Episcopus, aut vxorem necessario habeat, sed si fiat*, inquit, *e mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen vt vocatus ad Episcopi munus, illud compleat, quod qui habent vxores, sint tanquam non habentes.*

Iam ex Latinis. CYPRIANVS, siue quicunque est auctor, in libro de singularitate Clericorum, affirmat sibi a Domino reuelatum, non debere Clericos domi suæ habere mulieres; id quod etiam toto eo libro probat. Neque obstat, quod in extremo libro (vt Petrus Martyr notauit) sic loquitur: *Si quis habet matrē, vel filiam, vel sororem, vel coniugem, vel cognatam, sic habeat, vt nulla ancilla intersit, &c.* Nam loquitur de coniuge, quæ simul vouerit continentiam. Similis habetur locus in concilio 11. ARELATENSI, can. 3. *Si quis de Clericis a gradu diaconatus in solatio suo muliere præter aniam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, a communione alienus habeatur.* Alioqui si Cyprianus vxorem Clericis concederet, quia vti liceret, pugnaret cum toto suo libro, & cum ipso titulo: *De singularitate Clericorum.*

AMBROSIVS lib. 1. de officijs c. vltimo: *Inoffensum*, inquit, *exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis, quod ideo non præteriui, quia in plerisq; abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt.* Idem in epistola 82. ad Ecclesiam Vercellensem: *Habentem*, inquit, *filios, dixit Apostolus, non facientem, &c.* Et in caput 1. epistolæ 1. ad Timotheum. *Deinceps*, in *ab vsu fœminæ cohibentur, &c.*

HIERONYMVS libro in Vigilantium circa initiū: *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ: quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Idem in fine Apologiæ pro libris cōtra Iouinianum: *Episcopi*, inquit, *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium pudici.*

AVGVSTINVS lib. 2. de adulterinis coniugijs, c. 20. *Solemus*, inquit, *eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur multi, eamq; susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuuante perducunt.* Vide totum locū. AVCTOR quæstionum veteris & noui testamenti, qui non est Augustinus, vt titulus præ se fert, sed aliquis antiquior, quæstione vltima sub finem: *Si licet*, inquit, *& bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet vxores habere?* Et prolixe causſam reddit.

GREGORIVS præter decreta supra citata li. 6. c. 1. in lib. Regū, errare dicit eos, qui propter verbum Pauli: *Vnusquisque suam vxorem habeat*, putant licere Ecclesiasticis vxores habere. GREGORIVS TVRONICVS li. 4. hist. c. 4. refert quēdā Comitē, qui dimissa vxore fuerat sacris initiatus, quia postea ad vxorē redire voluit, ab omnibus Episcopis excommunicatum fuisse.

ISIDORVS lib. 2. de officijs diuinis, cap. 10. *Placuit*, inquit, *sanctis Patribus, vt qui sacra mysteria contrectāt, casti sint & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi.* Hæc de Subdiaconis dicit. similia docet de Diaconis, & Presbyteris c. 5. & 8. ex quibus locis intelligi possunt ea verba capitis secundi: *Castimoniam corporis perpetuo seruent, aut vnius matrimonij vinculo fœderentur.* Hæc enim dicuntur de Clericis in vniuersum, tum maioribus tum minoribus. Debent enim omnes Clerici aut perpetuo esse continentes, si maioribus ordinibus initiati sint, aut vnius matrimonij vinculo copulari, si minoribus.

B. ANSELMVS in epistol. 8. asserit, recte a Gregorio VII. prohibitum fuisse, ne vlli interessent Sacris sacerdotum coniugatorum. BEDA li. 3. de tabernaculo c. 9. *Nemo potest*, inquit, *vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris ministerium consecrari, nisi aut virgo permanserit, aut cōtracta cum vxore matrimonij fœdera soluerit.* DENIQVE, vt recentiores omittam, ARATOR Subdiaconus Vigilij Papæ ante annos mille libro in Acta Apostolorum c. 30. posteaquam explicuit rationem, cur sacerdotibus veteris legis permitteretur, vt solum ad tempus ab vxoribus se continerent, subdit:

Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos,
Pontifices iubet esse suos, &c.

His testimonijs accedant exempla eorundem; nam a tempore Apostolorum omnes Episcopi, Presbyteri, alijq; Ecclesiastici, quorum vitas habemus; & quos vnquā laudatos audiuimus, continentes fuerūt, neq; vllum exēplū probati viri in contrarium afferri pōt. MAGDEBVRGENSES quidem diligentissime quæsierūt omnibus seculis aliquos, qui vxorē duxerint post susceptos ordines, & multa exēpla proferunt, Centuria 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. initio capitis septimi, sed nullū eorū aliquid valet. Nam vel exempla illa debēt intelligi de vxoribus, quas antea duxerant, vt de Gregorio patre Gregorij Nazianzeni, vel intelliguntur de minorib. Clericis, vt quod proferunt ex concilio Toletano IV. c. 42. vel sunt exempla eorum, qui reprehēdūntur, vt quæ proferunt ex epistola Zachariæ ad Bonifacium, vel sunt expressa mendacia, vt cum dicunt Cent. 5. c. 7. Presbyteros Macedoniæ duxisse vxores, teste Innocentio I. epist. 22. nihil enim tale Innocentius dicit. PHILIPPVS in libro de cœlibatu ad Regem Angliæ, probat veteres Episcopos matrimonio vsos ex epistola Polycratis, apud Eusebium li. 5. hist. c. 24. scribit enim Polycrates septē ex Parentibus suis fuisse Episcopos, seq; octauum esse. At deceptus Philippus est ex versione Ruffini. Græca enim vox συγγενῶν quæ est apud Eusebium, non parentes, sed cognatos significat. Sed fac esse Parentes, num propterea sequitur eos in Episcopatu matrimonio vsos?

Ex hac autem tanta nube testium tria deducūtur. PRIMO, errare Clichtouæum & alios, qui putant legem continentiæ impositam Clericis primum a Syricio.

cio. Nã Clemẽs, Origenes, Eusebius, Epiphanius, & aliqua concilia citata, antiquiora sunt SYRICIO. SECVNDO, morem Græcorum, quem nunc habent, non fuisse primis sexcentis annis, vt patet ex iisdem auctoribus, necnon ex Chrysostomo, Hieronymo, & Leone locis citatis. TERTIO, mendacium esse, & quidem impudentissimum Caluini li. 4. inst. c. 12. §. 12. vbi dicit, omnes veteres Patres approbasse coniugium in ordine episcopali; nam Patres plurimi citati, & concilia plurima contrarium statuunt, & nullum exemplum in contrarium adferri potest.

Probatur iam QVINTO ratione; cum enim coniugium vehementer impediat Ecclesiastica munera, æquum fuit, vt sacerdotibus, alijsq; sacratis hominibus coniugia prohiberentur, nam Ecclesiasticorum munera sunt sacrificare, orare, docere, exhortari, Sacramenta ministrare, curam pauperum gerere, & similia, quæ rite exerceri non possunt, vt Apostolus ad Titum c. 1. docet, nisi sacerdos sit hospitalis, benignus, sobrius, iustus, sanctus, continens, doctus.

IAM vero matrimonium impedit in primis, vt Hieronymus dicit lib. 1. in Iouinianum, munus sacrificãdi, quia summa quædam puritas, & sanctitas in eo requiritur, vt Chrysostomus explicat libr. 6. de sacerdotio; in actu vero coniugii negari non potest, quin admixta sit quædam impuritas & pollutio, non quę peccatum sit, sed quæ ex peccato tamen nata sit. Quamuis enim Caluinus, loco notato, vociferetur contra Syricium, qui coniugium sacerdotum pollutionem vocauit, tamen non solum coniugium sacerdotũ, quod sacrilegium est, nõ coniugium, sed etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam, & turpitudine non exerceri, satis testatur rebellio membrorum, & verecundia humana in illo actu, quæ secretũ semper quærit, vt notauit B. Augustinus libr. 14. de ciuitate Dei, cap. 17.

DEINDE, impedit studium orationis, & lectionis in quo assidue sacerdos versari debet. Oratio enim requirit mentem eleuatam, purgatam, & tranquillam; actus autem coniugii, vt B. Augustinus docet lib. 14. de ciuitate Dei, c. 16. maxime hebetat aciem mentis, & deprimit ad inferiora, & perturbat, & animam ipsam carnalem quodammodo facit.

TERTIO, impedit efficaciam prædicationis, vt Ambrosius docet libr. 1. de officiis capite vltimo, quomodo enim efficaciter exhortabitur viduas & virgines, qui liberis perpetuo operam dat?

QVARTO, impedit curam pastoralem, nam qui vxorem, & liberos habet, de illis semper cogitat, & affectus, quo oues suas prosequi deberet, in vxore & filiis totus consumitur, & tamen (vt Ambrosius docet lib. 1. de officiis, cap. 7.) plus diligendi essent filii spirituales, quam carnales.

QVINTO, impedit curam pauperum, & illam hospitalitatem, & benignitatem, quam Apostolus tantopere commendat; nam qui vxorem, & liberos habet, debet eis thesaurizare, & raro inueniuntur coniugati, qui superfluum habeant. Adde, quod cum Clericus non possit filiis relinquere beneficia, & tamẽ omnis Pater cupiat bene prospectum filiis suis, cogerentur esse auarissimi, & vendere Sacramenta.

SEXTO, impediret Sacramentorum administrationem; tunc. n. vix distinguerẽtur Clerici a Laicis, & esset sicut populus, sic sacerdos, quod experientia testatur, nam tempore Gregorij VII. cum in Germania cępissent sacerdotes vxores ducere, tantus contemptus Sacramentorum sequutus est, vt passim Laici Sacramenta administrarent, vt Ioannes Nauclerus, & alij referunt. Itaq; merito D. Epiphanius hæresi 59. dicit, pp honorem sacerdotij necessariã esse continentiam. Superest argumenta soluere. Ac primum soluam argumenta Caluini eodem ordine quo ipse proponit.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta Caluini.

ARGVMENTVM PRIMVM. Deus reliquit matrimonium liberum, ergo nulli homini licuit id prohibere, & confirmatur ex Apostolo 1. Timot. 4. vbi notãm hæreticorum esse dicit, prohibere nuptias.

RESPONDEO, concedimus totum argumentum; neque enim Ecclesia prohibet matrimonium, aut cogit vllum ad cœlibatum absolute suscipiendum, sed solum requirit eam conditionem in ijs, qui initiari volunt sacris mysterijs, quam si quis nolit accipere, potest non accipere, sed non initiabitur. Quemadmodum non censetur Ecclesia prohibere iudicia forensia; nec officium tortoris, etiamsi nolit talia ab Ecclesiasticis fieri. AD locum Apostoli dicimus cum Hieronymo li. 1. in Iouinianum, & Augustino li. 30. contra Faustum, ca. 4. & 6. Ambrosio, Chrysostomo, alijsque in hunc locum, notari ab Apostolo eos, qui absolute nuptias, vt malas prohibebant, quales fuerunt Tatianus, Marcion, & Manichæus.

SED forte obijciunt, quia Apostolus dicit id futurũ in nouissimis diebus. RESPONDEO, nouissimos dies intelligit totam hanc vltimam ætatem, quæ est a Christo vsq; ad iudicium. Nam Apostolus ait: *Nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt.* 1. Cor. 10. Et: *Filioli nouissima hora est.* 1. Ioã. 2. Adde, quod vox Græca non est ἐσχάτοις sed ὑστέροις id est, non in vltimis, sed in posterioribus temporibus; neque id negare possunt aduersarij, nisi velint Manichæos & Encratitas ab Apostolo notatos non fuisse, q tñ apertissime nuptias prohibebant, nec. n. illi in vltimis tẽporibus fuerunt.

Sed obijcit Petrus MARTYR in libro de cœlibatu, & votis Monasticis, sanctum Augustinum, qui lib. 2. de moribus Manichæorum, c. 18. & in epistola 74. ad Deuterium, testatur Manichæos non prohibuisse nuptias nisi electis suis, qui erant apud eos quasi Sacerdotes, & Monachi: & tamen dicit eos notari ab Apostolo; cum ait, doctrinam esse dæmoniorum, prohibitionem nuptiarum.

RESPONDEO, idem Augustinus lib. 30. contra Faustum, cap. 6. scribit, a Manichæis interdictas nuptias simpliciter, quia etsi eas permittebant auditorib. suis, id faciebant, quia non poterant aliud obtinere: *Nec ideo*, inquit, *vos dicatis non prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obedire nolentes aut non valentes, salua amicitia toleratis.* Hæc ille. Nos autem non solum tolleramus Christianos coniugatos, sed etiam laudamus. Ac propterea Manichæi auditoribus suis sic nuptias permittebant ad explendam libidinem, vt tamẽ conceptum, & liberorum procreationem cauendam esse monerent. Quod est nuptias apertissime detestari. Catholici autem ideo potissimum nuptias laudant, quod ad procreationem liberorum a Deo institutæ fuisse noscantur.

Argumentum SECVNDVM. Apostolus 1. Tim. 3. & Tit. 1. cum absoluti Episcopi ideam exprimeret, inter reliquias dotes, & virtutes, quas in eo requirebat, ausus est coniugium ponere: ait enim, vnius vxoris virum esse eligendum.

RESPONDEO, falsissimũ est, quod Apostolus inter dotes, aut virtutes absoluti episcopi ponat coniugiũ: ad quod probandum sufficere deberet, quod quotquot sanctissimi Episcopi hactenus fuerunt, omnes continentes fuerunt, vt supra diximus. quos certe nullo modo credibile est, aut nõ intellexisse verba Pauli, aut ei obtemperare noluisse. Præterea cum idem Paulus 1. Corinth. 7. hortetur ad continentiam, & dicat bonum esse innuptis & viduis, vt sic permaneant, & *Qui nubit bene facit, qui non nubit melius facit*; quomodo credibile est eundem Paulum inter dotes, &

virtutes Episcopi posuisse ut vxorem habeat? Adde, quod non solum Chrysostomus & alij Patres in hũc locum docent, Paulum non tuliſſe legem, ut Episcopi habeant vxores, sed solum vt non habeant, vel habuerint plures quàm vnam: sed etiam Martinus Lutherus in propositionibus de digamia contendit, ista verba: *Vnius vxoris virum*, esse accipienda negatiuè, non positiuè, ita vt non teneat Episcopus habere vnã sed teneatur non hãre plures feminas vna cum vxore.

AT, inquit Caluinus, Paulus ibidem, vbi descripserat quales debeant esse episcopi & Diaconi, describit etiam quales debeant esse eorũ vxores. RESPONDEO, Paulum, ubi dicit: *Mulieres simpliciter pudicas, &c.* vel loqui de mulieribus generatim, ut Ambrosius exponit, vel de Diaconissis, q̃ viduæ erant, vt Chrysostomus & Theophylactus docent, vel si loquatur de uxoribus Episcoporũ, & Diaconorum, loqui de vxoribus quas acceperant ante ordinationem, non quas postea accepturi essent.

Argumentum TERTIVM. Apostolus Heb. 13. citra exceptionem securè pronunciat, honorabile esse inter oẽs coniugium: Cur non ẽt inter Sacerdotes?

RESPONDEO, argumentum facilè in ipsum retorqueri posse, si enim coniugia omnium sunt honorabilia, etiam coniugia consanguineorum in primo & secundo gradu erunt honorabilia, & coniugia adolescẽtium iniussu parentum contracta, erunt honorabilia quæ tamen Caluinus improbat lib. 4. c. 19. §. 27. instit. Dico igitur, tribus modis posse exponi illud, *In omnibus*, Græcè ἐν πᾶσι. PRIMO, vt in omnibus, idem sit, quod omni ex parte, id est, coniugium honorabile est in omnibus, quæ coniugij sunt, siue Sacramentum, siue fidem, siue prolem consideres. ita Oecumenius in hunc locũ. SECVNDO, ut in omnibus, significet apud omnes, id est, nemo debet coniugium reprehendere, etiamsi virginitatem ipse profiteatur; ita videtur accepisse Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 3. DENIQVE, in omnibus, i. in omnibus legitimè coniunctis quicunque illi sint; siue senes, siue iuuenes, siue nobiles, siue obscuri, siue Græci, siue Hebræi, &c. Ita Theophylactus in hunc locum, & hæc uidetur magis literalis expositio, sed parum refert.

Argumentum QVARTVM. Apostoli exemplo suo docuerunt, nullius quamuis excellẽtis functionis sanctitate indignum esse coniugium; nam eos uxores nõ solum habuisse, sed etiam circũduxisse testatur Paulus 1. Cor. 9. cui loco etiam addi potest illud Philipp. ult. *Rogo te etiam Germane compar adiuua illas, &c.* Posset enim commodè uerti, Germana coniunx, quod Græcè scriptum est.

RESPONDEO, non esse omnino certum, qui ex Apostolis uxorem habuerint, & qui non habuerint. TERTVLLIANVS lib. de Monogamia, & Hieronym. lib. 1. in Iouinianum existimant præter Petrum, cuius socrũ in Euangelio legimus, nullum alium Apostolorum uxorem habuisse. S. IGNATIVS in epist. ad Philadelphienses dicit, Petrum & Paulum, & reliquos Apostolos coniugatos fuisse, excepto Ioanne, quanquam in Vaticano codice, & quibusdam alijs uetustis non habetur nomen Pauli. CLEMENS quoque Alexandrinus lib. 3. Stromatum circa medium, aliquos Apostolorum, & nominatim Paulum uxorem habuisse asserit ex locis citatis. Sed quidquid de hoc sit, certum est eos ex Apostolis, qui uxorem habuerunt, postquam uocati à Christo fuerunt, officio coniugali renunciasse, ut beatus Hieronymus docet li. 1. in Iouinianum; & satis colligitur ex c. 10. Matth. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Statim enim Dominus explicans, quid sit relinquere omnia; adijcit: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, &c.*

Ad locum igitur illum 1. Cor. 9. ubi dicitur; *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Dico Apostolum non de vxoribus, sed de pijs fęminis loqui, quæ sequebantur Apostolos, & eis ministrabant, sicut etiam Dominum sequebantur Luc. 8. Ita ferè omnes Græci & Latini exponunt, vt Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus Ambrosius, Haymo, & alij in hunc locum. Necnon Tertullianus libro de Monogamia, beatus Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, beatus Augustinus lib. de opere Monachorum, c. 4. & 5. & certè proprietas, linguæ Græcæ hoc satis ostendit. Nam dicit ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, sine vllo articulo. Si enim de vxore loqueretur, diceret, τὴν γυναῖκα; uxor enim certa quędam mulier est. Adde, quod CLEMENS Alexãdrinus, qui vnus ex veteribus expositis hunc locum de vxoribus Apostolorum, ibidẽ addit; quod etsi vxores erant tamen cessauerat inter eos coniugale officium, & loco sororum, non loco vxorum ab Apostolis habebantur, quod nobis sufficit contra hæreticos.

Occurrit Petrus MARTYR in cap. 9. primæ ad Corinth. vbi probat tripliciter Apostolum loqui de vxoribus. PRIMO, quia alioqui non diceret, sorores mulieres, sed sorores tantum, cum constet omnem sororem esse mulierem. SECVNDO, quia non diceret, potestatem circumducendi mulierem, quod sonat auctoritatem, sed diceret consuesse mulieres sequi, vt legimus Luc. 8. TERTIO, quia si illę mulieres aluissẽt Apostolos ex suis facultatibus, falsum esset q̃ Apostoli accepissent sumptus à populis, ergo loquitur de vxoribus, quæ sequebantur Apostolos viros suos, & non eos alebant, sed ab eis alebantur ex sumptibus populorum.

Ad PRIMVM dico, sic vocari sorores mulieres, sicut Act. 1. dicuntur viri fratres, nisi quod Paulus, ut sæpè solet, mutauit ordinem, & dixit sororem mulierem, pro mulierem sororem. Ad SECVNDVM dico, potestatem de qua Paulus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem eas circumducendi, si sequi vellent, uel si in mulieres erat potestas, dicam, Apostolos habuisse auctoritatem in eas mulieres, non virorum in vxores, sed doctorum in discipulas. Ad TERTIVM dico uel eas mulieres nõ fuisse diuites, & non ministrasse pecunias, sed obsequium tantum, accipientes pecunias à populis, quibus Apostoli prædicabant, vel fuisse diuites, & aluisse Apostolos, sed non semper fuisse cum Apostolis, & ideo Apostolos aliquãdo fuisse nutritos à populis, aliquando ab illis mulieribus.

Ad locum ex Phil. 4. dico duo. PRIMO, non de vxore Pauli hic agi, sed de uiro aliquo, quem Paulus vocat Germanum comparem, seu coniugem, aut coniugalem, σύζυγος enim significat eum, qui idem iugũ trahit. vocat autem eum coniugem, vel quia erat maritus alicuius ex fęminis antea nominatis, i. Euodiæ aut Synthiches, ut Chrysostomus & Theophylactus dicunt, uel quia erat socius suus in Euangelij prædicatione, ut Theodoretus, & Haymo docẽt, vel certè est nomen proprium uiri, ut uult Oecumenius.

Quod autem ita sit, id est, q̃ non loquatur de uxore suadent hæ rationes. PRIMA, quia plurimi ueterũ asserunt Paulum non habuisse uxorem, ut Hieronymus in epist. ad Eustochium de uirginitate, Hilarius in Ps. 127. Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio, c. 4. Epiphanius hęresi 58. Valesiorũ, Ambrosius in c. 7. prioris ad Corint. & in exhortatione ad uirgines, Tertullianus in utroq; lib. ad uxorem. Itẽ Chrysost. Theodoretus, alijq; ueteres oẽs in hunc locũ, excepto Clemẽte Alexãdrino. SECVNDA, quia, ut Theophylactus notauit, si de uxore loqueret, non diceret γυνὴ, sed in gñere feminino γυνὴ nõ. n. tã politus erat Apost. ut Atticismis, uteret. TERTIA, qa, ut dicit Oecumenius, non est credibile uxorẽ Pauli habitasse Philippis, & non potius in Iudęa, uel certè in Tarso Cilicię,

Ciliciæ, vnde Paulus oriundus erat. QVARTA, quia, A vt Ambrosius notauit in 1. Corinth. 7. Paulus adolescens a Domino vocatus est, quo tempore non est credibile eum vxorem habuisse, & certum est, postea nó accepisse. QVINTA, quia, vt notauit Theodoretus, Paulus 1. Corinth. 7. ponit se inter eos, qui non habebant vxores: *Innuptis, & viduis*, inquit, *dico, bonum est illis si sic permanserint sicut & ego; quod si non se continent, nubant.* At epistola ad Corinthios scripta est ante epistolam ad Philippenses, vt idem Theodoretus ostendit in præfatione commentarij in epistolas: Igitur vel Paulus accepit vxorem postquam scripserat ad Corinthios, quod est incredibile, aut non habuit vxorem cum scriberet ad Philippenses.

Dico, SECVNDO, quod si constaret Paulum loqui de vxore sua, tamen certum etiam nobis esse deberet, B eum ab vxore separatum fuisse, quoad torum. Quod enim Paulus vitam continentem duxerit, cum Euangelium prædicabat, euidenter deducit ex 1. Cor. 7. B. Augustinus libro de gratia & libero arbitrio, c. 4.

Argumentum QVINTVM & vltimum Caluini sumitur ex historia Socratis li. 1. c. 22. vbi dicunt, quod cum Nicænum Concilium legem ferre vellet, ne liceret Clericis cum vxoribus suis dormire, surrexit Paphnutius confessor, & Synodus tota in eius sententiam iuit, & continentiam ab vxore in arbitrio cuiusque reliquit.

RESPONDEO, hoc testimonium aliquid habere momenti pro sententia Græcorum, sed nullum penitus pro errore Lutheranorum. Nam vterque auctor in eodem loco testatur Paphnutium adiecisse, bonum sibi C videri vt secundum antiquos Canones prohibeatur Clericis, ne post ordinationem vllo modo vxores ducant, sed solum permittantur vti illis, quas ante ordinationem acceperunt. Nonne hoc totum contra Lutheranos est, qui post sacerdotium vxores ducunt?

At neque pro Græcorum errore, magnum est præsidium in hoc testimonio Socratis, & Sozomeni; nam vel totum est falsum, quod isti de Paphnutio tradunt, vel certe (quod magis credo) tale aliquid tunc accidit, sed non bene ab istis narratum est. Fortasse voluerũt Patres Concilij grauiores pœnas constituere in Clericos incontinentes, quales tunc aliquos fuisse ex Epiphanio, & Ambrosio locis notatis intelligi potest, & Paphnutius suasit non esse id faciendum.

At quod Concilium statuerit, continentiam esse re D inquendam in arbitrio Clericorum, nullam habet apparentiam, nec debet illis auctoribus credi. PRIMO, quia Sozomeni historia a S. Gregorio reprobatur, li. 6. epistol. 31. *Quia*, inquit Gregorius, *multa mentitur.* Socrates autem, vt omittam cetera, li. 5. suæ hist. c. 21. tria clara mendacia dicit. PRIMO, licuisse suo tempore vnicuique celebrare Pascha quando vellet, nec de hac re Ecclesiam aliquid certi statuisse. At constat, Nicænam Synodum statuisse, vt Pascha semper celebraretur prima Dominica post quartamdecimam lunam primi mensis; cuius Canonis meminerunt Epiphanius hær. 70. Audianorum, & Ambrosius li. 10. epist. 83. Eusebius in vita Constantini, Athanasius in libro de Synodis Arimini, & Seleuciæ. SECVNDO dicit, in Romana Ecclesia non ieiunari ante Pascha, nisi tres E hebdomadas, & tamen vocari Quadragesimam. At S. Leo, qui eodem tempore vixit, quo Socrates, sermone 4. de Quadragesima dicit, Romę ieiunari XL. dies, & idem dicit Gregorius homil. 16. in Euangelia, & certissimum est. TERTIO dicit, Romæ non ieiunari in Sabbatis, cum tamẽ contrarium sit certum ex Augustino epist. 86. & 118. ad Ianuarium. Si ergo in historia sui temporis Socrates tam aperte mentitur, vel certe refert quæ non scit, quę fides adhiberi illi potest in historia concilij Nicæni, quod annis pluſquam centum ante eius ætatem celebratum est?

PRÆTEREA, historia ista de Paphnutio manifestè pugnat cum verbis Epiphanij contra hær. 59. vbi ait, esse contra Canones Ecclesiasticos, quod Sacerdos vel Diaconus liberos gignat; & cum verbis Hieronymi libro contra Vigilantium, vbi dicit in Oriente & Ægypto non esse licitum Sacerdotibus & Diaconis vxoribus vti, quod sane falsum est, si Nicæna Synodus, in Oriente paulo ante celebrata, vxorum vsum illis concessit, vel ergo Epiphanius, & Hieronymus, vel Socrates, & Sozomenus mentiuntur. At certe magis credendum est Epiphanio, & Hieronymo viris sanctis, & qui vicini fuerunt temporibus Concilij Nicæni, quam Socrati, & Sozomeno hæreticis, & multo recentioribus.

DEINDE, quomodo cohæret illa narratio de Paphnutio cum canone tertio concilij Nicæni, vbi prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam domi mulierem habeant, præter matrem, sororem, amitam? & hoc argumento conuictus Lutherus, in li. de concilijs parte prima dicit, Patres concilij noluisse sequi sententiam Paphnutij, quamuis etiam contrarium Lutherus alibi scripserit.

DENIQVE, qui fieri potest, vt nec Ruffinus, qui multa de Concilio Nicæno & Paphnutio scripsit libro 1. historiæ Ecclesiasticæ, nec vllus alius ex veteribus ante Socratem huius rei meminerit, nec vllum vestigium tantæ rei in actis concilij exstet? Quod autem quidam dicunt, Suidam, qui huius rei meminit in vita Paphnutij, fuisse paulo post tempora Constantini, aperte falsum est; nam Suidas aliquot seculis Socrate posterior est, quippe qui scribit etiam vitam Ioannis Damasceni.

CAPVT XXI.

Soluuntur argumenta Philippi.

NVNC ad argumenta Philippi veniamus. Argumentum PRIMVM; Coniugium est de iure diuino. Genes. 1. *Crescite & multiplicamini.* Et de iure naturæ, vt patet ex naturali appetitu generandi; at ius diuinum & naturæ non potest tolli vlla humana lege, ergo, &c. Et confirmatur. Nam sicut nemo potest obligari a se vel ab alio ad non comedendum, quia hoc esset contra naturalem inclinationem conseruandi indiuiduum; ita nemo potest obligari a se vel ab alio ad non ducendam vxorem, quia id esset contra naturalem inclinationem conseruandi speciem.

RESPONDEO, verbum Domini non præceptum sonare, sed naturæ institutionem exprimere; nam etiam auibus, & brutis animantibus ibidem Deus dixit: *Crescite & multiplicamini*, quibus tamen nihil proprie præcipi potest. Præceptum autem naturale esse de coniugio ineundo, concedi potest, sed quia est affirmatiuum, non obligat nisi in casu necessitatis, id est, quando periculum immineret, ne humanum genus periret. Et per hoc respondetur ad confirmationem.

Nam sicut non tenemur comedere, nisi quando periculum est, ne pereat indiuiduum, ita non tenemur ducere vxorem, nisi quando periculum esset ne species humana periret. Ad quod respicientes Patres dixerunt, illud: *Crescite & multiplicamini*, tunc fuisse præceptum singulis hominibus, quando terra erat vacua, vt in exordio mundi, & mox a diluuio. Nunc autem cum terra plena sit, cœlum esse replendum, quod melius continẽdo, quam nubendo fit; etsi enim hanc solutionem Philippus ridet, tamen est Tertulliani libro de Monomagia ante medium, Cypriani libr. de habitu Virginum, Hieronymi lib. 1. in Iouinianũ, & Augustini de Sãcta Virginitate, c. 9. & ipse textus

hoc docet; nam postquam Deus dixit: *Crescite & multiplicamini*, subdit, quasi rationem reddens: *Et replete terram*, Itaq; tunc solum vim præcepti illa verba habent, cum terra est vacua. Deniq;, si Philippus vult iure diuino & naturali quocunq; tempore teneri homines omnes ad coniugium, injuriam facit Christo, Mariæ, Ioanni, innumerisque aliis sanctissimis viris, qui sine vxore vixerunt.

Argumentum SECVNDVM. Apostolus præcipit omnibus, qui donum continentiæ non habent, vt nubant, 1. Cor. 7. *Propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat.*

RESPONDEO, Apostolum loqui de coniugatis, qui cum in Paganismo vxores duxissent, post conuersionem ad fidem, dubitabant an deberent vxoribus vti; ijs enim respondet, vt vnusquisque vxorem suam retineat, & coniugale debitum inuicem reddant. Ita Tertullianus lib. de Monogamia, & B. Hieron. lib. 1. in Iouinianum, & patet ex sequentib. Nam paulò post addit: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est eis si sic permanserint. Solutus es ab vxore, noli quærere vxore.*

Adde etiam, non esse hoc præceptum Apostoli, sed consilium, vel permissionem potius, sicut illa eiusdē capitis: *Si non se continet, nubat, & si nupserit virgo, non peccauit, &c.* Est enim sensus Apostoli, vt Hieronymus ibidem & Chrysostomus, & Ambrosius, & alij in hunc locum exponunt; Bonum est mulierem non tangere, & vel vxorem non ducere, vel post eam ductam ex consensu ab officio coniugali abstinere; tamē si timetis fornicationem, bene facitis vxori adhærendo, quia melius est carere perfectione virginitatis, quam incidere in flagitia fornicationum.

Adde tertiò, hæc omnia dici ijs, qui votum continētiæ non habent. Qui enim vouerunt continentiam, ijs non dicitur: *Vnusquisque vxorem suam habeat, & virgo si nupserit, non peccauit.* Sed dicitur: *Redde altissimo vota tua*, Et: *Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.* Hanc exceptionem diserte ponunt Hieronymus lib. 1. in Iouinianum in illud: *Si nupserit virgo, non peccauit.* Chrysostomus in commentario eiusdem loci. Epiphanius hæresi 61. eadem verba exponens. Item Augustinus in Psal. 83. tractans eadem verba. & Gregorius lib. 6. c. 1. in lib. Regum, tractans illud: *Vnusquisque vxorem suam habeat.*

Argumentum TERTIVM. Lex pontificia, quæ cœlibatum sacerdotio adiunxit, dissentit à concilijs antiquis, proinde iniqua censenda est. Quæ autem sint illa Concilia, ipse non dixit. Nos tamen adducamus q̄cunque adduci possunt. PRIMO est Canon Apostolorum sextus: *Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam obtentu religionis abijciat.*

SECVNDO est Canon Concilij Gangrensis quartus: *Quicunque discernit à Presbytero, qui vxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit.*

TERTIO est Canon 13. sextæ Synodi, qui diserte reprobat morem Romanæ Ecclesiæ, quo iubentur profiteri continentiam, qui sacris initiantur.

QVARTO est Canon 3. Concilij V. Carthaginensis, in quo statuitur, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi se abstineant ab vxoribus in proprijs terminis, id est, ordine vicis suæ, vt exponunt Trullani Patres Canone iam citato.

QVINTO est Canon Aliter, distinctio. 31. vbi Stephanus Papa dicit, in Orientali Ecclesia Ecclesiasticos viros matrimonijs copulari, nec eum morem reprehendit, ergo falsum est, quod sæpe diximus, nunquam esse auditum, quòd licuerit post sacram ordinationem vxorem ducere.

VLTIMO est Canon B. Augustini 35. q. 1. can. cum igitur, vbi dicitur: *Ecclesia post Apostolica instituta, q̄dā consilia perfectionis addidit, vtpote de cōtinentia Clericorum, &c.* Ergo hoc consilium, non præceptum est. Hæc fortè sunt omnia, quæ exiure Canonico pro sententia hæreticorum adduci possunt.

Ad PRIMVM respondet Hubertus Cardinalis in libro contra Nicetam, & habetur hęc responsio sub nomine Leonis IX. dist. 31. can. Omnino, Apostolos iussisse, vt non abijciant Clerici vxores à cura sua, etsi reliquerint quoad thorum: debēt enim adhuc eas alere, & eis in omnibus prouidere. id quod expositit Cōcilium Trullanum can. 48. vbi dicitur, quòd Episcopi vxor debet in monasterio aliquo degere, & prouidentia Episcopi viri sui frui: Nec non Concilium Turonense II. can. 8. vbi dicitur, quod Episcopus coniugatus debet habere vxorem vt sororem, & eius curā gerere, absque tamen vlla suspicione carnalis cōmercij. ADDE, q̄ ipse Canon pro nobis facit; nā Græca vox, pro qua habemus (religionis) est εὐλαβείας, q̄ cautionem propriè significat. Itaq; sensus est, Episcopus aut Presbyter nequaquam prętextu cautionis vxorem abijciat, i. ne curam vxoris dimittat, eo prætextu quod tenetur ab ea se continere.

Ad SECVNDVM dico, anathema dici eis, qui putāt matrimonium ex se esse malum, & propterea existimant, non licere sacra facere ei, qui vxorem habuit, etiamsi ab illa se contineat. Id ita esse patet, tum quia in ipso primo Canone dicitur anathema ijs, qui putant, nuptias absolutè esse malas, & hoc canone quarto nō dī, qui vxorem habet, sed qui vxorem habuit.

Ad TERTIVM dico, illos Canones non esse vllius approbati Concilij. Nam vera sexta Synodus nullos Canones edidit, vt patet ex VII. Synodo, actione 4. & 5. sed post. VI. Synodum quidam Episcopi conuenerunt Constantinopoli, & in palatio Imperatoris Iustiniani II. quod Trullum dicebatur, Canones istos ediderunt nomine sextæ Synodi. Cæterum hos Canones non solum nullus Romanus Pontifex probauit, sed etiam apertè improbauit Sergius Papa, qui tunc sedebat, vt Beda scribit, in libro de sex ætatibus in Iustiniano, & Paulus Diaconus lib. 8. c. 9. de rebus Romanis. Vocat autem Beda erraticam Synodum cœtum illorum Patrum, qui hos canones ediderunt. ADDE, quòd etiamsi isti Canones aliquid ualerent, nihil tamen iuuarent causam Lutheranorum, non enim permittunt, ut ulli Clerico post sacrorum ordinum susceptionem liceat vxorem ducere, quod Lutherani faciunt, sed solum ut liceat uti uxore ante ordinem ducta, & hoc etiam non permittunt Episcopis, sed solū inferioribus Clericis, ut patet ex can. 6. 12. & 48.

Ad QVARTVM dico, uerba Latina Concilij non esse, in proprijs terminis, sed secundum priorum statuta, uel, secundum propria statuta, id est, secundum legem conditam in Concilijs prioribus Carthaginensibus, ac præcipuè in II. Carthaginensi can. 2. Græci autem hæc uerba malè intelligentes uerterunt, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. Quanquam ēt hęc ipsa Græca uerba non malè reddi possent, secundum proprias definitiones. sed cum Latinum sit Concilium, non Græcū, non multum laborandum est de Græca lectione. Prohiberi autē in hoc Concilio omnem usum uxorum sacris hominibus, patet ex August. lib. 2. de adulterinis coniugijs, c. 20. qui Augustinus illi Concilio interfuit. Item ex eo, q̄ ipse Canon loquitur eodem modo de Episcopis, & de alijs. At Patres Trulliani non permittunt Episcopos misceri unquam suis uxoribus.

Ad QVINTVM dico; PRIMVM, Canonē illum fortè nullius esse auctoritatis; nam nec dicit Gratianus, quotus sit Stephanus ille, qui eum Canonem edidit, cum plurimi fuerint Pontifices eius nominis, nec ullius Stephani epistola exstat, ubi ille Canon habeatur. Dico SECVNDO, absque ullo dubio auctores eius Canonis, cum dicit Orientales Clericos matrimonio copulari, non uelle dicere, uxores ducunt, sed matrimo-

trimoniale officium exercent,ut glossa explicat. Nam cum certum sit ex Concilijs plurimis, & ex ipsa praxi,& confessione Græcorum, nunquam fuisse licitũ, nec nunc haberi licitum in Græcia, vt in sacris existẽtes,ducant vxores: vel ille Stephanus falsum dicit, vel tãtum intelligit,vt nos diximus,matrimonio copulantur,i. matrimonij copulam exercẽt. Porrò hoc ipsum etsi Romana Ecclesia non probat, & abusum esse iudicat,tamen permittit Græcis; & si errorem alium non haberent,facilè pax componeretur.

Ad VLTIMVM dico,ea verba non esse beati Augustini,sed Gratiani,qui sua verba cum verbis B. Augustini continuauit,vt sæpè facere solet. Legatur apud Augustinum lib.15.de ciuitate Dei,c.17. Præterea ꝙ Gratianus dicit,bonum sensum habet;cum enim ait Ecclesiam addidisse quædam consilia perfectionis,& in eis numerat continentiam Clericorum, vult dicere, Ecclesiam imposuisse Clericis continentiam præcepto seruandam, quæ alioqui solum erat consilium perfectionis.nec enim credibile est tã ineptum fuisse Gratianum,vt putauerit continentiam non fuisse consilium perfectionis ante Ecclesiæ definitionem.

Alium Canonem profert Petrus Martyr in lib.de cælibatu,& votis;ex epist.87.aliàs 85. S. Leonis, vbi sic legimus:*Dicente enim Apostolo,vt inter alias Christianas regulas is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constaret, tam sacra semper est habita ista præceptio,vt iam de muliere sacerdotis eligenda,eadem intelligatur seruanda conditio:ne forte illa priusquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta cõiugium.* Ex hoc loco duo deducit Martyr, posse fieri Episcopum,non solum qui habuerit, sed etiam qui habeat vnam vxorẽ:& posse Epm vxorem ducere, si non habeat. At mira est impudẽtia huius hois; nam idẽ Leo in epist.84.ad Anastasium c.3. & 4. disertis verbis iubet, Epm ita vnius vxoris virum esse posse, vt tñ ab illa perpetuò se contineat. ꝙ verò in quibusdam exemplaribus legitur: *De muliere Sacerdotis eligenda*, mendum est manifestum. Sic enim legi debet, & legitur in codicib. melioribus: *De muliere sacerdotis eligẽdi.*

Argumentum QVARTVN Philippi; Continentia res est difficillima,nec omnibus datur;vt patet Matt. 19.*Non omnes capiunt verbum hoc*. Ergo non debuit ita indifferenter omnibus Clericis imponi.

RESPONDEO,sicut non omnium est donum continentiæ,ita nec omnes debent esse sacerdotes,sed solũ ij,qui videntur hoc donum habere.

Sed DICES. Quid si aliquis putet,se posse cõtinere & postea experiatur se nõ posse,qñ ordines accepit?

RESPONDEO,illos habere donum cõtinentiæ, qui volunt,& cupiunt continere:quibus autem Deus dedit velle,dabit etiam perficere si ipsi velint. Proinde nemo potest dicere,se non habere donum,quod se habere putabat;nam illa voluntas continendi propter Deum,est ipsum donum continentiæ. AD HÆC,non ne etiam coniugati sæpè coguntur,vel propter absentiam, vel propter ægritudinem longissimam coniugis abstinere se ab vxore;& tamen non licet eis aliam vxorem ducere,quantumuis vrantur æstu libidinis: quod exemplum affert D. August.li.2. de adulterinis coniugijs,c.19.& 20. contra eos,qui contra ius vxorẽ ducunt eo prætextu,ꝙ continere non possint.

Adde,ꝙ nemo est,qui continere non possit, si velit,vt docent Patres, Tertullianus in fine libri de Monogamia,Nazianzenus oratione 31. Basilius de virgin.vltra medium, Chrysostomus & Hieroy.in c.19. Matth.& Augustinus lib.6.confess.c.11. sed oportet remedia necessaria non negligere,quæ tria sunt;oratio,ieiunium,& periculorum euitatio. Nam tentatio carnis uel exoritur ex suggestione dæmonis, ut patet in Antonio,Hilarione, Benedicto,& similibus, qui A in eremo,& perpetuis ieiunijs viuentes, tamen tentabantur,& tunc necessaria est oratio,quia dæmon fortior nobis est,nec possumus eum vincere,nisi auxilio fortioris,qui est Deus. pp hoc dicitur Sap.8. *Nemo potest esse continens,nisi Deus det.* Vel oritur ex abundantia cibi & potus;nam cum natura accepit quod sufficit ad nutritionem,reliquum conuertitur in materiã generationis,inde nascitur pruritus carnis; & contra hoc necessarium est ieiunium, ut carnis terat superbiam,potus cibiq́ue parcitas. Vel denique oritur ex aspectu,& colloquio fœminarum; nam res visæ vel auditæ, si naturæ conueniant, imaginationem naturaliter mouent,& imaginatio appetitum. Hinc tot leges Conciliorũ prohibentiũ clericis fœminarũ contuberniũ;de quo ẽt vide Basilium c.3.monasti. constit,

B Cum igitur Lutherani hæc tria abiecerint, videlicet,orationem Canonicarum horarum, ieiunia oĩa, & etiam feria 6.carnibus vescantur, ac demum quisque domi suæ mulierem habere velit, quid mirum si continere non possint? Certè Lutherus ipse in singulis prandijs & cœnis,largissimè epulabatur, & vnum sextarium vini dulcis hauriebat,vt est in epist. quadã ad finem operis Ioannis Cochlæi de vita Lutheri.

Argumentum QVINTVM & vltimum; Cœlibatus iste Clericorum prodigiosas libidines parit, mũdum concubinis,& Ecclesiam scandalis replet.

C RESPONDEO, falsum esse, ꝙ cœlibatus ista pariat, sed abusus est cœlibatus,ꝙ ista parit. Apostolus enim 1.Cor.7.fructus cœlibatus esse dicit,cogitare quæ Dei sunt,sanctum esse corpore & spiritu, sine intermissione Domino assidere:Non igitur vsus, sed abusus cœlibatus ꝓdigiosas libidines parit. Si aũt pp abusus res bonæ tollendæ essent,cœlum & terra ẽt tollenda essẽt quia eis quidam abutuntur,putantes esse Deos; necnon Decalogus tollendus esset, & omnia Sacramenta,quia ẽt eis multi abutuntur. Ita respondet GREGORIVS Nazianzenus oratione in Basilium non procul a principio,illis qui execrantur Philosophiam naturalem,& scripta gentilium,propterea quod quidam eis abutuntur. Nec tamen admittimus tot esse concubinarios,& impuros inter Ecclesiasticos, quot hæretici dicunt,qui omnes alios ex se metientes, nullos putãt esse castos;certè plurimi sunt qui quotidie celebrant, & de quibus nulla mala suspicio auditur.

D PRÆTER hæc argumenta respondendum videtur etiam querimoniæ Philippi: *Olim*,inquit,*Canones suspendebant sacerdotes,qui uxores duxissent,ab officio,uos autem suspenditis ab arboribus.*

RESPONDEO inprimis,hinc sequi Lutherũ,& alios qui post sacerdotium uxores duxerunt,suspensos fuisse ab officio ex sententia veterum Canonum, & ideo cum officio fungi uoluerint,& tamen coniuges retinere,rebelles & contumaces fuisse aduersus Ecclesiã ac proinde meritò ab arboribus suspendi potuisse. DICO præterea,Canones ueteris Ecclesiæ, alios mitiores,alios seueriores fuisse;nam Concilium Neocęsarienſe can. 1. iubet Presbyterum ordine moueri, si uxorem ducat;at Concilium Toletanum II.canon. 1.iubet sacerdotem, qui uxorem duxit, ut sacrilegij reum ab Ecclesia haberi extraneum, & Toletanum E VIII.cano.6.iubet eiusmodi homines recludi in monasterijs ut ibidem sub grauibus pœnitentiæ onerib. usque ad finem uitæ degant. ADDE vltimò, Presbyteros nunquam in Ecclesia tam seuerè puniri;quia vxores ducunt,vt Philippus dicit:sed quia post votum solenne ducunt,& proinde non vxores,sed concubinas sub coniugij nomine ducunt, & matrimoniũ simul ac sacerdotium polluunt, cui intemperantiæ cum etiam hæresim addunt,ac dicunt, vota non esse seruãda;quid mirum si digni sunt,qui ab arboribus suspendantur?

Addamus HIERONYMI testimonium lib.1.aduersus

sus Iouinianum: *Certe confiteris*, inquit, *non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Hæc ille. Porro adulterij pœnam Hieronymi tempore, & quidem ordinariam, fuisse vltimum supplicium, patet ex epist. 49. eiusdem Hieronymi, de muliere septies icta. & ex lib. 1. contra Iouinianum, vbi sic ait: *Quotidie mœchorum sanguis effunditur, & inter ipsas leges, secures, ac tribunalia, flagrans libido dominatur.* Quare Hieronymi sententia, episcopi liberis operam dantes, nõ solum suspendi possunt ab officio, sed etiam, vt adulteri, capite cędi. Sed iam ad Magdeburgenses veniamus.

CAPVT XXII.

Soluuntur argumenta Magdeburgensium.

MAGDEBVRGENSES Cent. 9. c. 10. col. 540. 541. & 542. colligunt decem argumenta contra cœlibatum clericorum ex una epistola S. Vdalrici Episcopi Augustani ad Nicolaum Papam, quę nuper excusa est Basileæ, & inserta in illo opere, quod inscribitur, Orthodoxologia sanctorum Patrum: sed ex ijs argumentis nouem sunt eadem cum illis, quæ iam soluimus, a Caluino & Melanchthone proposita, vnum solum soluendum superest, quod sumitur ex quadam miserabili narratione. Scribit enim ille sanctus Vdalricus hanc historiam: *Beatus Gregorius Magnus Papa I. aliquando suo quodam decreto vxores sacerdotibus ademit. Deinde paulo post cum idem Gregorius iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum repererunt: quam cædem infantium cum intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulterijs sacerdotum natam esse, continuo reuocauit decretum, & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus purgauit.* Hanc narrationem, quia uehemẽter odiosam reddit legem de cœlibatu clericorum, sæpe alibi inculcant ijdem Magdeburgenses, vt Cent. 6. cap. 7. col. 388. & ca. 10. colum. 686.

Respondeo PRIMO, si quid ualet huius sancti Vdalrici auctoritas, ea magis premi Lutheranos, quam nos. Nam in hac epistola fatetur, Romanum Pontificem esse caput omnium, & ei ab omnibus deberi obedientiam. Item asserit, Pontificem debere cogere presbyteros & Monachos, ne ullo modo uxorem ducant, & si duxerint post uotum continentiæ, debere separari.

Dico SECVNDO, eam epistolam uideri confictam: & confictam ab aliquo imperito defensore coniugij ecclesiasticorum: nam in primis tempora nullo modo cohærent: nam S. Vdalricus creatus est episcopus anno Domini DCCCC. XXIV. vt Hermãnus Contractus & Abbas Vrspergensis docent, vel anno DCCCCIII. vt dicitur scriptum esse in Chronico Augustanæ ecclesiæ; Nicolaus autem Papa I. obijt anno DCCCLXVII. vt Onuphrius annotauit in libro de Romanis Pontificibus: non ergo potuit scribere episcopus Vdalricus ad Papam Nicolaum, qui iamdudum obierat.

DICENT, scripsit fortasse antequam fieret episcopus. at in principio epistolæ se episcopum uocat; præterea conueniunt auctores, S. Vdalricũ LXXXIII. annos vixisse, L. in episcopatu, & XXXIII. ante episcopatum: ex quo sequitur, eum natum esse anno Domini DCCCLXX. vel DCCC. XCI. iuxta alios, ergo inter obitum Nicolai, & ortum Vdalrici sunt anni vt minimum tres: nam secundũ alios sunt XXIV. Nisi ergo scripserit ipse antequam nasceretur, vel ad Nicolaum post eius mortem, non potest esse epistola S. Vdalrici ad Nicolaum.

DICENT, non esse Nicolaum I. sed II. ad quem scribit S. Vldaricus, at id minus fieri potuit: nam obijt S. Vdalricus fere circiter centum annis ante initium Pontificatus Nicolai II. obijt enim S. Vdalricus anno DCCCCLIII. vel DCCCC. LXXIV. & Nicolaus II. creatus est Papa anno M. LIX.

DICENT fortasse, duos esse Vdalricos Episcopos Augustanos. Vnum enim ponunt Magdeburgenses centuria 9. cap. 10. colum. 540. alterum centuria 10. cap. 10. colum. 602. Sed priorem illum confinxerunt ipsi Centuriatores, non enim aliunde probant, illum aliquando extitisse, quam ex epistola ad Nicolaum. MVNSTERVS enim libro 3. de Germania Catalogũ recẽsens episcoporum Augustanorum, nullum Huldericum uel Vdalricum ponit ante S. Vdalricum, qui uixit post tempora Nicolai, vt supra ostendimus. Quocirca Magdeburgenses illius prioris Hulderici a se confícti neque patriam, neque parentes indicant; neque auctorem ullum citant, qui de eius episcopatu testetur, vt in alijs facere solent.

PRÆTEREA, quod iste auctor dicit, S. Gregorium ademisse vxores sacerdotibus, falsum est, & magis ad huc falsum quod rescideric huiusmodi decretum. Quod vero in piscina Gregorij sex millia capita sint inuenta, falsissimum. Nec enim vllum exstat vestigium harum rerum in omnibus B. Gregorij operib. immò ipse lib. 1. epist. 42. meminit decreti sui prædecessoris, qui iusserat, Subdiaconos Siculos separari ab vxoribus, & uiuere cœlibes, vt reliqui Subdiaconi in tota ecclesia uiuebant, & ibidem temperat rigorem decreti: iubet enim permitti uxores Subdiaconis, qui eas duxerãt ante ordinationem, sed non ordinari rursum alios nisi prius uouerent continentiam. Itaq; nihil ipse noui statuit, sed solum mitigauit rigorem sententiæ sui prædecessoris.

PRÆTEREA, si ex decreto Gregorij nata est illa cędes sex millium infantium, certe in Sicilia nata est, ad quam solum pertinet Gregorij decretum. Quomodo autem verisimile est, paucissimos Subdiaconos Siciliæ breuissimo tempore sex millia infantium genuisse? & quomodo illa sex millia capita ex Sicilia in Romanam piscinam Gregorij saltauerũt? quomodo autem intellectum est, illa esse capita filiorum clericorum, non Laicorum? denique cur de historia tam admiranda nihil scripsit Ioan. Diaconus, Beda, Sigebertus, Ado, Freculphus, alijque tam multi? Itaque non immerito suspicatur Staphilus, hanc epistolam confictam sub nomine S. Vdalrici, in responsione ad fictas dissensiones, quas inter Catholicos esse falso criminatur Illyricus, qui etiam addit Augustæ inter opera S. Vdalrici, nullam syllabam de hac re exstare.

De tota hac disputatione, vide Michaelem Medinam in libris quinque de continentia hominum sacrorum, Claudium Espenceum in libris eiusdem argumenti, Iodocum Clichtouæum in libro de cœlibatu Sacerdotum, Hosium in Dialogo de hac re, Aialam de traditionibus parte tertia, Didacum Payuam libro vltimo, Ioannem Cochlæum de uotis contra Caluinum, Alphonsum a Castro libro 13. de hæresibus, verbo Sacerdotium, hæresi 4. Albertum Pighium controuersia 15. Vide etiam solutiones aliorum argumentorum, quæ huc etiam referri potuissent, infra libro 2. de Monachis, capite 29. & sequentibus.

CAPVT XXIII.

De Digamia.

POSTREMA restat quæstio, num Apostolica lege prohibitum sit, ne qui post primæ vxoris obitum alteram duxit, ad sacros ordines admittatur. Tota autem

autem controuersia de verbis illis beati Pauli est: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum*. Et rursum: *Diaconi sint vnius vxoris viri*, 1. Timoth. 3. & Tit. 1. Tres autem eius loci expositiones præcipue reperiuntur.

PRIMA Lutheri est in libro de captiuitate Babylonica, capite de ordinis Sacramẽto, & fusius in propositionib. de digamia eorum, vbi docet, B. Paulum illis verbis solum prohibuisse scortationem, & adulteria, ut sensus sit: *Oportet Epm esse vnius vxoris virum*, ideſt, oportet epm sola uxore legitima, siue una, siue plurib. esse contentum, non indulgere scortationib. ita vt uocabulum uiri, non significet maritum, sed aliquid cõe ad maritũ, & adulterũ, & addit, non modo non esse prohibitam a Paulo pluralitatẽ uxorum successiue, sed neq; simul, nisi forte apud Gentiles propter scandalũ: nã apud Iudæos, ubi erat cõsuetudo plures vxores ducendi, non existimat Lutherus, interdictũ fuisse Christianis epis multas simul vxores habere.

ALTERA sententia est aliorum, qui existimant, a Paulo prohiberi multitudinem plurium uxorum simul, non tamen successiue. Ita docent Magdeburgenses, etsi alioqui rigidi Lutherani esse soleant, centu. 1. lib. 2, cap. 4. col. 451. & 452. & Caluinus in cap. 3. prioris ad Timot. & in cap. 1. epist. ad Titum.

TERTIA sententia Catholicæ ecclesiæ, est quæ semper verba illa B. Pauli ita intelligenda esse docuit, ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quouis modo bigami fuerint, quam sententiam probare possumus tribus argumentis.

PRIMO ex c. 5. prioris ad Timot. ubi de uiduis legimus: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*. Ex hoc. n. loco refellitur in primis Lutheri sñia: nam eadem phrasi dr, vnius uiri uxor, & unius uxoris uir: certum autem est illud: *Vnius uiri uxor*, nõ posse significare, vt uidua nõ fuerit adultera, uel scortatrix: nam scortũ non dr uxor, si ad adulterum aut scortatorẽ referatur, sed adultera, uel meretrix. DEINDE continentia ab adulterio & scortatione, non solum requiritur in muliere quo tempore vir eius uiuit, sed etiam postea dum in uiduitate degit, & tamen Paulus non loquitur hoc loco, nisi de tempore quo uir eius uiduæ uiuebat, non enim dicitur vxor unius uiri fuisse, nisi quando uirum habebat. igitur illis verbis: *Quæ fuerit vnius viri uxor*, non potest significari, ut eligat uidua, quæ non fuerit scortatrix, aut adultera, sed quæ vnum solum maritũ habuerit.

Ex eodem loco refellitur ẽt sententia Centuriatorum, Caluini, Pomerani, & aliorum, qui uolunt, Paulum prohibuisse, ne habeat Eps vel Diaconus duas simul uxores. Nam (vt diximus) eadem phrasi & in eadem epistola, & ab eodem Apostolo iubetur esse Eps vnius uxoris uir, & uidua unius uiri uxor: at nulla rõ permittit, ut Paulus iubere uoluerit, ne uidua eligat, quæ fuerit uxor multorum uirorum simul. id. n. frustra Paulus iussisset, cum nusquam & nunquam fuerit eiusmodi usus, ut una mulier esset plurium uirorũ uxor. Habuerunt quondam Iudæi multas uxores, ut etiam nunc habent Turcæ, at nũquam est auditum, ut una mulier plures maritos habuerit. Nam ut ait S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 12. Cur unus uir haberet plures uxores, ratio erat, ut plures filij nascerentur; at cur una mulier sit uxor plurium uirorum, nulla esse potest ratio: non enim pariet mulier, nisi semel in anno, siue habeat unum, siue centũ uiros, immò meretrices nullos pariunt ordinariè.

ALTERA ratio ducitur ex tempore, quo hæc Paulus scripsit: nam eo tempore non erat consuetudo, neque apud Iudæos, neque apud Gentiles, & multo minus apud Christianos, ut unus uir duas simul uxores haberet: proinde quod non fiebat, non erat cur tam sctiò prohiberetur. & quidem quod ad Gentiles attinet, satis patet ex eo, quod in Imperio Romano, quo tunc orbis terrarũ regebatur, semper infamis & prohibita fuit polygamia plurium uxorum simul. Vide ff. de his, qui notan. infam. l. 1. Item, C. de incest. nup. L. neminem, & ad L. Iuliam, de adult. L. cum qui, tametsi enim leges istæ paulo posteriores sunt Apostolicis temporibus, tamen indicant prohibitionem polygamiæ, multo esse antiquiorem.

Primus, qui publica lege concessit polygamiam plurium uxorum simul, fuit Valentinianus senior, vt Socrates refert libro 4. cap. 26. sed non diu ea lex durauit, cum constaret, Imperatorem non alia de caussa eam legem tulisse, quam ut tegeret intemperantiam suam.

Quod vero attinet ad Christianos, nec non etiam Iudæos, ex Testamento nouo facile colligi potest, nõ fuisse apud eos consuetudinẽ, vt quis duas uxores haberet: semper enim de coniuge in numero singulari loquitur Scriptura Testamenti noui. Matt. 5. *Qui dimiserit vxorem suam*. Cap. 19. *Si licet homini dimittere vxorem suam*. Et ibidem: *Omnis, qui reliquerit domum, vel agros, aut patrem, aut matrem, aut vxorẽ, etc.* Luc. 14. *Qui non odit patrem, & matrem, & vxorem, et filios, &c.* 1. Cor. 7. *Vnusquisque suam vxorem habeat*. Item: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem; solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*. Ad Ephes. 5. *Vnusquisque vxorem suam, sicut seipsum diligat*. Quin etiã Lucæ 1. legimus, Zachariam vxore sterili vsque ad senectutem permanente, non tamen superduxisse alteram, quod haud dubie fecisset, si eo tempore id fieri licuisset. Scribit quidem Iosephus lib. 17. antiquit. c. 2. Hærodi Regi nouem vxores fuisse: At priuati homines etiam apud Iudæos iamdudum desierant plures vxores accipere.

TERTIA ratio est auctoritas Patrum, qui semper hunc locum de monogamia ita intellexerunt, vt non liceat eum episcopum vel Diaconum creari, qui duas vxores, etiam diuersis temporib. habuerit. TERTVLLIANVS lib. 1, ad uxorem: *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam allegi in ordinationem, nisi vniuiram non concedit*. Neq; dubium est, quin per digamos intelligat eos, qui duas vxores habuerunt, non simul, sed unam post alteram: nam de hac digamia in toto libro loquitur, hortatur enim uxorẽ suã, vt se mortuo non ineat secundas nuptias. Similia habet in lib. de monogamia, & in libro de exhortatione castitatis. NEQVE his repugnat, quod idem Tertullianus in libro de monogamia Catholicis obijcit, digamiam Sacerdotum: *Quot*, inquit, *ex digamia præsident apud vos?* Nam vel aliqui digami ex dispensatione præsidebant: vel certè aliqui, qui alteram habuerant ante Baptismum, qui multorum opinione non habebantur digami, etsi apud alios, in quibus Tertullianus erat, digami censerentur: vel tandem vitio & abusu id fiebat: nec enim defendimus, nunquam esse factum id, quod fieri non debere dicimus.

EPIPHANIVS hæres. 59. Catharorum: *Quæ ad sacerdotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum; ea æqualiter ferri ad omnes putauerunt, cum audierint, quod oportet Episcopum irreprehẽsibilem esse, vnius vxoris virum, continentem, similiter & Diaconum, & Presbyterum: reuera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui a nuptijs, mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs cõiuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem, & hæc certò sancta Dei Ecclesia cum syncerit ate obseruat*. Hæc ille. Vbi aptissime loqtur de digamia pluriũ vxorũ successiua, cũ eos digamos appellet, q mortua uxore, aliã ducũt, & cũ Catharos reprehẽdat, q ex hoc loco Pauli etiã Laicis interdicebant secundas nuptias.

AMBRO-

AMBROSIVS lib. 10. epist. 82. ad Eccleſiam Vercel A lenſ. tractans hunc locum Pauli; Vnius uxoris uir: *Qui*, inquit, *coniugium iterauerit, culpam non habet coinquinati, ſed prærogatiua exuitur Sacerdotis.* Hæc ille. Vbi apertiſſimè reijcit Lutheri atque Caluini ſententiam, qui uolunt ab Apoſtolo prohiberi uel duas ſimul uxores, uel adulteria; hæc enim qui admittunt, culpam habent coinquinati, & non ſolum prærogatiua exuuntur Sacerdotis. Similia habet Ambroſius libro 1. de officijs. cap. ultimo, & lib. de dignitate ſacerdotali, cap. 4.

HIERONYMVS in commentario primi capitis epiſtolæ ad Titum, per unius uxoris uirum monogamũ intelligit. Quod autem monogami nomine intelligat eum, qui nec ſimul, nec ſucceſſiuè plures habuerit, perſpicuum eſt ex illis uerbis: *Apoſtolus*, inquit, *de Epiſcopis & Presbyteris hæc præcipiens, utique in ceteris relaxauit, non quod hortetur ad ſecũda matrimonia, ſed quod neceſſitati carnis indulgeat.* Hæc ille. At certè non indulget Apoſtolus Laicis ut fornicentur, aut duas ſimul uxores ducant, ſed ſolum, ut uxore defuncta, iterum ineant matrimonium; igitur hoc ipſum Sacerdotibus prohibet, ne plures etiam ſucceſſiuè uxores habeant. B

S. AVGVSTINVS lib. de bono coniugali, ca. 28. tractans hunc locum. Vnius uxoris uir: *Non abſurdè*, inquit, *viſum eſt, eum qui exceſſit uxorum, numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandã Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculũ neceſſariam.* Hæc ille. Vbi cum dicit, numerum ſingularem uxorum excedere, impedimentum eſſe ordinationis, nec tñ eſſe peccatum, apertè indicat, ſe loqui de multitudine uxorum non uno tpe, ſed diuerſo. Nam eodem tempore plures uxores habere, Chriſtiano nullo modo licet, ex Auguſtini ſententia: ſic enim loquitur idẽ Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 47. *Quid*, inquit, *tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus, obijcitur ſancto viro Iacob? ſi naturam conſulas, non laſciuiendi, ſed gignendi cauſſa illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, ſi præceptum, nulla lege prohibebatur, nunc uero cur crimen eſt, ſi quis hoc faciat, niſi quia, & moribus & legibus non licet?* Idem quoque habet in libro de bono cõiugali, c. 7. & lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. C D

Sanctus Ioãnes CHRYSOSTOMVS hom. 2. in epiſt. ad Titum: *Caſtigat*, inquit, *hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit poſt ſecundas nuptias ad Eccleſiæ regimen, dignitatemq; Paſtoris aſſumi, nã qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam ſeruaſſe deprehenditur, quo pacto hic Eccleſiæ præceptor eſſe optimus poterit? Noſtis enim profectò omnes, quod etſi per leges ſecundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accuſationibus patet; nullam ergo occaſionem præbere ſubiectis præſulem vult.* Hęc ille. Vbi clariſſimè ſignificat, unius uxoris uirũ à beato Paulo dici eum, qui poſt obitum primæ uxoris, ſecundam non duxit, quo modo exponunt etiam ceteri, tum Græci, ut Theophylactus & Oecumenius rum Latini, Sedulius, Anſelmus, Primaſius, Haymo, S. Thomas, & ceteri in cõmentarijs huius loci. IDEM E etiam diſertis uerbis docent ueteres ſummi, ſanctiſſimiq; Pontifices; Syricius in epiſtola ad Hemericum c. 11. Leo I. in epiſt. 85. alias 88. ad Epiſcopos Africæ, c. 1. Gelaſius I. in epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucanię, Bruttij, & Siciliæ, c. 5. Hilarius in Concilo Romano: & Innocentius in epiſt. 22. Vnus eſt Theodoretus, quantũ legere potui, ex omni numero ueterũ, qui per unius uxoris uirum intellexerit eum, qui duas aut plures ſimul uxores non habet: ita enim exponit in cõmentario c. 3. prioris epiſtolæ ad Timothenm; ſed non eſt tã ta eius auctoritas, ut tot ſanctis Pontificibus, & omnibus alijs Patribus anteponi debeat.

His accedit QVARTO & ultimò totius Eccleſiæ conſuetudo. Nam, ut Innocentius ſcribit in epiſto. 22. cap. 1. in toto Oriente & Occidente hoc ſeruabatur, quod etiam nunc ſeruari uidemus, ut bigami non ordinentur. Neque ſolum ubique, ſed etiam ſemper hoc ſeruatum eſſe, planũ eſſe poteſt ex Leone epiſto. 88. ad Afros, ubi dicit, ſemper hoc eſſe ſeruatum, nec non ex eo, quod huius rei mentio fit in canonibus Apoſtolorum, can. 17. & 18. & in antiquiſſimis Concilijs, ut Neoceſarienſi, cano. 8. & Nicæno I. teſte Ambroſio in epiſt. 82. Deinceps etiam ſemper eſſe ſeruatum, patet ex decreto Gratiani, diſtin. 26. & ex decretalium uolumine, tit. de digamis, ubi multa ponũtur teſtimonia Pontificum, & Patrum diuerſarum ætatum; quod autem ſemper & ubique ſeruatum eſt, ſine dubitatione ulla ab Apoſtolica traditione deſcendit.

CAPVT XXIIII.

Soluuntur obiectiones Lutheri.

SED IAM ad argumenta LVTHERI reſpondeamus. PRIMA OBIECTIO; Apoſtolus iubet, Epiſcopum eligi irreprehenſibilem, ſiue, ut ad Titum loquitur, ſine crimine, quod eſt Græcè ἀνέγκλητος. Is autẽ eſt eiuſmodi, qui non poteſt palam argui alicuius criminis. Explicauit uero ſtatim Apoſtolus, quæ ſint crimina, quibus carere debet Epiſcopus, & ait: *Vnius uxoris uir, filios habens fideles*: igitur unius uxoris uir, non ſignificat monogamiam, quæ opponitur poligamiæ plurium uxorum ſucceſſiuè, quæ nunquam fuit crimen, ſed eam, quæ opponitur fornicationi & adulterio, quæ uera ſunt crimina.

RESPONDEO, poteſt hoc loco nomine criminis nõ ſolum peccatum intelligi, ſed quidquid ab hominibus reprehendi ſolet; neque enim ſola peccata reprehenduntur, ſed etiam ea, quæ ſignum præbent inconſtinentiæ, aut alterius uitij: talem autem eſſe quamlibet bigamiam certiſſimum eſt. Nam idcirco in Concilio Neocæſarienſi, cano. 7. prohibentur Sacerdotes intereſſe nuptijs digamorum, & etiam apud gentiles bigami Pontifices eſſe non poterant, ut Tertullianus refert, libro primo ad uxorem, & Seruius in illud 4. Aeneidos.

Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Culpæ, inquit, *propter antiquum ritum, quo repellebãtur a ſacerdotio bis nuptæ.*

Apoſtolus igitur uult, Epiſcoporũ nullius rei, quę malam ſpeciem præ ſe ferat, apud homines poſſe notari, & ideo monogamum eſſe iubet. Ità hunc locum Chryſoſtomus exponit, poſſimus tamen nomine criminis intelligere etiam peccatum graue, ac lethale, ut uult S. Auguſtinus tract. 41. in Ioannem, & libr. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 14. ſed ſi ita accipiamus nomen criminis, non debemus exponere uerba ſequentia B. Pauli, quaſi ijs explicetur quid ſit, eſſe irreprehenſibilẽ, ſiue ſine crimine; ſed ita, ut eis declaretur, Epiſcopum non ſolum ſine crimine eſſe debere, ſed etiam multis præclaris dotibus ornatum, ut monogamia, ſobrietate, doctrina, &c.

SECVNDA OBIECTIO; Si Epiſcopus monogamus eſſe deberet, aut ratio huius rei eſſet moralis, uidelicet ob maiorem continentiam, aut certè ſpiritualis ſiue myſtica, uidelicet ob ſignificationem coniugij unius Chriſti cum una Eccleſia; at neutrum dici põt. Nam ſi ratio eſſet moralis, multò magis requireretur in Epiſcopo ne eſſet adulter, aut concubinarius, quã ne eſſet bigamus, & tamen uidemus adulteros, & cõcubinarios non repelli a ſacerdotio, digamos autẽ repelli; ſi uero ratio ſit myſtica, multa ſequuntur abſurda. Nam in primis ceteræ dotes Epiſcoporum, quæ à

Paulo

Paulo numerãtur, omnes sunt morales, ut sobrietas, & hospitalitas, doctrina, & ceteræ. Cur non etiam ista erit moralis; vnius uxoris vir?

SECVNDO, si ideo Episcopus debet esse monogamus, quia eius coniugium significat matrimonium Christi cum Ecclesia, igitur etiam Laici debebunt esse monogami, quia eorum quoque coniugium significat Christi coniugium.

TERTIO, si illa est ratio, igitur debebit Episcopus ducere virginem, & eam semper virginem conseruare: ita enim Christus fecit.

QVARTO, debebit Eps priorem uxorem repudiare, & posteriori adherere. Nã Christus, Synaga repudiata, adhæsit Ecclesiæ: quocirca Episcopus, vt Christum imitetur, non monogamus, sed bigamus erit.

QVINTO, debebit idem Eps necessario uxorẽ habere, eaque ne ad punctum quidem temporis carere; Christus enim Ecclesia sponsa sua nunquam caret.

RESPONDEO, rationem, cur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debeant esse monogami, partim esse moralem, partim mysticam; tametsi enim multæ rationes reddi solent a Patribus, tamen omnes reuocãtur ad duas illas in argumento aduersarij notatas. VNA igitur caussa est moralis, videlicet minor suspicio incontinentię, siue perfectior continentia. Hanc reddit Tertullianus locis citatis, & Chrysostomus in commentario locorum beati Pauli: atque ad hanc reuocatur caussa, quam reddit Epiphanius hæresi 59. vbi dicit, monogamum esse debere Episcopum ob excellẽtiam sacerdotij. Ad eandem reuocari potest ea, quam reddit Ambrosius, lib. 1. de officijs, c. vlt. ubi dicit, monogamum esse debere Episcopum, ut liberius hortari possit homines ad continentiam.

ALTERA caussa est mystica, uidelicet perfecta significatio coniugij Christi cum ecclesia, qui enim secundam uxorem duxit, significat quidẽ coniugio suo Christi coniugium, sed non ita perfecte, ut is, qui vnã solam habuit; non enim significat, Christum ita esse vnius Ecclesiæ sponsum, vt nunquã habuerit aliam.

DICES, peccat igitur, qui secundam uxorem ducit: nam falsum significat, Christum videlicet plurium esse sponsum Ecclesiarum. RESPONDEO, id non sequi; Nam secundæ nuptiæ nõ sunt institutæ ad significandum, Christum bis maritum esse, ideoq; id non significant, quanquam nec significant, eum esse ita vnum unius, ut non habuerit aliam, sed simpliciter significant ipsam coniunctionem unius cum una præsenti, quidquid fuerit de præterito. Itaque nuptiæ digamorum nihil falsi significant, sed carent quadam perfectione significationis, quam habent nuptiæ monogamorum. Atq; hanc caussam reddunt S. August. lib. de bono coniugali, ca. 18. & S. Leo in epist. 88. ad Afros, & huc etiam pertinet ratio illa Epiphanij de excellentia sacerdotij.

Vt igitur respondeamus ad singulas partes obiectionis; Si ratio, inquiunt, moralis est, igitur maiori ratione prohibentur adulteria, & concubinatus, quam digamia.

RESPONDEO, prohiberi quidem etiam ista, non. n. voluit adulteros, aut concubinarios Epos eligi, q̃ iussit eligi hoies sine crimine, irreprehensibiles, sobrios, castos, &c. sed tñ negamus, magis ista prohiberi, q̃ digamiã in Epo deligendo. Nam ista prohibent una solũ rõne, & ea non primaria: digamia uerò duab. rõnib. prohibetur. q̃ aũt primaria rõ non sit illa moralis, ob signũ incontinentiæ, sed altera mystica ob significationẽ, patet ex eo, q̃ digami censent & illi, qui unã uxorẽ habuerũt, sed uiduã, uel alio modo corruptam, ut constat ex citatis locis canonum Apostolorũ, Cõcilij Neocæsarien sis, Innocentij, Leonis, & aliorum. ac p̃terea etiamsi longe turpior sit concubinatus, quã digamia, tamen digamia ex natura sua signũ est incontinentiæ magis diuturnæ, firmiusq; inhærentis.

AD PRIMVM alterius partis rñdeo, recte monogamiam numerari cum ceteris moralib. dotibus, tum quia etiam est moralis dos, tum etiam quia nihil incommodi habet, numerare dotem mysticã cum moralibus, cum omnes Episcopo necessariæ sint.

AD SECVNDVM, negamus id sequi, ut & Laici debeant esse monogami. Non. n. necesse est, ut Laici ea perfectione sint præditi, qua præditi esse debent Episcopi: quare satis est, si matrimonium Laicorum significet coniugium Christi cum Ecclesia, licet non significet illud, ut est unius cum una, ut supra diximus.

AD TERTIVM, negamus & sequi, ut Eps debeat uxorem semper virginem seruasse. Nã Christi sponsa Ecclesia duo priuilegia habet; nam & uirgo est, iuxta illud 2. Cor. 11. *Despondi uos uni uiro, uirginem castã exhibere Christo*: & simul fœcundissima est, & plurimos quotidie filios parit per lauacrũ regenerationis, Duo autem ista priuilegia simul, nullum coniugium humanũ repræsentare potest, illo excepto, quod fuit inter B. Virginem & S. Iosephum. Idcirco satis est, si Episcopi coniugium, alterum eorum significet, nimirum aut fœcunditatem Ecclesiæ, si filios ex uxore habuerit, aut uirginitatem, si forte uxorem uirginem conseruauit, ut aliqui sancti uiri fecerunt.

AD QVARTVM, negamus, Christũ repudiasse unquam sponsam suam, ut acciperet aliam. Nam Chr̃s, ut homo, non accepit unquam, nisi unam sponsam. *i.* Ecclesiam Christianam, quam ipse ex latere suo perfosso sibi formauit, ut quondam Adam, unam Euam ex latere suo eductam, uxorem accepit. Idẽ uero Christus, ut Deus ab initio mundi Ecclesiam sibi coniunxit in matrimonium, neq; unquam eam dimisit. Etsi enim vr̃ Christ⁹ repudiasse Synagogã, quia sunt hoc tempore Iudæi sine Deo, & quia B. Paulus ad Gal. 4. exponit de Testamento uetere illud Gen. 21. *Eyce ancillam, & filium eius*. Tñ reuera Ecclesiã Testamenti ueteris Christus non repudiauit, sed renouauit, & pulchram reddidit, & ex ancilla liberam fecit, & hoc modo eiecit ancillam. *i.* statum illum seruilem. qũo si aliquis ancillam uxorem acciperet, ac post aliquantũ temporis eam liberaret. Quare B. Paulus ad Rom. 11. *Nunquid*, inquit, *Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum. non repulit Deus plebem suã, quam præscium, &c.* Itaque solum pars quædam obstinatorum Iudæorum recessit ab unitate ueræ Synagogæ: reliqui manserunt, & per eos continuatum est coniugium Christi cum Ecclesia.

AD QVINTVM, negamus, Episcopum semper ac necessario uxorem habere debere: immo melius facturum dicimus, si nunquam uxorem duxerit. Nam cum Christus & uirgo & marit⁹ sit, si Episcopus uxorem non habeat, Christum uirginem repræsentabit, si uxorem habeat, Christi cõiugium significabit. Itaque monogamia in Episcopo requiritur, si coniugatus fuerit, non absolutè.

TERTIA OBIECTIO, quod Paulus ait, 1. Timot. 3. Episcopum esse oportere unius uxoris uirum: simile est ei, quod idem ait, 1. Cor. 7. *Vnusquisque uxorem suã habeat*, at in his posterioribus uerbis non prohibentur secundæ nuptiæ, sed adulteria, & scortationes.

RESPONDEO, probandam esse Luthero propositionem argumenti; non enim sunt omnino similes duæ illæ sententiæ. Nam in priori determinatur numerus coniugij, cum unius uxoris mentio fit; in posteriore non determinatur; habebit enim uere unusquisque suam uxorem, si legitimam cõiugem habeat, etiamsi forte non sit prima, sed secunda.

Sed instat LVTHERVS, & probat sententias illas esse similes. Nam 1. Tim. 3. Paulus ait: *Diaconi sint unius uxoris uiri*, ubi illud; *Vnius*, nõ potest determinare numerum, alioqui sensus esset, ut multi Diaconi unam

uxorem

uxorem communē haberēt. Ponitur igitur illa uox, *Vnius*, pro, Solius, ut sensus sit, Diaconi solius uxoris suæ uiri sint, nō mulierum ceterarum. At indigna est obiectio, cui respondeatur. Quis enim non intelligit illud; *Diaconi sint vnius vxoris viri*, diuisè accipi debere, non coniunctè? Iste igitur sensus est, Diaconi, id est, quilibet Diaconus sit unius uxoris uir.

QVARTA OBIECTIO. Apostolus Paulus 1. Cor. 7. se in numero uiduorum ponit, & tamen 1. ad Cor. 9. ait: *An non habemus potestatem sororem vxorem circūducendi sicut Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Poterat igitur Paulus, licet uiduus esset, uxorem ducere; quomodo enim potuisset sororem uxorem circumducere, si non potuisset eam prius ducere?

RESPONDEO, hoc argumentum multis modis peccare. Primum enim B. Paulus non se inter uiduos nu B merat, sed inter eos, qui uxore carebant, siue eam nūquā accepissent, siue iam amisissent: *Innuptis*, inquit, *& viduis dico, quia bonum est si sic permanserint sicut et ego.* Deinde, non dicit idem Apostolus, habere se potestatem sororem uxorem circumducendi, sed sororem mulierem, ut interpretes omnes tradunt. de qua re superiore quæstione disputauimus.

OBIECTIO QVINTA. Poterat Paulus, si uoluisset, aperte dicere, Episcopum debere esse monogamum, ergo cum non dixerit, Episcopum debere esse monogamum, sed unius uxoris uirū, cogere uoluit Lectores, ut intelligerent uerba sua, nō de singularitate nuptiarum, quod sonat nomen monogamiæ, sed de singularitate mulieris, quod significat illud: *Vnius vxoris vir.* Non igitur interdicit Episcopo B. Paulus secū C das nuptias, sed aliarum mulierum cōmercium, præter commercium legitimæ uxoris.

RESPONDEO, si ita cauillari liceat, nunquam finiēdas quæstiones: dixit Apostolus, quod intelligeretur; non debuit omnes loquendi formas excutere. Adde uocem, *Monogamus*, apud Græcos non esse in usu, sed a Latinis primum usurpari cęptam, etsi ex Græcis uocibus compositam. Proinde non esse mirum, si Paulus, qui Græcè scripsit, ea nō fuerit usus. Adde etiam, hanc ipsam uocem, licet proprie ab unis nuptijs deductam, tamen usitate etiam accipi pro eo, qui habet unam uxorem, siue ea prima fuerit, siue secunda; ex quo sequitur, ut idem omnino sit monogamus, quod unius uxoris uir.

SEXTA OBIECTIO. Ambrosius libro de dignitate D sacerdotali, cap. 4. illa uerba: *Vnius uxoris uir*, exposuit de coniugio spirituali Episcopi cum Ecclesia, atq; ait, Apostolum id iubere, ut Episcopus unam Ecclesiam regat, non multas. Nō igitur, si Ambrosio credimus, interdicitur Sacerdotibus digamia.

Hieronymus quoque in epistola ad Oceanum, defendit acerrimè Carterium Hispanum Episcopum, qui duas uxores habuerat, & ad legem Apostoli, in quam peccasse episcopus ille accusabatur; respondet, posse illud: *Vnius vxoris vir*, multis modis intelligi. Nam primum hic potest esse sensus, Sit Episcopus unius uxoris uir, id est, unam habeat uno tempore, & licet ea mortua alteram ducat, nunquam tamē simul habeat duas. Deinde etiam, nomine uxoris accipi potest Ecclesia, ut ille sit unius uxoris uir, qui uni prępo E situs Ecclesię est. Et rursus, nomine uxoris mulier potest accipi, ut idem sit unius uxoris uir, quod unius mulieris uir, ut non tam secundæ nuptiæ, quam multarum simul mulierum commercium prohibeatur.

Addere possumus testimonium S. Augustini libro de bono coniugali, c. 18. ubi opponit Sacerdotem Testamenti ueteris, qui multas uxores habere poterat, Sacerdoti Testamenti noui, qui unam solum habere potest. At ille multas simul habere poterat, igitur iste plures uno tempore habere prohibetur, non autem unam post alteram.

Ad AMBROSII testimonium facile erit respondere, si quidem ipse in illo ipso loco, qui nobis obijcitur, scribit, ad literam prohiberi digamiam uxorum Sacerdotibus. Mysticè autem posse etiam exponi de digamia Ecclesiarum, quocirca idem Ambrosius in epist. 82. & lib. 1. de officijs, c. vlt. & in commentarijs in Paulum, non meminit huius mysticæ expositionis, sed exponit simpliciter de uera monogamia. A

Ad HIERONYMI verò, ut respōdeamus, obseruandū est, controuersiam fuisse inter veteres Patres: An qui unam vxorem habuit ante Baptismum; eaq; mortua, alterā duxit post Baptismum, bigamus cēsendus esset, nec ne? Nam S. Hieron. in epist. ad Oceanū contendit, eiusmodi hominem non esse bigamum, propterea quod per Baptismum sit factus nouus homo ex ueteri, & nihil ei nocere possit eorum, quæ fecit ante Baptismum. Et sane huic sententiæ multum fauet can. 17. Apostolorum, qui diserte prohibet Episcopū fieri, qui post Baptismum bis nuptias celebrauit.

Contra verò, Ambrosius, Innocentius, & Augustinus locis citatis contendunt, omnino habendum bigamum, qui duas vxores habuit, siue ante Baptismū, siue post Baptismum. Nā Baptisma diluit peccata, nō soluit cōiugia; & renouat hominem, quantū ad uetustatem uitiorum, non quantum ad ea, quæ recte se habent. Atque hæc sententia tandem prævaluit, & ab vniuersa Ecclesia recepta est. Neq; obstat canō Apostolicus; fortasse enim eo tempore propter hominum paucitatē dispensabant Apostoli cū illis, qui ante Baptismum uxorem unam, uel plures habuerāt, modo non habuissent plures post Baptismum. Neque enim est hoc pręceptum Apostoli omnino indispensabile. Hieronymus igitur non defendit Episcopum polygamū, nec docet, a beato Paulo permissam polygamiā Sacerdotibus, sed solum contendit, eum, qui unā tantum uxorem habuit, post Baptismum non esse polygamum; licet habuerit alteram ante Baptismum.

Et quamuis idem HIERONYMVS tres illas expositiones loci Paulini adducat, quæ in obiectione propositæ sunt, non tamen eas approbat, vt veras & germanas. Nam PRIMAM illam de polygamia pluriū uxorum simul, dicit se adducere, vt malo cuneo malū nodum scindat. ALTERAM de polygamia Ecclesiarum, dicit esse coactam, & duram expositionem: *Quidam*, inquit, *coacte interpretantur uxores pro Ecclesijs, uiros pro Episcopis.* Denique TERTIAM illā de viro unius mulieris, & simul duas superiores; reijcit apertissimè, cum sic ait: *Hæc uniuersa proferimus, non quo uera & simplici intelligentiæ resistamus, sed ut doceamus re Scripturas sanctas sic intelligere, vt scriptæ sunt, nec euacuare Baptismum Saluatoris, & totum patibuli Sacramentum irritum facere.* Hæc ille. Vbi tres illas expositiones uni simplici & veræ opponit, quam autem uocet simplicem & veram, intelligi potest ex commentario eius ad caput primum epist. ad Titum, ubi simpliciter exponit, unius uxoris uirum esse eū, qui post obitum primæ uxoris, secundam non duxit.

Ad locum AVGVSTINI rīdeo, antithesim facere dum Testamenti ueteris, & noui, in eo solū positā esse, q; illi habuerunt plures uxores, isti unam: non aūt in eo, q; illi habuerunt plures simul, isti non plures simul, id quod ex duob. colligi pōt: nam Augustinus dicit, ideo Sacerdotes noui Testamenti non posse habere plures uxores, quia significant Christi coniugium cū vna Ecclesia; at Ecclesia vna est oīno, non una post alteram. Deinde idem Augustinus ibidem dicit, nō esse peccatū habere nunc duas vxores, sed īn esse impedimentum ordinationis. At habere duas simul tempore noui testamenti, peccatum esse, idem August. docet lib. de bono coniugali, c. 7. Igitur cum dicit, Sacerdotem Testamēti noui non posse habere, nisi unā vxorem, intelligit, nec simul, nec successiue.

SE-

SEPTIMA OBIECTIO nostra est, ut res melius intelligatur, si bigamia prohibita esset Sacerdotib. ob defectū significationis, certè bigamus esset, qui plures uxores legitimas habuisset, licet cum una tm matrimoniū cōsummasset: nam matrimonium integrū est & perfectum etiam sine copula coniugali. At contrarium definit ius canonicum, c. Debitum, de bigamis.

Ad hæc, illa sola bigamia prohibita esset, q̄ ex duobus ueris matrimonijs constaret, at non ita est: nā c. Nuper, de bigamis, censentur bigami ēt illi, qui unā uxorē legitime duxerunt, & alterā nō legitime, cum tm posterius non fuerit uerū matrimoniū: imò ēt qui post uotū solenne unam uxorem ducunt, bigami cēsentur, & illi quoque, qui fornicariā ducūt, licet unā: ubi nullo modo fingere licet duo matrimonia, nisi qs fornicationem matrimonium appellet, & confirmatur; Nā si uir fornicarius ducat uxorem uirginem, nō est bigamus: si uero vir castus ducat fornicariam, bigamus est: Non igitur fundamentū bigamiæ est defectus significationis: nam in hoc paria sunt illa coniugia, in quib. aut uir, aut mulier fornicationē admisit.

RESPONDEO, tres sūt species bigamiæ, vt interpretes iuris Canonici recte docēt in titulum de digamis. PRIMA species est digamia uera & propria, ea videlicet, quæ ex duob. ueris matrimonijs oritur. Cōtingit autem trib. modis hæc digamia. PRIMO, ex parte uiri tātum, cum uir habuit duas ueras uxores. SECVNDO, ex parte uxoris tantum, cum vxor habuit duos ueros maritos. TERTIO, ex parte vtriusque, cum viduus viduam ducit, & de hac specie nulla dubitatio est. Constat.n. semper in ea defectum significationis adesse, cū aut uir nō sit vnus uni⁹, aut uxor nō sit una unius.

SECVNDA species est digamia interpretatiua. i. quę verè ex natura rei non est digamia, sed iuris interpretatione habetur ac reputatur digamia. Contingit aūt hæc digamia quotiescunq; aliquis ducit secundā uxorem, aut uxor secundū uirū de facto, non de iure, siue primum cōiugium de iure, siue tm de facto fuerit, ut patet ex titulo de digamis; licet.n. hic non sit uere defectus significationis, tamen Ecclesia extendit pœnā bigamorum etiā ad istos, & forte S. Paulus, cùm ait: *Episcopi sint unius uxoris uiri*, intelligi voluit id de iure, vel de facto, ita vt interdixerit, ne quis ordinet, q fuerit pluriū uxorum uir, siue de iure, siue de facto.

TERTIA species est digamia metaphorica, i. quę cō surgit ex duplici coniugio, quorum alterum non uerum, sed metaphoricum fuerit; sic enim Ancyranum Concilium, can. 19. inter digamos haberi iubet eos, q post uotum continentię ad matrimoniū transierūt. si quidem uotū continentiæ genus est matrimonij animæ cum Deo, licet metaphoricum. Porro isti prohibentur ordinari, non q̄ vere bigami sint, sed quia Ecclesia pœnam bigamorum ad eos extendere uoluit.

Ex his ad PRIMVM respondeo, bigamiā non oriri, nisi ex matrimonio consummato. Nam, ut recte dicit Innocentius Papa, c. Debitum, de digamis, Matrimonium ratum, sed non consummatū significat cōiunctionem Dei cum anima per gratiam; Matrimoniū aūt cōsummatum significat coniunctionē Christi cū Ecclesia per naturæ cōformitatē. Nam Apostolus ad Ephes. 5. tū dixit: *Sacramentū hoc magnū est, ego aūt dico, in Christo & in ecclesia*, cū paulò ante dixisset: *Erūt duo in carne una*. Bigamia uero nascit ex defectu significationis cōiugij Christi cū Ecclesia, non Dei cū aia.

Ad id uero, quòd obijciebatur de bigamia eorum, qui habuerunt plures uxores de facto, non de iure, iā responsum est in explicatione specierum bigamiæ.

Ad illud uero de eo, qui ducit fornicariam, quidam respondent, ideo bigamum esse, qui ducit fornicariā, licet bigamus nō sit fornicarius, qui ducit virginem, quia Episcopus repræsentat Ecclesiam, sponsa Epi re præsentat Christum: constat autem, in ipsa Ecclesia non deesse aliquas corruptelas, in Christo vero nihil eiusmodi esse posse. AT HÆC solutio pugnat cū Apostolo Paulo, qui ad Ephes. comparat uirū cum Christo, & sponsam cum Ecclesia: *Viri*, inquit, *diligite uxores uestras, sicut Christus Ecclesiam*. ALII, in quib. est Dominicus a Soto in 4. sent. dist. 27. q. 3, art. 1. dicunt, causam illius discriminis esse, quia matrimonium sumit speciem suam a termino ad quem, ac proinde matrimonium uiri tūc solum uitiatur, cum in uxore est uitium; illa enim est terminus ad quem, respectu viri, & contra, q̄n uitium est in uiro, tunc uitiatur matrimonium ex parte uxoris, & si illa esset capax ordinationis, fieret irregularis, si nuberet uiro fornicario.

AT hæc solutio acutior, quam uerior esse videtur; nam si ex termino ad quem, tantum nasceretur bigamia, certe qui duceret secundam uxorem uirginem, non esset bigamus: nā in eiusmodi matrimonio nullum est uitium in termino ad quem, sed totum est in termino a quo, id est, in ipso uiro, qui bis matrimoniū contrahit: atqui nulla est magis propria bigamia, quā ducere duas uxores, licet virgines. Sicut igitur æquè oritur bigamia, si uiduus ducat virginem, & si uirgo ducat uiduum, ut patet, ita quoq; bigamia esset, cum uir fornicarius ducit virginem, si bigamia esset, cùm uir castus ducit fornicariam.

RESPONDEO igitur, prohibitum esse nę ordinetur, qui ducit fornicariam, non quod ea sit bigamia, neq; ob illud Apostoli p̄ceptum: *Vnius uxoris vir*, sed quia sic placuit Ecclesiæ ob dignitatem sacerdotij, nam indignum est tam graui persona matrimonium cū fornicaria, non autem indignū est uiro fornicario, si uxorem virginem ducat. esse autē huius rei causam, non bigamiam, sed dignitatē sacerdotij, ex eo probari potest, quod can. 18. Apostolorum, ubi prohibetur sacerdos fieri qui duxit fornicariam, prohibetur etiam is fieri sacerdos, qui duxit ancillam, uel comœdiarum actricem, ubi nullum locum habet bigamia, sed sola infamia. Atque hæc de cœlibatu dicta sufficiant.

Sequerentur nunc disputationes, quinta & sexta videlicet: quinta de horis canonicis, & sexta de ritu tonsuræ, siue rasuræ Clericorum, sed quia de horis canonicis in disputatione de oratione commodius tractari poterit, de ritu uero tonsuræ differemus in sequenti libro, qui erit de Monachis, nūc ad septimam disputationem nos conferemus.

CAPVT XXV.

De decimis.

SEPTIMA quæstio erat de temporalibus bonis Clericorum; Sunt autem tria bonorum genera, de quibus ambigi potest, an Clericis conueniant. PRIMO loco sunt decimæ, quæ debentur Clericis ex iustitia. SECVNDO, sunt, agri, domus, ac possessiones ceteræ, quas dono Laicorū, maxime Principū, Ecclesia possidet. TERTIO, sunt bona, quæ habentur titulo plane seculari, ut hæreditate paterna, emptione, uenditione, &c. de singulis ordine dicemus. Ac primum, de decimis quatuor inuenio errores.

PRIMVS error fuit Ioan. VViclefi, qui, ut refert VVald. li. 2. doctrinalis fidei, art. 3, c. 64. & 65. docebat decimas esse puras eleemosynas, & nullo iure deberi Sacerdotib. Eundem errorem sequuntur hodie Anabaptistæ, Trinitarij: Nam in libello, quem ediderunt anno M.D.LXVIII. Albæ Iuliæ de Antithesib. ueri & falsi Christi, tertiam Antithesin faciunt hanc: *Falsus Christus, sicut ipse est Deus æternus, & ditissimus, sic dedit suis Sacerdotibus decimas, & multa bona temporalia. Christus autem verus, qui homo temporalis, & pauper fuit, pauperes etiam vult ministros.*

Error est manifest⁹, facile enim doceri potest, esse de iure naturæ & diuino, quod aliquid soluant Laici

Sacerdo-

Sacerdotibus, & præterea de iure Ecclesiastico, vt id quod soluitur, si pars decima. Quod sit de iure naturæ, probatur: Nam certe ratio dictat, vt ijs, qui pro populo laborant, populus alimenta præbeat; vnde enim deducimus, deberi Regibus tributa, & militibus stipendia, & iudicibus, aliisque ministris publicis salaria, inde etiam deducere possumus, deberi sacerdotibus decimas, vel aliquid earum loco. Itaque tempore legis naturę videmus, Abraham dedisse decimas Melchisedecho sacerdoti, qui tunc erat, Gen. 14. in quem locum scribens Chrysostomus, homil. 35. in Gen. dicit, Abrahamum hoc facto Doctorem nostrum fuisse, ac monuisse, quid nos facere debeamus.

Quod ãt de iure diuino sit, probatur ex vtroq; Testamẽto, ac primũ Leuit. vlt. Nu. 18. Malach. 3. & alibi, Deus iussit decimas Leuitis dari, quæ quidẽ pcepta licet non obligent Christianos, vt iudicialia erant, ob ligant tñ quatenus moralia, id est, q̃ pars aliqua fructuũ sit Sacerdotibus dãda; id. n. aperte docet Clemẽs li. 2. const. Apost. c. 29. 38. & 39. & li. 8. c. 36. vbi dicit, etsi Christiani sint liberi a cæremonijs legis veteris, nõ tñ a decimis, & oblationibus, immo nũc magis teneri ad hæc oĩa Christianos, cum debeat eorũ iustitia abundare plus quam Scribarum & Pharisæorum.

Itẽ B. Hieronymvs in c. Malach. 3. sic ait: *Quod, inquit, de decimis, primitijsq; diximus, quæ olim dabant a populo Sacerdotibus, atq; Leuitis, in Ecclesia quoq; populis intelligite, quibus præceptũ est non solũ decimas, & primitias dare, sed & vendere oĩa quæ hẽnt, & dare pauperib⁹: q̃ si facere nolumus, saltẽ Iudæorũ imitemur exordia, ita pauperibus partẽ demus ex toto, & Sacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus: q̃ qui non fecerit, Deũ fraudare, & supplantare conuincitur.* Vbi tñ nota, quod etsi beatus Hieronymus dicat esse præceptũ, vendere omnia, & dare pauperibus; tñ intelligit esse præceptum non absolute, sicut de soluendis decimis, sed si quis perfectus esse vélit; nã de isto subdit: *Quod si facere nolumus, &c.* De decimis autem dicit: *Quod q̃ non fecerit, Deum fraudare, & supplantare conuincitur.*

Item B. Avgvstinvs serm. 219. de tpe, eundem locũ Malachiæ tractans: *Deus, inquit, qui dignatus est totum dare, decimã a nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam; sic. n. per Prophetam ipse promisit, dicens: Inferte omnem decimam in horreis meis, vt sit cibus in domo mea, et probate me in his, dicit Dominus.* Forte non est B. Augustini iste sermo, tñ insignis est sine dubio, & antiqui alicuius Patris; nam inde tãquã ex August. multa sunt adscripta in decreto 16. q. 1.

Item B. Gregorivs hom. 16. in Euangelia: *Sicut, inquit, offerre in lege iubemini fratres carissimi decimas rerum, ita ei offerre contendite, & decimas dierũ.* Deinde in testamẽto nouo habemus Matt. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* In quẽ locum Hieronymus & Augustinus li. 50. hom. hom. 48. dicunt, præcipere Dominũ, vt reddantur Cæsari tributa, & Deo decimæ: præterea Matt. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* 1. Cor. 9. *Nescitis, qm̃ q̃ in sacrario operãtur, q̃ de sacrario sunt, edũt, & q̃ altari deseruiũt, cum altari participãt: ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euãgeliũ annunciant, de Euãgelio viuere.* Et ibidẽ: *Quis militat suis stipendijs vnquam? & si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

De quo loco tractans Augustinus tract. in Ps. 146. & inde exponens illa verba Psal.: *Qui parat terræ pluuiam, producens in montibus fœnum*, dicit populos, qui tanquam terra accipiunt pluuiam doctrinæ a Sacerdotibus, debere illis producere fœnum temporalium bonorum: *Accipe, inquit, pluuiam, et da fœnum, etenim ista omnia, quæ Ecclesiæ ad necessitates seruientium Deo dantur a diuitibus, quid sunt nisi fœnum?* Et infra: *Debetur pluuiæ fructus, debetur seruo cibus, sicut Dominus ait: Manducate quæ ab ipsis sunt; & ne putarent aliquid de suo donare; dignus est, inquit, operarius mercede sua.* Et infra: *Exime aliquam partem reddituum tuorum, decimas vis, decimas exime, quanquam parum sit; dictũ est enim, quia Pharisæi decimas dabant; & quid ait Dominus? Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non introibitis in regnũ cœlorum.*

Nota, tempore B. Augustini multos in Africa nõ consueuisse decimas soluere, sicut modo in quibusdã alijs partibus, & ideo eos B. Augustinum ad decimas cohortari, sicut etiam facit homil. 48. ex lib. 50. homiliarum: *Maiores nostri, inquit, ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant, modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur.*

Svperest, vt iura Ecclesiastica proferam⁹. Ac primum multa sunt antiqua concilia, in quibus id aperte præcipitur, vt Aurelianense I. c. 17. ante annos mille. Itẽ Matisconense II. c. 5. eodẽ sæculo celebratũ, dicit leges diuinas de soluendis decimis longis tẽporibus in Ecclesia custoditas, etiam deinceps esse custodiendas. Foroiulienſe ca. vlt. idẽ hẽt. Moguntinũ tpe Caroli Magni c. 38. Moguntinum sub Rabano, c. 10. Moguntinũ tẽpore Imperatoris Arnulphi, c. 17. excõmunicari iubet eos, qui decimas dare neglexerint. Remense, c. 38. tempore Caroli Magni, Valentinum tẽpore Lothatij, c. 10. Arelatense IV. ca. 9. Cabilonense II. c. 19. Metense c. 2. Triburiense, cap. 13. quæ omnia ante annos DCC. vel DCCC. vel mille acta sunt.

Præterea sunt concilia generalia, Lateranense sub Innocẽtio III. c. 53. 54. 55. & 56. statuit, vt decimę ante tributa, & census persoluantur & alia quædã in cõcilio Viennensi, vt habetur in Clemẽt. Cupientes, de pœnis, excommunicantur ipso facto religiosi, qui in concione aliquid dicunt, vnde retrahant populum a soluendis decimis. Concilium Constantiense, sess. 8. damnauit articulum V Vicleſi, quod decimæ sint puræ eleemosynæ, ac demum concilium Trid. sess. 25. cap. 12. docet, solutionem decimarum debitam esse Deo, & iubet, vt excommunicentur, qui eas subtrahunt, aut ne ab alijs dentur, impediunt, nec debere absolui, donec integre restituant. His accedant plurima decreta Pontificum summorum, quæ habentur 16. q. 1. & 7. & extra. de decimis, nec non in Sexto & Clementinis, & extrauagantibus eodem titulo.

Alter error est eiusdẽ V Vicleſi, q̃ scilicet decimę non modo sint puræ eleemosynæ, sed ét nullo modo dandę sint malis Sacerdotibus, existimauit. n. V Vicleſus, eum, qui eleemosynã facit peccatori, in peccato eius cõmunicare, de quo errore plura dicemus in tractatu de eleemosyna: nunc breuiter refellitur error præsens. Primo, ex illo Matt. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* Vbi ita S. Hieron. scribit: *Quod ait, inquit, reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, nummũ, tributũ, & pecuniã; & quæ sunt Dei, Deo, decimas, primitias, & oblationes, ac victimas sentiamus.* Atcertum est, tẽpore Domini non solum Cęsarẽ impiũ, & infidelem, sed ét Sacerdotes improbissimos, ac deprauatissimos fuisse. Secvndo ex Innocentio III. in epist. ad Episcopum Vercellensem, & habetur c. Tua nos, de decimis: *Prætextu, inquit, nequitiæ Clericorũ ne queunt decimas, nisi quibus ex mandato diuino debentur, p̃ suo arbitrio erogare, cũ nulli sit licitũ aliena cuiquã cõcedere p̃ter Dñi volũtatẽ.* Deniq; Tertio, q̃ decimę nõ dantur Clericis, q̃ boni sunt, sed q̃ Clerici sũt, sicut tributa dantur Regibus, nõ quia probi, sed q̃ Reges.

Tertivs error est quorundam, qui dicuntur Fratricelli, siue Pseudoapostoli, qui inter alios errores, quos refert Ioannes Turrecremata li. 4. p. 2. c. 37. Summæ, docebant non posse percipere decimas eos, qui non viuunt in paupertate more Apostolorũ; error est sine vllo fundamẽto; nam ratio, cur debeãtur Cle-

ricis

ricis decimæ, est, quia laborant in populi vtilitatem: hæc autem ratio non minus in diuite, quàm in pauperе inueniri potest; Accedit quod Dominus Matth. 22. iussit dari decimas Sacerdotibus Iudęorum, qui in paupertate non viuebant.

QVARTVS error est multorum Canonistarum, qui contendunt decimas, etiam quoad determinationem quantitatis, esse de iure diuino, nec posse vlla humana lege, aut consuetudine aliam statui quantitatem. Ita Glossa in cap. 1. de decimis, in Sexto, Innocentius in Rubric. de decimis, Panormitanus in cap. In aliquib. de decimis, & Hostiēsis in sua Summa tit. de decimis, §. 7. quos alij ferè omnes sequuntur. Argumentum eorum est, quia plurimi Canones, ac præsertim c. In aliquibus, de decimis, dicūt decimas deberi iure diuino. AT sine vllo dubio error est manifestus, vt non solùm Theologi omnes, sed etiam ex Canonistis docent Syluest. verbo decima, quæst. 4. & Nauarrus c. 21. nu. 28. nec semel tantùm, sed bis peccant multi Canonistarū; semel, quia falsum defendunt: Iterum, quia damnant ferè hæreseos omnes Theologos, qui contrarium sentiunt; cùm è contrario ipsorum sententia facillimè conuinci possit erroris.

Probatur igitur præceptum de soluendis decimis, quantum ad determinationem talis quantitatis non esse nunc de iure diuino. Tale præceptum nusquam inuenitur Christianis impositum, nec in noua, nec in veteri lege; & quod non in noua, patet; quod non in vetere, probatur; nam præceptum legis veteris, quoad illam determinationem, non erat morale, nec propriè cęremoniale, sed iudiciale, vt Alexander docet 3. parte, q. 51. in 3. & B. Thomas in 2. 2. q. 88. art. 1. quos omnes Theologi sequuntur.

Quod non sit morale, patet, quia moralia semper obligauerunt, lex autem de decimis non fuit ante tempora Mosis, nec ratio dictat, vt sacerdoti dentur decem partes, sed vt detur quantum satis est ad eius sustentationem, vnde Genes. 28. Iacob vouit se daturum decimas Deo omnium, quæ possideret, si Deus eum dirigeret in via, &c. At impium fuisset vouere decimas cum tali conditione, si absolutè fuisset obligatus eas soluere. Præterea si moralis fuisset ista determinatio decimarum, certè etiam morale esset pręceptum, quod ibidem additur, vt qui decimas habent, nullum aliud patrimonium habeant, atque ita iure diuino tenerentur clerici dimittere patrimonium.

Quod autem non sit propriè cęremoniale, sed iudiciale, probatur; nam non ordinatur immediatè ad colendum Deum, sed ad æquitatem inter homines constituendam; ideo enim iussit Deus dari decimam partem omnium bonorum Leuitis, non octauam, aut vicesimam, vt esset proportio inter opes Leuitarum, & aliorum. Erat enim familia Leui vna ex duodecim tribubus Israel, vel potius ex tredecim; nam etiamsi duodecim fuerint filij Israel, tamen Ioseph duas tribus fecit, idest, Ephraim, & Manasse, & secundùm æquitatē tertiam decimam partem bonorum habere debuisset, tamen quia erant ceteris nobiliores, & quia Deus prouidebat, non futuros transgressores, qui nō integrè soluerent, idcirco attribuit eis partem decimam, idest, amplius quàm cęteris, vt sic ad æqualitatem veniretur, nō obstantibus transgressoribus.

Neque obstat, quod Innocentius Papa c. Tua nos, de decimis, dicit decimas Deum requirere ad professionem supremi dominij. ex quo videtur sequi, quod sit præceptum cęremoniale; nam non dantur decimæ immediatè, & per se ad hunc finem, vt profiteantur, qui eas dant, se agnoscere supremum dominium Dei, sicut faciunt, qui sacrificium offerūt, sed solùm mediatè, & per aliud, quia nimirum dātur Deo per suos ministros; dantur enim Sacerdotibus, vt ministris Dei; constat autem ex fide Catholica legem veterem post A Christi aduentum esse abrogatam, quatenus positiua erat, vt Apostolus Galat. 3. Ephes. 2. Hebr. 7. & alibi disertè docet, & idem confirmat decretalis vnica, de purificatione post partum, quam Canonistæ ignorare nō possunt; non igitur lex illa de soluenda decima parte bonorum, cùm sit iudicialis, ad Christianos pertinet, ex vi Testamenti veteris.

Ad ARGVMENTVM ipsorum respondemus, quòd cum sacri Canones dicūt, iure diuino deberi decimas, tribus modis intelligi possunt. VNO modo, vt sensus sit, deberi iure diuino quoad substantiam, non quoad quantitatem, siue iure diuino addita ecclesiæ determinatione, sicut dicimus festa iure diuino sanctificanda esse etiam nunc: & hoc modo intelligo Concilij Matisconense II. c. 5. vbi dicit, legem diuinam de soluendis decimis esse seruandam. B

ALTERO, modo vt sit sensus, Deum imposuisse decimas Christianis non verbo, sed exemplo; nam dum eas Iudæis imposuit, simul ostendit, quid etiam Christianos facere par esset: quomodo quidam Patres dicunt, quadragesimam indictam esse à Domino, quia nimirum exemplo nos docuit ieiunare quadragesimā. Vide Ambrosium serm. 36.

TERTIO modo, vt sit sensus, deberi iure diuino, id est, iuxta determinationem quantitatis, quæ habetur in iure diuino, quamquam non ex vi iuris diuini, sed ex ui iuris Ecclesiastici; & hoc modo intelligi debent uerba capitis, in aliquibus, de decimis, quæ talia sunt: *Ille quippe decimæ necessario soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata.* Est enim C sensus; Illæ decimæ necessariò soluendæ sunt, quę debentur, uel iuxta quantitatem lege diuina determinatam, quam ecclesia innouauit; ut fit, ubi soluuntur integræ decimæ; uel iuxta quantitatem consuetūdine loci determinatam, ut fit, ubi soluitur minus, quàm decima, & tamen uocatur decima. Et nota ex hoc textu, quo Canonistæ maximè nituntur, sumi argumentum optimum contra ipsos; Si enim decimæ quoad quantitatem deberentur iure diuino, ubique integræ soluēdæ essent, nec diceret textus iste, alicubi debere solui iuxta consuetudinem. Atque hæc de erroribus. Sequitur, ut dubia quædam explicemus.

DVBIVM PRIMVM.

D *An præceptum de soluendis decimis possit contraria consuetudine abrogari.*

RESPONDEO, certum est, præceptum de soluendis decimis, qua parte diuinum, & naturale est, non posse ulla lege humana, uel consuetudine cōtraria aboleri: Ac proinde certum est, ecclesiam habere ius petendi decimas, etiam ubi consuetudo est, ut non soluatur; In hoc enim omnes Theologi, & Canonistæ cōueniūt. Dubium autem est, an præceptum de decimis, quatenus positiuum, & humanū est, possit mutari consuetudine. Sotus lib. 9. q. 4. artic. 1. de iustitia, dicit non posse, & hanc putat mentem esse B. Thomæ.

Contrarium puto uerum cum Syluestro, uerbo Decima, quæst. 4. & Nauarro, cap. 21. num. 28. Nec dubito hanc esse mentem B. Thomæ; nam B. Thomas in 2. 2. q. 87. art. 1. docet, præceptum de decimis, quatenus humanum est, posse ab ecclesia mutari, ita vt teneatur populus non decimam, sed duodecimam, vel octauam soluere; At non minorem vim habet consuetudo legitimè præscripta, quàm lex quælibet humana, vt, cum cęteris, docet ipse etiam Sotus, lib. 1. quæst. septima, artic. 2. de iustitia. Præterea B. Thomas quodlibet. 2. artic. 8. postea quam docuit consuetudine nunquam abrogari legem de soluendis decimis, subiungit rationē, quia lex ista diuina, & naturalis est; ergo B. Thomas non negat legē de decimis, quatenus ecclesiastica est, E

posse mutari consuetudine, sed solùm quatenus naturalis & diuina est.

His accedit cap. In aliquibus de decimis, vbi dicitur soluendas esse decimas secundum determinationem, aut legis diuinæ, aut consuetudinis approbatæ. Hic tamen obseruandum est, quod sicut consuetudo tollit legem, ita lex tollit consuetudinem, si iustis caussis feratur ab eo, qui habet auctoritatem: Itaque vbi nunc est consuetudo soluendi solùm tricesimam, aut quinquagesimã, loco decimæ, non tenentur soluere quidquam amplius; tamen si nunc Pontifex, aut Concilium iustis de caussis iterum legem ferat, vt integrę decimę soluantur vbique, non obstante consuetudine, sine dubio tenerentur omnes soluere; sicut omnium iudicio tenentur soluere, qui in eis locis agunt, vbi non est consuetudo soluendi minus, quàm decimam.

DVBIVM SECVNDVM.

An Laici pauperes teneantur decimas dare Clericis diuitibus.

RATIO dubitationis, quia sicut Laicus tenetur alere Sacerdotem, quia Sacerdos est, ita Sacerdos tenetur alere Laicum, quia pauper est.

Respondet B. Thomas quodlib. 6. art. 10. fine dubio debere pauperem Laicum dare decimas Clerico diuiti, quia obligatio decimarum ad iustitiam commutatiuam pertinet, in qua non consideratur conditio personæ, sed æqualitas rei ad rem; qui enim verbi gratia emit, debet soluere quãtum res valet, siue ipse sit diues, siue pauper. Neque argumentum in contrarium valet, quia non tenetur Clericus hunc pauperem potius alere, quàm alium.

DVBIVM TERTIVM.

An excusari possint à peccato, qui nullas decimas soluunt, vbi non est consuetudo soluendi.

RESPONDEO, tribus modis peccare posse, qui nullas decimas soluunt, vt Syluester, vbi suprà, & alij docent. PRIMO, si Ecclesia propter defectum decimarum notabiliter patiatur, tunc enim siue ipsa decimas petat, siue non, tenetur populus omnino ei prouidere. SECVNDO, si Ecclesia iure petat decimas, siue egeat notabiliter, siue non, tenetur populus soluere, etiamsi consueuerit non soluere. TERTIO, si populus eo animo esset, vt non solueret, etiamsi iustissimè eas à se peti intelligeret.

Extra hos casus sine vllo dubio excusantur, quia, vt B. Thomas dicit, ecclesia dum non petit decimas, censetur eas condonare; non autem peccat, qui non soluit debitum sibi condonatum; Alioqui Apostolus peccare fecisset Corinthios, qui stipendia sibi debita, ab eis accipere nolebat, ne impedimentum poneret Euangelio, 1. Corinth. 9. Sanctus etiam Augustinus in peccato fouisset populum suum, quem ad soluendas decimas non cogebat, etiamsi hortaretur, vt patet ex tractatu in Psalm. 146. & ex homil. 48. ex 50. homilijs.

DVBIVM QVARTVM.

Qua ratione ostendi possit, iustam esse determinationem Ecclesiæ, quòd Christiani decimam partem suorum fructuum Ecclesiæ tribuant.

NON disputamus, an hoc sit iustum, quòd Ecclesia statuit; id enim insolentissimæ insaniæ esset, vt Beatus Augustinus scripsit in epistola 118. sed qua ratione id esse iustum ostendi possit: nam in veteri lege ideò iustum erat, quia Leuitæ erant pars duodecima, vel tertia decima totius populi Hebræorum: At Clerus in noua lege non videtur centesima pars Christianorum; qua igitur æquitate decimam partem habere debet omnium bonorum, quæ sunt in orbe Christiano? Caietanus in 22. quæst. 87. respondet, se non posse aliam rationem reddere, quàm ideò iustum esse, vt Clerus habeat decimam partem, quia debet pauperes alere, qui sine vllo numero sunt? sed quamuis hæc ratio optima sit, cùm videamus canones passim id præcipere, vt Clerici ex decimis alant pauperes, tamen non est hæc sola ratio, cur iustæ sint decimæ.

PRIMVM enim non est verum Leuitas fuisse tertiam decimam partem populi Iudaici, & nostrum Clerum non esse centesimam partem populi Christiani; nam Hebræi numerati sine Leuitis Numer. 1. erant sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta, & non numerabantur pueri ante annos viginti, neque senes; nam cum his sine dubio erant plus quàm duplo plures, idest, circiter mille millia, & trecenta millia. Leuitæ autem omnes ab infante vsque ad senem numerantur Numer. 3. viginti duo millia tantùm. IAM igitur addendo Leuitas ceteris Hebræis, & diuidendo totum numerum viginti duo millia, efficiuntur partes diuisæ sexaginta, ergo Leuitæ non erant pars tertia decima, sed vix sexagesima totius populi; Porrò Clerus Christianorum fortè maior est, quàm sexagesima pars Christiani populi. Nulla est enim ferè ampla familia, ex qua non sit aliquis Ecclesiasticus, & nullus est pagus, vbi non sit templum vnum, aut plura, & aliquot Sacerdotes.

DEINDE, Christianus Clerus maioribus laboribus & sumptibus obnoxius est, quàm tribus Leuitica erat apud Iudæos, vt omittam dignitatem Sacerdotij nostri incomparabiliter maiorem quàm Sacerdotij Aaronici; tunc vnum erat templum, vnus Pontifex, & pauci quidam Sacerdotes ex sola familia Aaron, qui per vices in templo ministrabant, reliqui omnes erant turba famulorum: At nunc sunt innumera templa conseruanda sumptibus Ecclesiæ, sunt etiam plurimi Episcopi & Prælati, necnon innumeri Sacerdotes, qui docti esse debent, & proinde multum in studijs ex patrimonio suo insumere, & postea non per vices, sed perpetuò Ecclesiæ ministerijs adesse, quos certè honestè pro statu sui conditione viuere oportet ex Ecclesiæ bonis.

His accedit, quod multi sunt liberi à soluendis decimis, multi ex malitia non soluunt, aut certè non plenè & fideliter; sæpe etiam Reges & Principes non solùm non soluunt, sed etiam impetrant ab Ecclesia decimarum partem in subsidium belli, aliorumque publicorum sumptuum.

DENIQVE, cùm populus Christianus debeat esse perfectior, quàm Iudaicus, vt dicitur Matth. 5. si ille decimam suorum bonorum dabat Deo, cur non tantundem saltem faciet Christianus? Itaque verum est quod loco notato dicit B. Thomas, hanc determinationem Ecclesiæ respectu populi esse humaniorem ac benigniorem, quàm rigor iustitiæ absolutæ pateretur.

CAPVT XXVI.

De possessionibus, quæ dono Laicorum possidentur à Clericis.

DE possessionib. Ecclesiasticis fuit error Io. Vvicleſi, apud Thom. Vvaldens. lib. 4. doct. fidei, art. 3. qui docebat nõ licere Clericis habere vllas possessiones, & peccasse tam qui eas donauerunt ecclesię q̃ qui eas receperunt. Fundamẽta eius hæc sunt: PRIMVM, quia Sacerdotes testamẽti veteris prohibebant habere possessiones, vt patet Nu. 18. *Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorũ nihil possidebitis, nec habebitis partẽ inter eos, ego pars*

&

& hæreditas tua. Item Deuter. 10. *Quamobrem non habuit Leui partem, nec possessionem cum fratrib. suis, quia ipse Dominus possessio eius est.* Et Iosuæ 13. *Tribui autem Leui non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse possessio eius.*

SECVNDVS, quia Matth. 10. Dominus iubet Apostolis, vt nihil possideant, non pecuniam, non duas tunicas, &c. Ibidem dicit: *Non est discipulus super Magistrum,* Christus autem nullam possessionem habuit. Item Luc. 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* At certè discipuli Christi, Clerici omnes esse debent.

At hunc errorem manifestum esse, probatur, PRIMO, de Sacerdotibus, & Leuitis Testamenti veteris; nam etsi in partitione terræ non erant habituri agros, & vineas, erant habituri tamen & possessuri vrbes ad habitandum, & suburbana ad alenda pecora: poterant etiam agros & vineas emere, & etiam ex oblationibus populi habere, vt modo habet ecclesia: Nam Num. 35. dicitur: *Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendentur.* Et Iosue 21. id legimus impletum.

Neque obstat quod Lyranus in Num. 35. dicit eas vrbes fuisse Sacerdotum quoad vsum, dominium aũt earũ fuisse penes alios; & probat de Hebron, quæ data est Sacerdotibus, Iosue 21. & tamen dominus eius erat Caleb de tribu Iuda, Iosue 14. Hoc non obstat; nã Lyranus fallitur, vt patet ex Leuit. 25. vbi legimus vrbes & suburbana Sacerdotum esse eorum possessionẽ, & posse illas vendere, & redimere domos, vt alij faciebant, & de Hebron legimus Iosue 21. solos, agros & vineas, quæ erant in territorio Hebron, fuisse Caleb; vrbem autem & suburbana, Sacerdotum. Item Leuit. vlt. præcipitur, vt si quis agrum Domino vouerit, eum Sacerdotes possideãt 3. Reg. 2. dicit Rex Abiathar Sacerdoti: *Vade ad agrum tuum.* Item Hieremias Sacerdos erat, & tamen Hierem. 32. scribit ipsemet se emisse ac posse disse agrũ, qui fuerat patruelis sui. Et Act. 4. legimus Barnabam fuisse Leuitam. & vendidisse agrũ quem habebat.

Ex his facilè est respondere ad PRIMVM argumentum Vvicleſi. Quando enim Scriptura dicit, Sacerdotes non debuisse habere quidquam sed Dominum esse eorum hæreditatem, vult dicere non debuisse eos habere quidquam more aliorum, tanquam filios Iacob, & ex paterna hæreditate: sed solùm habere debuisse ea, quæ debebantur Deo, cuius ipsi ministri erant; & sic factum est; nam tota terra Palæstinæ quasi quędam hæreditas diuisa fuit in duodecim partes pro numero tribuum, excluſa omnino tribu Leui, quæ erat decima tertia.

Nam etsi duodecim tantùm fuerint filij Iacob, tribus tamen fuerunt XIII. quia Ioseph duas trib. faciebat, nimirũ Ephraim & Manasse deinde terra iam diuisa, & Leui exhæredato, Deus voluit sibi tanquã proprio Regi Iudæorum dari loco tributi decimam partẽ omnium fructuum, & XLVIII. ciuitates cum suburbanis suis, & hæc omnia donauit ipse Leuitis; quę portio Leuitarum, vt suprà diximus, maior fuit quacunque portione aliarum tribuum; nam habuerunt decimam partem, cum ipsi vix essent sexagesima pars totius populi, & hoc significant illa verba: *Ego Dominus hæreditas Leuitarum sum.* VBI NOTA miram Dei prouidentiam erga Sacerdotes; Iacob exhæredauit filium Leui, propter peccatum ipsius, vt patet Genes. 49. *Diuidam illos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Deus autem ratam habuit sententiam Israelis, sed eam impleuit cum summo honore Leuitarum, & totius populi vtilitate; nam dedit ipse Leuitis suam hæreditatem, & totus populus maximum commodum inde consequutus est; si enim fuissent Leuitę collecti in vnum locum, vt erant aliæ tribus, non potuissent omnes populi facilè ab eis doceri: dispersi aut in omnes tribus, facilè omnibus adesse, eosque instituere in lege domini potuerunt.

PROBATVR iam hoc idem de Sacerdotibus noui Testamenti; nã etsi in Scripturis nihil legimus de possessionibus Ecclesiarum, legimus tamen in antiquissimis Pontificum, & Conciliorum decretis, & in libris Sanctorum Patrum. PIVS Papa I. in epist. 2. dicit, sacrilegium esse, qui ecclesiæ prædia & donaria diripit. VRBANVS I. in epistola ad omnes Episcopos dicit, initio ecclesiæ consueuisse pios homines vendere possessiones, & precium donare ecclesijs; Deinde tamen iudicatum esse commodius, si possessiones ipse donarentur ecclesiæ, vt eo modo non solùm præsentibus, sed etiam futuris prævideretur.

Sunt etiam Concilia omnium ecclesiarum, quę prohibent alienari possessiones Ecclesiæ, & earum curam Episcopo committunt. Vide Concilium Antiochenũ, cap. 25. & Ancyranum, c. 15. Item Concilium Carthaginense IIII. cap. 32. & Carthaginense V. cap. 4. Item Concilium Hispalense I. c. 1. Toletanum IIII. can. 32. & 68. Item Agathense, cap. 49. & 51. Item Moguntinũ sub Arnulpho Imperatore, c. 12. Denique Romanum VI. sub Symmacho. Præterea meminerunt Ecclesiastícharum possessionum Ambrosius epist. 32. Chrysostomus homil. 37. ad populum Antiochenum: Augustinus serm. 1. & 2. de communi vita Clericorum: Prosper lib. 2. de vita contemplatiua, c. 9. Gregorius lib. 4. epist. 33. & alij patres passim.

Ad illud Matth. 10. *Nihil tuleritis in via, &c.* Respondeo, illa verba dici Apostolis pro eo tempore, quo in itinere erãt futuri in terra promissionis; ante Christi passionem; tunc enim vt expeditiores essent, non debuerunt ferre secum quidquam, præsertim cùm neque pauperum, neque Ecclesiarum tunc curam haberent. At vbi cœperunt Apostoli post Christi ascensionem figere sedes in certis locis, & habere curam ecclesiarum, & pauperum, non timuerunt recipere bona temporalia, vt patet Act. 4. 5. & 6. vbi Apostoli recipiebant multas pecunias, vt inde alerent & se, & alios.

Ad illud: *Non est discipulus super magistrum,* Respondeo, Dominum loqui eo loco de tribulationibus, à quibus non fuerunt immunes Apostoli, cum eorum Dominus, & magister multa passus sit, neque esse ditiorem, est esse maiorem, sed potius minorem; nam apud Deum ille est maior, qui est melior, melior autem est, qui est pauperior. cùm Dominus dicat: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.* Matth. 19.

Ad postremum respondet Augustinus epistola 5. ad Marcellinum, Dominum loqui de præparatione mentis; Nam ibidem explicans quid sit renunciare omnibus, dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et tamen non tenemur, nec possumus, parentes, filios, vxorem, & multò minus vitam odisse, nisi in præparatione animi.

CAPVT XXVII.

De bonis Secularibus.

QVANTVM ad TERTIVM de Secularibus bonis, Thomas Vvaldensis lib. 4. doctrinæ fidei, art. 3. cap. 42. docet, Clericos debere bona propria vel erogare pauperibus, vel, in commune ponere, & probat aliquot sententijs Patrum, qui non permittunt Clericis, vt habeant vlla bona propria, qualia sunt patrimonialia, sed solùm bona communia, nimirum Ecclesiastica. ORIGENES homil. 16. in Genes. exponens cap. 47. de Sacerdotibus Pharaonis. HIERONYMVS

in epistola ad Nepotianum de vita Clericorum, vbi dicit Clericum, qui habet partem in terra, non futurum partem Domini, nec Dominum partem eius. Similia & duriora habet B. BERNARDVS in declamatione super illud Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia: *Clericus*, inquit, *qui habet partem in terra, non habebit partem in cœlo.*

Veruntamen certum est, non obligari Clericos propter Clericatum ad dimittendum patrimonium. Probatur PRIMO Scriptura: Nam 1. Timoth. 3. iubet Apostolus eligi, *Episcopum hospitalem, & qui domui suæ bene præsit, & filios subditos habeat:* at hæc omnia præsupponunt diuitias proprias. Præterea Philemon habuit seruum, & diues erat, vt apparet ex epistola ad Philemonem, & tamen Episcopus erat, vt Hieronymus & Anselmus docent in eam epistolam: Hieronymus enim vocat eum Euangelistam, Anselmus verò nominatim Episcopum.

Præterea EVSEBIVS lib. 3. historiæ, cap. 19. scribit de consanguineis Domini, quòd habuerint possessiones quasdam, licet modicas, ex paterna hæreditate, & tamen fuerint Ecclesiæ Duces, ideſt, Episcopi. Item can. 40. Apostolorum sic ait: *Sint manifestæ res Episcopi, si tamen habet proprias, & manifestæ Dominicæ, vt potestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere.* Idem habet Concilium Agathense, can. 48. & Martinus Bracarensis, canon. 15. suorum decretorum, & Hispalense Concilium I. cap. 1.

Præterea AMBROSIVS in epist. 33. ad Marcellinā, dicit se, cùm rogaretur vt ecclesiam vnam Arianis tra- C deret, obtulisse patrimonium suum, patrimonium autem Christi se tradere noluisse. B. AVGVSTINVS ser. 1. de moribus Clericorum, dicit eos Clericos, qui professi fuerant vitam communem, si postea resiliant à proposito, & propria habere velint, grauiter peccare propter voti violationem; vbi indicat alios Clericos, qui non vouerunt vitam communem, posse habere propria. B. PROSPER lib. 2. de vita contemplatiua cap. 12. dicit sine vllo peccato posse Clericum viuere ex proprio patrimonio.

Ad locum Origenis, Hieron. & Bernardi responderi potest, loqui eos de illis Clericis, qui dant operam augendis opibus, & non contenti rebus necessarijs, etiam superflua retinent: illi enim propriè dicuntur habere, vel quærere possessionem in terra, qui non con- D tenti victu, & vestitu, semper flagrant habendi cupiditate; certè Hieronymus cum dicit Clericum non debere quidquam in terra possidere, addit; *Vt possit*, inquit, *cum Propheta dicere; pars mea Dominus, & vt sit verus Leuita.* At Propheta Dauid, qui ait: *Pars mea Dominus*, Rex ditissimus erat, & similiter veri Leuitæ diuites erant externis opibus, sed non affectu.

Posset autem dubitari, an qui bona patrimonialia habet, possit simul bona Ecclesiastica habere? Nam S. PROSPER lib. 2. de vita contemplatiua, cap. 9. 10. 11. & 12. docet, non posse Clericum sine grauissimo peccato viuere ex bonis Ecclesiasticis, si habeat bona propria, vnde sufficienter alatur, & probat hac ratione; Bona Ecclesiastica non dantur Clericis in præmiū E laboris, sed solùm, vt sustententur, & necessaria ad vitam habeant, quia præmium laboris est vita æterna, & simonia esset dare spiritualia pro temporalibus; & confirmatur ex can. 41. Apostolorum, vbi dicitur, vt Episcopus accipiat ex bonis Ecclesiæ pro sua sustentatione, si tamen indiget: & idem reperitur in Concilio Antiocheno, cap. 25. quare qui ex patrimonio viuit, nec eget sustentatione, non potest percipere fructus bonorum Ecclesiasticorum. At contrariū docet Glossa, & Ioannes de Turrecremata in can. Clericos, 1. quæst. 2. & ratio est, quia Matth. 10. dicitur: *Dignus est operarius mercede sua.* Et 1. Corinth. 9. *Quis militat* A *suis stipendiis vnquam?* Ergo potest Clericus laborans pro Ecclesia percipere alimenta, & parcere suis proprijs rebus. Adde, quod praxis est, & fuit pro hac opinione secunda, nam B. Prosper loco notato dicit, sententiam suam visam esse duram permultis, & ideo duram, quia noua esset; Itaque etiam tunc plurimi Clerici patrimonium suum seruabant, & nihilominus portionem decimarum habere volebant.

Ex his opinionibus prima est tutior, etsi secunda fortasse est verior, nisi hoc modo concilientur, vt dicamus S. Prosperum loqui de illis, qui planè sufficientem habent sustentationem ex patrimonio, aut beneficio, tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum. Alios verò auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex beneficio sufficientem omnino sustentationem habent; hi enim vtrumque retinere possunt, modo ex vtroque nihil accipiant vltra sustentationem decentem, iuxta conditionem proprij status. Quod enim verè superfluum est, dandum esse pauperibus, Theologi communiter docent. Vide quæ scripsimus in 3. tomo, lib. vlt. cap. 7.

CAPVT XXVIII.

An Clerici sint liberi à iugo potestatis secularis.

POSTREMA restat quæstio de libertate Ecclesiastica, de qua in hac vltima editione paulò fusius disputare institui, quod animaduerterim his proximis annis non defuisse, qui testimonijs huius libri abuti voluerint ad oppugnandum Ecclesiasticam libertatē.

Primum igitur Hęretici permulti contendunt, Clericos tum maiores, tum minores iure subiectos esse debere seculari potestati tum in soluendis tributis, tum in iudicijs & causis. Marsilius de Padua, & Ioannes de Ianduno docuerunt, ipsum etiam Christū non fuisse liberum à soluēdis tributis, & quod fecit Matth. 17. cum tributum soluit, id fecisse non voluntate, sed necessitate. Ita refert Ioan. de Turrecremata lib. 4. Summæ de Ecclesia, par. 2. cap. 37.

Ioannes Caluinus lib. 4. Institut. cap. 11. §. 15. docet, Clericos omnes, prętерquam in causis merè Ecclesiasticis subiectos esse debere legibus, & tribunalibus secularium Magistratuum. Idem docet Petrus Martyr in cap. 17. ad Romanos, vbi etiam addit, Principes non potuisse concedere Clericis priuilegium, vt non subijcerentur Magistratibus politicis, cum id sit contra ius diuinū: & ideo non obstante concessione Principum, debere Clericos subiectos esse Magistratibus secularib. Ioannes Brentius in Prolegomenis, & Melanchthon in Locis, cap. de Magistratu, in rebus etiam & causis Ecclesiasticis subijciunt Clericos politicis tribunalibus.

Ex Catholicis nonnulli censent, iure diuino liberos esse Clericos, & eorum bona à potestate Principum secularium. Ita docet Glosa, & nonnulli ex Canonistis in can. Si Imperator, distinct. 96. & in cap. Quamquam, de Censibus in 6. & ex Theologis Ioan. Driedonius lib. 1. de libertate Christiana cap. 9. Nonnulli verò existimant, Clericos liberos esse partim iure diuino, partim iure humano, ideſt, in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus iure diuino; in alijs, iure humano. In his videntur esse Franciscus Victoria de potestate Ecclesiæ, Relect. 1. quæst. vlt. Dominicus à Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. Ioannes Medina in Codice de Restitutione quæst. 15. & ex Canonistis Didacus Couaruuias in lib. practicarum quæstionum cap. 31.

Sit igitur PRIMA propositio. *In causis Ecclesiasticis liberi sunt Clerici iure diuino à secularium Principum potestate.* Vocantur causæ Ecclesiasticæ, quarum cognitio non pendet à legib. ciuilib. sed ab Euangelio, vel à Canonib. Pontificum, aut Conciliorum, quales sunt controuersiæ de fide, de Sacramentis, & aliæ id genus.

Pro-

Probatur primum ex diuinis literis. Nam ex doctrina scripturarum sanctarum Regimen Ecclesiasticũ est distinctum à politico, & illo ẽt sublimius, vt à nobis demonstratum est in lib. 1. de Summo Pontifice cap. 7. & lib. 5. c. 7. Ergo causę Ecclesiasticę iudicari nõ debent à politicis Magistratib. Præterea, sin scripturas tota auctoritas regendi Ecclesiam à Christo cõmissa est Apostolis, & præcipuè Petro: ergo in rebus Ecclesiasticis Laici omnes, ẽt Principes, sunt oues, & subditi, nõ Pastores, & Iudices, vt locis notatis demonstratum est.

Secundo probatur ex Concilijs. Nam in Mileuitano. can. 13. & Matisconensi, can. 8. Clerici grauiter puniuntur, si causam Ecclesiæ ad Imperatoris terreni iudicium deferant.

Tertio ex Patribus. Seuerus Sulpitius in lib. 2. sacræ historiæ refert Sanctum Martinum aliquando exclamasse, nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex seculi iudicaret. Item Sanctus Ambrosius in epist. 78 ad Theophilum, & S. August. in epist. 162. reprehendunt eos, qui causas Ecclesię terrenis Iudicibus iudicandas exponunt.

Quarto ex Apostolorũ exemplo. Apostoli enim Ecclesias gubernauerunt, quo tpe nulli erant Principes Christiani, proinde nunquam ad eos causam Ecclesiæ iudicandam detulerunt. Et si Apostolus Paulus 1. Corinth. 6. iubet lites ẽt ciuiles Christianorum nõ deferri ad iudicium Ethnicorum, quo modo permisisset ad eos deferri lites Ecclesiasticas? Vltimo ex Iustiniano seniore Imperatore, qui idem affirmat Nouell. 83.

SECVNDA propositio. *Non sunt exempti Clerici ab obligatione legum ciuilium, quæ non repugnant sacris Canonibus, vel officio Clericali.* Loquimur hic potissimum de legibus politicis, quæ dirigunt actiones humanas in commercijs temporalibus, vt cum princeps, vel Magistratus constituit precia rebus venalibus; vel iubet noctu neminem incedere cum armis, vel sine lumine, vel non asportare frumentum extra prouinciam: & his similia. Nec volumus dicere, his legibus teneri Clericos obligatione coactiua, sed solum directiua, nisi eædem leges ab ecclesia approbatæ fuerint. Quod si de ijsdem temporalibus rebus disposuisset etiã lex Ecclesiastica, eam sequi deberent Clerici, & tunc legem ciuilem ne directiuè quidem obseruare tenerentur.

Probatur igitur Clericos ad obseruationem legum ciuilium directiuè teneri in defectu legis Ecclesiasticę. Nam Clerici præterquam quod Clerici sunt, sunt etiã ciues, & partes quædam Reipublicæ politicæ: igitur vt tales, viuere debent ciuilibus legibus: non sunt autem aliæ, vt nunc ponimus, nisi quæ à politico Magistratu sunt latæ: igitur illas Clerici seruare debent. alioqui magna perturbatio, & confusio in Republica oriretur, si Clerici non seruarent ciuiles leges in commercijs ciuilibus, & humanis.

Secundo probatur ex confessione Pontificũ, & Imperatorum. Nicolaus I. in epist. ad Michaelem prope finem dicit, Deum diuisisse Pontificiam auctoritatẽ ab Imperiali, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu tẽporalium tantummodo rerum Imperialibus legib. vterentur. Imperator Valẽtinianus in epist. ad Episcopos Asiæ, quam refert Theodoretus lib. 4. hist. c. 7. scribit, probos Episcopos non solum Dei, sed etiam Regũ legibus obtemperare. Denique Sanctus Ioan. Chrysostomus in cap. 13. ad Romanos, dicit Christi Euangelio non tolli politicas leges, & ideo debere etiam Sacerdotes & Monachos eis parere.

TERTIA propositio. *Non possunt Clerici à iudice seculari iudicari, etiamsi leges ciuiles non seruent.* Probatur primo ex Concilio CHALCEDONENSI can. 9. vbi sic legimus. *Si Clericus aduersus Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad secularia iudicia non recurrat.* Concilium AGATHENSE can. 32. ad huc clarius in hæc verba loquitur. *Clericum nullus præsumat apud secularem Iudicem, Episcopo non permittente pulsare.* Idem habent Concilij Carthaginense tertium can. 8. Toletanum tertium can. 13. Matisconense can. 8.

Secundò probatur ex Imperatorum Constitutionibus. Nam eximit Iustinianus Clericos & Monachos à seculari iudicio in Nouellis 79. 83. & 123. quamquam non eximit in causis criminalibus, sed in ciuilib. tantum: in criminalibus aũt vult à Prętore cognosci causam, non tamen condẽnari Clericũ, nisi prius ab Episcopo fuerit degradatus. At nihilominus lex Canonica simpliciter exemit Clericos in omnibus causis tum ciuilibus, tum criminalibus, vt perspicuum est ex epistola Caij Papæ, ad Felicem Episcopum, item ex epist. 2. Marcellini, & ex lib. 11. Registri S. Gregorij epist. 14. ad Ioannem Defensorem. debet autem lex Ciuilis cedere legi Canonicę, cum possit Summus Pontifex Imperatori præcipere in ijs præsertim, quæ ad Ecclesiam pertinent.

Tertiò probatur ratione: nam omnino absurdũ est, vt ouis Pastorẽ suum quocunque modo iudicare præsumat. Itaque non sine magna laude refert Russinus lib. 10. hist. c. 2. & post eum B. Gregorius lib. 4. epist. 75. vocem illam CONSTANTINI ad Episcopos. *Vos Dij estis à Summo Deo constituti, a quum non est, vt homo iudicet Deos.*

At obijcit Caluinus lib. 4. Instit. cap. 11. §. 15. epistolam Constantini Imp. ad Nicomedienses, quam refert Theodoretus lib. 1. hist. c. 20. vbi dicit CONSTANTINVS se Eusebium Episcopum Nicomediẽsem in exilium eiecisse, & subiungit. *Si quis Episcoporum inconsultè tumultuatus sit, ministri Dei, hoc est, mea executione illius audacia coercebitur.*

Respondeo more solito Caluinum imponere simplicibus. Nam Constantinus in illa epist. scribit, se quidẽ eiecisse in exilium Eusebiũ Episcopum, sed addit, eum ante fuisse à *Nicano* Concilio depositum ab Episcopatu propter hæresim. Nos autẽ non negamus, quin debeat Magistratus secularis punire Clericos, qñ ab ecclesia damnantur, & degradantur, & Iudicibus secularibus traduntur. Verba aũt Constãtini, quæ Caluinus subiungit, ab ipso deprauata sunt. non enim minatur eo loco pęnam Constantinus Episcopis, sed Laicis, dicit enim se grauiter animaduersurũ in plebem Nicomediensem, si iterum redire velit ad Episcopos hæreticos à Concilio generali damnatos, & non acquiescat suscipere probum & Catholicum Antistitem. Hæc enim sunt verba eius. *Sin autem quisquam* (non dicit, Episcoporum, vt Caluinus addidit) *temeritate & audacia accensus, eas Ecclesiæ pestes, ideſt Episcopos Arianos, vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur, confestim opera ac diligentia Ministri Dei, hoc est, mea, pœnas suæ insciti æ dabit.*

Obijcit secundò Petrus Martyr. *Iure diuino subiecta est omnis anima sublimiorib. potestatibus, ideſt Regibus, vt constat ex epist. ad Rom. c. 13. Ergo non potuerunt Reges eximere vllos Christianos à sua potestate. Et confirmatur argumentum ex doctrina Catholicorum, qui ea ratione probant, non posse vllum eximi à potestate Papæ, quia iure diuino omnes homines subiiciuntur Papæ.*

Respondeo, nihil ea ratiocinatione concludi, quãuis enim iure diuino sit omnis anima potestatib. sublimiorib. subiecta, ac per hoc ẽt Regibus dum sublimiores potestates sunt: tñ fieri potest, vt qui nunc est sublimior potestas, paulo post non sit, vt si ipse subijciat alteri partem sui Regni, vel iure belli, aut alio iusto titulo Regnum, vel Regni partem amittat. Quoniam ergo Clericos partim ipsi Principes subiecerunt in omnib. causis, ẽt temporalibus & ciuilibus Episcopis suis: & postremo Summus Pontifex Clericos omnes exemit à subiectione Principum secularũ, sequitur, vt respectu

Clericorum non sint Principes, superiores potestates, ac proinde non teneantur Clerici principib. parere neque iure humano, neque iure diuino; nisi quantum ad leges quasdam directiuas vt diximus.

Ad confirmationem respondeo, non esse eandē rationem Pontificatus, & Regnorum. Nam Regna non sunt immediatè à Deo instituta, sed ab hominibus, & ideo ab hominib. mutari possunt in alias regiminis formas: Pontificatus autem à Deo immediatè est institutus, & ideo non potest ab hominibus immutari.

QVARTA propositio; *Bona Clericorum tam Ecclesiastica, quam secularia libera sunt, ac meritò esse debent à tributis Principum secularium.* Quod libera sint de facto, perspicuum est ex Concil. Lateran. sub Alex. III. par. 1. c. 19. ex Conc. Lateran. sub Innoc. III. c. 46. Item ex c. Ecclesia S. Mariæ, de constit. ex c. Quamquam, de B censi. in 6. ex Extrauaganti. Quod olim, de immunit. eccles. Item ex c. Quia nōnulli, & c. Clericis, de immunit. Eccles. in 6. Præterea, ex legibus Principum, quæ habent in Codice Theodos. lib. 16. tit. 2. lege 16. & 26. & in Codice Iustiniani, lege sancimus, de sacrosanctis ecclesijs, & in lib. 10. hist. Euseb. c. 7. ex versione Christophorsoni. Vbi tñ est obseruandum, ante Iustiniani tempora legibus priorum Principum immunes fuisse Clericos à tributis personalibus, vt ēt indicat S. Hier. in comment. ad cap. 17. Matthæi: non tamen fuisse liberos à tributis, quæ pendi solent ratione possessionū, vt colligitur ex S. Ambros. in oratione de tradēdis Basilicis, vbi dicit. *Agri Ecclesiæ soluunt tributum*; & ex Theod. lib. 4. hist. cap 7. vbi scribit, Valentinianum seniorem in epistola ad Episcopos Asię illa verba posuisC se. *Boni Episcopi tributa pensitant Regibus.*

Quod autem hæc exemptio iure facta sit, & quo iure, humano ne solum, an etiam diuino, in sequentibus propositionibus exponemus.

OBIICIT aduersus hanc propositionem Marsilius de Padua exemplum Christi, qui tributū soluit, vt habemus Matth. 17. Sed facilis est responsio. Christus enim soluit tributum, quia voluit, non quia debuit. Id quod ex eodem loco intelligi pōt. nam cum dictū esset Petro ab ijs, qui exigebant tributum. *Magister vester non soluit didrachma*, Dominus Petro ait: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributū, vel censum à filijs suis, an ab alienis?* respondit Simon, *ab alienis.* ait Dominus, *ergo liberi sunt filii, sed vt non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum* D *piscem, qui primus ascenderit, tolle & aperto ore eius inuenies stateram, illum sumens da eis pro me, & pro te.* Duæ sunt autem interpretationes eius loci. *Ergo liberi sunt filii*, & secundum vtramq; rectissimè Dominus ostendit, se liberum fuisse à tributo soluendo.

Prior expositio est S. Hilarij, qui docet, agi hoc loco de tributo, quod imposuerat Deus omnib. filijs Israel Exod. 30. in vsum templi, quod tributum propriè erat didrachma. & secundum hanc expositionem, quæ verissima nobis videtur, vis argumēti hæc est, Reges terrę non exigunt tributum à filijs suis, sed ab alienis: igitur neque Rex cœli exiget tributum à me, qui sum eius proprius & naturalis filius.

Posterior interpretatio est S. Hieron. qui verba DoE mini de tributo, quod Cæsari soluebatur, exponit. quæ sniā minus probabilis esse videtur, quia tributū, quod soluebatur Cæsari, tempore Christi, non erat didrachma, sed denarius, vt perspicuum est ex c. 22. Matth. *Ostendite mihi numisma Census. at illi obtulerunt ei denarium.* Neque potest vlla solida ratione demonstrari, cōsueuisse didrachmi tributū Cęsari solui, nisi post Christi Ascensionem in cœlum. scribit enim Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 26. post euersum templum, à Vespasiano Imperatore, institutum fuisse, vt tributum didrachmi, quod Iudæi omnes templo soluebant singulis annis, deinceps in Capitolium deferretur. sed tamē A ex hac etiam sententia rectè colligitur, Christum non fuisse vllius tributi debitorem, quamuis enim non esset filius Cæsaris, qui tributum, iuxta hanc sententiā, exigebat: erat tamē filius Dei, cuius Ministri sunt omnes Reges, & Principes terrę, vt legimus Sap. 6. & Roman. 13. neque debēt Ministri Regis à Filio Regis tributum petere. Præterea tributa soluuntur Regib. ratione vitę huius corporalis, timoribus, & periculis obnoxiæ, vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 104. art. 6. ad primum. & ideo iusti etiam homines, licet secundū animam liberi sint à seruitute peccati, tamen ratione corporis, cuius redemptionem adhuc expectant, vt ait Apostolus ad Rom. 8. subiecti sunt tributis, & potestati ciuili. At Christus non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus liber erat, non seruus: neque redemptionem, sed solam Resurrectionē corporis expectabat. carebat enim omni morbo concupiscentiæ, & omni lege peccati, neque periculis, aut iniurijs obnoxius erat, nisi quantum ipse permittebat. *Oblatus est*, inquit Isaias c. 53. *quia ipse voluit.* Itaque nulli Regi tributum debebat, qui nullius Regis defensione indigebat, & meritò damnata est, vt hęretica, sententia Marsilij Paduani à Ioanne XXII. Pontifice in Extrauaganti, Licet, quam refert Ioan. de Turrecremata lib. 4. Summæ de Ecclesia, par. 2. cap. 37.

QVINTA propositio. *Exceptio Clericorum in reb. politicis tum quo ad personas, tum quo ad bona introducta est iure humano pariter & diuino.* Et quidem quod iure humano introducta sit, patet ex ijs testimonijs, q̄ attulimus in tertia, & quarta propositione probanda. C Quod autem sit etiam introducta iure diuino, probandum est hoc loco. Sed antea tamen obseruandum est, nos per ius diuinum non intelligere, præceptum Dei propriè dictum, quod extet expressè in sactis literis: sed quod ab exemplis, vel testimonijs testamenti veteris, vel noui per quandam similitudinem deduci possit.

Atque hinc fortasse conciliari poterunt Theolog. & Iurisperitorum sniæ. Illi enim cum negant, exemptionem Clericorum esse iuris diuini, præceptum diuinū propriè dictum expressè in scripturis extare negant? isti verò cum affirmant, eandem exemptionē esse iuris diuini, id solum affirmant, quod Theologi minimè negant, deduci per similitudinē ab exemplis, & testimonijs Sacræ scripturæ, Deum voluisse, vt Clerici, & ipsorū bona libera essent à potestate, & iurisdictione Laicorū. Certè Geminianus, Ancharanus, & alij insignes Doctores, exponentes caput, Quamquam, de Censib. in 6. notant, in eo capitulo haberi textum expressum, quo immunitas Ecclesiasticorum dicatur esse iuris diuini. Sed qūo id sit intelligendum, à Glossa petendum esse monent. Glossa verò in idem caput docet, esse iuris diuini eam immunitatem, quia deducitur ab exemplo Iosephi Patriarchæ, qui exemit Sacerdotes Aegyptiorum Gen. 47. & Artaxerxis Regis Persarum, qui exemit Sacerdotes Israeliticos 1. Esdrę 7. Nam vt rectè ait Alexander Pontifex in Concil. Lateran. vnde extat c. Non minus, de immunit. Eccles. *Non decet Ecclesiam Dei minus liberam esse tempore Principum Christianorum, quam fuerit tempore Pharaonis.*

His igit notatis, probat nostra propositio, primo testimonijs scripturæ diuinæ. Nā præter loca iam citata ex Gen. & ex lib. Esdræ, habemus alia duo non minus illustria. siquidē in lib. Num. c. 3. Deus nō semel, sed sępius repetit, Leuitas propriè suos esse, atque eos sibi ex oī populo delegisse. & in eodē loco dono dari iubet oēs Leuitas Aaroni, & filijs eius, i. Summo Sacerdoti, & successoribus eius. Quos enim sibi ipse delegit ad ministeriū tēpli, rerumque sacrarum, soli Pontifici, qui locum Dei repręsentabat in terris, subiectos esse voluit, ac per hoc à iurisdictione terrenorum Principum liberauit. Constat aūt id esse nunc in Ecclesia Clericos, qđ erant

Leuitæ

Leuitæ in testamento veteri; & Pontificem Christianorum non minoris esse auctoritatis, sed longè maioris in Ecclesia Christi, quam fuerit Aaron in Synagoga Iodæorum. *Nunc* (inquit S. Leo serm. 8. de passione Domini) *& ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & sacratior vnctio Sacerdotum.*

Sequitur igitur vt quemadmodum in testamento veteri liberi erãt Leuitæ iure diuino à potestate Principum secularium; ita sint etiam clerici in testamento nouo.

Alius locus est is, quem supra tractauimus ex c. 17. Matth. *Ergo liberi sunt filij.* Nam cum filij Regum à tributis eximuntur, non ipsorum personæ tantum, sed etiam serui, & Ministri, atque adeo ipsorum familiæ a tributis eximuntur. Certum est autem Clericos omnes propriè ad familiam Christi, qui filius est Regis Regum, pertinere. Atque id uidetur Dominus significare voluisse, cum ait Petro: *Vt autem non scandalizemus eos, sumens stateram da illis pro me, & pro te.* quasi diceret, & se, & familiam suam, cuius Præfectus erat Petrus, liberos à tributis esse debere. Quod etiã intellexisse videtur Sanctus Hieronymus in commẽtario eius loci, cum dicit, Clericos propter honorem Domini tributa non soluere, & Sanctus Augustinus lib. 1. q. Euangel. q. 23. cum scribit, in omni Regno terreno nõ esse vectigales filios Regni illius, sub quo sũt omnia Regna terræ.

Secundo probatur eadem propositio ex testimonijs sacrorum Canonum. Cõcilium Tridentinvm Generale nostris temporibus celebratum sess. 25. ca. 20. de Reformatione, sic loquitur: *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus instituta est.* Concilium Coloniense paulo ante ipsam Tridentinam Synodum celebratum, par. 9. c. 20. *Immunitas*, inquit, *Ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino & humano introducta, quæ in duobus potissimum sita est, primum vt Clerici eorumq; possessiones à Vectigalibus & tributis, aliisq; muneribus laicis liberæ sint, deinde ne rei criminis ad Ecclesiam confugientes inde extrahantur.* Cõcilium Lateranense sub Leone X. celebratum, sess. 9. *Cũ a iure*, inquit, *tam diuino, quam humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes, & singulas constitutiones.* & Concilium Lateranense sub Innocentio III. c. 43. *Nimis* (inquit) *de iure diuino quidam Laici vsurpare conantur, cum vires Ecclesiasticas nihil temporale obtinentes ab eis ad præstãda sibi fidelitatis iuramenta compellũt.* Bonifacius VIII. c. Quanquam, de censi. in 6. tanquam de re nota & explorata loquitur, cũ ait iure diuino & humano Clericos & eorum bona libera esse a secularium potestate. Ioannes Item VIII. Can. si Imperator. dist. 96. *Non a legibus* (inquit) *publicis, non à potestatibus seculi, sed a Pontificibus & Sacerdotibus Omnipotens Deus Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti.* Et cp de personis affirmat Ioan. Pontifex affirmauit multo ante Symmach⁹ Papa cum tota Synodo tertia Romana de bonis Eccles. *Solis* (inquit) *sacerdotibus disponendi de rebus Ecclesiæ indiscussæ à Deo cura cõmissa est.* Hic addi põt Innocẽtius IV. Pontifex, quamuis, non vt Pontifex, sed vt Doctor particularis de hac re scripserit. In commentario enim ad c. 2. de maiorit. & obedien. posteaquam docuerat, Clericos exemptos fuisse à potestate Laicorum per summum Pontificẽ Imperatore consentiente, addidit, hanc non esse plenã exemptionem, & ideo dicendum esse, clericos ab ipso Deo fuisse exemptos. Hoc testimonium Innocentij ea de caussa addendum putaui, quoniam Couarr. in lib. practicarum quæstionum c. 31. scribit, prædictum Pontificem in loco à nobis citato affirmasse, exẽptionem Clericorum non esse iuris diuini, quod falsũ esse verba citata palam ostendunt, & ante nos in hãc eandem sententiam Innocentium allegauit Panormitanus in c. Nimis, de iureiur. vbi etiam idẽ auctor rectè refellit eos, qui per ius diuinum intelligunt ius Canonicum. & fortasse ad eiusmodi explicationes excludendas Concilium Tridentinum non vtitur vocibus iuris diuini, & humani, q̃ possẽt trahi ad significandum ius Canonicum, & ciuile: sed ait: *ordinatione diuina, & Ecclesiasticis sanctionibus, immunitatem Ecclesiæ, & personarum ecclesiasticarum fuisse institutam.*

CAPVT XXIX.

An exemptio clericorum sit iuris diuini naturalis.

Disservimvs hactenus de iure diuino positiuo; nunc de iure naturali differendum est, quod planè diuinum esse in dubium reuocari non potest, cum ius naturale sit illud, quod est ab auctore naturæ in animis nostris impressum. Sed antequã explicare incipiam, an ad hoc ius pertineat exemptio Clericorum, distinguendi sunt gradus iuris naturalis. Tres enim sunt gradus naturalium præceptorum. primus est eorum, quæ ita perspicuè sunt impressa in cordibus hominũ, vt solo lumine rationis, sine vlla disciplina vel arte, imo sine nouo discursu rationis iudicẽtur ab omnibus iusta, talia sunt prima quædam principia, ut bonum esse appetendum, malum fugiendum, conseruãdam vitam cibo & potu, propagandam & educandã sobolem ad conseruandum genus humanum, Deum esse colendum, non esse faciendum alteri, quod tibi non vis fieri. Hæc maximè proprie sunt præceptæ iuris naturæ, de quibus ita loquitur Sanctus Ambrosivs in epist. 71. ad Irenæum. *Lex naturæ, qua Deus singulorum infudit pectoribus, non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingenijs hauritur.* & Sanctus Hieronymvs epist. ad Algatiam q. 8. *Lex quæ in corde scribitur, omnes continet nationes; nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. & idcirco, iustum iudicium Dei est scribentis in corde humani generis, quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.* & Sanctus Avgvstinvs in tract. Psalm. 75. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicarentur & quibus lex non esset data.* Nec dissentiunt Græci vt Chrysostomus hom. 54. in Genesim, nec Scholastici, vt S. Thomas in 1. 2. q. 94. art. 2. neq; etiam ipsa iura, vt patet ex can. Ius naturale, distin. 1. & lib. 1. ff. de iust. & iure.

Secundus gradus est eorum præceptorum, quæ deducuntur ex illis primis principijs, tanquam conclusiones proximæ, & quasi naturaliter fluentes per facilem, euidentem, & necessariam consequentiam, vt non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes homines habere possunt. talia sunt omnia præcepta Decalogi. nam ex illo principio in corde omnium impresso, Deum esse colendum, sequitur continuò non esse colenda idola, neque esse peierandum. ex illo altero principio, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, sequitur non esse occidendũ non esse mœchandum, non esse furandum, &c. Et sanè aliqua huius generis præcepta aliquãdo ob nimiã hominum exceptionem deleta sunt de cordibus hominum, vt patet ex li. 6. Cæsaris de bello Gallico, vbi legimus apud Germanos furtum non fuisse vitium, sed virtutem; & ex Sancto Hieronymo lib. 2. in Iouinianum & ex Theodoreto lib. 9. ad Græcos, qui referunt multa vitia contra naturam, quæ a populis quibusdam, & etiam à Legislatoribus eorum tanquam licita & iusta approbabantur. sed quamuis eiusmodi præcepta à nonnullis ignorarentur, verè tñ & ppriè

ius diuinum naturale pertinent, vt docet S. Tho. in 1. 2. q. 94. ar. 5. & q. 100. ar. 8. vbi scribit, in præceptis Decalogi, qa sunt ꝓprie iuris naturalis, nullã cadere posse dispensationẽ, & certe sicut ea, quæ deducunt̃ p necessariã consequentiã ex articulis fidei, pertinẽt ad fidẽ, quia nõ possunt negari, quin articuli ipsi negẽtur: ita quæ deducunt̃ per necessariã cõsequẽtiã ex primis principijs iuris naturalis, ptinẽt ẽt ad ius naturale, qa non possunt destrui, quin destruatur natura. Tertius gradus præceptorũ naturalium est eorum, quæ deducuntur quidem ex principijs iuris naturæ, sed per consequentiam nõ absolute necessarjam, nec omnino euidentem, & ideo egent humana constitutione, & hæc sunt quæ Theologi proprie referunt ad ius gentium, & ea distinguunt a iure ciuili, quod ius ciuile non deducatur ex iure naturæ per modum conclusionis deB ductæ ex principijs, sed per modum determinationis eorum, quæ generatim præcipiuntur a iure naturæ, q̃ doctrina est S. Th. in 1. 2. q. 95. ar. 2. & 4. & quãuis idẽ S. Th. in prẽdicta q. 95. ar. 4. Isidorum sequutus dicat, ius gentium esse spẽm iuris positiui; contra vero in 2. 2. q. 57. ar. 3. & clarius lect. 12. in li. 5. Ethic. dicat esse spẽm iuris naturalis, & alleget Iurecõsultos veteres, qui ius naturale aliud esse docebant, quod est cõe omnibus animalibus, aliud quod est cõe omnib. hoĩbus, tñ non pugnat ipse secum, nec Isidorus cum Iurecõsultis pugnat. nam & idem S. Th. in 1. 2. q. 95. ar. 4. ad primum, scribit ius gentium est aliquo modo naturale, & aliquo modo positiuum, ac per hoc mediũ inter ius naturale purum & ius ciuile, ius. n. naturale purũ est illud, quod nullo modo pendet ex humana constiC tutione; ius ciuile autem quod ex sola hominum constitutione pẽdet, & ideo pure positiuũ dici potest. ius vero gẽtium partim est naturale, partim positiuum, quia pendet quidẽ ab humana constitutione, id est, a consensu omnium gentium, sed nõ pendet ab auctoritate Principis, vel Magistratus particularis. Ex quo sequitur, vt ea quæ sunt de iure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, ideo ꝓhibeant̃ quia sunt mala: contra autem quæ sunt de iure ciuili, quia sunt pure positiua, ideo sint mala, quia prohibẽtur. Rursus, sequitur, vt ea quæ sunt de iure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, nõ possint a Principib. vel Magistratibus abrogari, vel immutari: contra aũt, quæ sunt de iure ciuili quia sunt pure positiua, sicut a Principe, vel Magistratu constituuntur, ita posse a Magistratu, vel D Principe abrogari. His ita explicatis, dicendũ videt̃, exemptionẽ Ecclesiasticorũ non pertinere ad primũ, vel secundũ naturalium prẽceptorum gradum, nec tamen esse iuris tantum positiui siue canonici, siue ciuilis, sed referendã esse ad tertiũ gradum prẽceptorum iuris naturę, siue, quod idem est, ad ius gentium. Hæc mihi videtur esse sentẽtia fere omniũ Theologorum, & Canonistarũ, & in re nõ arbitror dissentire Ioannẽ Driedonem, qui in li. 1. de libertate Christiana c. 9. cũ Canonistis dicit, exemptionẽ Clericorum esse iuris diuini naturalis, a Victoria in Relectione prima de potestate Ecclesiæ q. vlt. & Soto in 4. sent. dist. 25. q. 2. qui dicunt, esse iuris humani, ac positiui. Nam Ioannes Driedo non dicit esse iuris naturalis, quia sit primum E aliquod principium iuris naturæ, aut conclusio proxima, & quasi naturaliter deducta ex primis principijs, sed dicit esse iuris naturalis, quia est omnino conformis, & consentanea rationi naturali. Victoria vero, et Sotus negãt esse iuris diuini naturalis, quia per ius naturale intelligunt ius pure naturale, quo modo etiam negat idem Sotus ius gẽtium esse naturale; tamẽ ijdẽ auctores, & maxime Sotus, addunt hanc exemptionẽ esse omnino cõsẽtaneã rationi, & ipsi naturæ, neq; dicere volũt solũ, esse rationabilẽ, id est non cõtrariã rationi, sic. n. nihil dixissent, cũ omnis iusta lex ẽt pure positiua nõ debeat esse cõtraria rationi, sed dicere A volunt, esse deductam vt conclusionem ex iure naturæ, & vim habere ex iure naturę, & ideo addũt, in hãc exemptiõnem consensisse omnes gẽtes, ac propterea non posse mutari, vel abrogari a Regib. & Principib. etiamsi omnes simul coniuncti eam abrogare conentur. Neque dissentit S. Th. licet in comment. ad c. 13. ad Rom. scripserit, Clericos priuilegio Principum liberos esse a tributis. nam in eodem loco addit, id factum esse ob naturalem æquitatem.

Hanc igitur sententiam probare possumus his argumentis. Primo ex consuetudine omnium gẽtium. quod enim vbique fit, ex natura ipsa descendit; quiæ omnibus communis est. constat apud Hebrẽos, Leuitas fuisse liberos a tributis ex c. 30. Exod. & c. 1. Num. Constat apud Ægyptios sub Rege Pharaone sacerdoB tes fuisse exemptos, ex c. 47. Gen. Constat idem de sacerdotibus Hebræorum sub Rege Artaxerse ex li. 1. Esdræ c. 7. Idem cognosci potest de sacerdotibus Gentilium ex Aristotele in li. 2. Oeconom. ex Cęsare li. 6. de bello Gallico, ex Plutarcho in Camillo, & ex alijs. Apud Christianos Imperator Constantinus, qui primus fuit Imperator aperte Christianus, continuo natura docente ecclesiasticos immunes a communibus Reip. oneribus declarauit, vt patet ex epistola eius ad Auilinum apud Eusebium li. 10. hist. eccles. c. 7. quod idem multi alii Imperatores fecerũt, & notanda sunt verba Iustiniani l. sancimus 2. C. de sacrosanc. eccles. Nam vbi exemisset, Ecclesias, ait, *Cur enim non facimus discrimen inter res diuinas & humanas? & cur non competens prærogatiua cœlesti fauori conseruetur?* QuiC bus verbis ostendit, exemptionem illam non fuisse arbitrariam, & liberam, sed debitam, & necessariam.

Alterum argumentum ducitur a similitudine, quã potestas ecclesiastica, & secularis habent cum anima & corpore humano. Nam (vt ostẽdimus in li. 5. de Sũmo Põtifice, ex S. Gregorio Nazianzeno, Hugone de S. Victore, aliisq; insignibus auctoribus, nõ potest melius intelligi quo modo se habeat potestas ecclesiastica ad secularem, quam ex modo, quo se habet in hoie spiritus ad carnem. Spiritus aũt ita se habet ad carnẽ, vt quamuis non impediat actiones eius, cum benę se habent, eam tamen regat, & moderetur, & aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire iudicat. contra vero, caro nullũ habet imperiũ in spiritum, neq; eum vlla in re dirigere, vel iudicare, D vel coercere potest. sic igitur potestas ecclesiastica, q̃ spiritualis est, ac per hoc naturaliter seculari superior, secularẽ potestatem, cum opus est, dirigere, iudicare, & coercere potest; ipsã vero a seculari dirigi, vel iudicari, vel coerceri nulla ratione permittitur. Tertio ꝓbatur ex nominibus Patris, & Pastoris, quib. tum in sacris literis, & in libris sanctorum Patrum, tũ ex cõi Christianorum cõsuetudine sacerdotes ornantur. natura. n. docet, vt filij parentibus obediant, atq; ab ijs se corrigi æquo animo ferant, non autem ipsi parentibus imperare; eosue corrigere, vel iudicare velint. multo ẽt magis eadem duce & magistra natura oues a Pastoribus reguntur & gubernantur, & quando aberrãt, vel sibilo, vel baculo reducuntur in viam, & plane contra naturam esset, si ouis Pastorem regere, vel E gubernare videretur. Quartum argumẽtum peti potest a nomine & officio clericorum, clerici enim sunt ministri Dei, consecrati ad obsequium solius Dei, atq; ad hoc ipsum ab vniuerso populo Deo oblati, vnde & Clerici dicuntur tamquam ad sortem Domini pertinẽtes, vt S. Hieronymus docet in epis. ad Nepotianũ. Certe autẽ in ea, quæ sunt oblata & consecrata Deo, & quasi propria ipsius Dei facta sunt, nullum ius habere possunt Principes seculi. id quod & lumen rationis ostendit, & Deus ipse in scripturis Sanctis non obscure tradit, cum ait Leuitici vlt. *Quicquid semel Deo fuerit consecratum, sanctum sanctorũ erit Domino*, quis

autem

autē dicere audeat,ius esse profano homini in ea,quę sancta sanctorum,ideſt,sanctiſſima dici meruerunt? qua ratione bona etiam temporalia Clericorum, bona dominica propriè dicuntur in can. 4. Apoſtolico, & ideo tanquā Deo ſacra iuriſdictioni Laicorum ſubiecta eſſe non poſſunt. Quintum argumentum ducitur a ſignis,& prodigijs,quæ non raro Deus oſtendit in eos,qui Eccleſiarum immunitatem violare prę ſumpſerūt,de qua re multa legi poſſunt apud Tilmānum Bredēbachium in lib.5. ſacrarum collationum. ſed extat inſigne teſtimonium Baſilij Porphyrogeniti Græcorum Imperatoris apud Balſamonem in Nomocanone Photij,in commentario canonis primi ſynodi Conſtantinopolitanæ primæ,& ſecundæ,quam nos Latini octauam ſynodum appellamus. Refert.n. idem BASILIVS cauſſam omnium calamitatum eius temporis in legem quandam Nicephori Phocæ prædeceſſoris ſui contra Eccleſiæ libertatem latam. *Ex quo*, inquit, *Lex iſta robur habuit,nihil boni penitus in hodiernum vſque diem vitæ noſtræ contigit. ſed potius è contrario nullum omnino genus calamitatis defuit.* Itaque legem illam merito irritam eſſe uoluit, ac penitus abrogauit.

CAPVT XXX.

Soluuntur argumenta contraria.

SED operæprecium erit ad eas obiectiones breuiter reſpōdere quas Didacus Couar. loco citato,& Ioānes Medina in C. de reſtit. q. 15. (qui liberius alijs auctoribus loquuti ſunt,)in medium protulerunt. Obiiciunt ergo primo, nullam extare legem diuinam qua Clerici eximantur a iuriſdictione Principum Laicorum. Sed iam oſtendimus extare non pauca teſtimonia ſcripturæ ueteris,ex quibus per probabilem conſequentiam ducatur argumentum ad probandum iure diuino clericos liberos eſſe a iuriſdictione Principum ſecularium. neque obſtat,quod teſtamētum vetus abrogatum iam ſit per teſtamētum nouum. nam tametſi abrogata ſint ceremonialia,iudicialiaq; præcepta: non tamen ſunt abrogata moralia, ideſt, quæ continent vel declarant ius naturæ. & præterea cum ceremoniæ Iudæorum figuræ fuerint rerum noſtrarum,ut Apoſtolus docet 1. Cor. 10. Gal. 4. & Hebr. 7. non male ducimus argumēta per ſimilitudinem a ritibus Iudaicis. denique non ſola teſtimonia ſcripturę veteris,ſed etiam rationes ex iure naturæ deprōptas adduximus, ius autem naturæ non humanum,ſed diuinum eſt,cum ab ipſius naturæ auctore manauerit. Secundo obijciunt leges multas Iuſtiniani ex Codice & Authenticis,ex quibus cognoſci poteſt,olim Clericos Imperatoris iuriſdictioni fuiſſe ſubiectos. Sed facilis eſt reſponſio. nam ſi hoc argumētum uim vllam haberet,probaret etiam in rebus eccleſiaſticis & ſpiritualibus non eſſe liberos Clericos iure diuino a poteſtate Principum Laicorum: conſtat enim non ſolū ex Codice & Authenticis,ſed multo magis ex Nomocanone Photij, non paucas leges Iuſtiniani de rebus plane eccleſiaſticis & ſpiritualib. diſponere. Couarruuias autem,& Medina,vt etiam omnes Theologi, & Canoniſtæ,ſummo conſenſu docēt in rebus eccleſiaſticis,& ſpiritualib. liberos eſſe Clericos a poteſtate Principum ſeculi iure diuino. Coguntur igitur ipſi etiam nobiſcum dicere leges illas procedere de facto non de iure,& toleratas aliquando a ſummis Pontificibus, nunquam autem approbatas. Non tamē negauerim, multas quoq; eſſe ciuiles leges Imperatorū, quas non minus Clerici,quam Laici ſequi debeant. Eccleſia enim procurſu temporalium tantummodo rerum,ut loquitur Nicolaus I. Papa in epiſt. ad Michaelem, Imperialibus vtitur legib. quod idem habemus in multis Canonib. diſtinctionis decimæ apud Gratianum,& c. 1. de no. ope. nunt. & alibi. quæ tamē omnia intelligi debent de ijs legib. quæ non ſunt contrariæ Eccleſiaſticæ libertati,& quo ad directionem, non quo ad coactionem, ac denique cum adſunt aliæ condjctiones,quas not. Doct. ac preſertim Felin. in c. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit. q. 1. Tertio obijciūt exēplum Apoſtoli Pauli, qui cum eſſet Præſul eccleſiaſticus,non timuit appellare Cæſarem, atq; ab eo iudicari ſe debere libere cōfiteri,ut S. Lucas refert Act. 25. ſed hāc obiectionem Couar. omnino debuiſſet omittere. Nam B. Paulus,vt conſtat ex c. vlt. Act. coactus eſt appellare Cæſarem,oppreſſus videlicet calumnijs Iudæorum,& iniuſtitia Præſidis Romani,qui ſolum Cæſarem ſupremum Iudicem agnoſcebant. Itaq; ipſe quoq; de facto ſaltem,ſi non de iure Cæſarem Iudicem agnoſcere debuit,nec ſine riſu exceptus fuiſſet,ſi B. Petri ſupremi Principis ac iudicis ſui coram Gentilib. uel Iudæis mentionem facere uoluiſſet. Quarto obijciunt teſtimonia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. ſcribit.n. B. Petrus in epi. priore c. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquā præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis.* & B. Paulus in ep. ad Rom. c. 13. *Omnis*, inquit, *anima poteſtatib. ſublimioribus ſubdita ſit.* in quem locum ſcribit S. Io. Chryſoſt. hæc dici non tantum Laicis, ſed ēt Clericis, & Monachis, & ipſis etiā Apoſtolis & Euangeliſtis. Reſpondeo, ſententias Apoſtolorum generales eſſe. quamuis.n. nominatim in eis fiat mētio Regum, qm eo tempore valde neceſſarium erat diligenter monere Chriſtianos,ut Regib. obedirent,ne fidei predicatio impediretur. tamen abſolute uerba illa tam B. Petri,quam B. Pauli nihil aliud ſignificant, niſi debere omnes homines ſuis legitimis ſuperioribus ſubditos eſſe,eiſque debitam obedientiam exhibere. Quare non poteſt ex his teſtimonijs Apoſtolicis probari Clericos Principib. ſeculi,uel ipſorum legib. obtemperare debere,niſi pri⁹ probetur, Reges ſeculi eſſe legitimos ſuperiores,& Iudices Clericorum. quod certe probari non poterit, niſi probetur, oues Paſtorib. filios parentib. & temporalia ſpiritualib. præeminere. Nec tñ Chryſoſt. contradicimus,quamuis.n. iudicem ,ppriū Clericorum, & Monachorum ſolum Pōtificem eſſe dicamus, tamen fatemur, Reges non ſolum Laicorū, ſed ēt Clericorum,& Monachorum Reges eſſe. vnde ēt non ſine cauſſa in publicis precib. oramus pro Rege,vel pro Imperatore noſtro. nam cum Reges bella gerant non ſolū pro Laicis,ſed ēt pro Clericis & Monachis, proq; omnium pace,& tranquillitate inuigilēt: debetur eis ab omnib. honor,iuxta illud B. Petri, 1. ep. c. 2. *Regem honorificate.* debetur ēt obedientia, cū eorum leges non ſunt cōtrariæ ſacris Canonib. & cū de rebus ijſdem nulla extet canonica diſpoſitio, ac demum quoad directionem,ut ſupra diximus,non quo ad coactionem. Præter hæc argumenta obijcit Ioannes Medina loco citato quædā alia, quæ Couarruuias fortaſſe ut leuiora prætermittenda putauit,ſed nos ea quoque breuiter diluamus. Aitigitur Medina in lege naturæ primogenitos omnes fuiſſe ſacerdotes, nec tamē exemptos a maiorum ſuorum poteſtate. Item in lege ſcripta Leuitas,quib. nunc ſuccedunt Clerici,nō ſolum Aaroni Pontifici ſubiectos fuiſſe,ſed etiā Moſi, qui Princeps erat ciuilis totius populi Iudæorum, In lege quoq; euangelica Chriſtum ipſum,qui caput erat omnium ſacerdotum, Pilacto ſubiectum fuiſſe, iuxta illud: *Non haberes poteſtatem in me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Io. 19. Deniq; ita ratiocinatur Medina, Lex euangelica, Baptiſmus, ordo clericalis, non liberant iure diuino a debitis antea cōtractis, ut a debito ſeruitutis, a debito pecuniario, a debito coniugali, ergo nec a debito ſubiectionis & obedientiæ ciuilis, ſed clerici ante clericatum ſubiecti erant poteſtati

& iurisdictioni Principum, & Magistratuum secularium, non igitur liberi sunt iure diuino ab eadem potestate, & iurisdõne post Clericatũ. Sed ad hæc oĩa facilis est & expedita rñsio. Nam de primogenitis in lege naturæ nõ ꝓbauit Medina eos Ciuilib. Magistratib. fuisse subiectos: nos aũt probare possumus, non fuisse, qñquidem ijdem Primogeniti sacerdotes & Principes esse solebãt, docet. S. Hier. in qõnib. Hebraicis ad c. 49. Gen. quæ est ẽt cõis Hebræorum sñia, & exprimitur ab ipsa paraphrasi Caldaica eodem loco in benedictione Ruben. Porro Moses, cui subiecti erãt Leuitæ, non solum Princeps ciuilis totius populi, sed ẽt summus sacerdos erat, & Aarone maior, quamuis extraordinaria põtestate. unde dr̃ in Ps. 86. Moyses, & Aaron in sacerdotib. eius, & nouimus Aarõ a Mose cõsecratum: & deniq; testatur Philo in extremo libro de uita Mosis fuisse Mosem Pontificẽ, Regẽ, & legislatorem Hebrẽorũ. quid igitur mirum, si Leuitę Moysi subiecti erant, non minus, q̃ Aaroni, cum Moses non minus q̃ Aaron sacerdotio fungeret. Christũ aũt Pilato subiectũ de facto solũ, non de iure certissimum est. & potestas desuper data, q̃ in Pilato Christus agnoscit, non potestas iudiciaria, sed permissio intelligenda est, vt S. Patres docent, Chrysost. & Cyrillus, de qua Dñs ait Luc. 22. *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* & certe ferendum non esset, si Medina cum Marsilio Paduano Christum Dei filium naturalem Principib. terrenis iure subiectum fuisse dicere vellet. Ratiocinatio deniq; eiusdem Medinę aut nihil probat, aut plus q̃ ipse uelit, ꝓbat. Nam si paria sunt eximere a debito seruitutis, uel pecuniario, uel uxorio; & eximere a debito subiectionis, & obedientiæ ciuilis; sicut non potest summus Pontifex eximere hoĩes Christianos a debito seruitutis, uel pecuniario, uel uxorio, sine consensu partis, qm̃ alioquin iniuriam facere uideretur: ita nõ potuisset idem summus Pontifex eximere Clericos a iurisdictione Principũ secularium, sine ipsorum consensu. Atque hoc est cõtra oẽs Theologos, a quib. nec ipse Medina dissentit. non igitur sunt illa paria, ac per hoc Medinæ argumẽtum non rectè cõcludit. Rõ uero discriminis inter illa debita hęc est, quod maius oĩno sit uinculum inter creditorem & debitorem, Dñm & seruum, uirum & uxorem, q̃ inter Principem, uel Magistratũ & ciuẽ. Itaq; clericatus non eximit a debitis illis prioris generis, & ideo non poterit fieri Clericus is, qui seruus est, nisi prius a Dño liberetur, neq; is, qui est alligat⁹ uxori, nisi uxor consentiat, & ipsa quoq; uotum continentiæ emittat, neq; is, qui tm̃ pecuniæ debet, ut restituere nequeat, si Clericus fiat, nisi a creditore debitũ remittatur. At idem Clericatus eximit a subiectione ciuili, & transfert in subiectionem Ecclesiasticam etiã non consentiente, uel repugnãte superiore ciuili. qm̃ vnusquisq; circa statum propriæ personæ liber est, sicut potest relinquere patrem & matrem, & adhærere uxori, iuxta uerbum Dñi Mat. 19. ita potest relinquere Principem seculi, & in sortem Dñi transire, atque ad Dei seruitutem accedere, seq; totum Eccl̃o in clericatu vel Abbati in Monastica professione cõmittere. At, inquit Medina, lex euangelica, & Baptismus non eximunt a iurisdictione ciuili, igitur neq; eximit clericatus. Respondeo, non esse eandẽ rõnem legis euangelicæ & Baptismi, ac ipsius Clericatus. Nã lex euangelica, & Baptismus nõ excludunt, imò necessarium esse uolunt Principatum ciuilem, ut aduersus Anabaptistas nos alio loco probauimus. At Clericatus, vt ẽt Monachatus, non posset suo munere recte fungi, nisi liber esset & immunis a iurisdictione ciuili, & ordo ipse naturæ peruerteretur, si Pastores ouib. parentes filijs, & spiritualia corporalibus subijcienda sint. At, inquies, iniuria fiet Principib. si inuiti suo iure priuẽtur, quod in clericos ante clericatum habebant. Respõdeo, nullam ipsis iniuriam fieri, quia qui iure suo vtitur, nullam facit iniuriam. utitur autem iure suo, qui eligit statum, quem sibi magis conuenientem esse censet, quamuis per accidens sequatur, ut Princeps subdito suo priuetur. Nam etsi quis iusta de caussa domicilium suum in aliam ciuitatem, uel prouinciam transferat, desinet subditus esse priori Principi, nec tamen iniuriam illi fecisse uidebitur. Vltima obiectio Medinæ illa est, quod non repugnet rationi, vt homines addicti obsequio Dei & spiritualibus functionibus subsint in rebus temporalibus, & ciuilib. Regi, vel Magistratui seculari, ex quo sequitur, ut si exempti sint, id factum sit concessione Principum, non iure diuino. Addi potest confirmatio ad hoc argumentum, ut nihil difficultatis subterfugere videamur. nã sicut Princeps secularis, ut Christianus & in rebus spiritualibus est ouis, & filius sacerdotum: ita è contrario sacerdotes ut ciues, & in rebus temporalib. videntur posse dici oues, & quasi filij Principum secularium. Item quia una tantum est Ecclesia, continens Clericos & Laicos, & Ecclesię caput est summus Põtifex, ideo subsunt omnes eidem summo Pontifici tũ Clerici, tum Laici. igitur eodem modo quoniam una est ciuitas continens Laicos, & Clericos, & ciuitatis caput est Princeps secularis, ideo subiecti debent esse omnes tam Laici, quam Clerici Principi seculari in ijs, quæ pertinent ad bonum regimen ciuitatis.

Respondeo, hoc argumento probari, exemptionẽ Clericorum, non esse de iure naturæ primario, quod nos supra in duos gradus distinximus, sed esse de iure naturæ secundario, quod etiam ius gentium appellari diximus. Nã ut S. Thomas recte docet in 2. 2. q. 57. art. 3. ius naturæ primarium respicit rem absolute cõsideratam, ius naturæ secundarium, siue ius gentium respicit rem in ordine ad certum finem, & ideo pendet ex discursu rationis. Licet igitur non repugnat rationi absolute, ut Clericus subsit in rebus ciuilibus Principi seculari: tamen repugnat in ordine ad officium Clericorum rite administrandum. nam ut alia omittam, turpissimum esset, ut etiam Sotus annotauit, si Magistratus Episcopum corrigere, vel punire posset, a quo ipse corrigẽdus, & puniendus est: & quis ferret, si hodie sacerdos ad suum Tribunal Magistratum uocaret, eras aũt Magistratus vocaret sacerdotẽ ad suũ? & nonne oĩs reuerentia, q̃ necessario debent Laici sacerdotib. piret, si eos ꝓ imperio coercere possent? hinc igit̃ ante oẽs Principum leges, humanũ genus rõne docẽte cõstituit, vt ubiq; sacerdotes immunes essent a iurisdõne Principum Laicorũ. Ad primã cõfirmationẽ rñdeo, Principẽ quidem ouẽ, ac filium spũalem sacerdotis esse: sed sacerdotẽ nullo modo filiũ uel ouẽ Principis dici posse. qm̃ sacerdotes, & oẽs clerici suũ habent principem spũalem, a quo non in spũalib. solum, sed ẽt in tpalib. reguntur. neq; fieri potest, vt duos agnoscant principes in reb. tpalib. cum, iuxta Euangeliũ, nemo possit duob. Dñis seruire. Ad alteram confirmationem rñdeo, Ecclesiam uere vnã tm̃ esse, & nullo modo duas, ciuitatem aũt unam esse materialiter, & duas formaliter. Nam Ecclesia continet omnes Chr̃ianos Catholicos, siue sint clerici, siue Laici. si quis aũt cõsideret cętũ Laicorum, nõ ut Chr̃stiani sunt, sed ut ciues, uel quocũq; alio modo, is cętus Ecclesia dici non pót. non igitur duę fingi pñt Ecclesię, ac multo minus esse. At cętus Laicorũ, & cętus Clericorũ formaliter duę ciuitates dici pñt, qm̃ in ipsis ẽt tpalib. reb. diuersas leges habẽt, diuersum principem, diuersa tribunalia, & tm̃ materialiter unã quoque ciuitatẽ faciunt, quia vnam Vrbem inhabitãt, & sub eiusdẽ principis ꝓtectione viuunt, qui sicut pro labore, ac sollicitudine, quam pro cõi bono suscipit, a Laicis tributa recipit, ita recipit a Clericis auxilia longe maiora publicarum precũ, & sacrificiorũ ad Deũ.

LIBER

LIBER SECVNDVS,
DE MONACHIS.

PRAEFATIO.

DISSERVIMVS *Libro superiore de Episcopis, & Clericis, idest, de prima, & nobilissima parte corporis Ecclesiastici. Sequitur, vt de altera parte Ecclesiæ, hoc est, de ijs hominibus disseramus, qui Euangelica Christi sequuti consilia, vitæ genus arctioris, ac sublimioris instituunt, quàm aut lex diuina, vel humana præscribat, aut etiam multorum mortalium infirmitas patiatur. De quo hominum genere disputationem ingrediar, si pauca prius de huius ipsius disputationis vtilitate, vel potius necessitate, dixero.*

Quamquam enim monastica vitæ instituta, non ad omnes Christianos pertinent, defensio tamen tàm magnæ, & tàm excellentis partis Catholicæ nostræ Ecclesiæ, ad eos omnes communiter pertinent, qui Christianam Rempublicam saluam cupiunt. Hæretici enim dum hanc partem petunt, ac vt monasticen vituperent, portentosa mendacia quotidie de Monachis fingunt, & quacunque oblata occasione in Monachos inuehuntur, atque eos in odium vulgi rapiunt, & primarios Antichristi satellites vocant, non eò certè spectant, vt ordines solùm hominum religiosorum disijciant, monasticenque de medio tollant, sed vt Ecclesiam totam hac ratione perturbent, ac lædant, eamque (si fieri possit) à fundamentis euertant. Intelligunt enim, si contra Monachos causſam obtinuerint, idest, si populo Christiano persuaserint, non à Christo institutos, sed à malo dæmone excogitatos ordines religiosorum fuisse, se continuò id effecturos, vt vniuersa Ecclesia, quæ vna voce, & consensu tot iam seculis monasticen approbauit, vano errore delusa, pro Christo Antichristum coluisse, & à rectæ fidei, veræque doctrinæ tramite, quàm longissimè aberrasse videatur.

Neque verò nouum est hoc hæreticorum aduersus Monachos bellum, neque recès mali dæmonis artificium, per monasticæ vitæ oppugnationem Ecclesiam vniuersam petere. Sicut enim quotquot fuerunt vnquam pij scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris, hoc genus vitæ laudibus in cœlum tollere conati sunt, sic nulli ferè vnquam hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint. Quando vos *(inquit B. Augustin. in Psal. 132.)* rectè hæreticis de Circumcellionibus insultare ceperitis, vt erubescendo sanentur, illi vobis insultant de Monachis. Primò, si comparandi sunt, vos videte; quid opus est, vt verbis nostris cõparentur ebriosi cum sobrijs, precipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? sed tamen dicere consueuerunt, quid sibi vult nomen Monachorum? quantò meliùs dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum? *Et rursus, de Petiliano hæreticorum principe, idem August. lib. aduersus Petilianum, 3. cap. 40.* Deinceps, *inquit*, perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit institutum.

Jam verò ARIANI *tanto furore bacchabantur in Monachos, vt ipsas etiam desertissimas solitudines locaque maximè abdita, & recondita penetrarent, vt Monachos quærerent, raperent, atque occiderent. Sic enim de Lucio Episcopo Ariano scribit Ruffinus, lib. hist. 11. c. 3.* Inde, *inquit*, ad monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, & bella quiescentib. indicit. Ter mille simul, aut eo amplius, viros

per

per totam similitudinẽ secreta, & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatã equitum, ac peditũ manum: Tribunos, Præpositos, & bellorũ Duces, tanquã aduersus Barb. pugnaturus, elegit. Qui cũ venissent, nouã belli speciẽ vident, hostes suos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi; Amice, ad quid venisti? *De* VALENTE *Imper. pariter Ariano in Chronico B. Hierony. annotauit, vsque adeò illum odisse Monachos, ut lege lata, Monachos omnes, aut arma sumere, milites q; fieri, aut fustibus cẽdi, mactariq; decreuerit.*

Sed nimis longum esset, si omnia veterum hæreticorũ, ac præsertim Imper. Constantini Coprony. & cæterorũ veterum Iconomachorũ in S. illos Monachos, aut improbè dicta, aut crudeliter facta cõmemorarem. Quid igitur, vt ad posteriora tempora descendamus, Ioan. VVICLEF *de Religiosorum ordinibus sensit? nempe omnes ad vnum à diabolo in ecclesiã introductos, & August. Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint, q. Monachi, & Patres Monachorum fuerint. Sic. n. habent articuli eius postremi in Concilio apud Constantiã reprobati. Quid Martinus* LVTHERVS? *nonne tertio quoque verbo in omnibus scriptis suis, quæ sanè quàm plurima extant, monasticen lacerat? At, vt alia prætermittã, quæ suo loco postea afferentur, certè in Epithalamio illo suo, plus quàm credi possit, obsceno, & sordido, quod in caput septimũ epistolæ prioris ad Corinthios scripsit, qui cœlibẽ vitã in monasterijs ducũt, eos omnes idolo Moloch corpora sua cremare confirmat. Et in eod. lib. statum religionis nihil ualere, sed Ethnicum, terrenum, secularẽ, ac ueluti lutum esse dicit, cùm è contrario statum coniugij spiritualem, cælestẽ, diuinũ, atque aureum esse prædicet. Ioan.* CALVINVS, *lib. Instit. 4. c. 13. rem totam breuiter ita definit, vt esse velit monasteria lupanaria; vota monastica retia Satanæ; Monachos omnes sophystas cucullatos, qui ab Ecclesia dissensionem fecerint, & se totos diabolo consecrauerint.* PHILIPPVS *Melanchthon in Apologia pro Confessione Augustana, articulo de uotis, uota atque opera Monachorum nunc obseruationes fatuas, nunc hypocriticas simulationes, nunc etiam traditiones Pharisaicas, atque Mahumeticas vocat.* MAGDEBVRGENSES *Centuriatores in 10. c. 4. Cent. posteaquam multorum veterum Eremitarum uitas, & res gestas breuiter descripserunt, in hæc verba sermonem claudunt:* Sed quis, *inquiunt*, non hæc hominum monstra execretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra totam secundam tabulam delinquentes? *Vt illud interim omittam, quòd partem non modicam ingentium illorum voluminum in Monachorum vituperatione consumunt, quos vbique hypocrisis, vbique superstitionis, vbique impietatis accusant.*

Sed quid, obsecro, Lutheranos in tàm apertum, tamque implacabile bellum contra Monachos impulit? Quid eis Monachi nocuerunt? quid rapuerunt? quid illis debent? Nonne, si saperent, ingentes gratias potius regno Monachorũ, ut ipsi uocãt, agere deberent? Ex quo nimirũ Apost. ille Germanicus, tertius Hẽlias, totq; alij illustres Proph. atque Euangelistæ, tanquam ex equo Troiano prodierunt. Vnde enim habet Lutherum, Pomeranũ, Bucerum, Pellicanum, Munsterum, Menium, Musculũ, Miconium, Oecolampadiũ, Martyrẽ, Ochinum? Nonne ex monasterijs? Quamquam si verum fateri volumus, non monasteria tot nobis hæreticos pepererunt, sed ipsa potius pestis hæreseos monasteriorũ desertores fecit.

Sed quid miramur, si filij tenebrarum lucem religionis æquis oculis intueri non queunt: si desertores militiæ, castra Sanctorum oderunt: si fugitiui, ac perfidi, stantes in acie cõmilitones suos exhorrent; si denique principis tenebrarũ, primiq; cælestis militiæ desertoris, ac transfugæ, discipuli eius, ac filij, opera imitãtur? Nam *(vt apud Athanasium magnus ait Antonius)* omnes quidẽ Christianos Diabolus odit, sed probos Monachos, Christique virgines tolerare nullo modo potest. *Hinc illæ voces Abbatis Sereni*

apud

apud Cassianum Collat. 7. c. 23. In ipsis, *inquit*, cœnobijs, in quibus cõmorabantur octo, vel decẽ, ita dęmonũ atrocitas grassabatur, & frequẽtes, ac sensibiles sentiebãtur aggressus, vt nõ auderent oẽs pariter noctib. obdormire, sed vicissim alijs degustantib. somnũ, alij vigilias celebrantes, Psalmis & orationibus, seu lectionibus inhærebant, cũque illos ad soporẽ naturæ necessitas inuitaret, expergefactis ad eorũ, q. dormituri erãt, custodiã, similiter excubię tradebãtur.

Habetis, quid hæretici tàm ueteres, quàm recentes, & quid ipse etiam pater eorum diabolus de Monachis censeat. Nunc de ijsdem quid censeãt Patres, quid etiam Christus, & Deus, meritò à me requiri, atque expectari video. Sed quoniam plurima huius generis testimonia in ipsa Disputatione sæpiùs nobis erunt necessariò afferenda: nunc duobus tantũ duorum clarissimorũ utriusque ecclesiæ luminũ testimonijs contentus, rem totã, quam breuissimè fieri poterit, expediã. Prodeat igitur in primis totius Græciæ eximiũ decus S. Ioan. Chrysost. is enim, & pro uitæ monasticæ defensione trib. integris libris acerrimè decertauit, & ubiq; solitudines, ac Monasteria ita splẽdidè, magnificeq; laudat, ut illa Regnis, atq; Imperijs, & ipsi etiã Paradiso, ac Cęlo nõ dubitet anteponere. Deniq; hom. 8. in Matth. Si quis, *inquit*, nunc ad Aegypti veniat solitudines, paradiso prorsus oẽm illũ eremũ videbit digniorem, & innumerabiles Angelorũ cętus in corporib. fulgere mortalib. est enim cernere tota illa regione diffusum exercitũ Christi, & admirabilẽ illum regiũ gregem, virtutũq; cęlestium conuersationẽ in terris micantẽ. Atque hæc non in viris solũ, verũ etiam in fęminis splendere conspicias. Non ita varijs astrorũ choris cęlũm refulget, vt Aegyptus innumeris Monachorũ, ac virginũ destinguitur, atq; illustratur habitaculis. *Quanta hæc est laus? & à quanto uiro, quanta uerborum maiestate profecta? Sed iam B. Aug. totius occidentis clarißimum lumen audiamus.*

Is igitur in lib. de morib. Ecclesiæ 1. c. 31. *Monachorum uitam, tum Eremitarum, tum Cœnobitarum, Manichæis perfectionem iactantibus obijciens:* Nihil, *inquit*, de ijs dicã, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhęserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sãctorum intellectu percipi non potest. Nihil (inquam) de his loquar, videntur enim nonnullis res humanas plus quàm oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorũ animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorũ corpora videre nõ sinimur. Sed hic disputare lõgum, & superuacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Sed si hoc excedat nostrã tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui contẽptis, atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidẽtia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intensissimã in Deum, gratissimũ ipsi munus offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium; nemo cuiquam onerosus est. Patres verò non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant, magna sua in iubẽdo auctoritate, magna eorum in obtẽperando voluntate. *Ac demum post alia multa finẽ faciens, ait:* Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutũ si laudare velim, neque

dignè

dignè valeo, & vereor, ne iudicare videar, per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatē cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. *Quàm dissimilia sunt hæc verba Catholicorum Patrum ijs, quæ ex Luthero, & Caluino paulò antè recitauimus? nimirum, hic fides, ibi perfidia; hic sapientia, ibi stultitia; hic grauitas, ibi furor; hic Deus, ibi Diabolus loquebatur.*

Neque verò Deus per voces, & scripta solùm Catholicorum Patrum, sed etiam ipse per se sanctitati, atque præstantiæ ordinum Religiosorum testimonium tulit. Quid enim de hoc vitæ genere Deus censeat, testantur in primis diuinæ illæ, amplissimæque promissiones, quæ partim in Prophetis, partim in Euangelijs extant, quibus (Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. Isa. 56.) centuplum in hoc seculo; sedes honoraria in iudicio; locus & nomen in regno cęlorum maius, atque nobilius, quàm filiorum, & filiarum sit, huius disciplinæ cultoribus Dominus pollicetur: testantur deinde hoc idem diuina signa, atque prodigia. Certè enim post Apostolica tempora splendore maximorum signorum, iudicio orbis terræ, semper clarissimi habiti sunt magnus Antonius, vterque Macharius, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus. At ij omnes sine controuersia professione Monachi fuerunt.

Quantæ igitur, & quàm proiectæ est audaciæ, sanctissima instituta, à Deo ipso, de cęlo signis, atque prodigijs clamante, & approbante, confirmata, adhuc tamen animis obfirmatis contemnere, improbare, reijcere, conspuere, lacerare? Vt interim omittam, q. hæc ipsa instituta longe antè Helias, & Ioannes adumbrarunt, Christus consuluit, Apostoli coluerunt, Sancti ferè omnes adamarunt. Exceptis enim sacris Martyribus, rari omnino in numerum Sanctorum relati leguntur, qui ex Monasterijs non prodierint. Vt mihi iam monasticæ vitæ approbatio inter eas notas, ac symbola, quibus Ecclesiam Catholicam ab omnium hæreticorum conuenticulis internoscimus, atque distinguimus, principem locum tenere, clarissimeque eminere videatur. Quod sanctus ille Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Petrus probè intellexit, cum auctore Theod. lib. hist. 4. c. 20. ex eo potissimùm demonstrauit, Lucium quendam non Episcopum, non Catholicum, sed hæreticum, hostem, lupum, & inuasorem esse, quòd eum nulli Monachi de more Ecclesiæ sacros Hymnos concinentes, ad solium Pontificale deduxerint. Existimabat enim magnus ille Pontifex, ita partem veræ Ecclesiæ esse ordines Monachorū, vt Episcopus Ecclesiæ haberi non posset, qui secum Monachos habere noluisset.

Quæ cùm ita sint, intelligi profectò facilè potest, ita caussam Monachorum cum Ecclesiæ caussa esse coniunctam, vt nemo vnquam Ecclesiæ hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore Monachis omnib. indixerit. Quare à nobis mater nostra Ecclesia Catholica petere mihi uidetur, ne nos ab hostib. diligentia, studioq; uinci patiamur, sed quantum illi dies, ac noctes legendo, & scribendo laborant, vt aliquod Ecclesiæ, vel eius partibus, ac membris detrimentum afferant, tantum nos operæ, & laboris in omnibus Ecclesiæ partibus sartis tectisq; conseruandis collocemus; præsertim cùm nos apud Deum clarißima iustitiæ, fideiq; corona, illos pęna sola perfidiæ, atque scelerum apud inferos maneat. Nunc ad rē ipsam propiùs accedamus.

Omnis hæc de Monachis Disputatio septem præcipuis capitibus, siue quæstionibus continetur. Quibus quæstionibus vna eademque opera explicabuntur nomina, origo, natura, partes, proprietates, & actiones vitę religiosę; & simul ad ea omnia respondebitur, quę aduersarij nostri in Monachis, & eorum ordinibus reprehendunt.

PRIMA *igitur quęstio erit de origine, ratione, et uarietate Religionum. Nec. n. uerentur aduersarij asserere, ordines Religiosorum, rem esse recens in ecclesia inuectā; et idē esse dicere; Ego sum ordinis B. Aug. ego Benedicti, ego Dominici, ego Frāciſci, ac dicere; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephę. quod Apostolus in Corinthijs grauissimè reprehendit, vt etiam illos propterea seditionis, schismatis, atque hęreseos notare non vereatur.*

SE-

SECVNDA *quæstio erit de consilijs Euangelicis, quæ sunt quasi bases, et fundamenta totius monastici ædificij. Horrent enim hæretici ad vocem consiliorum, & operum supererogationis, tanquam ad ingentem blasphemiam. Id quod necessariò faciunt; cum enim arbitrentur ipsi, præcepta diuina non posse à quoquam, tametsi iustissimo, vnquam impleri, non possunt non vehementer mirari, cùm nos dicere audiunt, veros Religiosos non solùm præcepta, sed etiam consilia adimplere, & plus facere, quàm Deus præcepit.*

TERTIA *quæstio erit de uotis monasticis. Cùm. n. aduersarij putent, Deo nihil placere, nisi quod ipse fieri iussit, omnia uota, quæ de rebus à Deo non imperatis suscipiuntur, tãquam superstitiosa, & inania reprehendunt: imò apertè uotum continentiæ sacrificium Moloch, uotum paupertatis meram stultitiam, votum obedientiæ summam temeritatem esse volunt.*

QVARTA *quæstio erit de votis, quæ filij inuitis parentibus, & coniuges inuito altero coniuge, aliquando suscipiunt. Nam cùm Deus mandauerit, honorari parentes, & non separari, quos Deus coniunxit, grauiter nos accusant, quòd filios inuitis parentibus Monachos fieri patiamur; & matrimonia, licet nondum consummata, tamen rata, & firma, propter monasticam professionem dissoluamus.*

QVINTA *de solitudine, & summa vitæ seueritate Eremitarum. Eremitas enim aduersarij vrsos, ac misanthropos vocant, propter solitudinem propter eam autem seueritatem, qua plurimi eorum nunquam cilicium exuebant, solis radicibus vescebantur, humi cubantes somnum breuissimum capiebant: nonnulli etiam integris hebdomadibus ieiunabant: alij ferreis cathenis se onerabant: quidam in editis columnis perpetuò consistebant; eos omnes execrantur, tanquam sui ipsorum homicidas, & illius Apostolici præcepti transgressores:* Habeto honorem corpori; *quo præcepto nullum ipsi religiosius, ac sanctius colunt.*

SEXTA *de habitu, & tonsura. Miram enim superstitionem in eo positam esse credunt, quòd Monachi semper idem vestimenti genus, eadem forma, eodem colore, eadem magnitudine gerant, & eodem semper modo, qui sunt eiusdem ordinis, tondeantur.*

SEPTIMA *de opere Monachorum. Existimant enim aduersarij, de natura, & ratione veræ monasticæ professionis esse, vt Monachi omnes labore manuum victum quærant, & idcirco eos omnes, qui id non faciunt, tanquam suæ ipsius professionis corruptores, falsosq; ac degeneres Monachos arguunt, & malum, & illicitum esse docent, iam sponte sua ad mendicitatem deuenire, quàm mendicatione victum colligere.*

Scripserunt de hoc argumento S. Ioan. Chrysost. in tribus libris contra vituperatores uitæ monasticæ; Ioannes Cassianus in libris de institutis Cœnobiorum; Albertus Magnus in defensorio mendicantium; B. Thomas in opusculo 19. quod est contra impugnantes religionem; B. Bonauentura in Apologia pauperum, & libro de paupertate Christi; Thomas Vvaldensis lib. 3. & 4. de doctrina fidei, & de sacramentalibus, tit. 9. Albertus Pighius controuersia 14. Alphonsus Viruesius Philippica 20. Alphonsus à Castro in libris contra hæreses, verbo Mendicitas, uerbo Monachus, & uerbo Votum; Ioannes Bunderius in suo compendio concertationum, tit. 34. Conradus Kœllin in euersione Epithalamij Lutherani; Ioannes à Dauentria in refutatione Confessionis Augustanæ; Ioannes Eckius in Enchiridio, & in conclusionib. de uotis; Franciscus Orantius, lib. 5. de locis Catholicis; Gaspar Schatzgerus, lib. 1. c. ult. & lib. 2. c. 1. suarum Controuersiarum; Ioannes Hoffmeisterus contra art. 27. Confessionis Augustanæ; Iacob. Latomus lib. de Monachorum institutis, et uotis; Ioannes Cochlæus libro de uotis, et in discussione art. 27. Confessionis Augustanæ; Iodocus Clichtouæus, lib. 3. Antilutheri; Alanus Copus Dial. 2. Matthæus Galenus de origine Monastices; Richardus Cenomannus in antidoto ad censuram Erasmi in regulam S. Augustini; Franciscus Turrianus libris duobus de votis monasticis; Guglielmus Lindanus lib. 4. c. 98. Panopliæ.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De nomine Monastices.

EXPLICATVRVS igitur primo loco naturam, partitionem, atque ortũ Religionum, & simul hæreticorũ mendacia, & calumnias refutaturus, à nomine, vt par est, exordiar. Nomina apud Græcos quinque inueniuntur. vocant enim professorem huius vitæ θεραπδτὴν, ἀσκητὴν, ἱκέτην, φιλόσοφον, μοναχὸν: Latini retinuerunt vltimum Græcum vocabulum, & addiderunt regularem, & religiosum θεραπδτὴς, significat cultorem. Vtitur hoc nomine Dionysius, c. 6. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi dicit, ab Apostolis fuisse Monachos vocatos θεραπδτὰς, eo quòd ipsi purè præter cęteros Deum colant. Vtitur eodem nomine Philo initio libri de vita contemplatiua supplicum, vbi dicit, eos vocari θεραπδτὰς, vel quòd Deum diligentissimè colant, vel quòd animas suas colant, & curent à morbis vitiorum; nam θεραπδτὴς, significat, & cultorem, & medicum, ἀσκητὴς, significat pugilem, siue exercitatorem, quo nomine passim vtitur Basilius, qui etiam sermones suos de rebus monasticis vocat asceticos. Dicuntur autem Monachi pugiles, vel exercitatores, quia totum eorum officium deberet esse virtutum palæstra, cùm alij homines exerceant se in bello, in mercatura, &c. ἱκέτης, supplicem significat, quo nomine vtitur Philo, qui librum de vita Monachorũ sui temporis, inscripsit de vita contemplatiua supplicum. dicuntur autem supplices à præcipuo munere, quod est orare, & laudare Deum.

Philosophi dicuntur Monachi passim à Chrysostomo in libris contra vituperatores vitæ monasticæ, & à Nilo, qui librum suum de monastice, inscripsit de Christiana Philosophia. dicuntur autem Monachi Philosophi, vt Nilus indicat, quia eum locũ tenent apud Christianos, quem Philosophi apud Ethnicos. Philosophi enim dicebantur apud Ethnicos, homines quidam seueri, contemptores rerum temporalium, & toti sapientiæ studio dediti. Nomen Monachi frequentissimum est apud omnes Patres Græcos, & Latinos. quid autem significet, non eodem modo explicatur ab omnibus.

B. Hieronymus in epist. ad Heliodorũ, videtur velle nomen Monachi proprijssimè conuenire eremitis, qui soli habitabant: *Interpretare*, inquit, *vocabulum Monachi, hoc est, tuum; quid facis in turba? qui solus es?* At non ita esse, tum ex eo cognosci potest, quòd eremitæ cęperunt à Paulo primo eremita, ipso Hieronymo auctore in eius vita: nomen autem Monachi inuenitur apud Dionysium Areopagitam, qui ferè CCC. annis Paulum primum eremitam antecessit, tum ex eo, quòd omnes veteres, & ipse etiam Hieronymus in epistola ad Eustochium de seruanda virginitate nomen Monachi, tàm eremitis, quàm cœnobitis volunt esse commune.

B. Augustin. in Psal. 132. exponens illud: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*; dicit, hoc dulcissimum canticum excitasse homines, & de secularibus Monachos fecisse, nihilque aliud significare Monachum, quàm hominem in tali vnitate, & communitate cum alijs eiusdem instituti viuentem, vt cum illis omnibus vnum cor habeat, & vnum, ac solum hominem faciat; secundum quam significationem nomen Monachi solis cœnobitis conueniret. At verissima explicatio huius nominis est apud Gratianũ & Dionysium. Scribit enim Cassianus collatione 18. Abbatis Pyamonis, capite quinto, inde Monachos dictos, quod à coniugijs abstinerent, & à parentũ se consortio, ac mundi huius conuersatione secernerent, vt nimirum soli Deo per contemplationem inhærerent.

A Quod idem tradit Dionysius, cap. 6. Ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi dicit, Monachos appellari, quòd rebus diuisibilibus relictis, Monachi, idest, Diuinitati soli placere contenderent.

Ex quo sequitur, propriè Monachos non esse, nisi eos religiosos, qui soli vitæ contemplatiuæ dant operã, quales sunt Cassinenses, Cistercienses, Cartusiani, Camaldulenses, atque alij id genus. Quod intelligentes S. Thomas, S. Bonauentura, & alij Doctores posteriores; non vocant Monachos, Dominicanos, & Fraciscanos, & similes, qui non soli contemplationi insistunt, sed in actione versantur, iuuantes Episcopos, & clericos in concionibus, & Sacramentis, sed regulares, vel religiosos appellant. Regulares quidem, quòd certæ regulæ viuẽdi addicti sint, quo nomine passim vtuntur Concilia. Religiosos autem, quòd se totos Dei obsequio mancipauerint, vt rectè explicat B. Thom. 22. quæst. 186. art. 1. religio enim est virtus, qua Deo debitum cultũ exhibemus: quare sicut omnes probi Christiani dici possunt religiosi, si Deo seruiant, vt eorum vocatio requirit: ita illi per antonomasiam dicuntur religiosi, qui nulli rei seruiunt, nisi Deo: & licet hoc nomen videatur nouum, tamen reuera est omnium antiquissimum; respondet enim propriè illi Græco, θεραπδτὴς, quo Dionysium, & Philonem vsos fuisse docuimus. Hæc de nomine.

B

CAPVT II.

De natura, siue definitione Religionis.

C

QVANTVM ad rem attinet, Religio, vt hic à nobis accipitur, sic definiri potest, Religio status est hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium.

Sunt autem hoc loco annotanda quædã. PRIMVM illud est, veram perfectionem in caritate consistere; perfectio enim vniuscuiusque rei in eo posita est, vt fini suo vltimo, quàm arctissimè cõiungatur. Finis autẽ hominis Deus est, caritas verò maximè vnit hominem cum Deo, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Colos. 3. *Caritas est vinculum perfectionis*, idest, vinculum, quod ligans hominem cum Deo, hominẽ reddit perfectũ, vel (vt Chrysostomus exponit) vinculum quod ligans, & continẽs
D in homine omnes virtutes, hominem reddit perfectũ. Vt enim spiritus humanus ligat, & cõtinet omnes humores, & partes alioqui dilapsuras, ita Spiritus sanctus inhabitans corda nostra per caritatem continet omnes virtutes alioqui facilè dilapsuras. Quod etiam idem Apostolus ostendit, cùm ait 1. Cor. 13. *Caritas patiens est, benigna est*, & quæ sequuntur.

Itaque IRENÆVS, lib. 5. ante medium exponens illud Apostoli 1. Thessal. vlt. *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur*; dicit hominem perfectum tribus constare, corpore, anima, & Spiritu sancto inhabitante per caritatem. Vt enim si desit ei corpus, vel anima, erit imperfectus in genere naturæ: ita si desit caritas, erit imperfectus in genere moris. Quo modo
E locum illum Pauli intelligunt etiam ferè omnes Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & cum eis Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. vlt. Denique quòd caritas sit Christiana perfectio, ex eo patet, quòd ad eam omnia referuntur. Matt. 22. *In his duobus mandatis vniuersa lex, &c.* 1. Timoth. 1. *Finis præcepti caritas.*

Nota SECVNDO, ex B. Thoma in opusculo de perfectione, quatuor esse gradus caritatis, proinde etiam quatuor esse gradus perfectionis, dicitur enim perfectum id, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Quare, non repugnat aliquid esse perfectum, & imperfectum, si comparetur ad diuersos gradus, seu etiam fines.

PRI-

SECVNDVS gradus est, diligere Deum, non quàntum est diligibilis, sed quantum potest creatura diligere, ita vt semper actu de Deo cogitet, & sine intermissione in eum per affectum feratur, & ne primos quidem motus cupiditatis sentiat contra Deum. In hoc gradu versantur beati, quorum cõparatione omnes alij sunt imperfecti. Quare Phil. 3. Apostolus, qui dixerat, *Quicũque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Idem ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim.*

TERTIVS gradus est, diligere Deum, non quantũ est diligibilis, nec quantum potest creatura quælibet absolutè diligere: sed quantum potest creatura mortalis, quæ à se remouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam se Dei obsequio consecrauit. Qui in hoc gradu versantur, imperfecti sunt respectu beatorum, sed perfecti respectu aliorum hominum, etiam iustorum & piorum. Et hæc est perfectio, de qua loquuntur Theologi, cum dicunt, statum Episcoporũ esse statum perfectionis adeptæ, & statum religiosorum esse statum perfectionis acquirendæ. Hoc enim interest inter Episcopos & religiosos, quod religiosi non tenentur continuo esse perfecti, sed tantum aspirare ad perfectionem. versantur enim in exercitatione virtutis, & remotione impedimentorum: at Episcopi deberent esse perfecti, id est, ad eum gradum caritatis peruenisse, ad quem religiosi per sua vota, & exercitia tendunt. Propterea in definitione diximus, religionem esse statum hominum ad perfectionem tendentium.

QVARTVS gradus est diligere Deum, non quantũ est diligibilis, nec quantum potest creatura vel absolutè, vel in hac vita diligere: sed tamen ita, vt nihil æquè, aut magis, quam Deum diligat, id est, nihil admittat contrarium diuinæ dilectioni. & hic gradus præceptus est omnibus, & quandam habet perfectionẽ, licet respectu superiorum sit imperfectus. Vnde 1. Io. 2. dicitur: *Qui seruat uerbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est.* Et tamen Matth. 19. Dominus ei, qui dicebat, se omnia præcepta seruasse, ait. *Si uis perfectus esse, vade, & uende omnia, &c.* Loquitur enim Ioannes de isto quarto gradu: Dominus autem de tertio, de quo nos in definitione religionis, & in tota hac disputatione agemus.

Nota TERTIO, instrumenta apertissima, atque vtilissima ad hanc perfectionem acquirendam, esse illas tres virtutes, paupertatem, continentiam, & obedientiam; nam vt quis perfectè Deum diligat, debet & se totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere. vtrumque consequimur per has virtutes. Tradimus enim Deo nos totos, quando tradimus animum corpus, & res externas; nihil enim habemus aliud. Tradimus autem animum per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem. Itẽ per has virtutes remouentur omnia impedimenta diuini amoris. *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, 1. Tim. 6. Quemadmodum: *Radix omnium bonorum est caritas*, vt Augustinus adiungit serm. 12. de verbis Domini.

Omnis autem mala cupiditas ad tria capita reuocatur, ad luxuriam, auaritiam, superbiam: quod & auctoritate, & ratione probatur. Nam 1. Ioan. 2. dicitur: *Quidquid est in mundo, aut est cõcupiscentia carnis: aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ratione, quia in homine duplex est appetitus, concupiscibilis & irascibilis, ille appetit bonũ absolutè, iste bonũ arduũ. Rursum ille prior duplex est, naturalis & animalis.

NATVRALIS appetit ea bona, quæ sunt necessaria ad naturam conseruandam tam in individuo, vt cibũ & potum, quam in specie, vt actũ generationis. Qui appetitus cum est inordinatus, dicitur incontinentia & à Ioanne concupiscentia carnis. ANIMALIS appetitus dicitur ille, quo appetimus ea, quæ sunt bona secundũ existimationẽ, vt pecunias, vestes, lapides pretiosos, & similia, quæ non appetuntur à bestijs, quib. non inest appetitus, nisi naturalis, & hic appetitus cũ est inordinatus, dicitur auaritia, vel curiositas, & à Ioanne concupiscentia oculorum.

Denique appetitus irascibilis appetit excellentiã, quæ apprehenditur vt res maximè ardua, & cum est inordinatus, dicitur à Ioanne superbia vitæ. Hos igit̃ tres fontes impedimentorum obstruunt tres illæ virtutes, cõcupiscentiam carnis continentia, concupiscẽtiam oculorũ paupertas, superbiã vitæ obediẽtia.

Nota QVINTO non sufficere ad religionẽ has tres uirtutes, nisi accedat uotũ, id est, sacra promissio Deo facta, qua quis obstringit, se perpetuo ita victurum. Religio enim est status quidam: status autem significat rem immobilem, & perpetuam. Quare fieri potest, vt aliquis sit perfectus & tamen non sit in statu perfectionis, quemadmodum è contrario non rarò accidit, vt multi tam Episcopi, quam religiosi sint in statu perfectionis, & non sint perfecti. Ex his poterit tota definitio satis intelligi.

CAPVT TERTIVM.

De varijs ordinibus Religiosorum.

QVANTVM ad TERTIVM. ueteres duo tantum agnoscunt genera religiosorum; unum anachoretarum, siue eremitarum; alterum cœnobitarum: Ita enim docet Hieronymus in epist. ad Eustochium de Virginitate, Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesię, c. 31. & Cassianus collatione 18. cap. 4. Itaque errat Isidorus lib. 2. de diuinis officijs. c. 15. ubi tria facit genera Monachorum; eremitas, anachoretas, cœnobitas; nam ijdem sun anachoretæ & eremitæ.

Addit quidem Hieronymus tertium genus, & Cassianus tertium, & quartũ, sed illa non sunt uere genera religiosorum, sed quædam relaxationes, & corruptiones religionum. Nam tertium genus uocant eorum, qui in cœnobijs uiuunt, sed adhuc aliquas proprias retinent facultates, nec in omnibus obtemperant præpositis; quę sine dubio est corruptio uitæ cœnobiticæ. Quartum genus vocant eorum, qui ex monasterijs ad eremum transeunt, non ut sanctius, sed ut liberius uiuant, nimirum excusso iugo superiorũ, & legum cœnobiticarum; quæ est corruptio uitæ eremiticæ, quare ista duo à Patribus uocantur deterrima genera Monachorum. Possumus nos cum B. Thoma, & Scholasticis paulò plenius & subtilius explicare formas, & genera religionum iuxta fines, ad quos instituuntur. Omnis igitur religio ad perfectionem caritatis refertur, ut dictum est.

Possumus autem tribus modis Deum diligere, eique seruire: Vno modo, per contemplationem ipsum Deum in se diligendo, eique inhærendo: Alio modo, per actionem Deo in membris eius seruiendo, ut alẽdo pauperes, suscipiendo peregrinos, &c.

Tertio modo, per utrumque simul Deo obsequium præstando, id est, per contemplationem, quæ in actionem prodeat, siue per actionem, quæ necessario requirat contemplationem. Quod faciunt, qui cõcionibus, & sacramentorum administratione populo seruiunt.

Iuxta hos fines tria sunt genera religionũ. VNVM earum, quæ profitentur uitam contemplatiuam solum, quod genus in multas formas diuidi potest iuxta uarias constitutiones, & regulas, quas sequuntur. Alij enim sequuntur instituta S. Antonij, alij S. Pachomij, alij S. Basilij, alij S. Benedicti, alij S. Romualdi, alij S. Brunonis, &c.

ALTERVM genus est earum religionum, quæ profitetur uitam actiuam, quod in tot formas diuiditur, quot sunt opera caritatis. Quidam enim militãdo at-

que Ecclesiam armis protegendo seruiunt Deo. Quales sunt equites Hierosolymitani, S. Iacobi, S. Ioannis: & alii quidam ægrotos curando in Xenodochiis, quidam mortuos sepeliendo, & alij alijs rationibus dum in proximos beneuolentiam ostendũt, Deo gratum obsequium præstant.

TERTIVM genus est eorum, qui profitentur vitam mistam, quod etiam in varias formas diuiditur iuxta varias eorum institutiones. Quidam enim sequũtur regulam sancti Augustini, quidam sancti Dominici, quidam sancti Francisci, &c.

Quod autem hæc ordinum varietas fuerit in vsu ĩ veteri Ecclesia, & vtilissima sit, facilè probari potest; nam, vt ex Hieronymo, Augustino, Cassiano locis notatis patet, semper fuerunt tam eremitæ, quam cœnobitę, qui vitam contemplatiuam profiterentur; quod etiam fuerint, qui vitam actiuam exercerent, patet ex Cassiano collat. 14. quæ est prima Abbatis Nestoris, c. 4. vbi dicit, ex religiosis sui temporis alios dedisse operam contemplationi, alios curandi Xenodochio, alios alendis pauperibus, alios miserorum susciendo patrocinio, &c. Quod deniq; fuerit, qui vitam mistam sequerentur, perspicuum est tum ex eodem Cassiano ibidem, vbi dicit, quosdam etiam religiosos dedisse operam instruendis, & docendis imperitis, tum ex beato Augustino, qui in duobus sermonibus de cõmuni vita Clericorum, asserit se instituisse in suo Episcopatu religionem regularium Clericorum.

Quod autem in his tribus generibus religionum multæ essent diuersitates iuxta varias obseruationes, & ritus viuendi, docet Epiphanius in fine librorum contra hæreses, vbi dicit, quosdam religiosos ex instituto sui ordinis abstinuisse à carnibus, alios etiam ab ouis, alios etiam à piscibus, alios etiam à pane. Rursũ, quosdam nudis pedibus ambulasse, alios saccum interius gestasse, alios humi cubasse, &c.

Iam verò q; hæc varietas institutorum in eadem fidei consensione nihil obsit Christianæ religioni, sed potius valde prosit, hinc intelligi potest, quod hac ratione prouisum est omni hominum generi, vt nemo sit, qui velit, ad perfectionem tendere; & non possit. Varia. n. sunt hominum ingenia, variæ propensiones nec pares omnibus vires. Vnus diligit solitudinem, alius gaudet frequentia; vnus libenter orat, alius libẽtius legit, vel operatur, &c. Si ergo omnis religio requireret solitudinem, vel omnis cõmunionem, & frequentiam; aut si omnis religio abstinentiam a carnibus indiceret, vel nulla indiceret, &c. pauci admodũ religiosi esse possent. Nunc autem in tanta varietate religionum potest omnibus satisfieri.

Altera ratio esse potest, quia cũ omnis ordo initio ferueat, ac multos homines excitet ad pietatem; paulatim autem postea feruorẽ illum remittat, Deus sub inde nouos ordines excitando, quasi perpetuo feruorem in Ecclesia sua nunc per hos, nunc per illos conseruat. Certè si quis legat vitam, & res gestas sanctorũ Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Francisci, Dominici, & aliorum, qui aut nouos ordines instituerunt, aut veteres iam penè collapsos restituerunt, is fatebitur esse verissimũ, qđ diximus de mirifico ardore in studiũ pietatis, & multorũ hominum conuersione a peccatis ad DEVM per nouos ordines religiosos.

CAPVT IV.

De confirmatione Religionum.

ORITVR hoc loco breuis quædam dubitatio, an religionum institutio libera sit, an verò egeat summi Pontificis confirmatione, sed facilis est solutio. Duo siquidem in omni religione inueniuntur; essentia ipsa religionis, quæ in tribus votis sita est: & determinatio illius essentiæ ad certum modum viuẽdi. Et quidem essentia religionum in Euangelio fundamentum habet, vt paulò post demonstraturi sumus: proinde ex hac parte non egent religiones Pontificũ approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia, & directione humana pendet. Quare Pontificis confirmatione indigere potest, & nunc re ipsa, propter ius positiuum nouas religiones prohibens, omnino indiget. Itaque Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus, auctores religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pontifice approbationem quæsiuisse, propterea quod nondum extaret ius Ecclesiasticum id præcipiens. Condendi autem noui iuris hæc fuit occasio.

Ad annum Domini circiter MCLXX. pauperes de Lugduno ordinem quendam religiosum instituerũt, sed multis admistis superstitionibus, & hæresib. Quocirca à Lucio III. Alexandri III. successore hæreses damnati fuerunt, & secta eorũ reprobata, vt scribit Abbas Vrspergẽsis in Chronico anni MCCXII. Illi verò postmodum, id est, tempore Innocentij III. sedem Apostolicam adeuntes diu institerunt, vt idẽ auctor ait, vt reconciliarentur, & religio ipsorum confirmaretur, nec tamen impetrarunt.

Inde igitur factum est, vt Beatus Franciscus, & B. Dominicus volentes similiter nouos ordines instituere, & metuentes, ne sibi accideret, quod videbant accidisse VValdensibus, noluerunt confidere suo iudicio, sed à Pontifice confirmationem petiuerũt, & impetrauerunt. Paulò autem post in Concilio Lateranẽsi generali considerans Innocentius III. periculum quod imminebat Ecclesiæ, si vnicuique liceret nouã, religionem excogitare, prohibuit, ne deinceps vllus nouus ordo institueretur, nimirum sine approbatione Apostolicæ sedis, vt habemus cap. fina. de Relig. dom. quod decretum renouauit Gregorius X. in Cõcilio Lugdunensi. vt habemus cap. Vnico, de Relig. dom. in Sexto. Atque hinc cœpit esse necessarium, q; antea erat liberum.

CAPVT V.

De origine Religionum.

QVOD ad QVARTVM attinet de origine, aduersarij tria docent. PRIMO, religiones incœpisse demum quarto seculo, idest, post annum Christi CCC. primosq; auctores fuisse Antonium, Macharium, & similes. Ita docent Magdeburgenses Centur. 4. ca. 6. col. 464. *Cæpit*, inquiunt, *hoc seculo primum monastice, &c.* Idem repetunt sæpissimè.

SECVNDO, religiones cœpisse partim casu, partim errore, partim praua imitatione. Cent. 4. c. 6. col. 470. dicunt Magdeburgenses, non sponte sua ad solitudinẽ concessisse primos eremitas, sed casu quodã, nimirũ, ut fugerent persequutionem. Id, q; scribit de Paulo 1. eremita B. Hieronymus in eius vita, & Sozomenus lib. 1. c. 13. ijdem autem Magdeburgenses Cent. 5. c. 6. col. 700. *Cæpit*, inquiunt, *monachatus partim obscuratione doctrinæ de iustificatione, & veris cultib. Dei, partim ex praua æmulatione Essenorum.*

TERTIO, addunt Philippus in Apologia pro art. 27 Confessionis Augustanæ, & Caluinus lib. 4. Instit. c. 13. §. 10. fuisse quidem apud veteres quarti & quinti seculi aliquos Monachos, sed eos, q nunc sunt, nihil cum illis habere cõmune, & ideo vere dici posse, monachatũ, qualis nunc est, rem nouam, & recentẽ esse.

Nos ergo primò ostendemus religiosam vitã diu ante quartum seculum incœpisse. Secundo, originem eius non fuisse casum, vel errorem, vel praua imitationem, sed perfectionis desiderium. Tertiò, religiones,

giones, quæ nunc sunt, easdem esse quoad essentiam cum ijs, quæ erat temporibus antiquissimis. Dicimus itaq; primum vitam religiosam adeo esse antiquam, vt quædam eius adumbratio fuerit in lege naturę ante diluuium: maior quædam expressio in lege Mosis: perfectio autem Apostolorum tempore.

Habemus in primis Gen.4. de Enos: *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Ex quo loco colligunt auctores, hūc Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem, q̄ esset religio vulgi, nā ante Enos certe ēt Adam, & Abel, & Seth Deum inuocauerunt: & tñ iste dicitur primus cœpisse inuocare nomen Dñi. Vide de hac re VValdēsem lib.3. doct. fidei, art.1. c.1.

Habemus deinde Num.6. uota Nazaræorum, qui seipsos Domino consecrabāt; ad quorum exemplum etiam in Ecclesia quosdam seipsos totos diuino cultui deuouere scribit Origenes hom.11. in Leuit.

Habemus deinde in eodē Testamento ueteri; Heliam & Helisæum, ac filios Prophetarum sine uxoribus & diuitijs in hoc mundo vixisse. De quib. B. Hieronymus in epist. ad Rusticum, quæ est ordine quarta; *Filij Prophetarum*, inquit, *quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabāt sibi casulas, propter fluēta Iordanis: & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant.* Et epist.13. ad Paulinum, de monachis loquens: *Noster princeps*, inquit, *Helias, noster Helisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.*

Habemus etiam Hierem.35. insignem commēdationem nepotum Rechab, qui cum eis pater, siue auº præcepisset, ut domos non ædificarent, agros non seminarent, uineas non plantarent, uinum nunquam biberent, uitam durissimam, quasi extra mundū agerent, omnia diligentissimè obseruarunt. quos etiam monachorum nostrorum figuram gessisse scribit Hieronymus in eadem ad Paulinum epistola.

Denique Ioannem Baptistā monachorum, & eremitarum Principem fuisse, scribunt fere omnes Patres. Nazianzenus orat. in Basilium, S. Basilium, quia monachus fuerat, cum Ioanne Baptista comparat. Chrysost. hom.1. in Marcū, *Sicut*, inquit, *Sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista est.* Hieron. ad Eustochium de seruanda virginitate, de eremitis disserens: *Huius vitæ*, inquit, *auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista.* Idem docent Cassianus collat.18.c.6. Sozomenus lib.1. hist. ca.12. Isidorus lib.2. de diuinis officijs, cap.15. & B. Bernardus sermone de excellentia Ioannis Baptistæ.

Veniamus ad nouum testamētum, & ostendemus ante annum CCC. fuisse monachos in Ecclesia. PRIMVM id probatur ex Athanasio in uita B. Antonij, vbi Athanasius docet, ante Antonium non fuisse qui dē eremitas, sed tamen monachos fuisse, qui in agris, ciuitatibus uicinis, monasteria sua constituebant: & Antonium, cum is monachus fieri uellet, ad senem quendam accessisse, qui ab incunte ætate monasticen exercuerat. Ex quo sequitur & B. Antonium non fuisse primum monachum, & ante annū Domini CCC. fuisse monachos: nam Antonius floruit initio IV. seculi: anno enim CCC. erat annorum XL. ut colligitur ex Chronico Hieronymi, & tamen ipso adolescēte inueniebantur multi monachi senes.

Quoniam autem Magdeburgenses Cent.4. ca.10. col.1306. subdubitant, an hæc uita sit ab Athanasio scripta, facile id probari potest: nam scripsisse Athanasium uitam Antonij, testātur Nazianzenus in Athanasio, Hieronymus de uiris illustrib. in Antonio, in Euagrio, & in Athanasio, Ruffinus lib.1. hist. c.8. August. lib.8. Confess. cap.6. Paulinus in uita Ambrosij, Palladius in hist. Lausiaca, c.8. & Socrates lib.4. c.18.

Quòd autem hęc ipsa, quā habemus, sit illa ipsa Athanasij, patet ex eo, quod est reuera insigne uolumē, vt Hieronymus dicit fuisse librum illum Athanasij: itē cōtinet plurima illa miracula, quorum meminit Augustinus. Præterea recensēt historiam illam de anima Ammonis, quam Palladius, & Socrates ex libro Athanasij de uita Antonij referunt. Denique nihil in contrarium afferunt Centuriatores, nisi iudicium suum; stultum autem est sine ulla ratione, uel coniectura, uel auctoritate id in controuersiam uocare, de quo nemo dubitat.

Probatur SECVNDO ex Damaso, qui in uita Dionysij Papæ scribit, hunc ipsum Dionysium ex monacho ad Pontificatum assumptum fuisse. Constat autē ex Chronico Eusebij, Dionysium Romæ sedisse anno Domini CC.LXVI. non ergo monachi cęperunt post annum Domini CCC.

TERTIO probatur ex Cypriano & Tertulliano, q etiam antiquiores Dionysio Papa fuerunt: scribit. n. Tertullianus librum de uelandis uirginibus, & CYPRIANVS Tertullianum sequutus scribit librū eiusdem argumēti, quem de habitu uirginum inscripsit. Vterque autem loquitur de virginib. religiosis, & per solennem professionem Deo consecratis. Nam TERTVLLIANVS distinguit in eo libro inter virgines mūdi, idest, seculares, & virgines Dei, idest, sanctimoniales. de quib. ait: *O sacrilegæ manus, quæ dicatū Deo habitum detrahere potuerunt, quid peius aliquis persequutor fecisset, si hoc a uirgine electum cognouisset?* Et infra, eas alloquens: *Nupsisti*, inquit, *Christo, illi tradidisti carnem tuam, &c.* Similia habet Cyprianus.

QVARTO, probatur ex Dionysio Areopagita, Tertulliano antiquiore; is enim epistolam scribit ad Demophilum monachum, & libro de Eccles. Hierarch. c.6. prolixè explicat monasticæ professionis formam.

Fatentur Magdeburgenses uerè de monachis scribere auctorem eius libri, sed eum negant esse Dionysium Pauli Apostoli discipulum. Cent.1. lib.2.c.10. col.624. quod idem negant Laurētius Valla, & Erasmus in annot. ad c.17. Act. item Lutherus, Caluinus, & omnes hæretici. AT opera ista nomine Dionysij citant tres veteres Pontifices, Gregorius I. hom.34. in Euangelia, Martinus I. in Concilio Romano, & Agatho in epist. ad Imperatorem Cōstantinum IV. Item Nicolaus Papa I. in epist. ad Michaelem Imperatorē citat epistolam S. Dionysij Areopagitæ, ad Demophilum monachum. Item duo generalia Concilia VI. act.4. & VII. can.2. Præterea Doctores plurimi, ut S. Maximus, qui annotationes scripsit in Dionysiū, Sophronius Patriarcha Hierosolymę in oratione pulcherrima, quæ habetur act.11. sextæ Synodi, Damascenus lib.1.c.12. de fide, Euthymius Panopliæ par.1. titu.2. Anastasius bibliothecarius in epist. ad Carolū Caluum, Hilduinus in epist. ad Ludouicum Pium, & alij posteriores omnes. Non est autem ullo modo verisimile tot Patres nō potuisse uidere id, quod nūc Valla, & Erasmus vidisse se dicunt.

DEINDE sic possumus ratiocinari: Auctor horum librorum nō potest esse recentior, quàm sit B. Gregorius, ut notum est, cum a Gregorio ipso citetur. Rursum nō potest esse recentior, quàm sit Hieronymus; Nam Gregorius eum citans uocat antiquum, & venerabilem patrem, non autem uocaret antiquum hominem, suo seculo proximum. Non potest ēt floruisse paulo ante Hieronymum, idest, IV. seculo: nam sine dubio tunc Hieronymus posuisset eum inter scriptores Ecclesiasticos: nō enim potuisset ignorare scriptorē, qui sua memoria exstitisset. Et præterea notus fuisset eadem ratione Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, alijsque Patribus, quibus tamen incognitus fuit, quantum ex eorum operib. colligi potest: Quare necesse est, vt Anastasius dicit, auctorē esse antiquissimum,

mũ & suppressum fuisse ab hæreticis, ac tandem Romæ repertum fuisse tpe B. Gregorij, vel paulò ante.

Ex quo soluitur argumentũ Vallæ, Erasmi, & Cẽturiatorum, qui hoc vtuntur tanquam pręcipuo argumẽto, quod Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & maximè Hieronymus nunquam citẽt hos libros. Hoc enim argumẽtum eorum nobis maximè fauet; nam cum isti Patres non citent hæc opera, signũ est auctorem hunc non exstitisse ipsorum tempore, & cum constet ex Gregorio eum non esse illis posteriorem, sequitur necessariò esse longè antiquiorem. Vnde etiam Valla testatur, plurimos viros doctissimos sensisse hæc opera non esse quidem Dionysij Areopagitæ, sed tamen auctoris ferè æquè antiqui, nimirum Apollinaris Hierapolitæ, vel, vt alij volunt, Dionysij Corinthij, qm̃ vterq; floruit anno Dñi CLXXIV. vt Eusebus testat in Chronico. Hoc aũt etsi nõ est verũ, tñ nobis sufficit ad asserandã antiquitatẽ monastices.

Quinto probatur ex Philone Iudæo, qui etiam Dionysio Areopagita fuit antiquior. Philo igitur in lib. de vita contemplatiua supplicum, prolixè admodum describit vitam, & mores Monachorum, & sacrarum virginum, quos instituit in Ægypto S. Marcus Euangelista, vbi apertè ponit professionem continentiæ, & paupertatis, ieiuniorum, psalmodię, &c.

Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. c. 3. pag. 18. fatentur Philonem hæc scripsisse, sed eum non esse loquutum de Christianis, sed de Essenis, quę erat secta Iudæorũ omnino similis nostris religionibus. Hoc autem non probant alia ratione, nisi quia nondũ Christiani talia exercitia habuerunt. Quod si eis obijciamus, hoc esse petere principium, respondebunt, ut solent, nos agere sophistas.

Probemus igitur breuiter nõ dialectica ratiocinatione, sed testimonijs Patrum, Philonem de Christianis esse loquutum. In primis Eusebius lib. 2. histor. c. 26. dicit Philonem Romæ S. Petrum vidisse, atque eius adhæsisse colloquijs, verbum Dei prædicantis, & eorum vitam, qui in monasteriis degunt, luculenter scripsisse. Item Epiphanius hęresi 29. quæ est Nazaręorum, de hoc libro Philonis loquens: *Monasteria ipsorum*, inquit, *in uicinia circa Nariam paludem recensens, non de alijs narrauit, quam de Christianis.*

Præterea Hieronymus de viris illustrib. in Philone, posteaquam docuit Philonem de Christianis esse loquutum, subiungit; *Ex quo apparet*, inquit, *talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiã, quales nunc Monachi esse nituntur, & cupiunt.* Præterea Cassianus lib. 2. c. 5. de institutis cœnobiorum asserit, à S. Marco Aegyptios Monachos accepisse primam viuẽdi normam. Id quod non potest Cassianus didicisse, nisi ex hoc libro Philonis. Idem asserunt disertis verbis Beda prologo in Marcum, Sozomenus lib. 1. ca. 12. & Nicephorus lib. 2. c. 15.

Dicet fortassis aliquis, similia narrat de Essenis Iosephus lib. 2. de bello Iudaico. c. 7. & lib. 18. antiq. c. 2. iis, quæ narrat Philo. Constat autem Iosephũ de Iudæis loqui, cum affirmet tres esse Iudæorum sectas Pharisæorum, Saducæorum, Esenorum.

Respondeo, duas esse de loco isto Iosephi opiniones. Quidam enim asserunt non loqui de eisdem Iosephũ & Philonem. Nã Iosephus lib. 18. antiq. c. 2. asserit, Esenorum sectam antiquam apud Iudæos fuisse. Philo aũt indicat se loqui de disciplina suo tempore exorta: Præterea multa tribuuntur Esenis à Iosepho, quæ sunt manifestè erronea & superstitiosa, quorum nihil tribuit Philo suis therapeutis. Vnde S. Nilus initio Asceticorum suorum, asserit Esenos (de quibus videlicet Iosephus loquit) habuisse quidẽ mores similes morib. Monachorũ, sed quia fide in Christum caruerunt, nihil eis profuisse sanctos mores.

Alijs docent tam Philonem, quã Iosephũ de Christianis loqui, quib. fauere uidetur B. Hieronymus in epist. ad Eustochium de seruanda uirginitate, ubi de Monachis loquens: *Tales*, inquit, *Philo, Platonici sermonis imitator, tales Iosephus Græcus Liuius, in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, Essenos, refert.* Quam sententiam tuetur Matthęus Galenus lib. de origine Monastices, c. 5. & ad ea, quæ obijciuntur ab alijs, de errorib. quos tribuit Iosephus Essenis, & de eorũ antiquitate, respondet, Iosephum non fuisse consequutum exactè mysteria nostrorum monachorum, & iõ frequenter lapsum esse, & eos confudisse cum antiqs Iudæis. Fuerunt enim tria genera eiusdem fere nominis, nimirum Esseni Samaritani, de quibus Epiphanius hæresi 10. Item Esseni Iudæi, de quibus Epiphanius hæresi 19. quos tamen ipse Ossenos uocat. Denique Esseni Christiani, ex Iudæis conuersi, quos Epiphanius Esseos, vel Iesseos uocat hæresi 29. Credibile igitur est, Iosephum confudisse nostros Iesseos cum suis Essenis, præsertim cum eo tempore Christiani pro Iudæis haberentur. Vtraq; solutio probabilis est.

Sexto probatur ex Apostolorum exemplo, qui uere primi fuerunt monachi Christiani: nam q̃ uitam cœnobiticam instituerint, ubi essent omnia communia, patet ex actis Apostolorũ, c. 4. Quod ratio uiuendi non fuerit omnium Christianorum, sed eorum tãtum, qui uolebãt perfectius uiuere, patet ex c. 5. Act. ubi cum Ananias fraudasset de precio agri, & decipere uoluisset Apostolos, audiuit a S. Petro: *Nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate?* Quòd etiam uoto ad eã perfectionem se obligarint Apostoli, docet Aug. lib. 17. de ciuit. Dei, c. 4. *Hoc uotum*, inquit, *potentissimi uouerant, &c.* Quòd deniq; ab Apostolorum exemplo cęperint religiones, testantur plurimi Patres, ut Eusebius lib. 2. hist. c. 16. Hiero. de uiris illustribus in Philone, August. sermo. 2. de uita communi Clericorũ, Possidonius in uita Augustini, Isidorus lib. 2. de offic. cap. 15. Denique Cassianus collat. 18. c. 5. *Itaque*, inquit, *cœnobitarum disciplina a tempore prædicationis Apostolica sumpsit exordium.*

At Magdeburgenses Cẽt. 1. lib. 2. c. 6. col. 506. obijciunt Chrysostomum, qui hom. 25. in epist. ad Hebr. *Neque uestigium*, inquit, *Monachi tunc erat, sed omnia ad seculares loquebatur B. Paulus.*

Respondeo, Chrysostomum loqui solum de Ecclesia Corinthiorum. Exponit enim illa uerba Pauli, 1. Cor. 5. *Si quis frater nominatur in uobis, &c.* ac dicit Paulum nomine fratris non intelligere solos monachos, sed quoslibet fideles, quia tunc ne uestigiũ quidem erat monachi apud Corinthios. At non propterea sequitur, non fuisse tunc monachos in Palęstina, & in Ægypto. Quod autem Chrysostomus nõ neget Apostolorum tempore fuisse monachos, patet ex plurimis eius testimonijs. Nam homil. 17. ad populũ de monastice loquens: *Tanti est*, inquit, *Philosophia a Christo introducta.* Certe si Christus introduxit monasticẽ, iam erat tempore Pauli Apostoli. Hom. 11. in acta dicit, Monachos sic uiuere, ut olim initio Ecclesiæ uiuebant fideles omnes, in Hierusalem. item homil. 69. in Matt. dicit monachos etiam habitu imitari Apostolos, denique lib. 3. contra uituperat. uitę monasticæ, non procul a fine, asserit ea ab Apostolis impleta, quæ nunc a monachis implentur.

Nunc quod attinet ad Secundum, non occasione persequutionum, & casu exortam esse uitam monasticam, facile demonstrabitur. nam de cœnobitis non est dubium, cum exstiterint ante omnes persequutiones, de eremitis idem probatur, nam etsi Paulus primus eremita occasione persequutionis solitudinẽ colere cęperit, tamen Antonius nõ tali occasione cępit, sed solo studio uitæ purioris, ut ex Athanasio in eius uita perspicuũ est: uita autẽ eremitica nõ a Paulo, sed ab Antonio introducta est: etsi. n. Paul⁹ primus oĩum

in

in eremo vixerit, tamen non habuit ipse discipulos, nec fuit notus, nisi paulò ante mortem. Antonius autem verè princeps eremitarum dici debet, quippe qui nec ab alio didicit, & ipse docuit omnes. Quare rectè Hieronymus in vita Pauli dicit, Antonium meritò vocari auctorem vitæ eremiticæ, non tam quod ipse omnes præcesserit, quam quod ab ipso omnium incitata sint studia. Quocirca vterque dici potest primus eremita, Paulus quidem tempore, Antonius autem magisterio.

Quod etiam caussa instituendæ vitæ religiosæ non fuerit obscuratio doctrinæ de iustificatione; vel prava Essenorum imitatio, ex ijs, quæ diximus, manifestum est; nam auctores religionum fuerunt primum Apostoli, ac deinde Antonius, Basilius, Augustinus doctissimi, & sanctissimi homines. quos nō possumus ignorantiæ, & pravæ æmulationis accusare. Nam BASILIVM fuisse auctorem cuiusdam ordinis monastici, testatur Nazianzenus in eius vita: AVGVSTINVS verò à se institutum monasticum ordinem fatetur lib. 3. contra literas Petiliani, c. 40. Certè autem inter Græcos vix inuenietur aliquis Basilio doctior, vt nec Augustino inter Latinos.

Quantum ad TERTIVM, q̄ essentia monastices eadem sit nostrorum, & antiquorum Monachorum, plurimis testimonijs probari posset, quæ postea afferē tur in disputatione de votis. Nunc, quia Caluinus, & Melanchthon per antiquos Monachos intelligunt eos, qui erant tempore sanctorum Augustini, & Basilij; ex his duobus probemus sententiam nostram.

Essentia vitæ religiosæ in tribus illis virtutibus, obedientia, paupertate, castitate, ab omnibus huius tpis religiosis constituitur. Idem fiebat ab antiquis; nam Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ, c. 31. vitam cœnobitarum explicans; Primum ait, eos spretis mundi huius illecebris in vitam castissimam, & sanctissimam congregari. Secundò addit, à nullo quidquam possideri proprium. Tertiò adiūgit, Patres nulla superbia consulere ijs, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

BASILIVS autem in præfatione constitutionum monasticarum, de monacho futuro sic loquitur: *Nuptias*, inquit, *veluti compedes fugit, his autem relictis, vitam suam Deo consecrat, & castitatem profitetur, ut neque facultas ipsi sit conuersionis ad nuptias.* Item cap. 22. constitutionum, de obedientia fusissimè disputat, ac tandem concludit, ita oportere Monachos obedire præposito, vt oues pastori, atque vt instrumentum fabro: *Non curiosè*, inquit, *inuestigando præcepta, vbi peccato fuerint pura, sed cum omni alacritate ac studio explendo ea quæ sunt demandata.* Deniq; c. vlt. disserit de paupertate, ac docet, Monachū ab omni prorsus priuata rerum materialiū possessione liberū esse debere.

Porro fuisse olim etiam cucullas, & reliquum habitum monasticum, necnon psalmodiam, iciunia, ciborum delectum, aliaq; id genus instituta, cognosci potest, tum ex Epiphanio in compendiaria doctrina, tum ex Ioanne Cassiano in libris de institutis cœnobiorum.

CAPVT VI.

Mendacia deteguntur, & calumniæ refutantur.

QVANTVM ad quintam partem quæstionis, referemus breuiter mendacia quædam manifesta, vel absurdissimas sententias trium præcipuorum huius tpis Hæresiarcharū, Lutheri, Melāchthonis, Caluini, quas in disputationib. suis cōtra monasticē ptulerunt; horū. n. mēdaciorū refutatio plus valet ad eos confundendos, quam multa subtilissima argumēta.

LVTHERVS igitur in Epithalamio, PRIMO asserit, mulieres non nisi ad matrimonium creatas fuisse. At si ita est, non igitur in cęlo vllæ erunt mulieres, vbi non nubent, neq; nubentur, & incidemus in hæresim Origenistarum, qui in futuro seculo negant futuram sexuum distinctionem, quam Hieronymus refellit in epist. contra errores Ioannis Hierosolymitani, frustrà etiam fuerunt in hoc mundo tot millia sanctissimarum virginum, si mulier nō est ad aliud creata, quam ad nuptias.

SECVNDO dicit, idem esse consultare, sit ne ducenda vxor, & sit ne comedendum, & bibendum. At de priore omnes sapientes consultant, etiam Ethnici, vt patet ex Gellio lib. 1. cap. 5. de posteriore, soli stulti, vel ne stulti quidem.

TERTIO dicit, Mosem præcepisse omnibus Iudęis matrimonium, ita ut nullo modo licuerit in veteri Testamento carere vxore. Quomodo igitur Helias, Helisæus, Hieremias, Ioannes Baptista vxorib. caruerunt? caruisse. n. probat Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. sed Lutherus hoc præceptum non in diuinis literis, reperit; sed ex Rabinorū delirijs sumpsit. Nam R. Salomon in c. 9. Gen. vult esse reum homicidij, qui liberis non det operam, & R. Dauid Kimhi ī c. 56. Isaiæ ait, sententiam esse antiquorum Iudæorū cum qui non relinquit filium, esse tanquam excommunicatum à Deo.

QVARTO dicit, & sæpissimè repetit, & īculcat Paulum; cum ait, se potuisse circumducere sororem mulierem, 1. Cor. 9. voluisse dicere, se potuisse ducere vxorem, quasi περιάγειν & γαμεῖν, idem significent, quæ est imperitia, vel malitia intolerabilis.

QVINTO dicit, virginitatem quidem præstare coniugio, tamen mulierem coniugatam meliorem esse coram Deo, quam sit virgo; quæ quā bene cohæreant ipse viderit. Certè aliter loquitur B. AVGVSTINVS libro de sancta virginitate, can. 31. *Cū ergo*, inquit, *perpetuæ continentiæ professores se coniugatis comparantes, secundum Scripturas compererint eos infra esse, & opere & mercede, & voto, & præmio, statim veniat in mentē q̄ scriptum est: Quanto maior es, tanto humilia te in cibus.*

Idem LVTHERVS lib. de votis monasticis, PRIMO dicit, Ecclesiam primitiuam, & nouum Testamentū in totum ignorasse vouendæ cuiusquam rei vsum. At B. MARIAM vouisse continentiam docet Augustinus de sancta virginitate, c. 4. *Quomodo*, inquit, *ait*, MARIA, *fiet istud, quoniam virum non cognosco? q̄ profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset.* Vouisse ēt Apostolos, alios q̄; multos in primitiua Ecclesia, paupertatem, & continentiam, infrà ostendemus in qōne de votis. Immò Lutherus ipse in hoc ipso libro paulò inferius dicit, in Baptismo omnes Christianos verè vouere cia præcepta. At hoc votum primitiua Ecclesia non ignorauit, nisi etiam Baptismum ignorauerit.

SECVNDO dicit, formam vouendi hanc esse debere, si piè vouendum sit; Voueo castitatem, paupertatem & obedientiam vsque ad mortem liberè, id est, vt mutare possim quando volo. At si vsque ad mortē continentiā polliceris, quomodo liberè? si liberè, quomodo vsque ad mortem?

TERTIO dicit Christum nunquam consuluisse virginitatem, sed ab ea potius deterruisse, & Apostolū, cum ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, voluisse dicere, non cōsulo, sed absterreo. Quid ista glossa præclarius? Adde quod idem Lutherus in assertione articuli XXX. ait, nullum esse consilium Euangelicum, nisi vnum virginitatis.

QVARTO dicit, vnam vitam non esse meliorē alia coram Deo, sed omnia paria, cum Iouiniano; & quia nouerat à B. Hieronymo Iouinianum confutatum, dicit Hieronymū vt placeret amicis ea dixisse, & Scripturæ loca incōsideratè vndiq; corrasisse, & ea ad suū propositum detorsisse: *Ne dicam*, inquit, *depravasse.* Et Iouinianum ab eo non solida eruditione, sed so-

la auctoritate sua superatum, & tandem concludit: *Quis scit si Hieronymus hac parte fuerit vnus illorum, de quib. in Ezechiele dicit Dominus: Propheta cum erra uerit, & mendacium loquutus fuerit, ego Dominus decepi Prophetam illum?* At August. epist. 29. ad Hieronymum, libros Hieronymi contra Iouinianum uocat suauissimam, præclarissimamque disputationem, & epist. 28. Iouiniani librum vaniloquia nominat.

QVINTO dicit, optimam formam religionum futuram, si ad professionem nemo admittatur ante annum LXX. vel LXXX. At hoc absurdissimum est, & indignum quod refellatur. Certe HIERONYMVS in epistol. ad Eustochium de custodia virginitatis, de cœnobitis loquens: *Senibus*, inquit, *& paruulis sæpè fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens.* Ex quibus verbis duo colligimus; vnum, fuisse tempore S. Hieronymi in monasterijs homines omnium ætatum, senes, pueros, & mediæ ætatis viros; alterum, minus aptos esse ad labores monasteriorum homines nimium senes, aut nimium iuuenes, quandoquidem oporteat his prandia præbere, ieiunantibus ceteris.

Philippus MELANCHTON in confessione Augustana art. 27. & in Apologia eiusdem articuli, PRIMO dicit, tempore S. August. monasteria fuisse libera collegia, nõ astricta vllis uotis. At AVGVSTINVS in Ps. 75. ait: *Nemo positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio, neque enim soli, qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum cœlorum, & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non vouerunt, tu vouisti.* Et in Psal. 99. de Apostatis ait: *Dum non perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non reddati.*

SECVNDO dicit, monasteria olim fuisse scholas sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum. At BASILIVS in constitutionib. monasticis, Cassianus de institutis cœnobiorum, Hieronymus in epist. ad Rusticum, & in alia ad Paulinũ de institutione Monachi, August. lib. 1. de morib. Eccleſiæ, ca. 31. alijq; veteres dum describunt instituta monasteriorum, meminerunt orationis, ieiuniorum, psalmodiæ, continentiæ, obedientiæ, paupertatis. de scholis literarum, & dialecticę aliarumque disciplinarum ne verbum quidem.

TERTIO dicit, S. Bernardum & Franciscum obsolam corporis utilitatem religionem suscepisse; corporis verò utilitatem uocat carere impedimentis coniugij, curis liberorum educandorum, & similib. quæ quidem non immerito ad corporis quandam utilitatem pertinere dicuntur. Sed quod S. Franciscus nudis pedib. ambularet, vna sola tunica, eaq; cilicina, & aspera vteretur, humi cubaret, totas noctes vigilaret, ferè semper ieiunaret, pane solo, & aqua, ut plurimũ sustentaretur, quis nisi insanus ad corporis vtilitatem referet? Porro S. Bernardus non solum durissimè uixit, sed etiam serm. 30. in Cantic. & alibi passim aperte docet, non esse Monachi, sed Medici, corporis utilitatem & bonam habitudinem curare: Monachi verò esse spiritus utilitatem quærere, & carnem crucifigere, & corpus castigare, ut spiritus uiuat, & ualeat.

QVARTO dicit, monachatum esse nuper inuentũ; quod quantum sit mendacium, iam a nobis demonstratum est, cùm ab Apostolorum tempore eum deduxerimus. Præterea libenter discerẽ, quid uocet Philippus NVPER: nam etiamsi negat Apostolorum tpe fuisse monachos, & rursum asserit monachos nostros non esse similes ijs, qui fuerunt Augustini tempore, tamen non negat, nec potest negare, quin saltem monachatus, qui nunc est, ceperit a tempore S. Benedicti: id enim Lutherani omnes admittunt, cũ videant adhuc exstare, & seruari regulas ab ipso conditas, & habitari monasteria, quæ ipse fundauit: at S. Benedictus ante annos mille floruit. nisi ergo apud Philippũ mille anni sint, ut dies unus, iuxta Scripturas, uiderit ipse quàm sit uerum, nuper cœpisse monachatum.

QVINTO dicit, nos asserere uitam monasticam mereri iustificationem, & remissionem peccatorum, & applicatam alijs eos saluare, & lõge meliorem esse ipso Baptismo. At hæc mera calumnia est, nulli. n. Catholici ita docuerunt unquam. Dicimus quidem opera religionis, ideſt, castè uiuere, nihil proprij retinere, obedire maioribus, bona esse opera, & meritoria uitę æternæ, si a iustis fiant, & cõducere ad satisfactionem pro peccatis, sicut cetera omnia bona opera: at mereri iustificationem nullus dicit.

Dicimus etiam, posse religiosos facere alios homines participes suorum bonorum operum, ut possunt omnes alij fideles: est enim communicatio inter mẽbra eiusdem corporis: at posse monachum saluare alios suis operibus, ideſt, mereri illis gratiam, uel gloriam, nemo Catholicus dixit unquam.

Denique dicimus, inter Baptismum, & professionem religionis esse quandam similitudinem: q; sicut in Baptismo renunciamus Diabolo, & incipimus nouam uitam, ita per professionem religionis renunciamus seculo, & multis licitis uoluptatibus, & incipimus nouam uitam: & sicut in Baptismo remittuntur perfectè omnia peccata, quoad culpam & pœnam, ita in professione religiosa, quando debita intentione suscipitur, pie creditur remitti omnis pœna temporalis, pro qua alioqui satisfaciendum esset, etiam culpa remissa: non tamen propterea anteponimus, uel æquamus Baptismo professionem monasticam; Baptismus enim non solum pœnam, sed etiam culpam tollit, idque certo scimus; professio autem monastica non tollit culpam, sed solam pœnam, & hoc ipsum non certò asserimus, sed pie credimus, neque est hoc nostrum inuentum. Nam in primis testatur Athanasius in uita Antonij, B. Antonium in uisione audiuisse sanctos Angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quando monasticam uitam suscepit.

B. HIERONYMVS in epist. 26. de obitu Blesillæ; *Cũ* inquit, *propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quodam modo se proposito Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitauerit.*

B. BERNARDVS lib. de præcepto, & dispensatione non procul a fine: *Audire*, inquit, *& hoc vultis a me, un de inter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, ut secundum Baptisma nuncupetur: arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularẽ excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generib. huiusce modi conuersatio professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominib. facit, imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi, & quasi denique secũdo baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius, &c.* Et serm. 30. in Cantica, laborem monasticũ martyrij genus esse dicit; nemo autem ignorat martyrium genus esse baptismi. Denique etiam B. Thomas 2. 2. q. ult. art. 30. docet recte credi per monasticã professionem satisfieri pro omnibus peccatis, & esse hãc professionem alterum Baptisma.

Idem MELANCHTHON in locis communib. capite de discrimine consiliorum & præceptorũ dicit; PRIMO, deplorandam esse nostram cęcitatem, quod mendicitatem, aut simile opus non mandatum, ornemus maiorib. titulis, quàm legem diuinam, cum nullum opus possit cogitari maius, quàm quod in primo præcepto flagitatur: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.*

Ad hanc calumniam breuiter respondemus, nemi nem esse Catholicorum, qui simpliciter præponat consilia præceptis, immò beatus Thomas in 2. 2. q. 184.

q. 184. art. 3. contrarium docet; vult enim perfectionem Christianam essentialiter consistere in obseruatione præceptorum, instrumentaliter in obseruatione consiliorum.

Possumus tamen anteponere consilia præceptis tribus modis. PRIMO, comparando singula consilia nõ cuicunque præcepto, sed præceptis illis, quæ versantur circa eandem materiam, verbi gratia, circa materiam externorum versatur præceptum; *Nõ furaberis*; circa eandem versatur consilium: *Vende omnia, & da pauperibus*; certum est consilium hoc esse perfectius præcepto, non furaberis. Similiter consiliũ virginitatis pfecti⁹ est p̃cepto: *Non mœchaberis*, & sic de alijs.

SECVNDO, comparando non consilia cum præceptis, sed statum hominum seruantium præcepta & consilia, cum statu eorum, qui sola obseruant præcepta. Neque enim dubitari potest, quin sit res longè melior & perfectior status prior posteriore, quandoquidem ille istum includit, non contra; vnde Dominus ei, qui dicebat seruasse se omnia præcepta, dixit: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, &c.*

TERTIO, comparando consilia cum quolibet præcepto, etiam cum illo: *Diliges Dominum Deum tuum*; sed considerando in consilijs non opera externa consiliorum, sed caritatem, quam præsupponunt, & ad quam ducunt, illo enim præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum*. non præcipitur caritas infinita, sed certus quidam gradus, nimirum tanta caritas, vt per eã nihil Deo æques vel anteponas. At maior gradus caritatis requiritur, vt propter Deum renuncies omnib. opibus, & voluptatibus alioqui licitis; dicit enim Augustinus sermone 18. de verbis Apostoli de virginibus loquens: *Maior amor, maius imposuit onus.*

SECVNDO dicit Melanchthon; falsò nos putare legem Dei tantum de externa disciplina concionari, vt illa lege: *Non occides*, prohiberi iniustam cædem, non autem priuatam cupiditatem vindictæ, maleuolentiam, iniusta odia, &c. & hoc deducit ex eo, quod non putamus esse peccata primos motus concupiscentiæ, quibus non consentimus. In qua re ter ipse peccat. PRIMO, quod mentitur nos non agnoscere pro peccatis nisi externa opera, quod est tam ingens mendaciũ vt ferè sit incredibile. SECVNDO, quod hoc deducit ex eo, quod docemus inuoluntarios motus animi nõ esse peccata; quasi nulli sint actus interni nisi inuolũtarij. TERTIO, quod hoc ipse asserit, nimirum inuolũtarios motus esse peccata immò etiam naturalẽ propensionem, & naturales potentias, quibus caro concupiscit contra spiritum, vult esse peccata; quod est contra omnem rationem; nomine enim peccati omnes intelligunt actum malum, & voluntarium; vnde B. Augustinus in extremo libr. de perfectione iustitiæ, dicit, eum, qui nullo modo consentit illicitis motibus concupiscentiæ, etiamsi eos sentiat, non debere dicere Deo: *Dimitte nobis debita nostra*, sed solũ quod sequitur: *Ne nos inducas in tentationem.*

Iam CALVINVS lib. 4. Instit. c. 13. §. 3. dicit, nos pollutionem vocare coniugium, quod Deus instituit. Mendacium est: Nos enim quod Deus instituit, vocamus Sacramentum, & magnum Sacramẽtum cum Paulo, non pollutionem. At concupiscentiam, & mẽbrorum inobedientiam, quam Deus non instituit, & sine qua tamen non consummatur coniugium, vocamus pollutionem, & morbum, qui non peccatum sit sed ex peccato natus sit. Vide Augustinũ de nuptiis, & concupiscentia.

SECVNDO, dicit ibidem §. 8. olim pios homines, q Monachi fiebant, nihil aliud intendisse, quàm vt se monastica disciplina ad Ecclesiæ gubernationem pararent: quod est mendacium cõtumeliosum in omnes sanctos, qui ex monasterijs ad Episcopatum vocati sunt, qui, si Caluino credimus, ambitiosissimi fuerunt, cum è contrario constet, eos oẽs inuitos ex Monachis Episcopos factos. Certè B. AVGVSTINVS ser. 1. de cõi vita Clericorum affirmat se Monachum non Episcopum esse voluisse, & ideo nũquam iuisse ad loca, quæ Episcopo carebant, ne fortè ibi Episcopus esse cogeretur. CHRYSOSTOMVS & Basilius quàm vehementer fugerint Episcopatum, vt perpetuò in monasterio viuerent, ex libro Chrysostomi de sacerdotio facilè potest intelligi. HIERONYMVS in epist. ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymæ Episcopum, asserit se inuitum à Paulino Episcopo Presbyterum esse creatum, cum non Presbyter, sed Monachus tantum esse decreuisset. GREGORIVS in epistola ad Leandrum, quæ habetur initio Moraliũ, miserabiliter deplorat casum suum, quod cum elegisset perpetuò viuere in monasterio, tamen compulsus fuisset Pontificatum suscipere.

Et qm̃ Caluinus pro se adducit epist. 81. Augustini ad Monachos insulæ Capratiæ, cum tamen locus, quem adducit, magis nobis, quam illi faueat, ipsum locum proferamus: *Vos autem fratres*, inquit, *exhortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsq. in finem perseueretis, ac si quam operam vestrã mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, nec vestrum ocium necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellet, quo modo nasceremini non inuenireris.* Ex hoc loco probat Caluinus, cõsuluisse olim, ex Monasterijs Episcopos & Clericos aliqñ peti, ex quo vult esse consequens, eos, qui Monachi fiebant, ideo fieri solitos, vt se ad Episcopatum, & similia Ecclesiastica munera præpararent: sed hoc non esse consequens, nemo non videt, & verba illa Augustini contrarium indicant, nam in primis si Monachi illi Insulæ Capratiæ se præparabant ad Ecclesiastica munera, qd opus fuit eos hortari ne recusarent ea munera, si qñ ad ea vocarentur? Deinde, cur Augustinus eos hortatur, vt propositum suũ custodiant, & vsque in finem perseuerent, si non erãt ibi perpetuò mansuri, sed solum ad tempus, donec videlicet se præpararent Ecclesiastico ministerio?

TERTIO, dicit ibidem §. 10. Augustinum cum legitimum monachatum nobis deformat, omnem rigidam exactionem voluisse abesse earum rerum, quæ nobis verbo Domini liberæ relinquuntur. Hoc mendacium esse, patet ex locis supra allegatis ex Augustino in Ps. 75. & 99. & alijs infra citandis.

QVARTO, dicit ibidem, Augustinum requirere in Monachis, vt omnia sua instituta referant ad eam pietatem, quam Deus omnibus commendauit, id est, ad caritatem Dei & proximi; nostros autem Monachos nescio quam nouam pietatem sibi finxisse, cuius meditatione sint omnibus perfectiores. Hoc quoq; mendacium est, & solum verè dicit Caluinus, nescio quã nouam pietatem, &c. Verè enim nescit, quam nouã pietatem Monachi finxerint; nihil enim finxerunt noui, cum omnib. suis votis nihil aliud cupiant, quã perfici in caritate; quòd vero monastica vita sit perfectior vita secularium, quod tantopere exhorret Caluinus, Augustinus apertissimè docet in epist. 89. q. 4. ad Hilarium, vbi sic ait: *Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit: ibi enim dixit; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: hic autem; Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, &c.*

QVINTO, dicit ibidẽ §. 11. vitã monasticã nusquã esse vel vna syllaba à Dño approbatã. Hoc mendaciũ refellit August. loco iã citato, & Chrysost. hom. 17. ad populũ: *Tãti est*, inqt, *Philosophia à Christo introducta.*

SEXTO, dicit §. 12. nulli vnquam veterum venisse in mentem, dicere Christum aliquid consuluisse, sed oẽs vna voce clamare, nullã penitus voculã à Christo omissam, cui non sit necessario obtemperandũ. Hoc

impudentissimum est mẽdacium: ipse enim nullum A adduxit testem ad suam sententiam confirmandam. Nos autem in sequẽti quæstione adducemus omnes veteres, qui reuerà vna voce clamant, multa esse consilia Euãgelica. Nunc sufficiat locus Augustini citatus.

Septimo, dicit ibidem, Monachos, vt videantur alijs perfectiores, promittere se consilia Euangelica seruaturos, de non iurando, de inimicis diligendis, de non appetẽda vindicta. At neq; ista ulli Monachi vouent, & nos ea non cõsilia, sed præcepta esse dicimus.

Octavo, dicit §. 14. Patres toto pectore abhorruisse ab illa blasphemia & sacrilego dogmate, quo professio monastica secundum Baptisma nominatur. At nos ostẽdimus, Athanasium, Hieronymum, Bernardum, Thomam, non abhorruisse ab illa sententia. Ipse vero pro se nullum adduxit.

Nono, dicit ibidem, tẽpore Augustini veros Monachos totos se ad caritatem proximi accommodauisse, nostros autem a tota Ecclesia discessionem fecisse; id verò probat dupliciter. Primo, quia veteres monachi ad eandem Ecclesiam cũ ceteris Christianis conueniebant, & cũ ijsdem Sacramenta participabant; nostri autem proprias habent Ecclesias, propria altaria, &c. Secvndo, quia 1. Cor. 1. Apostol⁹ vocat schismaticos eos, qui dicebant; *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*; At monachi dicunt; Ego sum Augustini, ego Benedicti, ego Franciſci.

Hic est mendacium duplex: nam in primis falsum est, ueteres monachos non habuisse proprias Ecclesias, Altaria, Sacramẽta: nam olim tam Eremitæ, quã Cœnobitæ ferè omnes extra vrbes procul a reliquis hominib. habitabant, & quia non poterant ad Ecclesias Episcoporum vel Parochorum conuenire, habebant singula monasteria suum Abbatem, Presbyterum, a quo Sacramenta percipiebant. Id manifestè indicat Augustinus tum lib. 1. de morib. Ecclesię, c. 31. & 33. tum in epi. 81. ad Eudoxium presbyterum, & Abbatem in insula Capraria: itẽ Epiphanius in epist. ad Ioannem Hierosolymitanum, vbi dicit, se ordinasse Paulinianum presbyterum monasterij Bethleemitici, quia S. Hieronymus eius monasterij Præpositus, præ nimia humilitate non audebat Sacramenta fratribus ministrare. Idem apparet ex collationib. Cassiani fere omnibus, ac præcipuè 18. cap. 15.

Deinde falsum est, Monachos nostros discessionẽ fecisse ab Ecclesia, cum videamus, eos eundem pontificem agnoscere, quem reliqua Ecclesia: ab ijsdẽ Episcopis ordinari, à quib. ceteri Clerici; denique eidem populo cõmunicare, cui ceteri Christiani. Si autem; quia habent Ecclesias, & altaria, schismatici essent; essent etiam schismatici omnes Parochi; nulla enim est parœcia, quæ non habeat Ecclesiam, & altaria distincta ab Ecclesia, & altaribus aliarum parœciarum.

Vltimo falsum est, eodem sẽsu, Monachos dicere; Ego sum Augustini, ego sũ Benedicti, quo Corinthij dicebant, Ego sum Pauli, Ego Apollo; isti. n. in duob. errabant, dicendo: Ego sũ Pauli, ego Apollo. Primo, quia putabant, vim Sacri Baptismi pendere a ꝓbitate baptizantis, & ideo gloriabantur, se filios esse spũales excellentium virorum, ut exponit Aug. tract. 5. in Ioannem, & alibi. Et patet primo ex verbis sequẽtib. *Num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Secundo ex eo, ꝙ toto illo capite, & trib. sequentib. ad hunc errorem tollendum, Paulus docet, Apostolos solum esse ministros Christi, Christum autẽ esse, qui verè, & ex potestate omnia facit, & ideo Deũ elegisse indoctos, & viles, per quos mundum conuerteret, ne salus ab hominibus pendere videretur. Tertio ex eo, quòd hinc intelligimus, quomodo vere schismata facerent, qui dicebant; Ego sum Pauli, ego Apollo: nam tot Baptismata faciebãt, quot erant baptizatores, & proinde tot fides & Ecclesias.

Secvndo errabãt, quòd temere iudicabant de prædicatoribus suis, & alios alijs præferebant, vt patet ex illis verbis c. 4. *Nolite ante tempus iudicare, &c. Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, &c.* At Monachi cum dicunt; Ego sum Augustini, ego Benedicti, solum hoc dicunt ad distinctionem ordinum indicandam, quòd si aliqui ex simplicioribus religiosis interdum contendunt pro gloria suorum Ducum, & B. Frãciscum propter stigmata B. Dominico anteponunt, vel è contrario, male faciunt, & incidunt in posteriorem reprehensionem Apostoli, sed nec isti propterea schismatici sunt, nec oportet propter paucos idiotas, vniuersos ordines religiosorum infamare.

Decimo dicit, §. 19. olim nefas fuisse, mulierem admittere ad votum continentiæ ante annum LX. Sed B aliud indicat summa illa sollicitudo ueterum Cypriani, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi, in sacris virginibus custodiẽdis: si enim Sanctimoniales omnes excederent annum LX. non magna custodia indigeret earum pudicitia.

CAPVT VII.

Quid sit consilium perfectionis.

Sequitvr nunc quæstio de consilijs perfectionis, quam secundo loco tractandam proposuimus; ac primum explicandum erit, quid sit consilium perfectionis, & in quo differat a præcepto. Secundo, quid sentiant hęretici, & quid Catholici. Tertio, probanda C veritas. Quarto, soluenda argumenta.

Quantum ad Primvm, consilium perfectionis vocamus opus bonum, a Christo nobis nõ imperatum, sed demonstratum; non mandatum, sed commendatum. differt autẽ a præcepto ex parte materiæ, ex parte subiecti, ex parte formę, ex parte finis. Ex parte materiæ dupliciter. Primo, quia materia præcepti est facilior; consilij difficilior, illa enim sumpta est ex principijs naturæ, hæc superat quodammodo naturam: nam ad seruandam cõiugij fidem natura inclinat, at non ita ad abstinendum a coniugio. Ambrosivs libro 1. de virginibus: *Quis*, inquit, *humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis includit legibus? aut quis naturali voce cõplecti, quod supra vsum naturæ sit? è cœlo accersiunt, quod imitaretur in terris.* Et D Hieronymvs, siue quicunque fuit auctor, sermone de assumptione: *Profectò*, inquit, *in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis.*

Secvndo, quia materia præcepti bona est, consilij melior & perfectior, loquendo de præceptis, quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia; consilium enim includit præceptum, & aliquid supra præceptum addit. Avgvstinvs ser. 18. de verbis Apostoli; *Illæ autem*, inquit, *amantes, quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos amplexus non desiderauerunt, vsq; adeo acceptarunt præceptum, vt non recusarent consilium: vt plus placerent, plus se ornauerunt.* E

Ex parte subiecti differunt consilia & præcepta, ꝙ præceptum commune sit omniũ, consilium non itẽ. Augustin. ser. 61. de tẽpore: *De virginitate dicitur: Qui potest capere, capiat: de iustitia non dicitur: Qui potest facere, faciat, sed: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Ex parte formæ, quod præceptũ ui sua obliget, consilium in arbitrio hominis positum sit. Hieronymus in epist. ad Eustochium de seruanda virginitate: *Vbi consilium, ibi offerentis arbitrium. vbi præceptum datur, ibi necessitas est seruientis.* Et Augustin. de sancta virginitate, cap. 30. *Neque enim*, inquit, *si tu non mœchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes: illa exiguntur, ista offeruntur: si fiunt ista, laudãtur: nisi fiant illa, dãnantur.*

Ex parte finis, siue effectus, quod præceptum obseruatum

seruatum habet præmium, non obseruatũ habet pœnam: Cõsilium autem si non seruetur, nullam habet pœnam, & si seruetur, maius habet præmiũ. August. de sancta virginitate, c. 14. *Præcepto quisquis nõ obtemperat reus est debitor pœnæ.* Et infrà: *Sed quoniam deuitatis remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda: cui consequendæ, parum est, liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod non sit criminis non uouisse, sed uouisse ac reddidisse sit laudis: Consilium, inquit Apostolus, do, &c.*

CAPVT VIII.

Ponuntur variæ sententiæ de Consilijs.

QVANTVM ad SECVNDVM, quatuor sunt de hac re sententiæ, tres falsæ, vna uera. Quidam enim volunt ea, quæ nos vocamus consilia, ut uoluntariam paupertatem, & continentiam, non esse consilia, sed præcepta. Alij, non esse consilia, nec præcepta, sed res indifferentes. Alij, non esse consilia, nec præcepta, sed mala & prohibita. Alij denique, esse consilia.

PRIMA opinio est vetustissima eorum, qui se Apostolicos dicebãt, qui teste Epiphanio hæresi 61. & Augustino hæresi 40. affirmabant, non posse saluari eos, qui non uiuerẽt in cęlibatu, & paupertate, more Apostolorum. Idem, ex parte, docuerunt Encratitę, auctore Tatiano, S. Iustini discipulo, qui docebant omnes Christianos debere a nuptijs abstinere, & cœlibes viuere, vt Irenæus testatur lib. 1. c. 30. Item Pelagiani, qui teste August. epist. 89. & 106. negabãt spem salutis ijs, qui non renunciarent actu omnibus, quæ possidebant. quod idem aut sensit, aut sentire se simulauit Iulianus Apostata; nam teste Nazianzeno orat. 1. in Iulianum, lege lata decreuit, ne Christiani ulla se ratione defenderent, etiamsi spoliarẽtur, uel occiderentur iniustè. & rationem legis reddens, dicebat, uelle se Christianos cogere, ut Euangelium obseruarent, quo præceptũ esset, vt Christiani nihil possiderent, & percutienti unam maxillam, alteram præberent.

SECVNDA opinio fuit Iouiniani, Vigilantij, Lampetianorum; Iouinianus enim docuit, nullũ esse consilium, neque præceptum continentiæ, cum eiusdẽ meriti sint virgines & coniugatæ, vt Hieronymus libro 1. in Iouinianũ, & August. hæresi 82. testes sunt. Vigilantius idem asseruit de paupertate: nam, vt Hieronymus refert in libro contra Vigilantium, asserebat ille melius esse opes suas possidere; & ex ijs Eleemosynas facere, quam omnia simul dimittere. Lampetiani idem senserunt de obedientia; nam, vt scribit Damascenus hæres. 98. uolebant Lampetiani, Monachos in cœnobijs liberos esse debere, nec pendere ex Præpositi alicuius arbitrio.

TERTIA opinio est Ioannis VViclefi, & Lutheranorum, qui primi cęperunt religiones ut malas uituperare. Ioannes VViclef artic. 21. in Concilio Constãtiensi, sess. 8. dicit, eos qui ingrediuntur religiones eo ipso reddi ineptos ad seruanda mandata Dei, ex quo sequitur continentiam, obediẽtiam, & paupertatem religiosam non consuli a Deo, sed prohiberi. Lutherus in epithalamio, & libro de notis monasticis. Philippus in locis communibus, cap. de discrimine præcepti & consilij, & in Apologia Confessionis Augustanę, art. 27. Petrus Martyr in libro de cœlibatu, & votis monasticis. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 13. Brentius in Confessione VVittembergica, capite de uotis monasticis, & alij hæretici in genere docent, nullum esse consilium Euangelicum. Quamuis enim Lutherus in assertione artic. 30. admiserit unum consilium, id est, virginitatem, tamen reuocauit postea sententiam in epithalamio.

In particulari tria dicunt. PRIMO, uitam pauperẽ & cœlibem ducere sub obedientia prælati, esse merã impietatem & superstitionem, si id fiat ad colendum Deum, id est, siquis putet hæc placere Deo, & esse per se meritoria. SECVNDO dicunt, uoluntariam paupertatem, & obedientiam exhibitam ei, cui alioqui non debetur, si non assumatur ad colendum Deum, non esse quidem inopiam, tamen esse stultam, & inanem, & proinde malam. Satis enim esse, ferre pauperiem, quam necessitas adfert, & obedire parentibus & magistratibus. TERTIO dicunt, continentiam, si non assumatur cum opinione cultus, sed vt instrumentum ad expeditius obeunda munera Euãgelij, esse bonam & laudabilem, & sic laudari ab Apostolo, 1. Cor. 7. tamen non esse possibilem, nisi illis, qui sciunt, se habere peculiare Dei donum, quod tam rarum esse uolũt, vt Lutherus in epithalamio dicat, neminẽ posse continere, nisi diuino miraculo; & vbi est unus continẽs, ibi esse plus quam centum millia, quibus matrimonium necessarium est,

QVARTA sententia est Catholicorum omnium, multa esse uere & proprie consilia Euãgelica, sed præcipue tria; Continentiam, Obedientiam, & Paupertatem, quæ nec sint præcepta, nec indifferentia, sed Deo grata, & ab illo commendata.

CAPVT IX.

Asseruntur Consilia Euangelica testimonijs Scripturę.

QVÆ sententia ut ad TERTIVM veniamus, probatur primo, Scripturis: Secundò, exemplis primitiæ Ecclesiæ: Tertiò, testimonijs veterum: Quartò, rationibus.

PRIMVM testimonium est Isaiæ 56. *Non dicat Eunuchus: Ego lignũ aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & seruauerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

Quòd hic agatur de continentib. uoluntarijs, non de abscissis, vel sic natis, qui necessario continent, docent Hieronymus & Cyrillus in hũc locum, August. lib. de sancta virginitate, c. 24. & Basilius in lib. de vera virginitate, Ambr. in exhortatione ad virgines, & Greg. 3. par. pastorali, c. 29. & patet ex præmio, quod Eunuchis promittitur: nec. n. ulla ratio est, cur abscissis vel natis Eunuchis promittatur maior gloria, quã sit filiorum & filiarum Dei. Addit autem subtiliter Augustinus; Si quis contendat, Isaiam loqui de ueris Eunuchis, adhuc iuuari causſam nostram: nam si Eunuchis, qui continent se, quia non possunt aliud facere, promittitur maior gloria, quam iustis coniugatis: certe maiore ratione promittitur ijs, qui se continebunt, etiamsi possent non continere.

Est autem hoc loco obseruandum illud nomen: *Melius a filijs, & filiabus*; posse habere alium etiam sẽsum, videlicet, ut intelligamus promitti aliquid melius, quam fuissent filij & filiæ: nam uerba Hebræa, שֵׁם וּבֵן בָּנִים וּבָנוֹת, ideſt, nomen bonum prę filijs & filiabus, optime recipiunt hũc sensum, dabo illis qui carẽt liberis aliquid melius, quam sit habere liberos, & sic etiam uertẽrũt LXX. interpretes: τόπον ὀνομαστὸν κρείττων υἱῶν, καὶ θυγατέρων. Et recidit in idem cum superiore sententia: nam semper anteponuntur continentes coniugatis, cum isti liberos, illi melius aliquid habituri sint.

Quòd autem continentia Eunuchorum hoc loco non imperetur, sed consulatur, docent ijdem auctores, & probat Hieronymus ex illis uerbis: *Qui elegerint quæ ego volui.* Illi. n. dicuntur eligere, qui non coguntur præcepto: itaq; sensus est; Qui elegerint quæ

ego

ego volui, id est, qui transcendentes ea, quæ præcepi accommodans me humanæ imbecilitati, sponte sua elegerint perfectiora, quæ ego cupio & vellem. Præterea idem patet ex eo, quod qui Eunuchi non sunt, etsi postponuntur Eunuchis, tamen non excludũtur a regno cęlorum, immo filij & filię vocantur; ergo non tenentur omnes esse Eunuchi, ergo non est præceptũ.

Quod ãt continẽtia nõ solũ sit vtilis in hac vita, vt aduersarij dicunt, sed sit vere meritoria gloriæ singularis, q̃tanq̃ blasphemiã horrent, patet ex illis verbis: *Nomẽ æternũ dabo eis, quod nõ peribit.* qđ sic exponit AVGVSTINVS de sancta virginitate, c. 25. *Quid*, inq̃t, *tergiuersaris impia cæcitas? quid tẽporalẽ tantummodo vitalitatem promittis continentibus Sanctis? Nomen æternum dabo eis. Etsi forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec vnquã deerit. qđ quæris amplius? quid dicis amplius? æternum hoc nomen, quidquid illud est, Spadonibus Dei, quod vtique gloriam quandam propriam excellentemque significat, non erit cõmune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis: Nam ideo fortasse & nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguat a ceteris.*

Sed occurrit Petrus MARTYR in li. de cœlibatu & votis monasticis, ac probat, Isaiam loqui de veris Eunuchis, qui erant apud Iudæos; nam quia eo tempore magna felicitas erat, habere multam prolem: dicit, Deum voluisse consolari Eunuchos, atque illis idcirco pollicitum se habiturum eos meliore in loco, quã filios & filias, id est, quã Israelitas reliquos, qui non custodiunt legem diuinam, si tamen ipsi eandem legem diligenter obseruauerint.

At hæc expositio facile refelli potest. PRIMO, quia cõtraria est antiquis, sanctissimis, ac doctissimis Patribus, Basilio, Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, quib. in re dubia multo tutius credi potest, quam vni Apostatæ, qui mauult Rabinos Iudæorum, quam sanctos Patres Ecclesiæ, sequi.

SECVNDO, quia absurde Petrus Martyr per filios Dei, quib. anteponuntur Eunuchi, intelligit Israelitas malos; nam vel dicũtur filii Dei Israelitæ mali, quatenus Israelitæ, vel quatenus mali, non quatenus Israelitę, quia etiam Eunuchi erant Israelitę, & proinde filii quocirca inepta esset collatio: non etiam dicũtur filii, quatenus mali, quia homo, qua malus est, non ex Deo, sed ex Diabolo est; quare per filios cõiugati fideles & boni intelliguntur, qui etiam locum bonum habẽt in domo Dei, sed eis anteponuntur virgines, & continẽtes, qui locum meliorem habent, id est, locum spõsæ.

TERTIO, quia hoc loco Deus pollicetur Eunuchis nomen æternum, id est, celebrem famam; eamq; nunquam interituram, neque in hoc seculo, neque in futuro. OSTENDAT igitur Petrus Martyr, qui sint illi Eunuchi, in quibus impletum sit hoc vaticinium; certe non inueniet carne abscissos valde celebratos. At nos proferre possumus exercitum innumerabilem Sãctorum, & sanctarum Virginum, quorum laudibus pleni sunt libri sanctorum Patrũ. Itaq; ipsa vaticinij huius tam manifesta impletio in sanctis Virginibus satis esse deberet ad excludendam carnalem & Iudaicam illam sententiam de carnalibus Eunuchis.

SECVNDVM testimoniũ Sap. 3. *Felix sterilis, & incoinquinata, quæ nescuit torũ in delicto, habebit fructũ in respectione animarũ sanctarũ, & Spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatẽ, nec cogitauit contra Deum nequissima, dabitur. n. ei fidei donũ electũ* (id est, donum quoddam singulare, respondẽs fidelitati ipsius) *& sors in templo Dei. Bonorum enim laborum glorioſus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ.* Quem locũ similem esse superiori, docet Hieronymus, vbi supra.

TERTIVM testimonium Matth. 13. vbi Dominus comparat regnum cœlorum, id est, Ecclesiã, terræ bonæ, cuius vna pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum, alia tricesimum. Quem locum exponentes Cyprianus de habitu virginum, Hieronymus li. 1. in Iouinianum, & Augustinus de sancta virginitate, c. 44. & 45. docent, ea parabola distingui meritum casti coniugij, viduitatis, et virginitatis. Ex quo apparet, continentiam virginalem esse maius bonum, & magis meritorium apud Deum, quam sit castitas coniugalis, ac proinde esse consilium diuinum; quod enim Deus non præcipit, & tamen commendat, & anteponit aliis rebus, sine dubio consulit.

QVARTVM est Matt. 19. cum Apostoli dixissent: *Non expedit nubere:* Dominus ait: *Non omnes capiunt verbũ hoc, sed quibus datũ est, sunt. n. Eunuchi, q. de matris vtero sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui facti sũt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt pp regnũ cœlorũ. Qui potest capere, capiat.* Hic non dari præceptũ de continentia, patet ex superioribus; nã initio huius capitis Dominus approbauit nuptias, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; ergo non prohibet hoc loco nuptias, ergo non præcipit continẽtiam. Idem patet ex sequentibus. *Qui potest capere capiat*: nam, vt eleganter ait Augustinus serm. 61. de tempore, de præceptis iustitiæ non potest dici: Qui potest facere, faciat, sed omnis arbor, quæ non fecerit fructum bonum, excindetur; quod autem consilium detur, patet ex eo, quod cum Apostoli dixissent; Non expedit nubere, Dominus nõ ait: Immo vero expedit, sed ait: *Nõ omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat*; id est, verum dixistis, nuptias non expedire, nam impediunt potius, tamen non omnes hoc intelligũt, sed qui potest assequi, non omittat. Quod deniq; continẽtia non solum cõferat corporalem vtilitatem, sed prẽmium habeat in cœlo, patet ex illo: *Sunt Eunuchi, qui castrauerunt se propter regnum cœlorum.*

At aduersarii, ac in primis Petrus Martyr in libro de cœlibatu & votis, illud; *Propter regnum cœlorum*: exponunt propter Euangelium expeditius prædicandum. Contra autem est omnium Patrum expositio. CYPRIANVS libro de habitu virginum: *Nec ornari iam*, inquit, *aut placere alij, quam Domino suo studeãt, a quo & mercedem virginitatis exspectant, dicente ipso: Sunt enim Spadones, qui se castrauerunt propter regnum Dei, &c.* Vbi regnum Dei exponit Cyprianus virginitatis mercedem: non ergo significat prædicationem Euangelii, præsertim cum Cyprianus de mulieribus virginibus loquatur, quæ non possint prædicare Euãgelium. HILARIVS in hunc locum, illud: *Propter regnum cœlorum*; exponit, spe regni cœlestis, quod ad Euangelii prædicationem referri non potest.

CHRYSOSTOMVS in hunc locum alloquens Eunuchum spiritualem: *Gratias*, inquit, *age Deo, quia magna præmia, rutilantesque coronas habebis, si ita vines, quemadmodum sine aliquo illi præmio.*

HIERONYMVS lib. 1. contra Iouinianum; *Proponit*, inquit, *Agonotheta præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit puriſſimum fontem, et clamitat: Qui sitit veniat, et bibat, qui potest capere, capiat. Non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum, sed qui voluerit, qui potuerit currere atq; potare, ille vincet, ille satiabitur.*

Denique, AVGVSTINVS de sancta virginitate, cap. 24. *Christo*, inquit, *laudanti eos, qui se castrauerunt, non propter hoc seculum, sed propter regnum Cœlorum, Christianus contradicat, affirmans hoc præsenti vitæ esse vtile, non futuræ? &c.* vide similia apud Bedam & Anselmum in commentario huius loci.

QVINTVM est ibidem, vbi adolescenti dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quod hic non detur præceptũ, sed cõsiliũ, patet ex ipsa cõsequntia verborum: nam interrogãti: *Quid faciã, vt viuus siã?* Dominus respõdit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.*

Vbi

Vbi ostẽdit, mandatorũ obseruationẽ sufficere ad salutem; ac deinde subiungit: *Si vis perfectus esse*, id est, si non es contentus vita æterna, sed aspiras ad excellentem gradum in ipsa vita æterna: *Vade, vende omnia.*

Præterea, si hoc esset præceptum, certe esset præceptum caritatis, at non est; nam caritas non requirit, nisi vt diligamus proximum, sicut nos ipsos; ergo non requirit, ut demus omnia nostra proximis, & nobis nihil seruemus, sed satisfacimus ei præcepto, si partim demus, partim retineamus. Quod autem dare omnia, mereatur insigne præmium, patet ex illis verbis: *Et habebis thesaurum in cœlo.* Sed occurrunt quinque expositiones refellendæ.

PRIMA est S. Hieronymi & Bedæ in hunc locum, vbi docent, iuuenem istum non voto discentis, sed animo tentantis ad Dominum accessisse. Ex quo posset aliquis colligere, Dominum quoque non serio respondisse, sed ironice. Refellit CHRYSOSTOMVS hãc sententiam. PRIMO, quia nullus Euangelista hunc adolescentem reprehendit, cum tres hanc historiã scribant, nimirum Matthæus c. 19. Marcus c. 10. Lucas c. 18. SECVNDO, quia Dominus lenissime cum eo locutus est, cum alioqui tentatores aliter excipere soleat. TERTIO, quia non abijsset tristis audito verbo Domini, nisi reuera serio perfectionem desiderasset.

Adde, quod Dominus *intuitus eum, dilexit illum*, vt ait Marcus, Dñs autẽ non diligit hypocritas; ergo B. Hieronymus memoria lapsus est; existimauit enim hũc iuuenem eundem esse cum illo Pharisæo tẽtatore, de quo Marc. 14. nam hunc locum Marci allegat, cum tamen Marcus distinguat vnum ab altero, vt patet ex c. 10. & 14. quare Hieronymus q. 1. ad Hedibiam, & libro contra Vigilantium, hunc locum expendens, longe aliter exponit. Similiter memoria lapsus est Erasmus, q in annotatione ad hunc locũ scribit, a Chrysostomo hunc adolescentẽ tanquam tentatorẽ accusari, cum è contrario potius Chrysostomus eum defendat. Beda quoq; in commentario ad c. 10. Marci, aperte mutat sententiam, ac docet falli eos, qui putant, hunc adolescentem animo tentantis accessisse.

ALTERA expositio est Ioannis CALVINI li. 4. Inst. ca. 13. §. 13. qui primo demonstrat, Dñm non potuisse constituere perfectionẽ in vendendis omnib. reb. cũ Apostolus 1. Cor. 13. dicat: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habeã, nihil mihi prodest.* Et ad Colossenses 3. dicat, caritatem esse vinculum perfectionis. Deinde explicat ipse locum hunc, ac dicit, adolescentem illum, qui dixerat: *Omnia hæc seruaui a iuuentute mea*, mentitũ fuisse, & ideo Christum ei dixisse. *Vade, vende omnia quæ habes*, non vt eum ad hoc faciendum hortaretur, sed vt proposito illi mandato, quod implere non posset, disceret, se esse mentitum; quomodo si iactanti se scire omnia, diceremus; explica igitur nobis, quot sint stellæ in cœlo, vel grana arenæ in littore maris; quod autem ille iuuenis non seruauerit omnia mandata, probat Caluinus, quia vnum ex mandatis est, diligere Deũ ex toto corde: qui autem diligit ex toto corde, paratus est omnia dimittere propter Deum; nec efficitur tristis, si ei dicatur a Deo, vt dimittat omnia, iste autem iuuenis, audito Christi verbo, tristis effectus est.

Eadẽ ẽ expositio Petri Martyris in lib. de cœlibatu & votis, vbi addit ẽt hoc argumentũ; Dñs ait: *Si vis esse perfectus, vẽde oĩa, &c.* at perfectio oĩbus imperatur Matt. 5. *Estote perfecti*; igitur non consilium, sed præceptum fuit huic adolescenti, vendere omnia.

At errare Petrum Martyrem et Caluinũ, probatur PRIMO ex c. 10. Marc. vbi legimus: *Dominus autẽ intuitus eum, dilexit eum.* Dominus autem non diligit mendaces, igitur credibile est, eum vera dixisse. Neq; argumentum Caluini concludit; nam qui diligit ex toto corde, non tenetur facere omnia, quæ Deus consulit, sed solum quæ præcipit; hic autem Dominũ non præcipere, sed consulere, iam probatum est: & rursus probari potest; nam Dominus non absolute dixit: *Vende omnia*, sed sub conditione: *Si vis perfectus esse.*

AT, inquiunt, tenebatur esse perfectus, cum sit præceptum: *Perfecti estote*, Matt. 5. igitur tenebatur etiã vendere omnia; sed contra, nam in primis iam supra ostendimus, perfectionem hoc loco positam, non esse præcepti, cum distinguatur ab obseruatione legis, de qua dictum est: *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.*

Neque obstat illud Matt. 5. *Estote perfecti*; nã varia sunt genera perfectionis, vt diximus supra c. 2. quedã enim est perfectio necessaria ad salutem, quæ cõsistit in plena obseruatione mandatorum; quædam est perfectio maior, quæ necessaria est non ad salutem simpliciter, sed ad excellentiorem gradum gloriæ in Regno cœlorum, & hæc consistit in obseruatione consiliorum; de priore igitur perfectione loquitur Dominus Matt. 5. de posteriore hoc loco; id quod rursus hoc modo probatur; nam si hæc perfectio esset præcepti, certe tenerentur omnes Christiani vendere omnia sua, nam ad præcepta omnia omnes tenentur.

RESPONDET Martyr, hoc præceptum vendendi omnia, datum esse solum huic adolescẽti, & proinde, illi fuisse necessarium ad perfectionem, non autem alijs; ille enim est perfectus, qui Deo iubenti obedit.

AT CONTRA; sicut cum Dominus ait: *Si vis ad vitã ingredi, serua mandata*; indicauit, seruare mandata, esse medium ad vitam æternam omnibus hominibus. Sic etiam cum ait: *Si vis esse perfectus, vende omnia*; indicauit, vendere omnia, esse medium ad perfectionẽ omnibus hominibus, & non solum illi adolescenti. Præterea, idẽ pbamus ex testimonijs veterũ sãctorũ Patrum, qui docent, Dñm hoc loco non imperasse, sed tantum hortatum esse, & consuluisse, tanquã perfectionem, vendere omnia, & dare pauperibus.

AMBROSIVS libro de viduis, vltra medium: *Vt intelligas*, inquit, *distantiam præcepti, atque consilij, illũ recorderis, cui in Euangelio ante præscribitur, ne homicidiũ faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimoniũ dicat; præceptum enim ibi est, vbi est pœna peccati: at vero cum se præcepta legis memorasset impleuisse, consilium ei datur, vt vendat omnia, et sequatur Dominum, hæc enim non pro præcepto dantur, sed pro consilio deferuntur.*

HIERONYMVS lib. contra Vigilantium: *Quod autẽ asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, q̃ eos qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non a me, sed a Domino respondebitur: si vis perfectus esse, uade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: ad eũ loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrẽ, & nauiculam, & rete dimittit: iste quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus, prima secundis & tertijs præferenda.*

AVGVSTINVS epist. 89. quæst. 4. *Viderit*, inquit, *ille iuuenis quemadmodum ille legis mandata seruauerit, verumtamen magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit; ibi enim dixit, si vis uenire ad uitam, serua mandata; hic autem, si vis perfectus esse, uade, uende omnia, &c.* CHRYSOSTOMVS in hunc locum: *Vt alliciatur*, inquit, *ingentem ei mercedem futuram ostendit, & uoluntati eius omnia relinquit.*

Idem probatur ex verbis sequentibus, nam cum Petrus vidisset adolescentem audito hoc consilio abijsse tristem, dixit Domino: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* quasi diceret, ecce nos fecimus, quod iste iuuenis facere noluit, quid ergo nobis dabis? cui interrogationi, si vera est Martyris & Caluini sententia, Dominus respondere debuit, nihil uobis dabo, nam soli illi iuueni, & illi non serio loquutus sum, sed solum ea dixi, vt iuuenis ille intelligeret, se fuisse mentitum. At non ita respõdit, sed ait:

Amen

Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me in regene ratione, &c. Et ne putemus solis Apostolis hæc promitti, audiamus AVGVSTINVM epist. 89. q. 4. hunc locum exponentem: *Qui*, inquit, *illius perfectionis de uendis rebus suis consilium tam grande, tamq; præclarũ non receperunt, & tamen a damnabilibus immunes criminibus esurientem Christũ pauerunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi.*

Ad argumentum Caluini ex Apostolo rñdeo, desertionem oĩum rerum posse dupliciter considerari; vno modo secundum se, altero modo ut est actus imperatus dilectionis. PRIMO modo, desertio oĩum rerum non est perfectio, sed tñ est instrũm ad perfectionem, & sic possumus exponere verba Dñi: *Si vis perfectus esse, uende omnia*, ideſt, sume hoc instrũm & acquires perfectionem; quia tamen hæc desertio rerum, si absq; caritate sit, nõ saluat hominem, ideo dicitur nõ prodesse, ab Apostolo, 1. Cor. 13. SECVNDO modo desertio ipsa potest dici perfectio siue op⁹ perfectionis, quia includit gradum quendam eximium caritatis, & de hac etiam potest intelligi uerbum Domini, ut sensus sit, si uis esse perfectus, vẽde omnia: nam hinc apparebit te habere perfectam caritatem.

TERTIA expositio est Pelagianorum; qui illud; *Si uis esse perfectus*, explicabãt, si vis ut tibi nihil desit ad consequẽdam salutem: ille enim est perfectus, cui nihil deest, & hoc probabant ex illis verbis Domini Marc. 10. *Vnum tibi deest.* & ex uerbis adolescentis Matt. 19. *Quid adhuc mihi deest?* quasi diceret, seruaui ista præcepta Decalogi a Mose tradita? nũ aliquid aliud faciendũ est? cui respondit Dominus Marc. 10. *Vnum tibi deest, uade, uende omnia, &c.*

At falsam esse hanc expositionẽ, docet AVGVSTINVS epist. 89. q. 4. ex illis uerbis 1. Tim. 6. *Diuitibus huius seculi præcipe, non superbe sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo: bene faciant diuites, sint in operib. bonis, facile tribuant, &c. Puto*, inquit Aug. *quod ista præcipiens, diuites instruebat, non fallebat Apostolus, qui non ait, præcipe diuitib. huius mundi, ut uendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & sequantur Dominũ, sed non superbè sapere, &c.*

Cũ ergo Dñs ait: *Si uis perfectus esse*, non loquitur de perfectione necessaria ad salutem, sed de alia quadam maiore. & cum ait: *Vnum tibi deest*, non uult dicere ad salutẽ consequendam, sed ad perfectionem istã maiorem; & similiter ille iuuenis dicens: *Quid adhuc mihi deest?* non intelligit ad salutem simpliciter assequendam: iam. n. audierat rñsum: *Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.* sed intelligit ad salutem facili⁹, & perfectius assequendam, q. d. quid possem adhuc facere utile ad uitam æternam? quod si quis admittere velit iuuenem petiuisse, an aliquid sibi deesset simpliciter ad salutem, dicere poterit à Dño fuisse responsum, nihil ei deesse ad salutem, non. n. Dñs ait: *Vnum tibi deest, uende omnia*, sed: *Si uis perfectus esse, unum tibi deest*, ut patet ex uerbis Matthæi, & Marci simul iunctis, q. d. nihil tibi deest ad salutem simpliciter assequendã, sed, si uis perfectus esse, unũ tibi deest, &c.

QVARTA expositio est Gulielmi de sancto amore, contra quem scribit B. Thomas opusc. 19. qui dicebat uerba ista Domini debere intelligi secũdum animi præparationem, & verum præceptum continere, sicut illa Matth. 5. *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram*: quod præceptum est, sed intelligitur in animi prẽparatione, ut Augustinus exponit in epist. 5. ad Marcellinum. Eodem modo videtur intelligere hunc locum Melanchthon in locis communibus, c. de paupertate.

At hæc quoq; falsa expositio est, nam exẽpla Dñi, & Sanctorum sunt optima commentaria Scripturarum; videmus autem Dñm, cum fuit in maxilla percussus, Io. 18. non uertisse alteram, sed dixisse: *Cur me cædis?* Et similiter Apostolum, cũ esset in maxilla percussus, Act. 23. non uertisse alteram, sed dixisse: *Percutiat te Deus paries dealbate.* Ex quib. exemplis euidenter colligit Augustinus in epist. 5. illud esse prẽceptũ, sed intelligi in præparatione animi. At uerò consiliũ de relinquendis omnib. reb. Dñs, & Apostoli, & Sancti plurimi non in præparatione animi retinuerunt, sed re ipsa & factis impleuerũt, Luc. 9. de se Dñs ait: *Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Et Matt. 19. Apostoli dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Et de S. Anton. scribit Athanasius, quod cũ audisset in Ecclesia legi hoc Euangelium: *Si uis perfectus esse, uade, uende omnia*, eum mox a Deo edoctum uero sensu eorum uerborum, omnia uendidisse & dedisse pauperib. Ex quo apparet de reali desertione omnium facultatum hũc locum esse intelligendum.

Præterea illud præceptum de maxilla prębendæ percussori, non potest impleri re ipsa sine damno proximi, & offensione Dei, & ideo intelligimus præcipi solum patientiam, non autem ut re ipsa offeramus alteram maxillam. At uendere omnia & dare pauperibus sine ullius damno fieri potest; nemini enim facit iniuriam, qui res suas donat pauperib. idcirco intelligimus hoc consilium re ipsa implendum.

QVINTA expositio falsa, est Osiadri, qui, ut refert Alphonsus Viruesius Philippica 20. admisit hoc esse vere consilium Euangelicum, sed non esse datum nisi iuueni illi, cum quo Christus loquebatur.

AT CONTRA; nam in primis non dixit Christus illa verba adolescenti quomodocunque, sed cum conditione, si vellet esse perfectus; ergo consilium illi datum, oĩb. fidelib. qui volunt esse perfecti, datur, iuxta illud Mar. 13. *Quod uobis dico, omnib. dico, uigilate.* Prętera quæ Christus dixit alicui ut Principi, accipiunt dicta omnib. Principib. vt: *Pasce oues meas*, Io. 21. ergo etiam quæ dixit vni ut priuatæ personæ, intelligũtur dicta omnibus priuatis personis. Præterea quòd Christus hæc dixerit omnibus, patet ex intelligentia Apostolorum, qui hæc sibi etiam dicta crediderũt, dicentes; *Ecce nos reliquimus omnia.* Et ex approbatione Domini dicentis: *Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis, &c.* AD HÆC, ut supra diximus, simillimæ sententiæ sunt, & ab eodem, atque eidem dictæ: *Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.* Et: *Si uis perfectus esse, uende omnia, &c.* At prior dicta est omnib. cur non et posterior? Denique S. Antonius teste B. Athanasio, & S. Franciscus teste B. Bonauentura, sibi dictum putauerunt: *Si uis perfectus esse, uende omnia.* Quod idem pluribus alijs testibus probare possemus: Non igitur soli illi iuueni datum est consilium hoc.

SEXTVM testimonium est ibidem de obedientia, ubi Dominus ait: *Et sequere me*; nam quod hæc sequela sit consilium, patet, quia dicitur ei soli; Qui uult esse perfectus, & cui dictum est: *Vende omnia quæ habes.* Quod autem illo: *Sequere me*, significetur obediẽtia, probatur dupliciter. PRIMO, quia sequi Christum est imitari Christum; Christus autem *factus est obediens usque ad mortem*, Philip. 2. SECVNDO, quia Matt. 16. explicat ipse Christus quid sit sequi se dicẽs: *Qui vult uenire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quod ultimum, est explicatio superiorum, ut sensus sit, qui uult post me uenire, id est, me sequi, abneget se, & tollat crucem suam, & sic sequetur me; porrò abnegare se, nihil est aliud quàm uale dicere suo iudicio, & suis affectibus, & accommodare se alterius iudicio, & uoluntati.

DICET aliquis; Abnegare se, est quidem obedire, sed hoc loco agitur de obedientia quæ necessario debetur Deo, non quæ sponte exhibetur homini, sequitur enim, qui amat animam suam, perdet eam.

RE-

RESPONDEO, hoc loco agi de obediẽtia, quæ necessario debetur Deo; tñ hinc deduci ẽt cõsilium religiosæ obedientiæ; nam hinc habemus, sequi Christũ, esse abnegare seipsum, id est; alterius voluntati seipsũ subijcere; habemus ãt ex aliis locis duplicem esse Christi sequelam, vnam communẽ, & necessariã omnibus fidelibus, de qua hic agitur, id est, Matt. 16. & Luc. 9. & rursum aliam quæ solis iis consulitur, qui volunt esse perfecti, de qua agitur Matt. 19. & Luc. 18. ergo necesse est duplicẽ esse abnegationẽ sui, id est, obedientiam, vnam cõem & necessariam omnibus, quæ consistit in obediendo in iis rebus tantum, quæ sunt necessariæ ad salutem; alteram maiorem, & vniuersaliorẽ, quæ consistit in obediendo in omnibus rebus, etiam non necessarijs, modo peccata non sint; qualis obedientia laudatur in Rechabitis Hierem. 35. qui obedierunt patri suo in ijs, in quibus non tenebantur.

SEPTIMVM testimonium est 1. Cor. 7. vbi multis modis proponitur consilium continentiæ. *Bonum est*, inquit Paulus, *mulierem non tangere*. Item: *Bonũ est homini sic esse*. Item: *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*. Item: *Dico autem innuptis, & viduis, bonum est, si sic permanserint sicut & ego*. Item: *Volo, omnes vos esse sicut meipsum*, id est, continentes, sic. n. omnes veteres exponunt. Item: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, vt sim fidelis*. Vbi indicat Apostolus consilium hoc non esse humanum, sed diuinum: dicit enim, se consilium dare, non vt hominem politi cum, sed vt fidelẽ ministrũ Dei. Itẽ: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui nõ iungit, melius facit*. Deniq; de vidua: *Cui vult, nubat, tantum in Domino, beatior autem erit, si sic permanserit secundũ meũ consilium, puto autem, quod & ego spiritum Dei habeã*. vbi rursum vides tribui consilium hoc Spiritui sancto.

Ad hæc loca respondent aduersarij tripliciter. PRIMA solutio est Lutheri in epithalamio, vbi dicit, Apostolum hoc loco non consulere, sed dissuadere cõtinẽtiã; & probat ex eo, quod Apostolus in hoc capite laudationi continentiæ admiscet necessitatem matrimonij, nam postquam dixit: *Bonum est homini mulierem non tangere*, statim subiungit: *Propter fornicationem autem vnusquisque uxorem suam habeat*; quasi velit dicere, ego quidem vellem hortari ad continentiam, quæ sane præclarum quiddam est, tamen non sinit me hoc facere periculum fornicandi. IDEM fere docet Caluinus in commentario huius loci; ait enim, similem esse Pauli sententiam: *Bonum est homini mulierem non tangere*: huic sententiæ, bonum esset homini nõ comedere, neque bibere, si fieri posset; sed quia non potest fieri sine miraculo, ideo vnusquisq; comedat, et bibat.

AT CONTRA; nam in primis verba Pauli apertissima sunt; non. n. dicit, bonum esset, sed: *Bonum est*; non ait, consilium dare vellem, sed: *Consiliũ do, &c.* Deinde Patres omnes sic exponunt. Vide Chrysostomum & alios in hunc locum. Ambrosium libro de viduis prope finem. Hieronymum li. 1. in Iouinianum, & Augustinum lib. de sancta virginitate, c. 13. & sequentibus. Ex quibus Augustinus, quasi præuidisset, vnum ex suis Augustinianis apostatis dicturum, Apostolũ hoc loco hortari ad nuptias, & deterrere a continẽtia, diserte scripsit contrarium, sic. n. ait, ca. 16. *Hoc modo*, inquit, *exhortatur ad virginitatem, continentiamq; perpetuam, ut aliquantulum a nuptijs etiam deterreret*.

PRÆTEREA, si ita est difficile continere, vt isti dicunt, & exemplo ostendunt, cum nulli apud eos contineãt: certe Paulus ineptissimus fuit, qui rem impossibilem tantopere laudauit; & patebit absurditas huius rei, si quis applicet omnia verba Pauli ad exemplum Caluini. Nonne. n. ridiculus fuisset Apostolus, si dixisset, bonum est non comedere? Item, cares cibo, noli quærere cibum. Item, de non comedendo præceptum Domini non habeo, consilium autem do, vt nemo comedat. Item, qui comedit, bene facit; qui nõ comedit, melius facit. Item, non peccat qui comedit, quod vult, faciat, beatior erit, si non comederit. Non igitur de re impossibili loquitur Paulus.

Per illud autem: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam uxorem habeat*, non monet Apostolus, vt vnusquisque, cui ineſt aliquod periculum fornicandi, vxorem ducat: nam tunc omnes omnino deberẽt vxorem ducere, nullo excepto, cum tamen Lutherus ipse excipiat eos, qui habent donum cõtinentiæ; nam etiam illis ineſt periculum fornicandi, cum possint donum illud amittere, & vinci aliquando a tentatione, sed monet, vt qui vxorem duxerunt, illam retineant, & quicunque est fornicaturus, vxorem potius ducat, sicut infra dicit: *Qui non se continet, nubat*.

ALTERA expositio est Petri Martyris in hunc locum, vbi opponit his verbis Pauli: *Bonum est homini mulierem non tangere*, id est, sine vxore esse, illa verba Dei Gen. 2. *Non est bonum, hominem esse solum*, id est, non est bonum, hominem sine vxore esse; & quia nõ debet pugnare Paulus cum Deo, dicit, Paulum loqui solum de illis, qui certi sunt, se habere continentiæ donum, Deum autem, de omnibus illis, qui hoc dono carent. Et quoniam rarissimi, aut nulli sunt, qui certo sciant, se habere hoc donum, inde vult inferre, bonum esse, vt omnes ducant vxores.

AT vtrinque errat; nam quod Deus nõ loquatur de ijs, qui hoc dono carent, patet; nam ea verba loquutus est Deus ante peccatum Adæ, quo tempore Adam sine vllo dubio carebat mala concupiscentia, & habebat cum ceteris virtutibus etiam donum continentiæ, ita vt posset continere, si opus esset.

Quod ãt Paulus non loquatur de ijs solũ, qui hẽnt donum continentiæ, sed absolute pronunciet, bonũ esse viro mulierem non tangere, patet etiam; nam etsi non omnes habent hoc donum, tñ oẽs possũt habere, si a Deo illud petant, & proinde omnibus põt conuenire Pauli consilium; nam si ita hoc donum esset a Deo, vt nullo modo esset in nostra potestate continere, & non continere, sicut non est in nostra potestate prophetare, quod exemplum affert Caluinus in commentario huius capitis, absurde Paulus diceret: *Consilium autem do*. Et: *Quod vult, faciat*; non enim vlla est consultatio aut electio de eo, quod non est in nostra potestate. Quis enim, nisi stultus, consultaret, an vellet prophetare, vel non prophetare?

Item, idem B. Paulus ibidem dicit, ẽt continentiã coniugalem esse donum Dei, & non dari omnibus: *Vnusquisque*, inquit, *donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic*. Peto igitur, qui non habet donum continentiæ coniugalis, quid aget? num licebit ei fornicari? Respondebunt, non licere fornicari, quia etsi non habet donum continentiæ, tamen habebit, si a Deo petat. Idem ego dicam de continentia virginali. Verba igitur Dei & Pauli aliter concordanda sunt, Deus loquitur de bono speciei, Paulus de bono individui. Item, Deus loquitur pro eo tempore, quo mundus erat uacuus, Paulus pro eo, quo mundus est plenus. Denique, Deus loquitur de bono, quod refertur ad vitam temporalem, Paulus autem de bono, quod refertur ad vitam æternam, vt iam probabimus.

Est ergo TERTIA solutio, quod Paulus siue suadeat continẽtiam, siue non, solum illam laudet tanq; vtilem ad aliud, non autem vt per se Deo gratam & meritoriam; hanc autem vtilitatem non eodẽ modo exponunt; Nam LVTHERVS in Epithalamio nõ agnoscit aliã vtilitatem, quam temporalem, quia nimirum liberat a curis, & afflictionibus multis, quæ necessario sunt annexæ matrimonio: *Vult*, inquit, *S. Paulus hoc uerbum spiritualiter intelligi, ubi ait, bonũ est homini, mulierem non tangere, ut hoc bonum non sit dictũ de merito coram*

ram Deo, sicut hactenus textus ille ĕt a S. Hieronymo est expositus, sed dictum est, de temporali bono, commodo, & quiete in hac vita, quibus homo castus antecellit coniugatos, siquidē is, qui sine coniugio caste viuit, ab his molestijs, et tribulationibus, quæ in matrimoniali statu sūt, liber est.

A

At Melanchthon in locis, c. De castitate, Martyr in hunc locum Apostoli, & alij non solum hanc vtilitatem temporalem agnoscunt, sed etiam aliquam spiritualem, quod nimirum qui vxore carēt, expeditiores sunt ad orandum, prædicandum, &c. Nos autem præter has duas agnoscimus tertiam, nimirum ad placendum Deo, & præmia maxima promerenda. Et quidē ad refellendum Lutherum sufficere deberet, qđ idem omnino senserat Iouinianus, quem his verbis refellit Avgvstinvs, libro de sancta virginitate, ca. 13. *Vnde*, inquit, *mirabiliter desipiunt, qui putant huius continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorū, sed propter præsens seculum, quod scilicet coniugia terrenis curis pluribus, atq; arctioribus distendantur, qua molestia virgines, & continentes carent, &c.*

B

At, inquiunt, Apostolus dicit: *Arbitror, hoc bonum esse propter præsentem necessitatem.* Et infra: *Tribulationes tamen carnis habebunt eiusmodi.*

Respondeo, illud *Propter præsentem*, vel, vt nos legimus: *instantem necessitatem*, non significare pp prēsentes molestias fugiendas, sed pp temporis breuitatem, quia Dominus prope est, & dies illi propinquant, de quibus dicitur: *Væ prægnantibus, & nutrientibus.* Matt. 24. vt exponit Hieronymus, libro contra Heluidium, lib. 1. contra Iouinianum, & in epist. ad Eustochiū de virginitate, & patet ex Apostolo hoc loco, qui quasi explicans, quid sit præsens necessitas, ait: *Tempus breue est*, & rursum: *Præterit enim figura huius mundi.* Illud autem: *Tribulationes tamen carnis habebunt huiusmodi*, intelligitur quidem de afflictione tēporali, quā patiuntur coniugati, sed non ad eam solam fugiendā, docet B. Paulus bonam esse cōtinentiā: Immo, vt pulchre exponit Hieronymus, li. 1. contra Iouinianū, ne quis putaret, coniugatos esse quidem inferiores virginibus quantum ad spiritualia, sed tamen esse feliciores quantum ad carnalia, ideo addit, eos etiā miseros esse quoad carnalia, & propterea nullam esse caussam ambigendi; sit ne melius continere, an nubere.

C

Iam vero contra Philippum, & Martyrem, sunt in hoc ipso capite duo vel tria loca. Primus est: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta, & corpore, & spiritu.* vbi Apostolus dicit, virginitatem esse sanctitatem corporis, & spiritus, & per eam nos placere Deo; sensus. n. est, sicut mulier coniugata cogitat, quomodo se pulchrā cōseruet, vt sic placeat viro suo, sic virgo cogitat, quomodo seruet corporis integritatem, & sanctitatē, vt per eam placeat Deo. Hieronymvs li. 1. contra Iouin. hoc exponens: *Illa*, inquit, *virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio; nec carnem libido maculauit.* vbi vides virginitatem hostiam Dei nominari; proinde rem esse, qua colitur Deus, & quæ placet Deo.

D

Secvndvs est: *Non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domini obsecrandi.* vbi Apostolus dicit, continentiam per se honestam, ac decoram esse, & proinde Deo caram, & simul vtilem ad aliud, id est, ad orandum sine intermissione.

E

Tertivs est: *Beatior āt erit, si sic permanserit*, id est, vt exponit Ambrosius, dignior in futuro seculo.

Accedat Vltimo Augustinus libro de sancta virginitate, c. 14. vbi sic ait: *Quoniā adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibus dā ibi tribuēda, cui cōsequēda nō satis est liberatum esse a peccato, nisi ipsi liberatori vouea tur aliquid, quod nō sit crimnis non vouisse, sed vouisse ac reddidisse sit laudis, ideo ait Apostolus; Consiliū autē do.*

Octavvm testimoniū est, 1. Cor. 9. quo toto capite Paulus conatur ostendere, se plus fecisse, quam sibi esset præceptum, & propterea singularē gloriā apud Deum meruisse; nam cum Dominus ordinasset ijs, q Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, Paulus maluit gratis Euangeliū prędicare, & sic facere opus supererogationis: *Melius*, inquit, *est mihi mori, q. vt gloriā meā quis euacuet. Nam etsi euāgelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: Væ. n. mihi est, si non euangelizauero. Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euāgelium.*

Respondet Petrus Martyr in cōmentario huius loci, Paulū nō loqui de opere supererogationis; sed de opere debito corā Deo, licet non debito fm iudicium hominū, & ideo etiā nomine gloriæ vult intelligi gloriationem coram hominibus, non coram Dei tribunali. Et probat tripliciter. Primo, quia Paulus ait: *Melius est mihi mori, q. vt gloriam meam quis euacuet.* at ꝓ opere non necessario, quale est supererogationis, nemo debet mortē subire, sed solum pro necessario, ergo loquitur de opere necessario coram Deo; ex quo tamē sequitur gloriatio coram hominibus, qui illud opus iudicare possunt non necessarium.

Secvndo, quia Paulus desperat de mercede, nisi hoc opus faciat, ait enim: *Etsi euangelizauero, non est mihi gloria*; id est, si prædicauero accipiendo sumptus a populo, nihil lucrabor, vnde sequitur: *Quæ est ergo merces mea? Vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium*; ergo ic quitur de opere debito, quod nisi fiat, perditur tota merces.

Tertio, quia dicit, vt nō abutar potestate mea; & ne qđ offendiculū ponā Euangelio Christi; At abuti potestate, & offendiculū ponere Euāgelio, peccatum est. Itaq; concludit Martyr, Apostolum Paulum grauiter peccaturū fuisse, si accepisset sumptus a populo, quia hoc modo impediuisset cursum Euangelij.

In hac explicatione duo sunt errores Martyris. Primvs, quod per gloriam, quam sibi tribuit Paulus, intelligit gloriationem coram hominibus, non coram Deo; nam in primis B. Auguſt. lib. de opere Monachorum c. 10. contrarium scribit his verbis: *Bonum est magis mihi mori, quam vt gloriam meā quis euacuet. Quā gloriam? nisi quam habere voluit apud Deum in Christo*; hæc Auguſt. vbi vide, quam aperte Martyri contradicat. Deinde verba Pauli aperte ostēdunt, eum loqui de gloria apud Deum, id est, de merito cuiusdam excellentis gloriæ, quam exspectabat opere isto supererogationis; nam infra, id quod vocauit gloriam, vocat mercedem. *Quæ est ergo merces mea? &c.* At certe nō exspectabat Paulus mercedem ab hominibus, sed a Deo. Denique si Paulus gloriaretur coram hominib. quasi de opere indebito, quod tamen reuera coram Deo debitum esset, falso gloriaretur. quod quis dicat, nisi forte aliquis Petrus Pseudomartyr?

Secvndvs error est, ꝙ dicat Paulū peccaturū fuisse, si accepisset sūptus a populo, & ꝓinde opus ei⁹ fuisse debitū, nō supererogationis; nā in primis Paulus in toto isto capite nihil aliud agit, q. vt probet, sibi licuisse viuere ex populi sūptibus, id. n. probat. Primo, exēplo aliorū Apostolorū. Secundo, exēplis militū, Pastorum, Agricolarum. Tertio, ex lege Mosi. Quarto, ex Christi ordinatione. Quinto, ex ipsa natura.

Præterea ita exposuerunt omnes Patres, Chrysostomvs in hunc locum: *Quæ*, inquit, *supra præceptum fiunt, multā secundum hoc dictum, mercedem consequuntur; quæ autem sub præcepto continentur, non itidem.* Ambrosius bis repetit Paulum sibi licita illicita fecisse. Avgvstinvs libro de opere Monachorum, ca. 5. *Audiuerat*, inquit, *stabularius, ad quem vulneratus ille perductus est, si quid amplius erogaueris, in redeundo reddā tibi: amplius ergo erogabat Paulus, qui suis, vt ipse testatur, sumptibus militabat.* Denique Apostoli ceteri sum-

sumptus a populis accipiebant, vt hic Paulus dicit, A nec est verisimile eos peccasse, ergo nec Paulus peccasset accipiendo.

Respondet Martyr, non esse eandem rationem Pauli, & aliorum; nam alij non habuerunt Pseudoapostolos æmulos, vt habuit Paulus. At hoc nihil valet; nam alioqui non recte probaret exemplo aliorum Apostolorũ B. Paulus se potuisse ali a populo. Respondeti.n. potuisset, non esse eandem rationem aliorum Apostolorum, & suam. deinde Paulus non abstinuit ab accipiendis sumptibus pp Pseudoapostolos, sed ne grauaret populos, vt ipse dicit, 1. Thess. 2. & 2. Thess. 3. Immo pp Pseudoapostolos debuisset potius accipere sumptus. Illi.n. de hoc Paulũ accusabant, vt Caietanus bene animaduertit, q̃ Paulus non videret verus Apostolus, cum non viueret more aliorũ Apostolorũ; B quocirca ille in toto isto capite probat, se esse verum Apostolum, & se posse accipere sumptus si velit.

Ad Primvm argumentũ dico, falsum esse, nõ licere mori pro opere supererogationis; quot enim sacræ virgines occisæ sunt, quia nuptias recusauerunt?

Ad Secvndvm respondet Anselmus in hũc locũ, Paulum desperare de gloria, si solum euangelizet propter alimenta temporalia. possumus secũdo & melius dicere, Paulum cum ait: *Si euangelizauero, non est mihi gloria, &c.* nõ desperare de gloria simpliciter, sed de gloria quadam singulari, quæ debetur operi supererogationis, vt exponit Chrysostomus.

Ad Tertivm dico cum Chrysostomo homil. 8. de pœnitentia, & cum Oecumenio & Theophylacto in C hunc locum, Paulum accepisse nomen abusiue pro vehementi vsu; voluit.n. dicere, ne quantũ possum, vtar potestate mea. Neq; est hoc nouum; nam alij etiã auctores tum sacri tum profani vtuntur hac voce in bonam partem. Tria.n. significat vox καταχράομαι & Latine abutor. Primo, vti re aliqua contra eius institutionem, & hoc malum est. Secundo, vti præter institutionem, & hoc non est malũ; vnde est figura κατάχρησις. S. Paulinus epist. 11. ad Seuerum: *Itaque*, inquit, *prõpto filij Imperatoris assensu mater Augusta patefactis ad opera sancta thesauris toto abusa fisco est.* Tertio, vti simpliciter, vt apud Platonẽ epist. 8. & alios auctores.

Quod ãt ait: *Ne quod offendiculum ponam*, dico, ibi offendiculũ non significare scandalũ, sed interruptionem, est.n. Græce ἐγκοπὴν. metuebat.n. Paulus, vt aliqui auariores, ne deberẽt alere concionatores, ab E- D uangelio retardarentur; hic autẽ metus poterat communis esse Paulo cum ceteris Apostolis, qui tamẽ hoc non obstante, sumptus a populo capiebant. Ex quo intelligimus, nõ fuisse peccatum accipere sumptus a populo, etiamsi inde sequeretur aliqua retardatio cursus Euãgelij; nam illa retardatio non oriebatur culpa Apostolorum, qui vtebantur iure suo, sed culpa auditorum: tamẽ B. Paulus maluit pati famem, & laborem, quam vt vllo modo Euangelij cursus retardaretur.

Adde postremo, q̃ si illa verba: *Vt nõ abutar potestate mea*, & illa: *Ne offendiculum ponam*, significarẽt Paulum peccaturum fuisse, si a populo sũptus accepisset, sequeretur, eũ non potuisse apud hoies gloriari tanq̃ de opere indebito; nã si ipse dicit. se debuisse illud facere, idq̃; hoibus dicit, quo gloriatur, se fecisse opus in E debitum? ergo Petrus Martyr secum ipse pugnat, dũ docet, Paulum gloriari apud homines de opere indebito; & tñ inducit eundem Paulum dicentem, se debuisse illud opus facere, & peccaturum, nisi fecisset.

Nonvm testimonium est Apoc. 14. vbi legimus: *Nemo poterat dicere canticũ, nisi illa centũ quadraginta quatuor millia; hi sunt qui cũ mulieribus non sunt coinquinati; virgines.n. sunt & sequuntur Agnum, quocũq; ierit.* Ex quo testimonio apparet, singulare præmium habere virgines, quandoquidem canunt canticum, quod nulli alij Beatorum canere possunt.

Respondent Magdeburgenſ. Cent. 1. li. 2. cap. 4. col. 454. hunc locum debere intelligi mystice de ijs, qui non sunt maculati idololatria, quæ vocatur fornicatio Babylonis, meretricis magnæ.

At Contra; nã in primis Ioannes indicat paucos quosdã fuisse istos virgines, qui soli cãticũ illud dicere poterãt; pauci.n. sunt centũ quadraginta quatuor millia, si cum illa turba magna Sanctorũ comparentur, quæ præ multitudine numerari non poterat, q̃ idem Ioãnes vidit Apoc. c. 7. At maior pars Sãctorũ immunis fuit ab idololatria, vt notum est. Præterea Ioãnes non diceret, cũ mulieribus non sunt coinquinati, sed cũ muliere, si intelligeret de fornicatione Babylonis.

Denique Patres de veris virginibus exponunt. Primasius, Beda, Occumenius, & Anselmus in hunc locum; Hier. lib. contra Heluidium in fine, Greg. 3. parte pastorali, ca. 29. & sequentibus, qui inter cetera sic ait, c. 29. *Videbit vos cetera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non valet: videbit nec imitabit, & collatando vobis quod in se non habet, habebit in vobis; nam & illud canticum nouum, proprium vestrum, dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. sed vos qui & dicetis, & audietis, quia & hoc quod dicetis, a vobis audietis, felicius exultabitis, iucundiusq; regnabitis.* Hæc de Scripturis.

CAPVT X.

Idem asseritur exemplis.

Secvndo, probatur exemplis primitiuæ Ecclesiæ; C Nam constat mox initio nascentis Ecclesiæ plurimos cœpisse colere continentiam, & vitam communem, rebus omnibus diuenditis, quod in testamento veteri rarissimum fuerat. Nec potuit eius nouitatis alia esse causſa nisi prædicatio Christi, & Apostolorũ. Act. 4. legimus, quotquot erant possessores agrorum & domorum, ijs venditis, pretia attulisse ad pedes Apostolorum. vnde hoc? nisi quia audierant Dominum id consuluisse.

Porro continentiam tam multi certatim arripiebant, vt Act. 21. legamus, vnum Philippum quatuor filias habuisse; & omnes virgines fuisse, quas certe nõ ad tempus aliquod virgines credere debemus, sed perpetuo, & ex electione; refert enim id Lucas tanquam aliquid magnũ, quod videlicet vni homini essent quatuor filiæ virgines. At quid magni est habere quatuor filias virgines, quæ vbi maturæ fuerint, nuptur̃ sint? Adde, quod Euseb. lib. 3. hist. c. 30. ex Policrate docet, filias Philippi in virginitate consenuisse.

Præterea Philo Iudæus in libro de vita contẽplatiua, testatur plurimos suo tempore, id est, initio Ecclesiæ, vitam communem & cœlibem duxisse; ait.n. talia hominum collegia fuisse in multis orbis terræ partibus, tam apud Græcos, quam apud barbaros, sed præcipue in Ægypto. Ivstinvs ex Græcis ferme antiquissimus in Apologia secunda ante medium ait, apud nullam gentem ita coli cœlibatum, vt apud Christianos, vbi sunt plurimi vtriusque sexus vsque ad senectutem in virginitate permanentes; quod idem scribit Tertullianus antiquissimus Latinorum in Apologetico, cap. 9.

CAPVT XI.

Idem asseritur testimonijs Patrum.

Tertio probatur ex clarissimis Patrum testimoniis, tum Græcorum, tum Latinorum, & quia testibus abundamus, omittã eos, quorũ testimonia hæretici nõ recipiũt, vt Dionysiũ, & Ignatium, & similes.

Origenes in ca. 15. ad Rom. *Ea*, inquit, *quæ supra debitum facimus, non facimus ex præceptis. Verbi causſa;*

Virgi-

Virginitas non ex debito soluitur, neque enim per præceptum expetitur, sed supra debitum offertur.

Evsebivs lib. 1. demon. Euang. cap. 8. *Quocirca*, inquit, *in Ecclesia Dei duo modi uiuendi instituti sunt. Alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, nō substantiam, non opum facultatē requirens, & soli diuino cultui, ex immenso rerum cœlestium amore addictus, & talis quidem existit in Christianismo perfectæ uitæ modus. Alter uero remissor atque humanior, hic & modesto coniugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & iustè militanti b. quæ sint agēda describit, agros quoque & mercaturam adiuncta religione non negligit, & his quidem secūdus pietatis attributus est gradus.* Et quod uterque uitæ modus a Christo sit institutus, initio capitis aperte docuit.

Athanasivs in libro de humanitate Verbi, ultra medium: *Quis*, inquit, *hominum, uel post mortem, uel in uita auctor seruandæ virginitatis fuit? at non contra arbitratus est, eam virtutem præstari non posse? attamē Salnator noster, & omnium Rex Christus tantum valuit in huiusmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum disciplina, virginitatem, quæ supra leges est, profiteantur.* Nota, vocari hic præcepta, non leges obligantes, sed institutiones, & doctrinam, alioqui pugnaret ipse secum, cū & præceptū uocat, & supra legem esse dicit.

Basilivs in libro de virginitate, ultra medium: *Voluit enim Dominus*, inquit, *non præceptum esse ipsum virginitatis rectè factum, sed insigne animæ, virtutis studiosæ ex propria ac libera potestate, id quod supra mandatum, & supra naturam est, a seipsa perpetrantis.*

Epiphanivs hæres. 48. *Gaudet quidē*, nimirū Ecclesia, *his, qui approbatū Dei cultū præstare possunt, uirginitatē exercere diligunt, uerū unas nuptias honorat, etc.*

Ioannes Chrysostomvs hom. 8. de pœnitentia: *Nequaquam*, inquit, *Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata.* Et infra, posteaquam exempla posuit de continētia & paupertate, ait in persona Dei: *Non cogo, nō grauo, sed proficientem quidem coronabo; non proficientem non punio.*

Greg. Nazianzenvs orat. 1. in Iulianū, ultra medium: *Quo*, inquit, *illud non animaduertis omnium sapientissimē & ingeniosissime, atque ad uirtutum arcē & verticem Christianos coarctans, q̄ in legib. nostris alia parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt, alia non necessitate cōstringunt, sed in electione, & voluntate posita sunt, ac proindē hanc rationē habent, vt qui ea custodierint, honore, & præmijs exornentur, qui autem minus ea expleuerint, nihil periculi pertimescant.*

Iam ex Latinis Cyprianvs lib. de habitu virginum; prope finē: *Neque hoc iubet Dominus*, inquit, *sed hortatur, neq; iugū necessitatis imponit, quādo manet uoluntatis arbitriū liberū: sed cū habitationes multas apud Patrē suū esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora uos petitis: carnis desideria castrātes, maioris gratiæ p̄mium in cœlestib. obtinetis.*

Ambrosivs lib. de viduis, vltra medium: *Qui præceptum* inquit, *impleuerint, dicere possunt, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus; Hoc uirgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua uendidit.* Et infra: *Ideo ergo præceptum non datur, consilium datur: præceptum enim castitatis est, consilium integritatis.*

Hieronymvs lib. 1. contra Iouinianum; *Proponit Agonothetes præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, et clamitat; Si quis sitit, ueniat, & bibat; nō dicti, uelitis nolitis, bibendum uobis est, atq; currendum: sed qui uoluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur, & ideo plus amat uirgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, maioris q̄, gratiæ est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris.*

Gregorivs libro 15. moral. cap. 5. *Electi*, inquit, A *nonnunquam plus student agere, quā eis dignatus est Dominus iubere: carnis enim virginitas nequaquam iussa est, sed tantum laudata: nam si illa iuberetur, nimirum coniugium iam culpa crederetur, et tamen multi uirtute uirginitatis pollent, ut uidelicet plus impendant obsequio, quā acceperunt præcepto.* Hæc ille. Vide etiam tertia parte pastoralis, cap. 28. & 29.

Avgvstinvs libro de sancta virginitate cap. 30. loquens de præceptis & consilijs: *In illis*, inquit, *Dominus debitum imperat vobis, in his autem, si quid amplius super erogaueritis, in redeundo reddet vobis.* Et sermon. 18. de verbis Apostoli: *Ambierunt*, inquit, *virgines illam maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent: quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plus facimus, quam præcipis.* Et in B Enchirid. cap. 121. *Quæcunque*, inquit, *mandat Deus, ex quibus unum est; Non mœchaberis, & quæcunque nō iubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est; Bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum, & in hoc seculo, & in futuro.* Ex his apparet, quāto mendacio Caluinus dicat, lib. 4. Instit. cap. 13. §. 12. nulli ueterum uenisse in mentem, quod Christus aliquid consuluerit.

CAPVT XII.

Idem confirmatur naturali ratione.

C Vltimo probatur ratione desumpta, tum ex corporibus naturalib. tum ex politicis Rebuspublicis; Videmus enim in qualibet re naturali, duplicem esse perfectionem: unam necessariam ad esse, alteram ab bene esse: unam, sine qua rei natura non est perfecta; alteram, sine qua non est ornata; homo si habeat animam & corpus, perfectus est, quod ad naturam attinet, etiamsi alioqui de formis, & imperitus, atque improbus sit. At cum est elegās, politicus, formosus, doctus, probus, aliam quandam habet perfectionem: ergo eodem modo homo Christianus duplicem habere debet perfectionem: unam necessariā ad esse, idest, per quam sit uere filius Dei, & hæres regni, quæ consistit in præceptorum obseruatione: alioqui enim nō esset Christus bonus legislator, si legem tulisset, quæ nō perficeret hominem Christianū: alteram necessariā ad bene esse, quæ consistit in consilijs. D

Videmus item in omnibus bene institutis Rebus publicis præter præmia, & pœnas constitutas seruantibus, aut transgredientib. leges, esse etiā præmia quæ dā decreta heroicis operib. hinc apud Romanos præter stipendia debita militibus, non uolantibus militiæ disciplinam, fuisse etiam coronas ciuicas, ouationes, supplicationes, ac triumphos decretos factis heroicis, ut omnes nouerunt: ita ergo non abhorreta ratione, immò potius conforme est rationi, ut præter vitam æternam promissam obseruatoribus legis diuinæ, sint etiā certa præmia, & singulares honores prōijs, qui non solum Dei legem seruant, sed etiam uirtutes heroicas ostendunt.

E CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones.

In contrarium sunt argumēta tria Pelagianorum, & XIV. Caluinistarum, quæ diligenter collegit ex Caluino & alijs Petrus Martyr in comment. 1. Corinth. 9.

Primvm est, Matth. 19. Dominus ait: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitē intrare in regnum cœlorum: illud est impossibile, igitur & hoc.*

Respondeo cum Augustino epist. 80. quæst. 4. in eo-

dem

dem loco esse solutionem: nam Dominus ait: *Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.*

Sed instant, ideo possibile apud Deum dici, quia Deus per Euangelium suum docuit vendere omnia, & dare pauperibus, quod qui fecerit, poterit intrare in regnum cœlorum. Respondeo, si ita esset, tunc esset etiam possibile apud homines: nam etiam Ethnici Philosophi potuerunt abijcere omnes facultates, vt de Crate Thebano, & de Antistene refert B. Hieronymus in epist. 26. ad Pammachium de obitu Paulinæ uxoris; sicut etiam apud homines possibile est camelum intrare per foramen acus, si desinat esse camelus, & redigatur ad subtilitatem setę; Christus autem dicit: Id quod impossibile est hominib. possibile esse Deo, idest, introducere camelum, existentem camelum, per foramen acus, & diuitem, existentem diuitem, in regnum cœlorum; potest ergo diues saluari, si gratia Dei adiutus bene utatur diuitijs.

Secvndvm argumentum Luc. 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Respondeo cum Augustino, epist. 5. & epist. 89. q. 4. loqui Dominum de præparatione animi: nã paulo ante inter ea, quibus renunciare oportet, numerauit Dominus uxorem, & propriam animam.

Tertio, Matth. 5. *Estote perfecti*, dicitur omnibus Christianis; at qui vult perfectus esse, debet omnia vẽdere, & dare pauperib. Mat. 19. ergo, &c. Respondeo, in primo loco agi de perfectione necessaria, in secundo de perfectione utili, sunt enim uarij gradus caritatis, vt alias expositum est.

» Argumentum Primvm Petri Martyris tale est. Deꝰ iubet se diligi ex toto corde, ex tota anima, & ex » omnib. virib. vnde nihil superest non debitum quod » erogemus; quidquid enim agimus, corde, anima, mente, ac virib. agimus; quare omnia nostra Deo sunt obstricta. August. lib. 1. doctr. Christ. c. 22. *Cum autem*, » inquit, *ait toto corde, tota mente, tota anima, nullam uitæ » nostræ partem reliquit, quæ uacare debeat.*

» Ad hæc, præceptum dilectionis, ut etiam preceptũ » non concupiscendi, in hac vita impleri non posse, Au » gustinus affirmat libro de spiritu & litera, c. vltimo: » *Ad illam*, inquit, *vitam iam immortalem pertinet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: ad hanc autem, non regnet peccatum in vestro mortali corpore: ad illam, non concupisces, ad istam, post concupiscentias tuas non eas.* Et in libro de perfectione iustitiæ ante medium: *In qua plenitudine caritatis, nimirum in patria, præceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod uel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus.*

» Adde et S. Bernardum, & B. Thomam, nam Ber » nardus serm. 50. in Cantic. *Si placet*, inquit, *tibi magis » de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, » dũmodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista » ab aliquo hominũ possit uel potuerit adimpleri.* S. Thom. » in 2.2.q.44.art.6. dicit, in hac uita præceptũ dilectio » nis imperfecte impleri: & q. 184. art. 3. dicit, hoc præ » cepto ita imperari dilectionem sine mensura, ut nul » lus gradus caritatis remaneat, qui sit in consilio. Quare si in hac vita præceptum primum nunquam perfecte implere possumus, certè multo minus possumus » amplius facere, quam sit nobis præceptum.

Respondeo; Vis argumenti principalis potissimum in duobus posita est. Primo, in illa enumeratione potentiarum cordis, animæ, mentis, virium omnium. Secundo, in illa particula: *Ex toto.* Hinc enim videtur colligi debere, nihil omnino posse hominem propter Deum facere, siue corde, siue corpore, quod non teneatur facere. Ostendam igitur neutra ex parte argumentum concludere.

Quod attinet ad illam enumerationem, quidã ex Patrib. existimarunt, illa omnia esse diuersa, & ideo conati sunt distinctionem eorum ostendere, ut videlicet anima significet partem animæ uegetatiuæ, cor sentientem, mens intelligentem, vel aliquid eiusmodi. Vide Gregorium Nyssenum in libro de creatione hominis, c. 8. Theophylactum & Anselmum in commentarijs capitis 22. Matthæi. August. lib. 1. doctrinę Christianæ, c. 22. Bernardum serm. 20. in Cantica, & S. Thom. in 2.2.q.45.art.5.

Sed simplicior & Scripturę conformior est eorum sententia, qui docent ista omnia idem significare, & more Scripturæ multa, & uaria nomina poni ad rem eandem explicandam, maioris expressionis gratia, itaque idem esse, diligere corde, & diligere anima, & diligere mente, nimirum diligere verè, syncerè, non fictè, non simulatè; nam in primis Hilarius, Hieronymus, & Chrysostomus, in commentario ad caput 22. Matthæi, & Ambrosius ad ca. 10. Lucæ, ubi hoc præceptum explicant, nihil omnino de distinctione harum uocum tradunt.

Deinde Matthęus c. 22. Marc⁹ c. 12. & Lucas c. 10. referunt præceptum dilectionis ex libro Deuteronomij c. 6. & tamen nullus horum auctorum conuenit i numero, & ordine harum vocum cum altero, quod est euidens argumentũ, nihil esse mysterij in illa enumeratione. Moses dixerat: *Diliges ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua.* Matthæus posuit: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* Marcus: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute.* Lucas: *Ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus, & ex tota mente.*

Præterea 3. Reg. 14. de Dauide dicitur, quod sequutus sit Dominum in toto corde suo; de Iosia autem 4. Reg. 23. dicitur, quod sequutus sit Dominum in totò corde, tota anima, & tota uirtute, nec tamen ullus auderet Iosiam Dauidi anteponere; Item Moses requirit Deut. 4. ut homo quęrat Deum in toto corde, & in tota anima, si eum inuenire desiderat: At Samuel 1. Reg. 7. solum requirit, ut Deus quæratur in toto corde: Apparet igitur illis omnibus verbis id unum imperari, ut Deum syncerè diligamus.

Porrò illa verba: *Ex omnibus uiribus*, nõ significãt ex omnib. potentijs animæ, sed omni uirtute, & quod vulgò dicimus, pro uirib. nam in Græcis codicib. nihil est aliud nisi ἐξ ὅλης ἰσχυος, quod tñ interpres nunc vertit ex omni uirtute, nũc ex omni fortitudine, nũc ex omnib. virib. Quare inepte Lutherus in assert. art. 31. contendit, hoc præceptum impleri non posse, quia vna quædam ex viribus animæ, nimirum appetitus sensitiuus, non diligit Deum, cùm tamen diligere iubeamur Deum ex omnibus uiribus. Sed etiam si iuxta priorem expositionem enumerarentur variæ potentiæ animæ, ac iuberemur illas omnes exercere ad gloriam Dei, adhuc nihil aduersarij obtinerent. quoniam enim præceptum hoc affirmatiuum est, ideo dicendum esset solum præcipi, ut exerceremus eas potentias propter Deum, quando id necessitas gloriæ eius procurandæ requireret, alio autem tempore si id fieret, opus esset consilij, & supererogationis.

Iam uerò quantum ad illam particulã: *Ex toto*, sũt et duæ Patrum expositiones; Vna est sanctorum, Augustini, Bernardi, & Thomę, locis notatis, qui docent illud: *Ex toto*, significare, imperari nobis hoc mandato oẽs gradus caritatis, quos vel in hoc mundo, uel in alio habere possumus, ita ut semper Deum amemus, & non sit in nobis vllus motus cupiditatis, neque uoluntarius, neque inuoluntarius, cum Dei amore pugnans, ex quo rectè deducunt hoc mandatum in hac uita perfectè impleri non posse. Quæ sententia nõ pugnat cum sententia nostra, de consilijs Euangelicis, tametsi non videtur admodũ conformis sacris literis. quod autem non pugnet cum sententia nostra, ex eo

patet, quod ijdem Patres affirmant, hoc præceptum, licet non possit perfectè impleri in hac uita, non tamen facere præuaricatores, si non impleatur.

Vt autem id intelligatur, obseruandum est duob. modis posse aliquid præcipi; Vno modo, ut solum indicetur id quod faciendum est; Alio modo, ut indicetur præcepto id quod faciendum est, & finis, cui⁹ gratia id faciendum est. Si dicat Imperator militibus pugnate aduersus illam urbem, solũ indicat id quod faciendum est; si uero dicat, capite urbem, indicat qđ faciendum est, & finem etiam illius operis, id enim est, ac si diceret, pugnate ad hunc finem, ut urbem capiatis: interest autem multum inter hos duos modos præcipiendi: nam cùm præcipitur priore modo, præuaricator est, qui non facit id totum quod præcipitur: cum uero præcipitur posteriore modo, non est præuaricator, qui non facit id totum, quod præcipitur, sed is tantum præuaricator est, qui non facit id, quod indicatur per modum medij ad finẽ. Præceptum enim propriè non obligat, quatenus indicat finem, sed solum quatenus præcipit medium. Itaque si dicat Imperator, pugnate, peccant milites, si non pugnent; si uero dixerit, capite vrbem, non peccant, si urbem non capiant, modo pugnent, ac pugnando dent operam ut illam capiant.

Patres igitur supra citati, Augustinus, Bernardus, Thomas, existimant hoc præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, simul imperari mediũ, & indicari finem; & ideo docent, non posse impleri perfecte hoc præceptum in hac vita, & tamen non esse præuaricatorem, qui non perfecte illud implet. Avgvstinvs de spiritu & litera, capite ultimo, posteaq̃ dixerat, non posse impleri hoc mãdatum in hac uita, addidit: *Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere debeamus.* Et infra: *Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæq́ debetur, iam culpæ deputandum est, &c.* Et libro de perfectione iustitiæ: *Cur*, inquit, *non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur; quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?* Et ad finem eiusdem libri docet idem August. motus in uoluntarios concupiscentiæ, licet hoc præcepto prohibiti sint, tamen adeo non esse peccata, ut non sit opus dicere pro eis: *Dimitte nobis debita nostra.*

S. Bernardvs serm. 50. in Cantica, *Nec latuit*, inquit, *præceptorem, præcepti pondus hominũ excedere uires. Sed iudicauit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, & ut scirent sanè, ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret: ergo mandando impossibilia non præuaricatores homines fecit, sed humiles.* Sic etiã B. Thomas solum docet, hoc præceptum imperfecte seruari, quatenus indicat finem, & in eodem sensu dicit, nullum gradum dilectionis esse in consilio, sed omnes in præcepto, quatenus uidelicet hoc præceptum continet, & medium, & finem; nihil enim addi potest ad eam dilectionem, quæ ut finis proponitur; finis enim sine mensura appetitur; quare in eodem loco S. Thomas affirmat, nullum esse peccatum, non implere hoc præceptum in tota sua latitudine, sed satis esse, si aliquo modo obseruetur.

Quocirca remanet iam suus locus consilijs etiam circa hoc præceptum: nam etiamsi nihil possim addere huic præcepto, quatenus indicat finem, tamen possum addere quatenus indicat medium: & si non peccо, ex sententia S. Thomæ, si non amem Deum, nisi vno gradu amoris, certè non teneor in rigore ampli⁹ amare; implicat. n. contradictionem, quod non peccem, non faciendo quod facere teneor: ergo si addam alterum gradum amoris, amo plus quàm teneor, atq; eo modo facio actum supererogationis, & consilij.

Demonstrauimus igitur, sententiam istam Patrũ, non esse contrariã sententiæ nostræ de consilijs Euãgelicis; quod autem hæc sententia non sit conformis diuinis literis, mox ostendemus. Est igitur alia sententia, illud: *Ex toto corde*, non significare omnes act⁹ cordis, uel omnem intentionem possibilem, ita ut imperetur, ut nihil corde agam⁹, nisi Deũ diligere, idq; summa vehementia amoris, sed solũ vt amemus Deũ præcipuo amore, nihilq; illi in amore anteponamus, uel æquemus, ac proinde solum in hoc præcepto contineatur id, quod faciendum est, non etiam finis, ob quem faciendum est; Ex quo sequuntur sex quasi corollaria.

Primvm est, huic præcepto aduersari omnia peccata mortalia, quia in omni peccato mortali anteponitur creatura creatori. Secvndvm, huic præcepto non aduersari amorem honestum affinium, & amicorum, licet non referatur actu in Deum, quia non tenemur Deum solũ amare, sed eum præcipuè. Tertivm, non aduersari peccata uenialia eidem præcepto, quia peccata venialia nõ mutant ultimum finem. Qvartvm, non aduersari eidem præcepto motus inuoluntarios concupiscentiæ, etiamsi rerum alioqui grauissimarum, ut infidelitatis, blasphemiæ, adulterij, &c. nã cum caritas Dei sit in uoluntate, non aduersantur ei, nisi motus voluntarij. Qvintvm, hoc præceptũ perfectè in hac uita seruari posse, quia non exigit, nisi ut amemus Deum plus quàm creaturas. Sextvm, posse Deum ex toto corde magis & minus diligi; qui enim propter Deum abstinet se a licitis, magis diligit, quã qui solum se abstinet ab illicitis, & tamen uterque diligit toto corde.

Quod autem hæc explicatio sit uerior, & Scripturis conformior, quam superior, multis modis probari potest. Primo, quia in Scripturis passim ita accipitur illa uox: *Totum*, vel, *omnis*; vt Mat. 2. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* Et Act. 2. *Tota confunditur Hierusalem.* In his enim locis significat, magnam partem eorum, qui erant in Hierusalẽ, turbatos fuisse, non autem omnes omnino, & tamẽ simpliciter Scriptura dicit: *Omnis Hierosolyma turbata est.* Et: *Tota confunditur Hierusalem.* Sic etiã Gen. 31. dicit Iacob: *Scitis, quod totis uirib. seruierim patri uestro:* & tamen multa alia eodem tempore Iacob fecerat. 2. Reg. 15. *Toto corde uniuersus Israel sequitur Absalon*, aliaq; id genus frequentissimè inueniũtur; Scriptura enim vtitur sæpe communibus phrasib. vulgo autem absolutè dicimus; Totus sum in hac re, uel totis uirib. hoc agam, cum tamen nihil aliud significare velimus, nisi præcipua cura, ac studio nos incumbere.

Secvndo, Scriptura docet hoc præceptum esse facile, ac præsupponit seruari posse, quod tamen nõ esset uerũ, si in hac uita impleri non posset. Deuter. 10. *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum, ac seruias ei in toto corde tuo, & in tota anima tua.* Et cap. 13. *Tentat uos Dominus Deus uester, ut palam fiat, utrum diligatis eum in toto corde uestro, et in tota anima uestra, an non.* Luc. 10. quærenti iurisperito: *Quid faciendo uitam æternam possidebo? Dominus respondit: In lege quid scriptum est? quomodo legis? at ille: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Et Dominus: Hoc fac, & vives.* Certe hæc omnia præsupponunt mandatum hoc in hac uita impleri posse, alioqui in promptu fuisset reprehensio.

Tertio, promittit Deus se facturum, ut tempore noui Testamenti diligatur in toto corde, tota anima, &c. Igitur aut Deus, quod esse non potest, mentitus est, aut hoc mandatum in hac uita simpliciter adimpletur. Deuter. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut possis uiuere.* Hier. 24. *Dabo eis cor ut sciant me,*

& erunt

& erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo.

QVARTO, multi hoc mandatum impleuerunt, igitur in hac vita impleri potest. Deut. 30. *Gaudebit Dominus in te, sicut gauisus est in Patribus tuis, si tamen reuertaris ad eum in toto corde tuo, & in tota anima tua.* 3. Reg. 14. *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & sequutus est me in toto corde suo.* Eccles. 47. *De omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit eum qui fecit illum.* 4. Reg. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominũ in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.* Psalmo centesimo decimo octauo: *In toto corde meo exquisiui te.*

ACCEDAT postremo consensus Patrum, qui nihil impossibile nobis a Deo mandatum esse docẽt. Vide Origenem hom. 9. in Iosue; Basilium in illud: *Attende tibi*; Hilarium in illud Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis*; HIERONYMVM lib. 3. cõtra Pelagianos, & August. lib. de nat. & grat. c. 69. qui auctor non solum in genere dicit, Deum nihil impossibile præcepisse, sed ẽt in specie de mandato dilectionis: *Quomodo*, inquit, *est graue, cum sit dilectionis mandatum?* Et in Psal. 56. de hoc ipso mandato: *Neque enim*, inquit, *imperaret hoc Deus, vt faceremus, si impossibile iudicaret, vt ab homine fieret.* Vbi videtur August. aut mutasse, aut certè explicauisse priorẽ sententiã. BERNARDVS ẽt serm. 50. in Cantica, etsi exposuit hoc mãdatũ vno modo de dilectione, quæ hic perfecte haberi nõ põt, tñ magis propendet in sententiam hãc posteriorem, quam etiam sequitur Bonauent. in 3. dist. 27. art. 2. q. vlt. & plerique Doctores in eadem distinctione.

Argumentum SECVNDVM. Dominus ait Matt. 7. de lege sua: *Quàm angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam*; Quomodo ergo non errant, qui eam tam latam & facilem prædicant, vt etiam dicant, posse hominem plus facere, quam lex exigat?

RESPONDEO, idem Dñs ait de lege sua Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Et Dauid de lege Domini sub eadem metaphora Psal. 118. *Latum mandatum tuum nimis.* Et Apostolus 1. Ioan. 5. *Et mandata eius grauia non sunt.* Quare lex Domini difficilis est, & facilis: difficilis ex natura sua, quia difficile est attingere medium, in quo virtus consistit, facile vero est aberrare a scopo; difficilior ẽt redditur ex naturæ corruptione; difficile enim est auaro facere eleemosynam, luxurioso continere, &c. At facilis est habenti gratiam & charitatem; gratia enim & naturam sanat, & dirigit, atque inclinat ad medium attingendum; vt etiam difficile est homini pingui & onusto ingredi portam ẽt vtcunque latam, at homini tenui, & nudo nõ est difficile ingredi portam, ẽt vtcũq; angustã. Vnde S. LEO serm. 5. de Epiph. *Nihil*, inquit, *arduum est humilibus, nihil asperum mitibus.* Et beat. AVGVSTINVS lib. de nat. & grat. c. 69. *Omnia*, inquit, *sunt facilia caritati.* Et Dauid Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*; certe autem qui currit, cum solum ambulare teneatur, pl. facit quam ei imperatum sit.

Argumentum TERTIVM. In opere nostro semper aliquid deest, ergo nunquam implemus legem, ergo multo minus possumus facere opera supererogationis. Probatur antecedens, quia Paulus ad Rom. 7. dicit, *se mente seruire legi Dei, carne autem legi peccati*; & Iob *verebatur omnia opera sua*, Iob 9. & Isaias c. 64. vocat *pannum menstruatæ omnes iustitias nostras.* & Dauid clamat Psal. 142. *ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

RESPONDEO, negandum esse antecedens: nam si nullo modo legẽ seruare possemus, mentiretur Ioannes, cum ait: *Et mandata eius grauia non sunt*, 1. Ioã. 5. & Dominus, cum ait Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, iuuenem illum non docuisset, sed delusisset, ac si dixisset, si vis in cœlum ascendere; fac tibi remigium alarum, & uola per aerem, imò sequeretur hominem nunquam peccare; non enim peccat qui non facit quod non potest, & Deus esset omni Tyranno iniquior, & crudelior, quippe qui tributum peteret quod nemo posset soluere, & hoc ab amicis suis peteret. Adde quod Basilius oratione in illud: *Attende tibi*, dicit impium esse asserere, aliquid impossibile Deum præcepisse, quod idem docent omnes Patres.

Ad PRIMVM ergo locum dico, Paulum loqui de motibus concupiscentiæ inuoluntarijs, qui non peccata, sed pœnæ sunt.

Ad SECVNDVM dico, contrarium inde elici, ideo enim Iob uerebatur omnia sua opera, quia metuebat ne aliquid in eis imperfectionis misceret: illi autem proprie metuũt, qui uident posse uitari malum quod metuunt: semper enim cõiuncta sunt spes, & metus; qui. n. certo sciunt non posse uitari, desperant, & dolent potius quam metuunt. Vnde B. GREGORIVS in hunc locum scribens, ait: *Ipsa bona nostra, quia insidiãtis culpæ euadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur, per sanctum uirum nunc rectè dicitur, verebar omnia opera mea.*

Ad TERTIVM dico cum Hieronymo ibidem, Prophetam loqui in persona grauissimorum peccatorũ, qui si qua opera bona faciebant, saltem moraliter, ea inquinabant admixtione multorum criminum; nos autem nõ de peccatorib. sed de iustis loquimur, cum dicimus homines posse legem seruare, & ẽt amplius facere: nec tamen admittimus omnia opera peccatoris necessario esse peccata: nam Isaias non comparat opera peccatorum sordibus, sed panno sordidato, in quo sunt partes nitidæ, & partes maculatæ.

Ad VLTIMVM dico, cum Augustino libro de perfectione iust. Hieron. in epist. ad Ctesiphontem, & Gregorio in hunc Psalmum, non posse hominem iustificari corã Deo, quia nemo est, qui non habeat peccata uenialia, quæ tamen non impediunt quin homo sit iustus, & multa opera bona faciat, etiam supererogationis; nõ enim dicit Dauid, non iustificabitur omne opus, sed omnis uiuens; uel dicendum cum Arnobio, Hilario, Hieronymo, & Euthymio in hunc locũ; non posse ullum iustificari si comparetur cum Deo: tam sublimis enim est Dei iustitia, vt eius comparatione omnis hominum & Angelorum iustitia, iniustitia uideatur, sicut candela accensa coram sole, non lucere, sed umbram facere videtur.

Argumentum QVARTVM. Verba Christi Luc. 17. inquit Martyr: *Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* istud cõmentum prorsus excludunt. & confirmat; nã seruus qdqd est, Dñi est, & quidquid facit, Dño facere tenetur.

RESPONDEO, Petrum non egisse hoc loco fidelem martyrem, nam omisit ea uerba in quibus latebat solutio; non enim Dominus ait, cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus, &c. Sed *cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Vnde AMBROSIVS libro de viduis: *Hoc*, inquit, *uirgo non dicit, hoc non dicit ille, qui bona sua uendidit, sed quasi reposita exspectat præmia, sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? non enim quasi inutilis seruus, quod debuit facere, fecisse se dicit, sed quasi utilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitis multiplicauit usuris, mercedem fidei, atque uirtutis, bene sibi conscius meritorum q̃, securus, exspectat.* Adde quod Dominus non ait, serui inutiles estis, sed dicite, *serui inutiles sumus*; vult enim nos humiles esse & non iactare nostra merita, sed ipse tamen postea dicit: *Euge serue bone & fidelis:* inutilem

autem seruum uocabit eum duntaxat, qui præceptis non obedierit, vt patet Matth. 24. in parabola de talẽ tis: *Inutilẽ*, inquit, *seruũ proijcite in tenebras exteriores.*

Ad confirmationem, fateor, seruum, quidquid est, Domini esse, & quidquid agit, in lucrum Domini cedere: at non inde sequitur ex debito eum facere quidquid facit: quid enim si uelit sibi de summo concesso aliquid subtrahere, ut pro Domino suo aliquid agat, nonne plus faciet quam tenetur?

Argumentum QVINTVM. Iubemur quotidie dicere Deo: *Dimitte nobis debita nostra*, ergo nunquam facimus quantum debemus, ergo multò minus facimus plus quàm debemus. RESPONDEO, quotidie nos Deo dicere: *Dimitte nobis debita nostra*, propter peccata uenialia, quibus in hac uita aut nunquam, aut rarò caremus, quibus tamen non obstantibus, & iusti esse & supererogationis opera facere possumus.

Argumentum SEXTVM. Apostoli Matt. 19. non solum non cogitauerunt de operibus supererogationis sed etiam de ipsa salute dubitarunt, dicentes: *Quis poterit saluus esse?* Quibus Dominus non ait, non solum salui esse, sed etiam supererogare potestis, sed ait: *Quæ impossibile est hominibus, possibile est apud Deum.* RESPONDEO, apud homines impossibile esse, & saluari, & opera supererogationis facere; apud Deum utrũque esse possibile.

Argumentum SEPTIMVM. Hieremias dicit: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, c. 48. Nemo autem est, cui non subrepat aliqua negligentia: ergo nemo satisfacit debito suo erga Deum. RESPONDEO, loquitur de negligẽtia graui, quæ amicitiam Dei tollat, unde in Hebræo פְּלִיָּה fraudem potius, quam negligentiam significat. sicut Hieronymus etiã vertit.

Argumentum OCTAVVM, Christus ait: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi, vos*, Ioannis 13. At Christus sic nos dilexit, ut pro nobis fit mortuus; ergo & nos debemus pro fratribus animas ponere, ut concludit Ioãnes, 1. Ioan. 3. at hęc est summa caritas, cui nihil addi potest: *Maiorem enim caritatem nemo habet, quam vt animam quis ponat pro amicis suis.* Ioan. 13. Ergo nullus remanet locus consilijs, & operibus supererogationis. RESPONDEO, non tenemur animas ponere pro fratribus, nisi quando id necẽsarium est ad eorum salutem æternã; si ergo id faciamus, cum non est necessarium, sed utile tantum, opus cõsilij & supererogationis faciemus. & similiter si proximo benefaciam, quando non est in extrema uel graui necessitate, opus facio supererogationis.

Argumentum NONVM, iubet Deus Deuteron. 4. nihil addi præceptis suis, malè ergo adduntur cõsilia.

RESPONDEO, iubet Deus nihil addi præcepto, quod ipsum corrumpat, non autem aliquid, quod ipsum perficiat; consilia autem perficiunt, non corrumpunt præcepta, ut patet. Vide plura, si libet, de hoc argumento in lib. 4. de Pontifice, c. 17.

Argumentum DECIMVM. Ita sumus Deo obligati, ut non possimus unquam facere, quantum debemus, ergo nunquam supererogamus. Antecedens patet; nam quidquid habemus boni, ab illo habemus ergo omnia nostra sunt ei debita, & si millies ꝓ Deo uitam ponemus, nunquam tamen reddemus ei aliquid æquale.

RESPONDEO, argumentum probat, potuisse Deũ à nobis exigere quidquid possumus, nõ tamen uoluisse. Constat enim ex diuinis literis, DEUM pro sua benignitate imposuisse nobis iugũ suaue, & onus leue. Præterea probat hoc argumentum, nunquam homines posse facere plus, quam debet, immò etiam nec quantum debet. si consideremus beneficia DEI nobis collata; nunquam enim ei reddemus æquale: & tamẽ possumus facere plus quàm debemus, si cõsideremus legem nobis a Deo impositam, & proinde possumus facere plus quã reuera facere teneamur: nam etsi non possim⁹ superare, aut æquare Dei bñficia nostris operib. tamen non ꝓpterea rei efficimur, quia non tenemur id præstare, sed id solum, quod Deus imperauit.

Argumentum VNDECIMVM ad Philip. 4. dicitur: *Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc facite, & Deus pacis erit uobiscum. Inueniant*, inquit Petrus Martyr, *isti acuti homines, quod huic præcepto paulo superaddi possit.* RESPONDEO, hęc omnia debere accipi negatiue, ut sensus sit; Nihil cogitetis, neq; agatis, nisi quod iustum est, quod verum, quod pudicum, &c. & hoc modo multa possunt superaddi affirmatiua; alioqui si iuberet Paulus, ut omnia, quæ sunt uera cogitarem⁹, deberemus cogitare, non solum omnem Scripturam sanctã, sed etiam totam Philosophiam, ac præsertim Mathematicas demonstrationes, quæ uerissimę sunt.

Argumentum DVODECIMVM. Te, inquit, interrogo an possis aliquid facere ultra legem, vel non? si non potes, cõuenimus; si potes, ergo teneris id facere; nã lex requirit omnes tuas vires, & quidquid potes: ergo implicat contradictionem, quod possis ultra legem aliquid facere. RESPONDEO, nego, legẽ requirere omnes vires, & quidquid possumus, solum enim requirit, ut impleamus, quod ꝑcipitur, siue nobis superent vires, siue non; alioqui primæ ad Corinthios septimo Paulus non potuisset dicere de homine soluto. *Quod vult, faciat: non peccat si nubat.* Sic enim argumentabor: aut ille potest cõtinere, aut non; si non, ergo tenetur nubere, ut Caluinus, & Martyr docent: si potest, ergo tenetur continere; lex enim requirit quid quid possumus; ergo nunquam datur tempus, quo liceat dicere: *Quod vult, faciat, non peccat, si nubat.*

Argumentum DECIMVMTERTIVM. Non caret superbia & arrogantia infinita, ut dicas, te plus facere quam tenearis, & Christo fit iniuria nõ vulgaris, qui frustrà dicetur mortuus, si valuisses legem præstare, aut plus efficere, quam in illa præceptum fuerit.

RESPONDEO, non timuisse istam superbiam infinitam illas virgines, quæ, teste Augustino, serm. 18. de verbis Apostoli, dixerunt; Amando te plus facimus, quam præcipis: neque illos omnes Patres, quos supra citauimus: sed hoc reuera non caret superbia infinita, propter tam debiles ratiunculas opponere se omnibus sacris Doctoribus, immò & ipsi Scripturæ, quod Petrus Martyr facit. Illud autem de Christo est manifesta calumnia; non enim dicimus, posse hominem suis uirib. aut sine Christi gratia legem seruare, vel aliquid superaddere.

Argumentum DECIMVMQVARTVM. Nolle Deũ plus amare, si plus possis, grauissimum peccatum est, ergo nihil potes superaddere, quod nõ debeas: probatur antecedens; primo, quia negat DEUM esse summũ bonum, qui non vult eum amare quantum potest; secundo, quia abutitur DEI dono, qui potest plus diligere, & non vult: nam posse plus diligere sine dubio DEI donum est. Adde, quod qui talentum abscondit, a DEO punitus est, Matth. 25. & peccatum est ingratitudinis, nolle facere quod potes pro eo, cui non potes referre paria.

RESPONDEO, nolle plus amare si plus possis, esse peccatũ, si ex cõtemptu id fiat, uel si necessitas exigat maiorẽ illum amorem; vel si id fiat ex superbia, quasi putes te satis esse perfectũ; uel deniq; si ex accidia & pigritia nolis ullo modo ampli⁹ proficere; id enim repugnat statui uiatoris, at si uelis quidẽ plus diligere, & proficere, sed iuxta conditionẽ, & gradũ tuũ, etiãsi nolis ad altiorem statum ascendere, quamuis possis,

non

non peccas. Verbi gratia, cui est imperatum, vt proficiscatur Venetias, si in media via consistat, & nolit progredi, peccat: at si velit progredi, sed per viã communem, non per compendia, & si velit in ipsa via ambulare, non currere, non peccat.

Igitur ad PRIMVM dico, illum negare Deum esse summum bonum, saltem factis, qui non vult eum sũmo amore diligere, id est, super omnia alia: qui autem diligit Deum super omnia, ille Deum habet pro summo bono, etiamsi eum non tam ardenter amet, quã fortè posset, vel non faciat pro eo omnia, quæ posset; alioqui semper essemus perplexi, immò etiam semp peccaremus. quantumuis enim ardenter Deum diligamus, semper tamen videmur paulò ardentius posse diligere, si paulo amplius conemur.

Ad SECVNDVM dico, illum abuti Dei dono, qui eo non vtitur quando est necessarium; qui autem paratus est eo vti, si necessarium sit, etiamsi nunquam fortasse vtatur, non dicitur eo abuti; nam ille cui Paulus dicit 1. Cor. 7. *Quod vult, faciat*, sine dubio potuit cõtinere, & tamen ei dicitur: *Non peccat, si nubat.* & B. AVGVSTINVS de bono coniugali, c. 21. dicit. Abraamum habuisse donum continentiæ, non minus, quã Ioannes habuerit, ita vt potuerit semper continere, & tamen nunquam continuisse, ne in extrema quidẽ senectute; & Ioannem Euangelistam habuisse donũ patiendi martyrium, non minus quam Petrum: & tamen non exercuisse illud donum, vt fecit Petrus: Accusare autem Abraamum, vel Ioannem, quasi donis Dei abusi sint, extremæ dementiæ est.

Ad illud de ingratitudine dico, non esse ingratum benefactori eum, qui benefactori adest, cum necessitas eius id postulat, aut cum ipse operam nostram requirit, & qui voluntati eius satisfacit; porrò Deus contentus est, vt legem eius seruemus, neque aliud a nobis requirit, etiamsi possimus plura præstare.

Ad illud de talentis dico, seruum illum fuisse damnatum, quia habuerat præceptum negotiandi; quomodo nunc qui habet talentum concionãdi, & simul habet præceptum, & quia est Episcopus, punietur, si non concionetur; at qui habet idem talentum, sed nõ habet præceptum, non punietur, vt patet de sancto Antonio, &c.

CAPVT QVARTVM.

Explicatur nomen & definitio voti.

SEQVITVR Disputatio tertia, quæ est de votis monasticis, cuius disputationis sex erunt partes. Primum enim exponemus breuiter nomen & definitionem voti. Deinde, explicabimus sententiam aduersariorum. Tertiò, probabimus omne quod fit ex voto esse cultum Dei. Quartò, vota non esse propria Iudæorum, sed etiam à Christianis rectè fieri ostendemus. Quintò, de rebus præceptis, qualis est promissio facta in Baptismo, non solere propriè fieri vota. Sextò, de rebus non præceptis, ac nominatim de continentia, paupertate, & obedientia, vota rectè fieri demonstrabimus.

Quod ad PRIMVM, nomen voti apud Latinos ambiguum est; significat enim promissionem & orationem, ac desiderium; dicimus enim suscepi votum cõtinentiæ, id est, promisi Deo continentiam; item, pro voto mihi continentia succedit, id est, vt desiderabã, & vota pro continentia Deo fudi, id est, precatus sum à Deo continentiam. Apud Græcos non est idem nomen pro voto, & oratione, tamen sunt duo affinia nomina; nam εὐχὴ significat votum, προσευχὴ orationem: apud Hebræos voti & orationis nomina nullã habent affinitatem; votum enim dr נֶדֶר oratio תְּפִלָּה cuius rei ea est ratio, quod apud Græcos & Latinos, cum hæc nomina inuenta sunt, non erat vlla vera pietas, & ideo nihil homines Deo, vel Dijs vouebant, nisi ad id, quod desiderabant impetrandum, & propterea semper votis annectebant preces, iuxta illud Virgilij Æneidos 6. *Cessas in uota precesq;*.

Hinc igitur Græci, vt obseruauit Gregorius Nyssenus orat. 2. in orationem Dominicam, vocauerũt orationem προσευχὴν, quia post votum fiebat, quod vocabant εὐχήν. Latini autem (vt diximus) eodem nomine promissionem Deo factam, & preces ad Deum appellabant. At Hebræi, quia Deum pie colebant, & absoluta etiam vota facere consueuerant sine vlla relatione ad preces, vt nos quoque Christiani facimus, propterea pprijs & diuersis noibus hęc duo nominabãt.

Potest autem definiri votum: *Religiosa promissio alicuius excellentioris boni, Deo facta libera uoluntate.* PROMISSIO dicitur, quasi contractus quidam inter Deum & hominem. Nec enim sufficit ad votum, proposuisse ac statuisse aliquid facere, nisi etiam promittatur; votum enim includit obligationem vnius ad alterum; non enim obligat votum solum ratione veritatis, id est, quia tenetur qui vouit, verum facere quod dixit, sed etiam ratione fidelitatis, quia tenetur alteri fidẽ datam seruare; hæc autem obligatio non potest nasci ex proposito solo, quod quis apud se concipit, sed necessario promissionem requirit. RELIGIOSA dicitur, vt significetur, cuius uirtutis actus sit uotum, nimirum religionis.

Est autem obseruandum, in uoto semper esse duas actiones; alteram materialem, alterã formalem. Materialis est, de qua fit votũ, vt ieiunate, sacrificare, &c. Formalis est ipsa promissio ieiunandi, vel sacrificandi, & promissionis ad impletio; quare formalis actio semper est actus religionis; materialis autem interdum est religionis, vt si quis voueat quotidie sacra facere, interdum alterius virtutis, vt si quis voueat sexta feria sẽper ieiunare. EXCELLENTIORIS boni dicitur, vt determinetur materia voti, nec. n. uoueri potest, nisi id, quod melius sit facere, quam omittere.

Ex quo perspicuum est, quinque rerum genera excludi a materia uoti. PRIMO peccata, vt cum Iudæi uouerunt se occisuros Paulum Act. 23. nam uouere peccata, nõ est Deo mun⁹ promittere, sed minari. SECVNDO, opera indifferentia, vt non ire ad forum; non enim potest Deo placere, quod est vanum & inutile: *Displicet enim ei stulta promissio*, Eccles. 5. TERTIO, opera impossibilia, vt si quis uoueat se profecturum in Hierusalem sine naui. QVARTO, opera necessaria, vt si quis uoueat se moriturum quando placuerit Deo. QVINTO, opera bona, quæ tamen maiora bona impediunt, ut si quis voueat se ducturum vxorem. Quã quam hoc ipsum certo tempore, ac certæ personæ potest esse melius facere, quam omittere: proinde tum erit legitima voti materia, etsi absolutè contra iudicandum sit.

DEO FACTA dicitur, vt intelligamus, vota differre à iuramentis, licet vtraque sint actus religionis, & in materia ferè conueniant; vota enim fiunt Deo, iuramenta hominibus per Deum; non autem hic excludũtur vota, quæ fiunt sanctis; nam vel ea sunt vota materialiter, non formaliter, vt quidam docent, qui existimant in votis Sanctorum duas esse promissiones; vnam Sanctis, quibus aliquid promittitur; alterã Deo, cui promittitur adimpletio promissionis factæ sanctis, & hanc solam propriè votum esse dicunt; uel (quod verius putò) uota fiunt uerè Sanctis, sed ut Sãcti sunt, id est, ut excellentissimo modo participant Dei naturam & gloriam, de qua re disputauimus in lib. 3. de Ecclesia triumphante, c. 10.

Addimus ultimò, LIBERA VOLVNTATE, ut distinguatur uotum à lege communi; uotum enim est lex quædã priuata, & obligat more legis, sed lex cõis obligat etiam nolentem, & inuitum; uotum autẽ est lex,

quam nos ipsi nobis ferimus, & proinde non obligat, nisi eum, qui sponte votum fecerit, & hinc nō habentur rata vota facta ante vsum rationis, nec ea, quæ propter ignorantiam, aut metum, censentur inuolūtaria.

CAPVT XV.

Explicatur status quæstionis.

IAM VERO, breuiter explicemus, quibus in reb⁹ ab aduersariis dissentiamus; Lutheri & Caluini sententia eadem esse videtur; vterque enim tria quædam de votis docet. PRIMVM, vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus præceptis, proinde vnum esse commune votum fidelium, promissionem illam, quam facimus in Baptismo.

SECVNDVM, vota de rebus a Deo non præceptis posse fieri, si non ad colendum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis, sed ad negotia huius vitæ expediti⁹ peragenda, aut ad vitanda peccata, aut ad alios bonos fines fiant: exempli causſa docet Caluinus, eum, qui sępe in vitium ebrietatis labitur, recte facturum, si voueat, se triduo aquam bibiturum, si iterum inciderit in ebrietatem; quomodo etiam existimat, A postolorum tempore viduas quasdam vouisse continentiam, vt expeditius fungerentur munere Diaconissarum.

TERTIVM, vota Monachorum impia, irrita & omnino soluenda esse, quod fiant cum opinione cultus, & tamen de iis rebus sint, quas Deus nusquam præcepit. Hæc omnia Lutherus docet in libro de votis monasticis, & Caluinus lib. 4. Institutionum, capite decimotertio. Nec dissimilia docent Confessio Augustana art. 27. & Confessio VVirtembergensis, c. de votis monasticis.

Petrus Martyr in libro de cœlibatu & votis monasticis, duo dicit pugnantia cum doctrina Lutheri & Caluini. PRIMVM est, vota in Testamento veteri fieri potuisse, vt etiam sacrificia & cæremonias ceteras; in nouo testamento fieri non posse, cum sint abrogata cum reliquis Iudaicis cæremoniis. SECVNDVM est, promissionem, quæ fit in Baptismo, non esse votum, in tertio dicto cum Luthero & Caluino concordat.

CAPVT XVI.

Omne quod fit ex voto, esse cultum Dei.

VT igitur ad disputationes veniamus, statuo hāc propositionem: *Omne quod fit ex voto, etiamsi alioqui non sit a Deo præceptum, vere & proprie est cultus Dei.* Hæc propositio est contra Lutherum & Caluinum, qui vota de rebus non præceptis, docent non posse fieri ad colendum Deum; quasi aliqua esse possint vera vota, quæ non sint cultus Dei. Probo igitur positam assertionem.

PRIMO, vouere est actus religionis, ergo & reddere siue implere votum est actus religionis, siue fiat de re præcepta, siue non præcepta. Probatur antecedens ex illo Isaiæ 15. *In illo die cognoscent Aegyptij Dominū, & colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt, & soluent.* Vbi posteriora sunt explicationes priorum; vota enim munera sunt. Præterea hæc est natura voti, vt rem alioqui non ordinatam ad Dei cultum, ordinet ad cultum Dei, iuxta illud Deut. 12. *Quidquid sanctificaueris & voueris, &c.* Denique, fatetur Caluinus li. 4. c. 13. §. 2. vouere esse officium religionis. Probatur iā consequentia; nam promittere & soluere, ad eandem virtutem pertinent; sed per id, quod fit ex voto, etiam si non præceptum, impletur votum. ergo per id colitur Deus.

SECVNDO, omne votum est promissio Deo facta, vt etiam Caluinus docet initio cap. 13. lib. 4. Instit. ergo votum quodcunque implere, est fidem Deo seruare; at seruare Deo fidem, est Deum immediate colere, & honorare; sicut è contrario fidem ei non seruare, est iniuriam illi facere, ergo cuiuslibet voti impletio cultus Dei est.

TERTIO, omne iuramentum est cultus Dei, etiam si fiat de re non præcepta; vt, si quis iuret, se non bibiturum vinum, vt Caluinus ipse affirmat libro 2. capite 8. §. 23. Institutionum, ergo & votum de re eadem erit cultus Dei. Probatur consequentia; nam adeo similia sunt iuramenta & vota, vt in Scripturis sæpe iuramentum pro voto accipiatur, vt patet Numer. 30. *Si mulier*, inquit Scriptura, *habens virum, vouerit aliquid, & verbum de ore egrediens, animam eius obligauerit iuramento, voti rea erit, reddet quod promisit, &c.* Præterea, sicut per iuramentum de re non præcepta facie da, honoramus Deum, quia protestamur, eum esse immutabilem veritatem, & veritatis assertorem; ita per votum de re non præcepta, sed tamen bona, Deum honoramus, quia protestamur ei, vt summo bono; placere actus virtutum.

QVARTO, soluere ex voto aliquid non præceptum, sed tamen bonum, falsis Dijs, est peccatum, & non aliud, quam idololatriæ, ergo soluere Deo vero ex voto rem eandem, erit actus latriæ.

QVINTO, si quis voueat abstinere per triduum a vino, & non faciat, sine dubio peccat: at non peccat peccato intemperantiæ; non enim est actus necessarius temperantiæ abstinere a vino: ergo peccat, quia Deum afficit iniuria, non seruando illi fidem, ergo si abstineat Deum honorat.

SEXTO, omni actu virtutis etiam non præcepto, nec ex uoto facto, sed facto tamen propter Deum, colitur Deus: ergo multo magis, si is actus fiat ex uoto, eo Deus coletur. Probatur antecedens. PRIMO, Scripturæ testimonio; nam Lucæ 2. dicitur Anna seruisse Deo ieiunijs & orationibus, & est uerbum λατρεύουσα, quod proprie cultum significat, Philipp. 2. *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam placentem & acceptabilem Deo.* Hebr. ultimo: *Beneficentiæ & communicationis nolite oblīuiscī; talibus enim hostijs promeretur Deus.* Iacobi 1. *Religio mūda apud Deum est visitare pupillos & viduas, &c.* Quæ omnia intelliguntur etiam de Eleemosyna non præcepta.

SECVNDO, ex Patribus. Nam TERTVLLIANVS libro de resurrectione carnis ait: *Nam sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & seras, & aridas escas, & appendices huius officij sordes, caro de proprio suo incommodo instauratur, virginitas quoque, & viduitas, & modesta in occulto matrimonij dissimulatio, & una notitia eius, de bonis carnis Deo adolentur.* EPIPHANIVS hæres. 48. uirginitatem & abdicationem rerum uocat approbatum Dei cultum. HIERONYMVS lib. 1. in Iouinianum: *Illa*, inquit, *virginitas hostia est Christo, cuius nec animum cogitatio, nec carnem libido maculauit.* AVGVSTINVS libro de bono uiduitatis, capit. 9. de continentia loquens: *Nulla*, inquit, *Christo subtrahatur oblatio, &c.* & lib. 10. de ciuitate Dei, ca. 6. sacrificium uocat omne opus bonum propter Deum factum; certum autem est, sacrificium proprie cultum esse Dei.

SEPTIMO, uotum de re præcepta non est uerum & proprium uotum, nisi quatenus res illa concipitur ut non præcepta, ut paulo post ostendemus; igitur uel totū de re non præcepta cultus Dei est, uel nullum uotū est cultus Dei, sed hoc est falsum, ergo illud uerum.

OCTAVO, si uotum de re non præcepta, non est cultus Dei, ergo nec ipsum uouere absolute est cultus Dei; nam ipsum uouere nusquam est præceptum. at hoc est contra ipsum Caluinum, qui docet, uouere esse actum religionis.

NONO,

NONO, probatur exemplis scripturarum. Nam primum votum legitur Gen. 28. *Votum vouit Iacob, si fuerit Dominus mecum, &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi, vocabitur domus Dei, cunctorũ que, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quod hoc sit votum de re non præcepta, patet, quia alioqui peccasset Iacob faciendo votum conditionatũ de re præcepta. Quod autem hoc votum fuerit factum ad colẽdum Deum, patet, nam habere lapidẽ pro domo Dei, id est, pro ara, & offerre decimas, sunt actus religionis. Aliud votum fuit Dauidis de extruendo templo, de quo Psalm. 131. *Votum vouit Deo Iacob, &c.* quod hoc votum fuerit de re non præcepta, patet ex lib. 2. Reg. c. 7. vbi Deus audito hoc voto Dauidis, & laudata eius voluntate, dicit se non præcepisse, vt sibi fieret templum, nec velle fieri à Dauide. Quod autem Dauid hoc loco uoluerit colere Deũ, patet, quia exstruere templum est actus religionis.

Denique omnia vota, quæ leguntur in Scripturis, Leuit. 27. Num. 6. & 30. Deut. 12. & 23. vota erant de rebus non præceptis, vt ex ipsis locis patet, & tamen quod placerent Deo, patet, quia seueriſſimè illorum solutionem exigebat: *Si votum voueris*, inquit Deute. 23. *non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Vbi clarè vides, votum liberè factum, à Deo seuerè exigi.

Sed soluamus argumentum illorum. Sic igitur argumentantur: Omnis cultus voluntarius, id est, quẽ Deus non præcepit, Deo placere non potest; ergo nõ debet fieri votum de re non præcepta ad colendum Deum. Probatur antecedens, nam Coloss. 2. Apostolus reprehendit omnem ἐθελοθρησκείαν, sic enim est in Græco, quod noster interpres vertit, superstitionẽ, & Rom. 14. ait: *Quod non est ex fide peccatum est.* Quibus verbis indicat, peccatum esse id aggredi, quod fides ex verbo Dei concepta nõ ostẽdit, qualiter a Deo æstimetur; tales aũt sunt omnes cultus voluntarij.

Ad illud, ad Coloss. 2. de ἐθελοθρησκείᾳ, quidam respondent, Paulũ eo loco non accipere in malam partem cultum voluntarium, sed in bonam. tamen quia vulgata editio vertit, superstitionẽ, & Hieronymus in epistola ad Algasiam, q. 10. Augustinus in epist. 59 ad Paulinum, q. 7. Ambrosius, Theodoretus, Oecumenius, & alij omnes in hunc locum, accipiunt eam vocem pro simulata religione: dicendum est, Apostolum hoc loco voluntarium cultum appellare non eas actiones, quæ non sunt a Deo præceptæ, id enim repugnaret plurimis scripturarum testimonijs, vt iã probauimus, sed eas, quæ nec à Deo probatæ, vel commẽdatæ sunt, nec reuera ex natura sua sunt materia cultus, sed sunt res inanes, & tamen ab aliquibus vsurpãtur quasi essent cultus; quales sunt qui dicuntur superstitiosi cultus, vt cum aliqui ponunt religionem in numero lotionum, vt Iudæi olim faciebat, & Turcę hoc tempore faciunt, qui putant valde se colere Deum, si toto corpore sæpius loto ad orandum accedant; loquitur enim Apostolus de ijs, qui se abstinebant à cibis quibusdam; tanquam natura sua immundis, & in eo ponebant religionem, si tales cibos nunquam attingerent.

Ad illud ex Rom. 14. dico cum communi expositione veterum, fidem accipi pro conscientia, vt sensus sit, peccatum esse id omne, quod fit contra conscientiam. Sed admissa etiam Caluini expositione, non uideo, qua ratione inde colligatur, non placere Deo cultus, quos ipse non præcepit; nam fides ex uerbo Dei concepta, non ostendit solum placere Deo, quę ipse præcepit, sed etiam quæ ipse consuluit; & quæ neque præcepit, neque consuluit, sed tamen ex se bona sunt: ut patet ex infinitis locis, vbi iubet sibi reddi vota sponte facta.

CAPVT XVII.

Non fuisse Iudæorum proprium vota facere, sed cum Christianis etiam id esse commune.

REFELLENDA nunc est Petri Martyris sententia, qui in libro de votis, & cœlibatu contra Smithæum aduersus omnes, cum Catholicos, tum hæreticos, omnia omnino uota Christianis interdicit. *Quare*, inquit, *vt aliæ cæremoniæ per Christum sublatæ sunt, ita & vouendi ratio debet facessere.* Et infra: *Quare votum, licet antiquitus potuerit vsui esse, cum ad legis cæremonias pertineret, modo explosum est.*

Hæc sententia PRIMO refellitur ex illa prædictione Isaiæ 19. *Colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Hæc enim de Christianis prædicta esse, S. Hieronymus, S. Cyrillus, & ceteri oẽs in commentario huius loci apertissimè docent.

RESPONDET Martyr, hæc quidem de Christianis dici, sed per vota & hostias non intelligi vera vota, veraſque hostias, sed cultum spiritualem & Christianũ. Dicit enim, Isaiam cum Iudæis loqueretur, per ea, qbus tunc Deus colebatur, explicare voluisse cultum postea futurum; non enim aliter Iudæos intellecturos fuisse, quæ dicebantur.

Sed refellitur hæc solutio; nã inprimis etiamsi non habeamus easdem hostias, neque eadem vota, quæ Iudæi habuerunt, tamẽ si nulla haberemus, malè expliciſſet Isaias cultum Christianum per hostias & vota; non enim explicatur aliquid per id, quod nullo modo ei simile est. Longè melius explicuisset per contradictorium, si dixisset: Non colent hostijs, nec vota vouebunt; tunc. n. omnes intellexissent cultum quidem futurum, sed non qualis tunc erat. PRÆTEREA expositio ista Petri Martyris non potest probari, nisi assumatur vt certum id, quod est in quæstione. Nam si petas ab eo, cur illa verba: *Vota vouebunt, & soluent*, exponere velit metaphoricè potius, quam propriè, nihil aliud respondebit, nisi quia propriè exponi nõ possunt cũ apud Christianos nulla essent futura vota. At hoc est, de quo contendimus; An Christiani sint vota facturi, & cum ille neget, nos asseramus, quis non videt verbum Dei à nobis facere, cũ de Christianis dicat: *Vota vouebunt, & soluent*?

SECVNDO, idem probatur ex illa exhortatione Ps. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, &c.* tametsi enim Petrus Martyr contendat, hæc Iudæis tantũ dici, tamen longè aliud docent sancti Patres, ex quibus beatus Augustinus hunc locum ita enarrat, non Iudæis, sed Christianis loquens: *Quisque quod potest voueat, & reddat, non sitis pigri ad vouendum; non enim viribus vestris implebitis.*

TERTIO, idem probatur ex illis verbis beati Pauli prioris epistolæ ad Timotheum, ca. 5. vbi de viduis quibusdam dicit: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco per primam fidem omnes omnino interpretes, tum Græci, tum Latini, intelligunt votum continentiæ. S. Augustinus in Psal. 75. *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerut? vouerunt, & non reddiderunt.* Sed de hoc loco infra fusè disseremus, nunc solum innuisse sufficiat. Omnia quoq; testimonia & argumenta, quæ proferemus, ad probandum vota monastica esse licita, huc etiam referri possent.

VLTIMO, votum nõ est cęremonia Iudaica, nulla igitur causſa est, cur solis Iudęis, & nõ etiam Christianis liceat vouere; nam inprimis vouendi actus solamente perfici potest. Tametsi. n. ore quoq; vouere solemus, tamen etiam sine vlla voce solo cordis motu votum emitti potest; cæremoniæ autem omnes res sunt exteriores & sensibiles, ut notum est, non igitur

vota ad cæremonias, sed ad internum cultū pertinēt.

DEINDE, licet vota cæremoniæ essent, non continuo Iudaicæ essent; multæ enim sunt cæremoniæ ōm ni hominum generi, & omni religioni communes, vt genua flectere ad orandum, manus attollere, cœlum aspicere, tundere pectus. Et denique, illæ solæ dicūtur proprie Iudaicæ cæremoniæ, quæ vel a Mose sunt institutæ, vel Christum venturum significabant, quam uis ante Mosem cœperint; & proinde Christo aduenīente cessauerunt.

Porro vota non cœperunt a Mose; nam Iacob Patriarcha, *votum vouit*, Genes. 28. longe antequam Mo ses nascereturneq; vota ad Christum venturū significandum instituta sunt. Quid enim habent cum Christo venturo vota ieiuniorum, continentiæ, eleemosynarum, & similia? Nec demum cum Mose cessarunt. Nam licet in Ecclesia Christi post Euangelij plenam promulgationem cessauerit circumcisio, sacrificia ouium ac boum, & alia id genus, tamen vota nūquam cessauerunt, vt patet vel ex vno loco sancti AVGVSTINI: siquidem in illud Psal. 75. *Vouete & reddite*, sic ait de Christianis sui temporis. *Alius vouet Deo castitatē coniugalem, vt præter vxorem non nouerit aliam. Alij ēt vouent, etsi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere, et ipsi vouerunt aliquid maius, quam illi. Alij virginitatem ipsam ab incunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt; & isti vouerunt plurimum. Alij vouent, domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus, magnum votum vouent. Alius vouet, relinquere omnia sua, distribuendo pauperibus & ire in cōem vitā, in societatē Sanctorū, magnum votū vouit.* Hæc ille.

Ac ne forte respondeatur, vouendi cæremoniam esse iure abrogatam, sed non facto, ac non defuisse qui vouerint, sed eos fecisse, quod non licebat: considerandum est, non quoslibet homines, sed doctissimos & sanctissimos, vt Augustinum, Basilium, Hieronymum, Bernardum, alios q; permultos vota vouisse, & laudasse, quorum testimonia postea afferentur; nunc Augustinum sufficere posse putaui, præsertim cum id aduersarius noster non neget.

Respondet. n. Martyr, nō esse curandum, quod homines, etiāsi inculpati, & sine controuersia Deo grati, fecerint, quia non illorum vita, sed verbum Dei est regula nostræ fidei. quod quidē accepit Martyr a Luthero, qui in libro de abrogāda Missa fusissime docet, non esse cogitandum, quid Sancti fecerint, sed quid facere debuerint secundum regulam verbi Dei.

AT QVOMODO, quæso, potest fieri, vt inculpati & Deo grati fuerint, qui vota frequentarunt in Christi Ecclesia, si vota ad cæremonias Iudaicas pertinent? Certe, si qui hoc tempore, vel circumcisionē, vel Sabbathum, vel sacrificia cruenta publice celebrarēt, nullo modo inculpati & grati Deo esse possent, præsertim si nulla ignorantia laborarent. Si ergo vota similia sunt circumcisioni, & sacrificijs cruentis, vt Martyr affirmat, quomodo inculpati, & grati Deo fuerunt Basilius, Augustinus, Bernardus, & alij doctissimi viri, qui vota fecerunt, & alijs facienda suaserunt?

DEINDE non est nostra quæstio, verbū Dei ne, an exēpla Sanctorū pro regula fidei & morū habere debeamus, sed vtri verbū Dei melius intellexerint, Petrus Martyr, Caluinus, Lutherus, & similes homines, an viri illi, quos sanctissimos, & doctissimos fuisse vtrique confitemur; exempla. n. Sanctorum nō repugnāt verbo Dei, sed explicant, aut declarant, ideo & Apostolus dicebat: *Imitatores mei estote*. Et Christus Matthæi 5. viros sanctos cōparat lucernæ positæ super cādelabrum, quæ lucet omnibus, qui in domo sunt, neque huic veritati repugnat, quod ēt sancti interdū labuntur, vt patet de ebrietate Noe, de adulterio Dauidis, de simulatione beati Petri, q̄ Paulus reprehēdit; non. n. omnia facta Sanctorum imitāda esse dicimus, sed ea solum, quæ neq; pugnant aperte cum regula fidei, neq; inueniuntur vel a Scriptura, vel ab alijs sanctis viris reprehensa, sed contra potius a pijs, & doctis passim laudata. Eiusmodi autem esse vota, nemo negare potest, nisi qui vel nihil legerit, vel nihil credat.

CAPVT XVIII.

Soluuntur obiectiones.

SED audiamus nunc obiectiones Petri Martyris, vt videamus, an habuerit aliquam, si non iustam, saltem probabilem causam recedendi a communi sententia omnium pene tum Catholicorum, tum hæreticorum.

Obiectio PRIMA. In Testamento veteri frequens est mentio votorum, in nouo ne nominatur quidem votum, nisi cum sermo est de votis Iudaicis, vt Actor. 21. igitur vota ad cæremonias Iudaicas pertinent.

RESPONDEO, nomen voti in Testamento nouo nō habetur, res tamen habetur, vt ostendimus ex Apostolo, & infra clarius ostendemus; sed etiamsi non haberetur, sufficerent testimonia veteris testamēti cum vsu & explicatione Ecclesiæ. Moralia enim præcepta, vel documenta Scripturæ veteris, non minus ad Christianos, quam ad Iudæos pertinent; idcirco enim assidue in Ecclesia leguntur Psalmi, quod pleni sint moralibus documentis.

Et sane, si Martyris argumentum valeret aliquid, concluderet etiam, vsuram Christianis non esse prohibitam; nam vsura in Psalmis, & Prophetis passim prohibetur, in Testamento nouo non legitur prohibita sub nomine vsuræ, colligitur quidem vsuræ prohibitio ex illo loco: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, Luc. 6. sed multo obscurius, quam votum colligatur ex illis verbis Pauli, quia primam fidem irritā fecerunt; nam ista verba omnes Patres de voto intelligunt, illa non omnes intelligunt de vsura; nam S. Basilius in cōmentario Psal. 14. sanctus Ambrosius in libro de Tobia, cap. 16. sanctus Hieronymus in commentario in Ezechiel. c. 18. & aliqui recentiores contendunt in illis verbis non prohiberi vsuram, sed consilium dari diuitibus, vt dent mutuo sine vlla spe sortem ipsam recuperandi.

Si igitur vsura iure diuino prohibita est Christianis, licet expresse eiusmodi prohibitio nō habeatur nisi in veteri Testamēto, quanto magis religio vouendi licita erit Christianis, cū & res, & nomē voti in Testamēto veteri, res autem in nouo expresse contineatur?

SECVNDA obiectio. Quotquot fidem Christi profitemur, eo ipso toti sumus illi obstricti; quid igitur voto nos rursus ei tradimus? ridiculus porro haberetur filius, qui tabulis obsignatis atque testibus vellet sese patriæ protestati subdere. Idcirco qui vota nuncupāt, aut se fatēātur nō esse Dei, aut intelligant, q̄ uouēdo stulte agant, dum, quemadmodum dicitur, actum agunt. Legē cauit Deus, ne Israelitæ primogenita ex pecoribus sibi nouerent, non alia sane ratione, nisi qd iure sibi debebantur; propterea cum nos iam Christi membra simus, & Deo omnibus modis obstricti, non minus quam primogenita antiquitus erant, non est permittendum, ut uoueamus. Hæc ille.

RESPONDEO dupliciter. PRIMO, retorquendo argumentum; nam quemadmodum Christiani Deo sunt obstricti ratione creationis, & redemptionis, sic etiam Iudæi obstricti erant Deo ratione creationis, & liberationis de Ægypto, igitur etiam illi uouere non poterant, ne actum agerent.

Respondet Petrus Martyr, nos quidem vouere non posse, quia non solum Deo obstricti sumus, sed etiam scimus, obstrictos nos esse luce iam Euangelij

coru-

coruscante; illi autem uouere poterant, & debebant, vt admonerentur hac ueluti pædagogia perpetuo debito se ac sua omnia Deo obstricta esse.

At nullo negotio hæc solutio refelli potest: nã qui apud Iudæos uouebant, non erant solum imperiti aliqui homines, sed etiam Prophetæ sapientissimi, qui melius nouerant debitum nostrum cum Deo, quam vlli nostrum sciant. Dauid Propheta sapientissimus: *Votum vouit Deo Iacob*, Psal. 131. & Principes ad uouendum hortatus est lib. 1. Paral. cap. 29. ubi hæc addidit, ut os obstrueret Petro Martyri, iudicans se, & suos non ignorare omnia esse Dei: *Quis*, inquit, *ego, et quis populus tuus, vt possimus tibi hæc vniuersa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Præterea, si Iudæi hoc ignorassent, nõ potuissent per uota huius debiti admoneri, sed potius contrarium ex sua uouendi consuetudine colligere potuissent: nam si non possumus uouere Deo quæ ipsius sunt, qui uouet, admonetur se aliquid habere qđ non sit Dei. Itaque pædagogiam ualde malam Deus Iudæis tribuisset, si esset uera Martyris sententia. Vo luisset enim eos assuescere faciendis uotis, ut admonerentur omnia esse Deo obstricta, & interim contrarium euenìret.

Respondeo Secvndo ad argumẽtum directe, nos & omnia nostra Deo esse debita & obstricta ĩ hoc sensu, quod omniã ab illo accepim⁹, & eius beneficio retinemus, & proinde potest ille, si uelit, omnia repetere, & nos tenemur quidquid ille iusserit facere: tamẽ quia ille multa nobis libera relinquit, in quib. possumus prò arbitrio, hoc aut illud facere, idcirco multa sunt Dei & nostra simul; Dei, quia eius beneficio illa habemus; nostra, quia possumus pro arbitrio de illis disponere, dummodo non contra Deum. Quocirca quando vouemus, & offerimus aliquid Deo, de rebus eius damus, & tamen verè damus, quia res illæ etiam nostræ erant, & potuissemus non dare. Vnde Concilium Aravsicanvm can. 11. *Nemo*, inquit, *quidquã Domino recte uouerit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur, quæ de manu tua accepimus, damus tibi.*

Ad illud exemplum filij familias, qui ridiculus esset si tabulis obsignatis se subdere vellet patri, respondeo; filium familias ridiculum fore si tabulis obsignatis se patri subdere uellet in ijs rebus, in quibus necessario parere tenetur, & de quibus imperium patris iã habet, at non fore ridiculum si in ijs rebus se subdat, in quibus alioqui sui iuris erat, Nec enim parentes possunt omnia quæ volunt filijs imperare, & in ijs etiam quæ possunt, sæpe non imperant, sed dant filijs optionem; exempli caussa, liberum est filijs vxorem ducere, vel non ducere, nec possunt in ea re à parentibus cogi, si tamẽ quis patri polliceatur se facturum in eo negotio, quod is imperauerit, tenebitur stare promissis,

Ad illud autem de primogenitis pecorũ, quæ Deo vouerì non poterant, quia Dei erant, respondeo, hoc ipsum sententiæ nostræ fauere: nam ideo primogenita pecorum uoueri non poterant, reliqua autem uoueri poterant. tametsi omnia Dei sint: (*Domini enim est terra, & plenitudo eius*, Psal. 23.) quia deus Leui. 27. non reliquerat Iudæis liberam dispositionem primogenitorum, ut reliquerat rerum ceterarum. Sic igitur & nos non uouemus ea quæ non sunt in nostra potestate, sed ea solum, quæ deus libera nobis reliquit.

Sed instat Petrus Martyr. Nihil est liberum, nihil indifferens in particulari, licet in genere dicãtur quædam ἀδιάφορα, quia nec omnib. nec omni tempore conueniant: nam cum aliquid occurrit expetendum, vel reijciendum, aut illud repugnat saluti propriæ vel aliorum, & necessario reijciendum est; aut conducit saluti propriæ uel aliorum, & necessario expetendum est, si uerè deum & proximum diligimus.

Respondeo, falsum esse membrum hoc postremum; non enim necessario expetendũ est quod conducit saluti propriæ uel aliorum, alioqui non diceret dominus, deuteron. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Neque Apostolus diceret, 1. Corint. 7. *Quod vult, faciat; non peccat, si nubat.* Qui enim potest sine peccato facere quod uoluerit, id est, nubere, aut non nubere, uouere, aut non uouere, certe nec necessario cogitur expetere nuptias, aut uotum, nec necessario illa reijcere. Illud ergo solum necessario est expetendum, quod necessarium est ad salutem; quod uero uti le est, non necessarium, utiliter quoque, non necessario expetitur.

Obiectio Tertia. Libertas Euangelica, in qua nos Dominus constituit, minuitur per uota, non igitur Christianis licet uouere. Antecedens probatur: nam Christus libera esse uoluit genera vitę, quod nec omnibus, nec omni tempore conueniant. Qui autem uouent unum genus uitæ, necessarium sibi illud faciunt, ut iam non possint ad aliud transire. Item, Christus nos a lege exonerare constituit, qui autẽ uouent, se magis ac magis impediunt legib. Cur, inquit Martyr, non se liberos seruant? si nolunt recte agere, nisi lege adigãtur, se magis ad seruitutem legis, quàm ad regnum gratiæ & fidei pertinere declarant.

Respondeo Primo, retorquẽdo argumentũ: nam si Christus libera esse uoluit genera uitæ, cur ipsi se legib. matrimonij adstringunt? nec minus enim impedit coniugium a cœlibatu, quàm uotum cœlibatus a coniugio. Deinde, si Deus liberos nos a legib. esse uoluit, & genera uitæ libera nobis reliquit, qd est quod paulo ante Martyr dicebat, nihil esse liberum, nihil indifferens, sed omnia omnino aut præcepta, aut prohibita? Itaque prædicant uerbo libertatem Euangelicam, & interim imponunt legem importabilem, & qualem nullus unquam tyrannus imposuit.

Secvndo respondeo, libertatem Euangelicã non esse libertatem (ut illi somniant) a lege, sed a peccato, Rom. 6. *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Item a cæremonijs Iudaicis quæ erant umbræ futurorum, ac demum a timore, & seruitute, non autem ab obligatione legis: qui enim caritate, quæ est proprie gratia Testamenti noui, & libertas Euangelica, præditus est, lege quidem tenetur, sed non est sub lege, quia libenter implet legem. Sed de hac re alibi sæpe tractauimus.

Obiectio Qvarta. Qui uouet iniuriam Deo facit: nam in primis repugnat illi, faciens necessaria quę ille uoluit esse libera. Deinde arguit Deum uel insipientiæ, uel inuidiæ: nam uoto se obligat ad unum genus uitæ, ut eo modo perfectior euadat; quasi Deus, qui eum ad illud uitæ genus non obligauit, aut non sciuerit ei tam bene prospicere, ut ipse sibi prospexit, aut certè inuiderit illi istam maiorem perfectionem.

Respondeo, nullam fieri Deo iniuriam per uota, quia ipse uoluit esse libera genera uitæ negatiuè (vt sic loquar) non affirmatiuè, idest, noluit obligare, sed reliquit in arbitrio nostro, ut quisque ad quod uel let se obligaret. Quod itaque non obligauerit nos, benignitas eius fuit: quod uero per uota ipsi nos obligemus ad id, quod illi gratius esse scimus, gratitudo, & pietas est: & sicut non pugnant benignitas Domini, & gratitudo serui, sic etiam non pugnat quod nobis necessaria faciamus, quæ libera Deus nobis reliquit: neque insipientiæ aut inuidiæ illum arguimus: nam quod facimus, eius consilio, & admonitione facimus; etsi enim non imperauit nobis maiorem illam perfectionem, ad quam per uota tendimus, consuluit tamen, & admonuit, ut ad eam aspiraremus; de qua re paulo post agemus.

CA-

CAPVT XIX.

Non esse propriè votum promissionem, quæ fit in Baptismo.

SEQVITVR ordine quinta pars disputationis, ī qua refellenda est sententia Lutheri & Caluini, quod promissio, quæ fit in Baptismo, uotum proprie dici de beat. Sunt autem quædam antea prænotanda. PRIMVM est, quæstionem esse inter Theologos, num res a Deo imperatæ sub uotum propriè cadere possint. Quidam. n. id negant, vt S. Thom. & S. Bonauent. in 4. dist. 38. Alij verò affirmant, vt recentiores quidam, Dominicus à Soto lib. 7. de iustitia, & iure, q. 1. art. 3. & Alphonsus a Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 10.

Sed conciliari possunt hæ sententiæ: nam duobus modis fieri potest uotū de re præcepta, uno modo cū intentione se obligandi, etiamsi res illa præcepta non esset: alio modo cum intentione solum acceptandi, & testificandi obligationem, quæ antea erat. PRIORE modo loquuntur auctores posteriores, & recte docēt res etiā a Deo imperatas, proprie posse uoueri si concipiantur ut liberæ, & qui uouet, intendat ad eas se obligare noua obligatione: nam qui cœlibatum Deo vouit, non minus proprie censetur sacrilegus si fornicetur, quam si nubat: ex quo sequitur, non fornicari esse ēt materiam uoti propriè dicti, licet alioqui præceptum sit; pari ratione qui post uotum paupertatis furatur, non minus sacrilegus est quam si res suas, quas iam dimiserat, repetat: ex quo intelligimus non furari, quod præceptum est, posse sub uotū cadere, ut res suas dimittere, quod non est præceptum, sed consiliū. Vide S. Thomam in 2. 2. q. 186. art. 10. ubi admittit religiosos bis peccare si furentur, aut fornicentur, quod & contra legem communem, & contra uotum proprium delinquant.

POSTERIORE modo loquuntur auctores priores, qui recte docent, res præceptas nō cadere propriè sub votum, si accipiantur ut præceptæ, ideſt, si quis dum eas recipit se facturum, nihil noui promittit, sed solū agnoscit & recipit obligationem, quam lex ipsa secū affert: qualis fuit illa promissio Hebræorū, Exod. 19. *Cuncta quæ loquutus est Dominus, faciemus.* Vbi enim non est intentio nouæ obligationis, nullum esse uotū propriè dictum constat.

SECVNDO loco prænotandum est, in Baptismo omnes Christianos promittere se legem Dei seruaturos, atque ex eo tempore abrenunciare Diabolo, & pompis eius; id. n. & rit⁹ Baptismi testatur, & Patres apertissime docent, ut Tertul. lib. de corona militis, S. Cyprianus lib. 1. epist. 9. S. Basilius lib. de Spiritu sancto, c. 27. S. Hieron. in Apologia 1. contra Ruffinum prope finem. S. August. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 33. S. Gregorius homil. 29. in Euangelia, & Beda lib. 3. histor. Anglorum, cap. 19.

Quæstio igitur est; An ea promissio sit solum quædam testificatio, & acceptatio obligationis, quam lex Dei secum affert, proinde non appellanda uotū, nisi forte impropriè, & largo modo: An uero sit noua promissio nouam obligationem includens, atq; adeo uotum proprie dictum. Martinus. n. Lutherus in lib. de uotis monasticis, & Ioannes Caluinus lib. 4. inst. c. 13. §. 6. votum primarium esse docēt promissionem illā, quam facimus in Baptismo, cuius cōtrarium affirmat communis sententia Theologorum. in quarto sentētiarum, distin. 38. Quæ sententia quoniam uerissima est, his argumentis confirmari potest.

PRIMVM, uota, ut in Scripturis accipiuntur, spontanea ac uoluntaria, non necessaria esse debent. Sic enim legimus Deuteron. 23. *Si votum uoueris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absq; peccato eris.* At promissio, quæ fit in Baptismo, necessaria est, neque de illa potest dici, si nolueris polliceri, absque peccato eris. Omnes enim ad Baptismum suscipiēdum diuina lege obligantur, neque Baptismus sine illa promissione ab Ecclesia datur.

SECVNDO, uota paruulorum a parentibus edita, rata nō sunt, nisi ab ipsis, quorum nomine facta sunt, postmodum in ætate adulta confirmentur; id enim docet S. Bernardus in epist. 1. ad Robertum, & apertissima ratio id ipsum confirmat, quia votum est lex particularis, quam sibi quisque imponit, si vult, ac proinde uoluntatem propriam necessario exigit. At promissio quæ fit in Baptismo paruulos obligat, ita ut postea; uelint nolint, cogantur eam habere ratam, etiā si non per se, sed per alios eam ediderint; igitur non ex voto, sed aliunde vim habet obligatio, quæ suscipitur in Baptismo.

TERTIO, si ea promissio uotum esset proprie dictū, omnia Christianorum peccata essent duplicia, quia contra legem, & contra uotum; omnia essent sacrilegia, quia contra uoti religionem; nec minus peccaret secularis fornicando, aut furando, quam religiosus, ut patet. At hæc omnia communi fidelium sententiæ ac iudicio repugnant, non igitur illa promissio uotum est propriè dictum.

QVARTO, illa promissio, quæ fit in Baptismo, si uotum esset, certè aut explicitè, aut implicitè uoti obligationem contineret. At non explicite continet, nec enim fideles dum baptizantur explicatam intentionem habent, aut habere debēt se obligandi, nisi quantum ex ipsis Dei legibus obligātur, quod autem nec implicitam obligationem contineat, ita probatur; si esset implicitum uotum in Baptismo, aut esset ex lege Ecclesiæ annectente hoc uotū Baptismo, cūi adiūctum est uotum continentiæ Sacramento ordinis; talis autem Ecclesiæ lex nusquam exstat: aut esset ex natura ipsa religionis Christianæ, ut quemadmodū connexa sunt uota monastica ordinib. religiosis: ita etiā annexum esset Christianæ religioni uotū renunciandi Diabolo, & pompis, atque operib. eius. Sed neque hoc dici potest: nam religio Christiana cum sit omnibus necessaria, uincula habere debuit, diuinas leges, quæ necessario ab omnib. seruandæ sunt: ordines uero religiosi, quia non necessitatis, sed uoluntatis sunt, uincula quoque non necessaria, sed uoluntaria habēt, qualia sunt omnia uota proprie dicta.

Accedat POSTREMO, quod cum nō sit ullo modo necessarium, neq; etiam admodum utile de ijs rebus, quæ sunt in præcepto, uota facere, non est credibile Deum, aut Ecclesiam uoluisse, ut omnes fideles ad eiusmodi uota facienda obligarentur. Nō esse autem admodum utile de rebus ijs, ad quas ex lege obligati sumus, uota facere, nisi forte ea uota coincidant cum uotis de rebus non præceptis, ex eo perspicuum est, q⁹ uota de rebus non præceptis ideo laudabiliter fiunt, præter alias causas, ut homo eo modo firmius, & stabilius perseueret in bono opere iam concepto, qui. n. se liberos cernunt, facile mutāt propositum bonum. Cum igitur ad opera legis facienda satis ligati simus ex ipsa lege, non opus est noua uincula quærere, ne occasionem gratius peccandi nobis ipsis sine magna utilitate procuremus.

Obiectiones, quæ cōtra fieri solent, facilè solui possunt. PRIMA obiectio. Christiani grauius peccant, & puniuntur cum non seruant legem Dei, quàm Ethnici uel Iudæi: Igitur aliquam habent obligationem, quam illi non habent. RESPONDEO, grauius peccant, & puniuntur Christiani, quia magis ingrati sunt, & melius nouerunt Domini uoluntatem; non autem quia habeant aliam obligationem, quia tunc non solum grauius peccarent, sed etiam bis peccarent.

SE-

» SECVNDA obiectio. Sanctus AVGVSTINVS in Psal. 75. *Vouete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro omnes communiter. Quid debemus vouere? credere in illum; spe*
» *rare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum cõmu*
» *nem modũ; est.n. quidam modus communis omnibus, fur*
» *tũ non facere, adulteriũ non facere, non amare vinolentiã,*
» *non superbire, non hominẽ occidere, non odisse fratrẽ, nõ ad*
» *uersus aliquem texere perniciem, hoc totũ omnes vouere*
» *debemus.* Hæc ille. RESPONDEO, accipit S. Augustin[9], eo loco nomen voti largo & communi modo, vt non solum comprehendat vota proprie dicta, sed etiam quamlibet aliam promissionem, quamuis talis acceptio voti non facile in scripturis inueniatur.

» TERTIA obiectio. Ecclesia eos, qui promiserunt in
» Baptismo Christi legem se seruaturos, cogit vt eã ser-
» uent: non autem cogit Ethnicos, & Iudæos, qui id nõ
» promiserunt; igitur obligatio quædam nascitur ex pmissione, quam non adfert secum ipsa lex, proinde illa promissio verum votum esse videtur. RESPONDEO, cogit Ecclesia Christianos baptizatos, vt seruent legẽ Christi, non tam ex eorum promissione, quam ex eo, quod per Baptismum facti sunt membra, & filij Ecclesiæ: omne enim mẽbrum subiectum esse debet capiti, & omnis filius parenti iure naturæ subijcitur.

CAPVT XX.

Paupertatem voluntariam recte Deo voueri.

RESTAT pars quæstionis postrema, in qua, vt promisimus, tria vota monastica defendenda sunt. Incipiemus a voto paupertatis, inde ad votum obedientiæ, postremo ad votum continentiæ, de quo potissima quæstio est, veniemus.

Igitur PAVPERTATEM voluntariam recte suscipi ac Deo voueri, PRIMO probatur ex illis verbis Matt. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum.* Vbi notandũ est, pauperes in Scriptura tribus modis accipi solere. Primo dicuntur pauperes, qui sũt afflicti, vt Psal. 24. *Vnicus, & pauper sum ego, tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt.* Secundo dicuntur pauperes, qui sunt humiles, vt Isaiæ vltimo: *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum, & tremẽtem sermones meos?* Tertio dicuntur pauperes proprie, qui nõ sũt diuites idq; trib. modis, aut actu, sed non affectu, aut affectu, sed nõ actu, aut actu simul & affectu.

Quinque igitur existũt huius loci expositiones. PRIMA est Caluini in hunc locum, qui per pauperes intelligit afflictos. Sed hæc expositio non est germana; nã coincideret tunc hæc prima beatitudo cũ tertia: *Beati qui lugent*; aut cũ vltima: *Beati qui persecutionem patiũtur.* Et præterea non est expositio Patrum, ac demum Luc. 6. Dominus pauperibus diuites opponit.

SECVNDA expositio est Chrysostomi in commentario huius loci, & Augustini li. 1. de sermone Domini in monte, qui per pauperes intelligunt humiles; quæ expositio vera quidem est, sed non primario intenta, vt paulo post ostendemus.

TERTIA esse posset, vt beati dicantur illi qui sunt pauperes actu, non affectu, sed hæc falsa expositio est, & a Patribus reprehenditur; non enim beati, sed miseri sunt isti pauperes; quocirca Dominus addidit, *spiritu*, id est, voluntate, & electione, nec qualicunque voluntate, sed spirituali, vt notat S. Bernardus serm. 1. de festo omnium Sanctorum. Fuerunt enim etiam Philosophi quidam voluntate pauperes, sed non spiritu pauperes, quia non propter Deum, sed propter curiositatem amarunt paupertatem.

QVARTA expositio esse posset, quod beati dicãtur pauperes affectu, licet non actu. Hęc vera est, sed non est præcipue intenta, vt mox ostendam.

Est igitur QVINTA, vt beati dicantur, qui propter A Deum sponte eligunt paupertatem, & proinde etiam humilitatem; & pauperes spiritu hoc loco nominari eos, qui sunt voluntarie pauperes, & proinde etiã humiles; nam vt plurimum diuitiæ elationem, paupertas humilitatem gignit. Ita exponunt B. Ambrosius in c. 6. Lucæ B. Gregorius Nyssenus, B. Hieronymus, & venerabilis Beda in c. 5. Matthæi, necnon S. Leo I. in sermone de illis verbis Domini Matth. 5. qui paupertatis voluntarię, & humilitatis simul meminerũt. Item Chromatij, & Anselmi in hunc locum, Basilij quæst. 205. Bernardi serm. 1. de festo omnium Sanctorum, & recentiorum, vt Abulensis, Lirani, Caietani, Iansenij, & aliorum, qui de paupertate uoluntaria, & actuali exponunt, & recte; nam in primis uerbũ Græcum πτωχὸς mendicum proprię significat; ut etiam B Latina uox pauper, non humilem proprie, sed egenum significare solet.

Deinde præmium illud (*Quoniam ipsorum est regnũ cælorum*) proprijssime respondet ueræ paupertati. Prę terea Lucæ 6. Pauperes, qui beati esse dicuntur, non superbis, sed diuitib. opponuntur; sic enim paulo post subiungit Dominus; *Væ vobis diuitibus.* Denique Christus actu & affectu pauper fuit, & docuit sine dubio id quod ipse fecit. Præterea sępius diuitias periculosas esse dixit; nam Matth. 13. comparauit spinis, quæ suffocant sementem, & Marci 10. *Quam difficile*, inquit, *qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum.* Et: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum cœlorum.*

Hinc ergo sic argumentari possumus pro uoto pau C pertatis. Id omne Deo recte uouetur, quod ex eius testimonio scimus esse bonum, & illi gratũ, sed paupertas uoluntaria testimonio Christi bona est & Deo grata, cum beati dicantur eiusmodi pauperes, & illi promittatur regnum cœlorum in præmium, igitur eiusmodi paupertas Deo rectissime uouetur.

SECVNDVM testimonium est Matt. 19. ubi Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurũ in cœlo.* Et ibidem. *Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? &c.* Quod enim hic detur consiliũ ueræ abdicationis facultatum, supra demonstrauim[9] in disputatione de consilijs Euangelicis; quod autem hinc sequatur, posse uoueri paupertatem, patet ex argumento paulo ante facto; & præterea ex utroque testimonio non solum colligitur paupertatem recte uoueri posse, quod tamen ad rem nostram sufficit, sed etiam colligitur hortari in esse Dominum ad uouendam hanc paupertatem; parum enim prodesset dare omnia pauperibus, & fieri pauperem spiritu, si quis paulo post iterum rediret ad lucra, & opes comparandas; quocirca sancti Patres intellexerunt his testimonijs commendari paupertatem perfectam, quæ suscipitur cum proposito, & uoto semper ita permanendi.

Itaque S. AVGVSTINVS in epist. 89. q. 4. & in Psal. 103. concione 3. totum hunc locum refert ad professionem monasticam; & S. BERNARDVS in declamatione super hunc locum Euangelij: *Hæc*, inquit, *sunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem, hæc sunt quæ Monachis claustra replent, deserta Anachoretis.*

TERTIVM testimonium est Act. 4. ubi sic legimus: *Multitudinis ãt credentium erat cor vnũ, et anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia cõia.* Quod autẽ ex uoto ita uiuerent primi illi Christiani in Hierusalẽ, docet S. AVGVSTINVS ser. 1. de cõi uita Clericorũ, ubi dicit, idipsũ se cũ suis facere uoluisse, q̃ primos Christianos fecisse testantur Acta Apostolorũ iã citata, & tñ ibidẽ sępius repetit, nemini licere in tali uita habere proprium, idq; ex professione facta Deo; sic.n. loquit̃ de quodã Presbytero suo, qui contra professionẽ aliq̃d retinuerat, &

inde

inde testamentum cum moreretur fecerat: *O dolor,* inquit, *illius societatis, ò fructus natus non de arbore, quã plantauit Dominus, sed Ecclesiam scripsit hæredem: nolo numerare ista: non amo amaritudinis fructum, ego illum Deo quærebã, Deo societatem professus erat, hãc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret.*

QVARTVM testimonium est Act. 5. ubi Ananias, & Sapphira uxor eius, cum uitam cõem profiteri vel le viderent, & tñ aliquid proprij sibi clã retinuissent, continuo ab Apostolo Petro detecti, & increpati, atq; a Deo inuisibiliter percussi interierũt. Hic Petr⁹ Martyr in libro de votis dicit, se nullũ uotũ uidere; peccatũ. n. Ananiæ & Sapphirę fuisse mẽdaciũ, ambitionẽ, auaritiã, & hypocrisim, nõ aũt voti uiolationẽ, seu sacrilegiũ. Sed facile possum⁹ oñdere, primo ex circũstãtijs loci hui⁹, deinde ex testimonijs Patrũ, Ananiã & Sapphirã uouisse, & tanq̃ sacrilegij reos esse punitos.

Quod igitur Ananias & Sapphira uouerint uitam illam communem, colligitur ex illis uerbis: *Fraudauit de precio agri, conscia uxore sua.* Non enim fraudasse diceretur, nisi rem iam obligatam promissione, sub ripuisset: quod autem rem non præceptam uouerint, patet ex illis verbis; *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quod denique uotum illud Deo factum esset; & proinde eius uiolatio sacrilegium fuerit, testantur uerba illa: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de precio agri?* Quid enim est mentiri Spiritui sancto, nisi fallere fidem datam Spiritui sancto?

Posset quidem utcunq; dici mentitus Spiritui sancto, si mendaciũ tantum sancto Petro dixisset, in quo sine dubio erat Spiritus sanctus: tamen nemo negare potest, quin magis proprie dicatur mentiri Spiritui sancto, qui promittit aliquid Deo, & nõ seruat, quam qui mentitur homini alicui sancto. Prꝛterea seuerissima illa pœna, quam Deus ipse continuo sumpsit de Anania & Sapphira, omnino clamat maius illud peccatum fuisse, quàm simplicis mendacij, & auaritię, & ambitionis, atque hypocrisis; quomodo enim potuit puniri culpa ulla atrocius? Itaque sine dubio sacrilegium fuit, quod eo modo puniri meruit.

Accedat iam cõmunis expositio Patrum. S. IOANNES CHRYSOSTOMVS, hom. 12. in Acta Apostolorũ: *Quare,* inquit, *hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere, & non promittere, nunc aũt postquam cõsecrasti, maius sacrilegium commisisti: qui n. aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit: tibi aũt licebat tua retinere, cur igitur sacra feciſti ea, & postea accepisti?*

S. HIERONYMVS in epist. ad Demetriadem, q̃ est octaua primi Tomi: *Ananias,* inquit, *& Sapphira dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo cõdenati, qa post uotũ obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea uouerant, partemq̃, sibi ita aliena substantia reseruauerunt.*

S. AVGVSTINVS serm. 27. de uerbis Apostoli: *Dũ,* inquit, *ex eo quod promiserat, partẽ subtraxit, sacrilegij simul condemnatur, & fraudis.* Et serm. 10. alias 12. de diuersis, in editione Louaniensi: *Si Deo,* inquit, *displicuit detrahere de pecunia quã uouerãt Deo, quo irascitur quando vouetur castitas, & non exhibetur?* Et infra: *Põt igitur virgini sanctimoniali nubenti dici quod aut Petrus de pecunia; Virginitas tua nunquid non manẽs tibi manebat, & antequam eam uoueres in tua fuerat potestate?*

S. FVLGENTIVS in epist. de debito coniugali, ca. 8. *Quam,* inquit, *sit malum, quamq̃, solicitè fugiendum, si quis de hoc quod Deo vouerit, aut retinere, aut rapere aliquid mortifera præuaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias & Sapphira.*

S. GREGORIVS li. 1. epist. 33. ad Venãtiũ: *Ananias,* inquit, *Deo pecunias vouerat, quas postea victus persuasione Diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est, scis.*

ARATOR lib. 1. in acta Apostolorum hunc locum enarrans, sic ait:

---Sed quod mutata voluntas
Falsi crimen habet: cumq̃, est iam cautio uoti
Stare decet, nec velle prius uiolare sequenti, &c.

OECVMENIVS in commentario huius loci aliquoties sacrilegium uocat Ananiæ peccatũ. BEDA in eundem locum dicit, ab Ananiæ exemplo natum esse deterrimum illud monachorum genus, quod Sarabaitarum dicitur, qui sub uita, & professione monastica, aliquid proprij retinere uolunt. Atque hæc de Scripturis pro uoto paupertatis.

Cõfirmari potest hoc idem ex traditione Patrum. S. VRBANVS Papa I. in epist. sua decretali: *Quicũque vestrum,* inquit, *vitam communem suscepit, & uouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationẽ suam irritam faciat,* S. BASILIVS in cõstitutionib. monasticis, c. vlt. dicit, monachum salutem animæ perdere, & furem esse, atq; alterum Iudã, si quid priuati possideat. At cur ita, quæso, si nulla est promissio, nullũ uotum?

S. HIERONYMVS in epi. 22. ad Eustochium de uirginitate, scribit adeo arctã fuisse in monachis suis tpis professionem paupertatis, ut nemini liceret uel necessaria petere; tametsi vigilabat præpositorũ diligẽtia, ne cui aliquod necessarium deesset: *Quia,* inquit, *nõ licet dicere cuiquã tunicam, & sagum, textaq̃, iuncis strata non habeo: ille ita uniuersa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat.* Ibidem scribit, aliqñ in monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse monachum iã morituru⁹, qui nescio quot solidos sibi retinuerat: quocirca placuisse Machario, Isidoro, alijsque sanctis congregatis in unum, ut cum mortuo pecuniæ infoderentur, clamantib. omnib. pecunia tua tecum sit in perditionem. Quod idem postea in simili casu fecisse S. Gregorium, scribit Ioan. Diaconus, lib. 1. c. 15. uita B. Gregorij. & ipse etiã Gregorius, lib. 4. Dialog. c. 55.

S. AVGVSTINVS in Psal. 25. *Alius,* inquit, *uouet relinquere oĩa, & ire in cõem uitã, in societatem Sanctorũ: magnũ uotum uouit.* Et lib. 17. de ciuit. Dei, c. 4. *Dixerũt,* inquit, *potẽtes illi, ecce nos reliquimus oĩa, & sequuti sumus te. Hoc uotũ potẽtissimi uouerãt, sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictũ est, dãs notum uouenti?*

IOANNES CASSIANVS lib. 4. de institutis renunciantium, c. 13. *Illam,* inquit, *virtutem inter ceteras eorum institutiones vel commemorare superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo.* Et c. 33. de hac ipsa renunciatione perfecta loquens: *Sicut,* inquit, *immensa gloria fideliter seruientibus Deo, ac secundum regulã institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum, sic pœnæ grauissimæ præparantur his, qui tepidè cã, negligenterq̃, fuerint exequuti, & secundum hoc quod professi sunt, uel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint: melius est enim secundum Scripturæ sententiã non vouere quem quam, quam uouere, & non reddere.*

Adde etiam Cõcilium AVRELIANENSE I. can. 21. vbi grauiter monachi puniri iubẽtur, qui contra professionem suam aliquid proprij possidere uoluerint.

Contra paupertatis uotũ una est obiectio Ioannis BRENTII in Confessione VVirtembergica, ca. de uotis monasticis. Aut is, qui uouet, est pauper conditione, aut diues: si pauper est, nihil habet quod possit uouere se relicturum aut daturum, sed debet ferre patienter crucem sibi a Domino impositam; quam si pterea uouet, idẽ facit ac si in morbo uoueret se egrotaturum; qui est furor, non pietas: si autem diues est, aut uouet ponere omnia in cõmune, aut dare omnia pauperibus propter maius meritum, & uiuere deinceps ex eleemosynis: si primum, nihil aliud agit, quàm prouidere sibi de certiore, & copiosiore uictu, quod est fugere, non amare paupertatem: si secundũ, peccat contra fidem, & caritatem; contra fidem, quia

vnus

vnus est mediator Dei & hominum, qui nobis omnia A
» meruit; cui facit iniuriam, qui suis proprijs operibus
» mereri se arbitratur; contra caritatem autem, quia ca
» ritas præcipit, ne sine necessitate molesti simus proxi-
» mo nostra mendicatione.

Respondeo ad PRIMVM membrum, etiam paupe res recte vouere, & multum dare, dant enim id omne, quod acquirere possent. AVGVSTINVS epist. 89. q. 4. *Neque*, inquit, *mihi minus imputabitur, quia diues nō fui; nam nec Apostoli, qui primi hoc fecerunt, diuites fuerunt; sed totum mundum dimittit, qui, & quod habet, & quod optat habere, dimittit.* Neq; est simile votum ægri tudinis voto paupertatis; nā Christus dixit: *Beati pauperes*, non beati ægroti, Matth. 5. Et: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ possides, & da pauperibus*, Matt. 19. non autem si vis perfectus esse, proijce sanitatem, cura vt ægrotes, denique tenemur, si possumus, sanare B ægritudinem, ne nostræ mortis caussa fuisse videamur: at ditescere nemo tenetur.

Ad SECVNDVM membrum dico, ponere omnia in commune, esse vere amare paupertatem, nam ille vere est pauper, qui nullius rei est dominus, qui nihil habet, quod vēdere, donare, permutare, destruere possit, & quam aliam paupertatem elegerunt primi Christiani, nisi istam, qua nemo aliquid diceret suum, sed essent illis omnia communia? Act. 4.

Ad TERTIVM; Nego esse contra fidem, dare omnia sua pauperibus propter maius meritum, alioqui Christus aliquid contra fidē consuluisset, cū ait: *Vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo*, Matt. 19. non. n. pugnāt merita nostra cū C Christi meritis, sed ex illis potius vt effectus ex caussa promanant; nā sine Christi meritis nulla sunt nostra merita. ille. n. præter alia, etiam potentiam merēdi nobis acquisiuit merito mortis suæ. Nego etiam esse contra caritatem proximi mendicare, quandoquidem nemine cogunt dare eleemosynam mendicantes, sed potius occasionem diuitibus præbent comparandi sibi regnum cœlorum. Sed de hoc infra latius.

CAPVT XXI.

De voto obedientiæ.

IAM vero OBEDIENTIAM religiosam recte voueri Deo, his rationibus probari potest. PRIMO, grata est Deo obedientia etiam in ijs rebus, quas ipse non præcepit; nam Hieremię 35. laudantur, & remunerantur D a Deo filij Ionadab, qui, vt obedirent patri suo, nō bibebant vinum, non serebant agros, non habebant domos, sed habitabant perpetuo in tentorijs: omne autē quod Deo gratum est, vouerī illi potest, igitur obediētia, etiam alioqui non debita, Deo voueri potest.

Respondet Petrus Martyr in libro de votis, nihil in debitum fecisse filios Ionadab; nā etiāsi Deus nō iusserat illis, vt non biberēt vinū, nec sererent agros, nec domos inhabitarent, iusserat tamen, vt parenti obedirent, ac proinde illi, dū patri obedierunt, id solum fecerunt, quod facere diuino præcepto tenebantur.

Sed refellitur hæc solutio. PRIMO, ex testimonio Rabani, qui in commentario huius loci dicit, filios Ionadab plus fecisse, quam lex diuina præciperet.

SECVNDO, ex ipso textu Hieremiæ; nam Deus eo E loco exemplo filiorum Ionadab reprehendit populū suum, quod illi obedierint voci vnius hominis, ipse autem voci ipsius Dei obedire noluerit: Firmauerūt, inquit, filij Ionadab, filij Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis, populus autem iste non obediuit mihi. Quæ Domini ratio plane frigeret, si filij Ionadab diuino præcepto obstricti fuissent obedire patri suo in rebus illis, vt non biberent vinum, &c. tunc enim nulla esset antithesis inter Deum & creaturam, nam & filij Ionadab obediuissent Deo, & filij Israel non obediuissent Deo.

TERTIO, idem colligitur ex laude & remuneratione diuina; non enim tantopere Deus laudasset filios Ionadab, nisi aliquid singulare fecissent.

POSTREMO, idipsum ratio manifesta suadet; nam etiamsi tenentur filij obedire parentibus, non tamen tenentur obedire in omnibus rebus, postquam ad annos pubertatis peruenerint. Est enim vnusquisq; sui iuris in deligendo statu, & genere vitæ, alioqui nihil interesset inter seruos, & liberos, si semper, & omnibus in rebus filij in patris potestate essent.

Quod vero B. Paulus ait Coloss. 3. *Filij obedite parēt ibus per omnia.* Vel ita intelligi debet, vt illud (*Per omnia*) significet per omnia, ad quæ se extendit patria potestas, vt recte docet S. Tho. in 2.2. q. 104. ar. 5. quemadmodum si quis diceret, oportere milites obedire B Imperatori per omnia, exponendum esset per omnia, quæ ad militiam pertinent. Vel certe tenentur filij per omnia parentibus obedire, sed dum paruuli sunt, nam vt dicitur ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo.* & Dominus ipse parentibus subditus erat, cum puer esset, vt legimus Luc. 2.

SECVNDA ratio ex Testamento nouo sumi potest; nam, vt supra diximus in disputatione de consilijs, cō silium perfectionis est sequi Dominum perfecte, abnegando seipsum, vt colligitur ex illo Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; nam etsi in præparatione animi abnegare seipsum præceptum sit, cum ibidem Dominus addat; qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: tamen extra articulum necessitatis C abnegare seipsum perfecte, & omnibus in rebus subijciendo iudicium, & voluntatem suam alterius iudicio, & voluntati, non est præceptum, sed consilium. Ideo enim Matth. 19. dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c. & veni, sequere me.*

Porro, perfecta sequela Domini, quæ in abnegatione suiipsius, id est, in perfecta obedientia consistit, ne cessario includit votū, quo quis ita seipsum abneget, vt non possit retrocedere; non. n. perfecta est abnegatio sui, obedire alteri ad tempus, & paulo post non obedire; quocirca Dominus ibidem addidit: *Et tollat crucem suam.* siquidem vt eleganter monet Ioannes Cassianus, lib. 4. de institutis cœnobiorum, cap. 35. verus, ac perfectus Monachus similis crucifixo esse debet, qui enim cruci affixus est, non solum non ambu- D lat, quo vult, nec facit, quod vult; sed nec potest ambulare, aut operari, nisi ab alio moueatur.

TERTIA ratio; recte faciunt homines, qui cupiētes vitam communem agere, communi consensu eligūt sibi aliquem in prępositum; id enim & recta ratio suadet, & Scriptura etiam monet, Prouerb. 3. cum dicit: *Ne imitaris prudentiæ tuæ.* Rursus, præposito constituto, bonum est, & Deo gratum, vt illi obediatur, cum scriptum sit: *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. Et: *Obedite præpositis vestris.* Hebræ. 13. At omne, quod Deo placere constat testimonio ipsius, recte voueri potest, vt aduersarij concedunt: poterit igitur obedientia exhibenda præposito, a nobis ipsis electo, & cui alioqui obedire non teneremur, recte voueri.

QVARTA ratio ex vsu antiquæ Ecclesiæ; certū est E apud veteres sanctos obediētiā monasticā in vsu fuisse; nam S. BASILIVS in constit. monasticis, c. 22. *Nūc*, inquit, *rursus sermonem de obedientia exerceamus, ostendentes quantā obedientiā ab exercitationibus erga præfectū exacta doctrinæ ratio exigat, &c.* Et toto capite de obedientia disserit, ac docet, debere Monachū præposito parere, & non discutere quid sit, quod præcipitur, modo non sit manifeste peccatū, ac breuiter talem se exhibere præposito, quales sunt oues ad pastorē, & instrumēta ad opificē cōparata, nec illud omittit, necessariū esse Monachis, perfecte obedire præpositis, & alioqui a salute æterna eos excidere, idem docet Cassianus,

nus, li. 4. de institutis cœnobiorũ, c. 23. & sequentib⁹.

S. HIERONYMVS in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis, describens institutа Monachorum: *Prima*, inquit, *apud eos confœderatio est, obedire maioribus.* Et in epist. ad Rusticum Monachum: *Per hæc omnia*, inquit, *ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioq; multorum.* Et infra: *Non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis.* Et infra: *Præpositum monasterij timeas vt Dominum, diligas, vt parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt.*

SVLPITIVS in Dialogo primo de virtutibus sancti Martini, de Monachis disserens: *Præcipua*, inquit, *ibi virtus, & prima, est obedientia: neq; aliter aduenies ad monasteriũ Abbatis susciputur, quã qui tentatus prius fuerit, & probatus, nullum vnquã recusaturus, quãlibet arduum ac difficile, indignumq; toleratu Abbatis imperiũ.*

S. AVGVSTINVS li. de moribus Ecclesię, c. 31. *Hi vero Patres*, inquit, *nulla superbia consulunt ijs, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.* Hæc ille. Eiusmodi autem testimonia plurima afferre possemus, si opus esset.

Respondebunt fortasse, obedientiam quidẽ in vsu fuisse apud veteres Monachos, sed votum obedientię non item. AT IOANNES CASSIANVS lib. 4. de institutis renunciantium, c. 33. voti & professionis nominatim meminit, vbi differit de obseruatione monasticarum institutionum, quarum primaria de obedientia erat, verba eius capite superiore citauimus.

Item S. GREGORIVS hom. 20. in Ezechielem: *Cũ*, inquit, *quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est, cum vero omne, quod habet, omne qđ viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Hæc ille. Vbi de votis monasticis loquitur, quibus homo nihil sibi retinet, ac ne iudicium quidem, quod Deo non offerat.

Denique S. AVGVSTINVS in Psal. 75. *Nemo*, inquit, *positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio; neq; enim soli, qui sunt in monasterio peruenturi sũt ad regnum cœlorum, & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent; respondetur ei, sed illi non vouerunt, tu vouisti.* Et in Ps. 99. *Dum non perseueraueris implere, quod vouit, sit desertos tam sancti propositi, & reus voti non redditi.*

ACCEDANT postremo miracula, quæ Deus ad confirmandum obedientiã monasticã non raro ostẽdit. Scribit SVLPITIVS in primo Dialogo de virtutib. sancti Martini duo miracula his verbis: *Duo vobis referã incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti, sed ad excitandã virtutũ æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderũt. ergo cũ quidã seculi actibus abdicatis, monasteriũ magnæ dispositionis ingressur⁹, cœpisset rogare, Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores, sua uero dura imperia, quæ nullus facile valeret implere patiẽtia, aliud potius monasteriũ, ubi facilioribus legibus uiueret, expeteret, non tentaret aggredi, qđ implere nõ posset. Ille uero nihil his terroribus permoueri, sed magis ita oẽm obedientiã polliceri, ut si eũ Abbas in ignem ire præciperet, nõ recusaret intrare. Quã illius professionem, ubi magister accepit, non cunctatur probare profitentem. Casu clibanus, propter ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur: exundabat abruptis flamma fornacibus, et intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendiũ. Hoc igitur aduenam illum iubet magister intrare, nec distulit parere præcepto. mediasq; flammas nihil cunctatus ingreditur, quæ mox tam audaci fide victæ, uelut illis quondam Hebræis pueris cessere uenienti, superata natura est, fugit incendium, & qui putabatur arsurus, uelut frigidore perfusus seipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum Christe tyronem ignis ille non attigit, ut nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse? qui eo die, quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus est, merito felix, merito gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione.*

In eodem autem monasterio factum id, quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetẽ polliceretur ad omnia vel extrema patientiam: casu Abbas storacinam uirgam iã pridem aridam manu gerebat, hanc solo fixit, atq; illi aduenæ id operis imponit, ut tamdiu uirgulæ aquam irriguã ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente uiuiscereret. Subiectus aduenæ duræ legis imperio aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ a Nilo flumine per duo fere millia petebat, iamq; emenso anni spatio labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientiæ uirtus in labore durabat. Sequens quoque annus nanum laborem iam affecti fratris eludit: tertio demum succedẽtium temporum labente curriculo, cum neque noctu, neque interdiu aquarius ille cessaret operator, uirga floruit. Ego ipsam ex illa uirgula arbusculã, quæ hodie intra atrium monasterij est ramis uirentibus, uidi, quæ quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides posset, ostendit. Hæc ille.

Alia non dissimilia narrat S. Gregorius li. 2. Dialogorum, c. 7. de S. Mauro, qui ad Abbatis imperium sit per aquas ambulauit; & Ioannes Cassianus li. 4. de institutis renunciantium, ca. 23. de Abbate Ioanne, qui propter obedientiæ virtutem ad prophetiæ gratiam sublimatus, sic vniuerso claruit orbi, vt etiam regibus mundi huius merito suo redderetur illustris.

Sed occurrunt soluendæ obiectiones. PRIMA Lutheri est in libro de votis monasticis, vbi hoc modo ratiocinatur. Scriptura iubet, vt omnibus hominib. obediamus, Philip. 2. *Superiores inuicem arbitrantes.* Et 1. Pet. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ pp Deum.* Igitur obligare se ad obediendum vni soli præposito, contra Scripturam est; idem enim est, ac si quis ita vouere t; Deus voueo tibi nolle me secundum Euangelium tuum omnibus subijci, sed tantum vni maiori.

RESPONDEO, Apostolum Paulum eo loco non velle, vt omnes habeamus tanquam principes, quibus parere teneamur, sed vt omnes iudicemus, nobis esse superiores, id est, meliores, & sanctiores; commendat. n. humilitatem, vt ipsa verba eius indicant: *Per humilitatem inuicem superiores arbitrantes.* Adde, quod si vellet Apostolus, vt omnib. obediremus, rem plane impossibilem veller; si enim omnes omnibus obedire debẽt, nulli erunt, qui iubeant, & nulli qui obediant. Porro S. Petrus per omnem humanam creaturam, intelligit omnem hominem potestate imperãdi præditum. Sic enim explicat ipse se: *Siue*, inquit, *regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.*

SECVNDA obiectio est eiusdẽ Lutheri in eodem loco. Præpositus monasterij liber est ab obedientia, quã voueat sine alia dispensatione, igitur signũ est, votũ illud non obligare corã Deo. RESPONDEO, in eo, q eligitur in præpositum, remanere obligationem voti, licet per accidens cesset exercitium illius voti, quia deest materia; cuius signum est, quia si is, qui nunc est præpositus, priuetur officio, iterum tenebitur ad obedientiam, etiamsi nouum aliquod votum non faciat. Vide S. Thom. in 2. 2. q. 88. ar. 11. & q. 186. art. 5.

TERTIA est Petri Martyris in commentario ad c. 7. prioris ad Cor. Vetat beatus Paulus, ne Christiani seruos se faciant, cum ait: *Precio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Non igitur licet votum obedientiæ facere. Quid enim hoc est aliud, quam sponte sua se in seruitutem Abbatibus tradere?

AT facilis responsio est; non enim B. Paulus prohibet seruitutem, quæ hominibus exhibetur, sed id prohibet,

hibet, ne hominibus propter ipsos homines potissimum, sed propter Deum seruiatur, id quod exposuit clarius ad Colos. 3. vbi sic ait: *Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum, quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quod a Domino recipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo seruite.* Quocirca S. Paulinus etsi nō ignorabat Apostolum dixisse: *Nolite fieri serui hominum*; tamen seipsum vendidit, vt filium viduæ redimeret, quod S. Gregorius cum laude eius refert, lib. 3. Dial. c. 1.

» Sed inquit Petrus Martyr, S. Paulinus ex caritate
» erga proximū seipsum vēdidit, quod āt ex caritate fit,
» recte fit. Quasi vero perfecti Monachi ex cupiditate,
& non ex caritate erga Deū, se Abbatibus, alijsq; Prę
positis spōte subijciant. Sed de obedientia hactenus.

CAPVT XXII.

Asseritur votum continentiæ ex illis verbis Lucæ primo; Quomodo fiet istud? &c.

VENIO tandem ad votum CONTINENTIÆ; quod primum Scripturę testimonijs, deinde Concilio rum, & Ecclesiæ totius consensu; tertio Pontificum, & Imperatorum decretis ac legibus; quarto Patrum Græcorum & Latinorum traditione; postremo naturali etiam ratione confirmare pro viribus nitar.

PRIMVM igitur testimonium sit illud Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quib. verbis Virgo sanctissima significat impedimentum se habere, quo minus filium concipere & parere posset: impedimentum autem illud non aliud esse potuit, q̄ votum continentiæ iam emissum. Illa. n. verba: *Virū non cognosco*, non significant iam actu non cognosco, sed non licet mihi cognoscere, alioqui ineptissima interrogatio fuisset, cum posset statim responderi, etsi nūc virum non cognoscis, tamē paulo post cognosces. Ira que sicut dicimus in Quadragesima; Ego non vescor carnibus, id est, non licet mihi hoc tempore carnibus vesci; sic beata Virgo dixit: *Virum non cognosco*, id est, prohibeor virum cognoscere: cur autem prohiberet, nulla ratio potest reddi, nisi votum; nam & virum habebat, & iuuenis erat; nec est credibile sterilē, aut impotentem fuisse, vel certe id ipsa nondum scire poterat, cum ad virum nondū peruenisset. Nec denique p hibebatur, virum cognoscere, lege aliqua communi, vt notum est, igitur lege particulari, id est, voto.

Idē confirmatur ex Patribus. S. GREGORIVS NYSSENVS in oratione de Natiuitate Domini: *Nā*, inquit, *si nuptiarū causa assumpta erat a Iosepho, quo modo Angelū de partu prædicentē, quasi re noua, atq; insolita obstupefacta auersata esset: cū prorsus sperare se quoq; ipsam aliquando iuxta legē naturæ matre esse futurā? sed quoniā Deo dicatam, et consecratam carnem, velut i sanctū quoddam donarium, intactam seruari oportebat, propterea ētsi Angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet, attamē vt virum cognoscam, fieri non potest; qui mater ero absque viro? Iosephum enim sponsum quidem noui, virum autem non cognosco.*

S. AVGVSTINVS li. de sancta virginitate, ca. 4. *Ipsa quoq;*, inquit, *virginitas eius gratior, et acceptior, quia nō eam conceptus Christus viro violaturo, quam cōseruaret, ipse præripuit, sed priusquā conciperetur, iam Deo dicatā, de qua nasceretur, elegit. hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo* MARIA *reddidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectō non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto, non violēter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat.*

A BEDA in ca. 1. Lucæ. *Propositum*, inquit, *suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Quæ, quia prima fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ ceteris fœminis beatitate meruit excellere.*

S. ANSELMVS libro de excellentia virginis, c. 4. *Virgo*, inquit, *& tenera, & delicata, regali stirpe progenita, et speciosissima, totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, vt corpus, & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret.*

RVPERTVS lib. 3. in Cantica. *Votum*, inquit, *egregium prima Deo vouisti, votum virginitatis.*

Denique S. BERNARDVS serm. 4. super Missus est: *Non dubitat*, inquit, *de facto, sed modum requirit, & ordinem: nec enim quærit, an fiet istud, sed quomodo, quasi dicat, cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ; votū esse ancillæ suæ non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? si oportuerit me frangere uotum ut pariam filium, & gaudeo de filio, & doleo de uoto.* Et in ser. Signum magnum: *In libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & Spiritus sanctimoniam uouit. probat enim propositi inuiolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium Angelo respondit, quomodo fiet istud, quoniam uirū non cognosco?* Accedat consensus Theologorum apud Magistrum in 4. lib. sententiarum, dist. 30.

Sed videamus, quid ad hæc aduersarij respondeāt. Ioānes CALVINVS in commentario huius loci apud Marloratum, tria dicit reprehensione digna. PRIMO, accusat beatissimam Virginem, quod maligne restrinxerit Dei potentiam: *Videtur*, inquit, *sancta Virgo non minus maligne restringere Dei potentiam, quam pius Zacharias; quod enim præter communem naturæ ordinē est, impossibile esse colligit: Sic enim ratiocinatur: virum non cognosco, qui credam igitur futurum quod nuncias? Nec uero magnopere laborandum est, ut eam purgemus ab omni uitio.* Hæc ille.

Cuius sane verba satis indicāt impietatem eius, & quàm nihil ei commune sit cum sanctis Patribus; nā sanctus Ambrosius, sanctus Bernardus, Beda venerabilis, & alij in hunc locum disertis verbis monent, illud: *Quomodo fiet istud?* non fuisse dubitantis, sed quærentis, ac discere cupientis modum, quo res illa futura erat, quæ cū ipsius voto pugnare videbat. Deinde, quomodo credibile est, eam maligne restringere voluisse Dei potentiam, quæ erat gratia plena, & cū qua Dominus ipse singulari modo semper aderat, vt Angelus paulo ante dixerat? Deniq; si non minus maligne S. Virgo potentiam Dei restrinxit, quam ante Zacharias, cur non æque punita fuit? certe Zacharias ab Angelo ob incredulitatem, & verbis castigatus, & amissæ loquelæ supplicio punitus fuit. Beatissima Virgo ne minimo quidem verbulo reprehensa. at si idem vtriusque peccatum, cur non & pœna eadem fuit?

SECVNDO, Caluinus accusat Patres, qui votum virginitatis ex his verbis colligunt: *Quod autem*, inquit, *ex hoc loco occasionem quidam sumpserunt, ut dicerēt, uirginem habuisse uotum perpetuæ uirginitatis, quod alioqui superuacanea fuisset ista responsio, nimis infirmum est, imo absurdum, ac ridiculum. Existimabimus ne Virginē passam fuisse mariuo se collocari, ut eum luderet? fuisset profecto perfidia, graui reprehensione digna, si sanctum coniugij fœdus non sine Dei ludibrio spreuisset.*

Hic ēt desideramus Caluini modestiā. quale. n. est, vt absurdū & ridiculū dicat, qd asseritur a Nysseno, Augustino, Beda, Bernardo, Anselmo, Ruperto, et ab oī schola Theologorū? Porro argumentū eius duob⁹ modis soluitur. PRIMVM negādo cōsequētiā, qdquid sit de antecedente: nā etiamsi daremus beatā Virginē cū Iosepho coniugiū contraxisse animo consummādi matrimonium, ut Caluinus annotatione in c. 1. Luc. Beza ibidem. Bucerus in ca. 1. Matthæi, Martyr in libro

bro de cœlibatu & votis monasticis, & Centuriatores, Centur. prima. lib. 1. c. 10. falso docent, adhuc tamen non sequeretur, eam, cum dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* non habuisse votum virginitatis; potuit enim hoc votum emisisse post coniugij celebrationem, & tamen ante Angelicam salutationem, vt S. Th. docet, 3. p. q. 28. art. 4. ita vt primum nuptiæ celebratæ sint, deinde antequam ad matrimonij consummationem veniretur, B. Virgo votum virginitatis emiserit, ipso S. Ioseph consentiente, &, vt pie creditur, etiam simul vouente.

Addo tamen SECVNDO, B. Virginem nunquam habuisse explicitum animum consummandi matrimonium, ac proinde falsum esse etiam antecedens argumentum aduersariorum: nam alioqui nō esset Virgo animo, sed solum carne. Nec tñ impeditū fuit verum matrimoniū ex perpetua voluntate continēdi, nec lit sit vitum suum, neq; cōiugium perfide S. Virgo spretuit, vt blasphemat Caluinus; nā cum matrimonium inijt, dedit viro absolutam potestatem in corpus suū, ita vt vere licuerit S. Ioseph, si voluisset, cum beata Virgine matrimonium consummare, id enim requiritur, & sufficit ad essentiam veri coniugij: tamē quia sciebat ipsa, diuina reuelatione edocta, nunquam S. Ioseph um id expetiturum, idcirco poterat habere, & habebat explicitam voluntatem semper continendi, in qua voluntate proprie virginitas consistit, & quamuis S. Th. non admittat votum absolutum virginitatis in B. Virgine ante desponsationem, Scotus tamen admittit in 4. dist. 30. qō. 2. & ante Scotum Albertus Magnus in libro de laudibus Virginis, & ante Albertum sancti Patres, Gregorius Nyssenus, & Augustinus locis notatis disertis verbis docent, beatam Virginem vouisse ante desponsationem; neque video, cur id votum pugnet cum veri coniugij celebratione, posita reuelatione, quam omnes Theologi ponunt, qua beatæ Virgini reuelatum fuit, nunquam sanctum Ioseph um debitum coniugale expetiturum.

AT, inquiunt quidā, non potest qui per votū se Deo tradidit, per nuptias se alteri tradere. Vnde & Apostolus 1. Tim. 5. dicit eas, quæ post votū nubere volebāt, damnationē habere; *Quia primā fidē irritam fecerunt.* RESPONDEO, eum, qui vouit continentiam, nō posse iam se alteri tradere cum periculo violandi votū; nam de huiusmodi personis Apostolus loquitur, & ratio ipsa hoc docet. At si adsit certitudo infallibilis voti nunquā violandi, non repugnat, vt qui est vnius, se tradat etiam alteri in diuerso genere nuptiarum, alioqui nō possent coniuges ex communi consensu vouere continentiam, quod tamen admittunt omnes Theologi; nam eiusmodi coniuges se tradunt Deo per votum, & tamen sunt inuicem obligati per matrimonium.

TERTIO, Caluinus respondet nostro & Patrū argumento, quo probamus, Virginem vouisse virginitatē, quia alioqui inepte respōdisset Angelo: *Qūo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Soluendum*, inquit, *est obiectum, quod Virgo in futurum tempus respiciat, ideoq; significet, nullam sibi fore cohabitationem cū viro: Hæc uero coniectura & probabilis est, & simplex, quod rei magnitudo, vel potius maiestas virgine perculerit, vt sensus oēs admiratione ligatos haberet ac constrictos; cū audiret, nasciturum esse Dei filiū, aliquid non vulgare concipit; atq; hæc ratio est, cur coitum virilem excludat. Hinc attonita exclamat: Quomodo fiet istud?* Hæc ille. Ad quem modum exponit etiam Theodorus Beza.

Sed primū, si sola coniectura Caluinus nititur, cur deserit Patrū Theologorum oīum auctoritatē? An tu tū sit ob coniecturā vnā repugnare oībus Patrib⁹, ipse viderit: deinde improbabilis & longe petita illa cōiectura est. Nā primum quod occurrit ei, cui filius promittitur, est naturalis modus generandi. Proinde omnino credibile est, sanctā Virginē, cū sibi filium promitti audiuit, non statim cogitasse filiū illū sine opera viri nasciturum, sed more, & ordine cōi, & naturali. Neque obstat, quod ab Angelo promittebatur, & magnus futurus dicebatur; nam sæpe alias Angeli nunciauerunt filiorum magnorum generationem, vt Abrahæ Gen. 18. Manuę Iud. 13. Zachariæ Luc. 1. & tamen omnes naturali generatione nascituri erant.

Deinde Virgo sanctissima humillima erat, propterea non est credibile, statim eā cogitasse, se fore Messiæ matrē, & virginem illā, de qua scriptū erat Isaię 7. *Ecce virgo concipiet*: immo etiam valde probabile est, eam non sciuisse Messiæ matrem virginem futuram; non enim id notum erat vulgo apud Iudæos; nā prophetiæ obscuræ erant, & paucis intellectæ antequam implerentur. Præterea Virgo sancta curiosa nō erat, idcirco si sciuisset, vt Caluinus dicit, se virginem pariturum, nūquam dixisset, quomodo fiet istud? id enim fuisset velle indagare diuina mysteria sine necessitate, quod pertinet ad curiositatem.

Ad hæc, Angeli responsio satis aperte docet, quid beata Virgo quæsierit: siquidem nihil aliud Angelus respondet, nisi illam sine viri opera soliusSpiritus sancti virtute concepturam & pariturum.

Deniq; sancti Patres ita hūc locū intellexerunt, æ præter eos, quos supra citauimus, S. ATHANASIVS in sermone de sanctissima Deipara: *Quin*, inquit, *& hic hæsitat virgo, vtpote ad naturam respiciens, & de Ioseph o cogitans, cui nupta erat, ad Angelum tale responsum dedit: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.*

Sed iam Caluino dimisso Petrum Martyrem audiamus, is in libro de cœlibatu & votis, tria quædam affert ad hunc locum Euangelij explicandum. PRIMO dicit, non cohærere matrimonium virginis cum voto virginitatis, sed hoc iam solutum est.

SECVNDO dicit, non posse colligi votum ex illis verbis: *Quoniam virum non cognosco*, nisi more Anaxagoræ quodlibet faciamus ex quolibet, & probat ex alijs similib⁹ loquutionibus; nā Exod. 6. Moses dixit: *Quomodo audiet me Pharao, cum sim labijs incircumcisus?* Et tamen non inde recte colligeremus, Mosem vouisse labiorum incircumcisionem. Et Nicodemus dixit, Ioan. 3. *Quomodo homo potest nasci, cum sit senex?* Et tamen quis inde colligat, Nicodemū vouisse senectutē?

Sed hæc nimis frigida sunt, nam incircumcisio labiorum, & senectus, non pendent ex libero arbitrio, & ideo impedimentū afferunt, siue ad loquendū, siue ad nascendū, quod non pōt tolli ab homine. Quocirca prudenter dixit Moses: *Qūo audiet me Pharao, cum sim labijs incircumcisus?* Et Nicodemus: *Quomodo pōt homo nasci, cum sit senex?* etiamsi nec ille vouerit incircumcisionem labiorum, nec iste senectutē: quia sine tali voto impedimentum habebant, ille ad loquendū, & iste ad nascendum, quod per se remouere non poterant. At virum cognoscere, mulieri coniugatæ in arbitrio positum est; idcirco inepte respondit sancta MARIA: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* si nulla lege prohibebatur virū cognoscere: cōstat autem, eam non fuisse prohibitam lege communi; sequitur igitur, vt prohibita fuerit lege priuata, id est, voto.

TERTIO, conatur soluere hoc nostrum argumentum, atque ait, beatam Virginem etiamsi votum non fecerit, tamen prudenter interrogasse; *Prudēs*, inquit, *sane Virginis nostræ interrogatio, quia si conceptus & partus, qui ei prædicebatur, ordinaria vsuataq; ratione futurus esset, dixit hoc obstare quod viro nondum admisceretur; si vero extra ordinem, ac supra naturam, de modo cupit edoceri.* Hæc ille.

Sed frustra laborat, nā si naturali & ordinaria via conceptus futurus erat, non prudenter, sed stultissime dixisset, hoc obstare, quod nondū viro admisceretur; nam non promittebatur ei cōceptus præsens, aut præteritus, sed futurus: *Ecce*, inquit, *cōcipies, & paries,*

ad futu-

ad futurum autem conceptum non requirebatur, vt virum cognoſceret, aut cognouiſſet, ſed vt cognoſcere poſſet, ac vellet in futurum; quare nulla omnino ſponſa, niſi forte amens, a prædicente aliquo conceptum quæreret; Quomodo fiet iſtud, cum virum nondum cognouerim; reſponderetur enim ei, ſi nondũ cognouiſti, poſtea cognoſces. Si autem ſupra naturam cõceptus Virginis futurus erat, adhuc imprudẽter dixiſſet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* idem enim eſt, ac ſi dixiſſet; Quomodo poteſt fieri, vt Virgo pariam, cum virum non cognouerim; quę non minus ſtulta interrogatio eſt, quam ſi quis diceret; Quomodo poteſt ignis calefacere, cum non ſit frigidus? Veriſſima igitur eſt ſententia Patrum, & Theologorum, rectiſſime colligi ex interrogatione beatę Virginis votum perpetuæ continentiæ.

CAPVT XXIII.

Idem aſſeritur ex illis verbis Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt, &c.

ALTERVM teſtimonium pro voto continentię eſt, Matt. 19. vbi Dominus quoſdam eſſe dicit *Eunuchos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Et addit cohortationem. *Qui poteſt capere, capiat.* Ipſa enim Eunuchorum appellatio perſpicue indicat votũ; non enim eſt Eunuchus, qui ſolum cõtinet, ſed qui nõ poteſt non continere; Eunuchi autem, de quibus hic agitur, non coguntur continere ex vitio naturæ; nam ab his eos Chriſtus ipſe ſeiunxit: neque coguntur lege aliqua communi (nulla enim lex eſt prohibens nuptias abſolute) igitur id ſolum remanet, vt non poſſint ex lege particulari ſponte aſſumpta, id eſt, ex uoto. Idem ẽt colligitur ex illo verbo: *Qui ſe caſtrauerunt*; nam ſi dominus loqueretur de his, qui ſine vllo voto cœlibes viuunt, diceret, qui ſe caſtrant quotidie, non qui ſe caſtrauerũt; cum ergo dixerit, qui ſe caſtrauerunt, ſignificat eos vnica actione uoluntaria imputaſſe ſibi omnem facultatem contrahendi nuptias. Et confirmatur explicatio hæc ex Patribus.

S. EPIPHANIVS hæreſi 58. Valeſiorum: *Quinam*, inquit, *hi fuerint, qui ſe caſtrauerunt propter regnũ cœlorum, quam generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitã degentes; & deinceps virgines?* Et infra: *Poſt ipſos vero*, Apoſtolos, *quot millia in mundo ſolitariam vitam agentes, & a monaſteriis, & virgineis conuentibus huius certaminis gloriã abſtulerunt?* Hęc ille. Qui dum affirmat, caſtrare ſeipſum propter regnum cęlorum id eſſe, quod Monachi & ſacrę Virgines faciunt, aperte ſignificat, caſtrationem hanc non ſimplicem continentiam, ſed continentiam Deo deuotam ſignificare.

S. HIERONYMVS in commentario huius loci: *Vnuſquiſq;* inquit, *conſideret vires ſuas, utrum poſſit virginalia implere præcepta.* Hęc ille. At quę ſũt præcepta virginalia, niſi obligatio non nubendi, quæ ſine uoto nulla eſt? Et lib. 1. in Iouinianum dicit, eos caſtrare ſe ipſos qui templum ſe Deo puriſſimum, & holocauſtum acceptiſſimum offerunt; ubi quoque non ſolum cęlibatum, ſed cęlibatum Deo deuotum & ſacratum, caſtrationem uocat.

S. AVGVSTINVS libro de ſancta virginitate, ca. 30. alludens ad hunc locum, vbi Dominus de caſtratione iſta uoluntaria ait: *Qui poteſt capere, capiat. Vos etiam*, inquit, *qui hoc nondum vouiſtis, qui poteſtis capere, capite.*

Sanctus FVLGENTIVS libro de fide ad Petrum, ca. 3. *Quiſquis*, inquit, *ſeipſum caſtrauerit propter regnum cœlorum, & in corde ſuo continentiam Deo vouerit, &c.* vbi illud (ET) ad explicationem pertinere, non dubium eſt.

SED occurrit Petrus Martyr in libro ſuo de cęlibatu & votis, ac docet, ex hoc loco non poſſe votum continentię ſtatui; nam Apoſtoli, quibus Dominus reſpõdit per illam ſimilitudinem Eunuchorum, tantum dixerunt: *Si ita eſt cauſſa cum vxore, non expedit nubere*; non autem dixerunt expedit vouere continentiam: quare Dominus ſi ad propoſitum reſpondere voluit, non de voto, ſed de vtilitate & incommodis coniugij differere debuit, ergo per Eunuchos, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, intelligit eos, quibus ex peculiari Dei dono expedit non nubere, vt expeditius Euangelium prædicent. ADDIT etiam Martyr, non oportere vim facere in metaphora Eunuchorum, ſed in ſcopo præcipuo ipſius parabolæ; quemadmodum in parabola de villico iniquitatis, etſi ducatur ſimilitudo ab eo, qui ex bonis ſibi fecit amicos: non tamen Chriſtus intendit hoc docere, vt ex bonis alienis eleemoſynas faciamus.

AT fruſtra laborat Petrus Martyr, vt verba Domini ſatis aperta & dilucida obſcuret & peruertat; ac in multis errat. PRIMVM, quantum ad ſcopum horum verborum; nam etiamſi Apoſtoli non loquerentur de voto; ſed ſolum quærerent, an expediret nubere; Dominus tamen aliquid perfectius eis oſtendit, & ſic cõfirmauit non expedire nubere, vt etiam adderet, expedire, voto ſe obligare ad non nubendum, vt patet ex metaphora Eunuchorum & caſtrationis.

SECVNDO errat, cum ait non eſſe vim faciẽdam in vocibus iſtis, quod in parabolis non omnia ponantur ad ſignificandum. Errat, inquam, nam licet in parabolis eſſe poſſint interdum quædam partes, quæ nihil ſignificant, ſed ponantur ſolum ad explendam narrationem; tamen in verbis Euangelij, de quibus agimꝰ, nulla eſt parabola, ſed ſolum duo verba metaphorica, nimirum, nomen, Eunuchi, & nomen, Caſtrationis; quæ verba niſi aptam ſimilitudinem contineant, tota Chriſti oratio inepta redditur; non continent autem illa verba aptam ſimilitudinem, niſi illi, qui dicuntur metaphorice Eunuchi, habeant voluntariam neceſſitatem continendi, ſicut Eunuchi proprie dicti habent naturalem continendi neceſſitatem.

TERTIO, deinde errat Martyr, quia licet in parabolis prolixis poſſit aliqua pars nihil ſignificare, tamen id, in quo parabola præcipue conſiſtit, non poteſt non ſignificare, niſi ineptiſſima ſit parabola. Iam vero in verbis Euangelij, de quibus nunc agimus, ſi parabola eſſet, ea præcipue in vocibus (Eunuchi & Caſtrationis) conſiſteret, vt patet, ac proinde merito in his vocibus vis facienda eſſet.

Errat QVARTO in exemplo, quod affert de villico iniquitatis; nam non exiſtimat aliquid ſignificare, qđ villicus ille ex alienis bonis ſibi amicos fecerit, cũ tamẽ in hoc maxime parabola conſiſtat; vult enim nos Dominus docere, vt quemadmodum ille villicus ex bonis Domini ſui multa largiendo, ſibi multos amicos comparauit; ita & nos ex bonis Domini noſtri, id eſt, Dei, cuius ſunt omnia, quæ habemus, Eleemoſynas faciendo multos amicos in cœlo faciamus. Hoc ſolum intereſt, quod ille peccabat bona Domini ſui largiendo, quia contra eius voluntatem largiebatur, & idcirco dicitur villicus iniquitatis; nos autem non peccamus bona Domini noſtri largiendo, quia hoc ipſum ei vehementer placet, vt bona ſua liberaliter eroganus, cum nullum ipſe ex hac largitione diſpendiũ patiatur: & ſane vehementer accendit ad Eleemoſynam faciendum iſta cogitatio, quod opes noſtræ res ſint alienæ, id eſt, Dei, & tamen ex eiuſmodi alienis rebus poſſimus nobis regnum cœlorum comparare.

POSTREMO errat Petrus Martyr, quod exiſtimet, hic ſolum continentiam laudari, vt liber a cura vxoris & liberorum, facilius poſſit Euangelium prædicare, quem errorem ſupra refutauimus diſputatione de conſilijs Euangelicis. Hic vnũ duntaxat S. AVGVSTINI

STINI testimonium addam, libro de sancta uirginitate, c. 23. *Quid*, inquit, *veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, Virtus & Sapientia Dei dicit, eos qui pio proposito ab vxore ducenda se cõtinuerint castrare se propter regnum cælorum: & contrà, humana uanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium deqitare: in regno cœlorum amplius quidquam ceteris nihil habere.* Hæc ille.

CAPVT XXIIII.

Idem asseritur, ex verbis Apostoli I. ad Tim. 5. Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.

TERTIVS locus pro continentiæ uoto habetur in epistola priore ad Timotheum, c. 5. ubi hoc modo Apstolus loquitur: *Adolescentiores viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco per primam fidem nihil aliud intelligi potest, nisi continentiæ uotum, ut omnes omnino ueteres intellexerunt. Nam cum Apostolus dicat, eas primam fidem irritam facere, quæ nubere uolunt, ne necessariò colligimus, eum loqui de fide seruandę continentiæ; quæ per nuptias uiolatur.

Ista autem fides seruandæ continẽtiæ, aut est fides data marito carnali, aut Christo sponso spirituali; nõ potest esse fides data carnali marito; illa enim tamdiu durat, quamdiu maritus uiuit; mortuo autem uiro, soluta est mulier, & cui uult, nubere potest, ut Apostolus ait ad Rom. 7. & 1. Cor. 7. igitur sequitur, ut hoc loco fides, quę per nuptias irrita fieri dicitur, sit fides data spirituali sponso Christo. Non potest autem hæc fides Christo data, esse simplex propositum, seu uoluntas continẽdi sine promissione ac uoto; tum quia simplex propositum non habet relationem ad aliud, nec fides dici potest; unde irritatur fides, cum mutatur propositum; tum etiam quia propositum sæpe licet sine ulla culpa mutate: Apostolus autem absolutè dicit, eas damnationem habere, quia fidem irritam faciũt; sequitur igitur, ut fides hoc loco uotum significet. Ex quo sequitur, uotum perpetuæ continentiæ non esse impossibile, nec illicitum, quia nullum tunc fuisset peccatum illud uiolare.

Ita exposuit Concilium Carthaginense IV. cano. 104. Si quæ uiduę quantumlibet in minoribus annis positæ, se deuouerunt Domino, & ueste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea uero ad nuptias seculares trãsierint, secundum Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino uouerunt, irritam facere ausæ sunt. hæc sententia est CC. XIV. Episcoporum, qui in hoc Concilio interfuerũt. Idem habetur in Cõci. Toletano IV. c. 55. ubi LXX. Episcopi fuerunt.

Ita exponunt etiam tres summi sanctique Ponfitifices; Clemens lib. 3. constit. ca. 1. & 2. Innocentius I. in epist. 2. c. 13. & Gelasius I. in epist. 1. c. 23. Ita etiam Tertullianus in libro de Monogamia, non procul à fine; Basilius in libro de uirginitate, parum ultra medium; Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, & in ca. 44. Ezechielis; Epiphanius hæresi 48. Augustinus libro de sancta uirginitate, c. 23. & libro de bono uiduitatis, c. 8. & 9. & in Psal. 75. Fulgentius in epist. 1. Præterea omnes expositores huius loci, tum Græci, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius; tum Latini, ut Ambrosius, Primasius, Beda, Haymo, Sedulius, Anselmus, & alij.

Ad hunc locum multi respondere conati sunt, ac primum LVTHERVS in libro de uotis monasticis, contendit, per primam fidem non posse intelligi uotum, eò, q̃ nusquã alibi in scripturis uotum dicatur fides: uult autem ipse per primam fidem intelligi fidẽ Christianam, quam perdiderunt uiduæ illæ, quæ ut facilius nubere illis liceret, defecerunt a fide Christiana ad Iudaismum, uel Paganismum, & confirmat hanc explicationem suam duabus rationibus. PRIMO, q̃a de his uiduis Apostolus dicit, eas abijsse retrò post Satanam. SECVNDO, quia dicit, eas luxuriatas esse aduersus Christum; nam & abire post Satanam, & luxuriari aduersus Christum, nihil uidẽtur significare aliud, quàm Apostasiam à fide Christi.

Sed hæc noua explicatio facilè refellitur. Nam etsi fides nusquam alibi significat uotum, tamen multis in locis significat promissionem, siue constantiam in promissione seruanda, quorum utrumque ad uotum pertinere certum est, cum uotum promissio quædam sit. Gen. 44. *Ego hunc in fidem meam recepi.* Ad Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* Sic igitur hoc loco fides promissionem, seu pactum significare potest, quod autem non solum possit, sed etiam debeat fides hoc loco pro pacto ac uoto accipi, non pro fide Christiana, qua Deo credimus, colligitur ex illo uerbo adiuncto (*Irritam fecerunt*) nam fides, qua Deo credimus, non rectè dicitur irritari, sed amitti, uel corrumpi: pacta autem & uota proprijssimè irritari dicuntur. Deuter. 30. *Si quis Domino uotum uouerit, non faciet irritum verbum suum.* Psalm. 88. *Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.*

Deinde, nulla caussa erat, cur uiduę illæ, si nõ uouerant continentiam, non possent nubere, nisi deficerẽt ad Iudæos, aut Paganos; quis enim illas prohibebat nubere inter Christianos? An, non Apostolus 1. Cor. 7. apertè permiserat, ut viduæ iterum nuberent, modò in Domino, id est, inter Christianos? NEQVE Lutheri rationes concludunt; nam abire post Satanam, non solum contingit per apostasiam, sed per omne peccatum mortale, luxuriari autem cõtra Christum, non potest significare defectionem a Christi fide, sed scortari in iniuriam Christi. Nam Apostolus dicit, eas uiduas prius luxuriari in Christum, & postea nubere uelle: Lutherus autem dicit, eas nubere uelle, & propterea deficere a Christo, ergo cogitur fateri, non esse idem luxuriari & deficere.

Ad eũdem locum tres solutiones Caluinus affert. PRIMO dicit Apostolum nomine primæ fidei accipere fidem in Baptismo datam, quam istæ uiduæ irritã fecerunt lasciuiendo & scortando.

AT SOLVTIO parum ualet; nam prẽterquam quod aduersatur omnibus ueteribus citatis, apertè Apostolus dicit, eas habere damnationem, quia primam fidẽ irritam fecerunt nubere uolendo; nulla autem mulier in Baptismo promittit, se non esse nupturam. si ergo non uouerant continentiam, cur damnãtur, si nubere uelint? Quod autẽ Apostolus hoc loco ait: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo*; aliqui intelligunt de spiritualibus delicijs, ut sit sensus; Posteaquam delicijs spiritualibus in domo Dei abundarunt, ingratæ sponso cœlesti terrenas appetunt nuptias; ita Tertullianus de Monogamia, & Cyprianus lib. 3. ad Quirinum, c. 74. Alij intelligunt de tpaliũ rerũ affluentia, ut sit sensus; Posteaquam in domo Dei Ecclesię sumptib. ad satietatem pastæ fuerint, nubere uolunt: ita Theodoretus & B. Thomas in hunc locum. Alij, vt Chrysostomus hoc loco, & Hieronymus in epist. ad Ageruchiã de Monogamia, intelligunt de fornicatione, ut sit sensus: Postquam in iniuriam sponsi sui Christi fornicatæ fuerint, etiam hoc addunt, ut nubere uelint.

Sed quocunque modo accipiatur illud: *Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt*; semper argumentum nostrũ suũ robur habet; nam si de scortatione nõ accipiatur illud: *Postquã luxuriatæ fuerint*, cõstat solũ reprehẽdi, quod

quod nubére velint contra votum: si autem accipiat A de scortatione, tunc non solum non reprehendi, sed etiam laudari deberent, si a scortatione ad hoc honestum coniugium transire vellent. Nō igitur primam fidem vocat Apostolus fidem Baptismi, sed fidem voti: cui respondet tanquam secunda fides matrimonij ineundi; idem enim est, ac si diceret, post fidem Christo datam, volunt fidem mortali marito dare, & primam illam irritam facere. ADDE, quod etiamsi de fide in Baptismo data Apostolus loqueretur, adhuc nihil pro hæreticis cōcluderetur, nam in Baptismo promisimus, legem Dei nos seruaturos: lex autem passim id inculcat, vota esse reddenda. Itaq; ēt hoc verum est eas viduas, quæ post votum nubere volunt, votū violando, fidem in Baptismo Deo datā irritam facere.

ALTERA solutio Caluini est, viduas illas, de quib. B Apostolus loquitur, promisisse continentiam, & hāc promissionem irritam fecisse, cum nubere voluerunt sed tamen non potuisse id promittere, nisi eas, quæ excesserant annum sexagesimum, & iam non amplius aptæ erant coniugio. Dicit enim Apostolus: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.* Itaq; nihil ex hoc loco deduci posse pro voto Sanctimonialium, quæ ēt in flore ætatis continentiam profitentur. Hæc etiam solutio nihil solidi habet; nā etsi Apostolus iubeat, viduam eligi annorum sexaginta, tamen non vetulas, sed adolescentiores accusat, q̄ primam fidem irritam fecerint volendo nubere.

Si igitur verum est, quod Caluinus ait, non posse iuniores continentiam vouere, cur Apostolus eas reprehendit? Præterea dico, Apostolum, cum ait: *Vidua* C *non minus sexaginta annorum.* Et: *Adolescentiores viduas deuita*, id est, non eas eligas, non loqui de admissione ad votum continentiæ, sed vel de electione ad quandam præfecturam & ordinem Diaconissæ, vt exponunt Tertullianus libro de velandis virginibus, & lib. 1. ad vxorem, & quidā alij: vel, quod probabilius est, de admissione ad numerum earum viduarum, q̄ ab Ecclesia alebantur, vt Chrysostomus & Ambrosius in hunc locum, & Hieronymus in epist. ad Saluinam, exponūt: verbum enim, *Eligatur*, Græcè, κατα λεγέσω, in Catalogū adscribi & numerari significat.

Nolebat autem Apostolus, viduas minores annis sexaginta ab Ecclesia ali, vt beatus Hieronymus loco notato docet, quia iuniores possunt labore suo victū sibi comparare: & præterea, quia iuniores difficilius D conseruantur in pudicitia, & turpius erat, aliquam earum viduarum, quæ ab Episcopo alebantur & regebantur, labi, quam aliquam aliam, ideo eas valde probatas esse volebat, & quibus nullum periculum incōtinentiæ timeretur.

TERTIA solutio est, q̄ ista promissio continentiæ, quam viduæ faciebant, non erat propriè votum Deo factum ad eum colēdum, sed erat promissio facta Ecclesiæ ad expeditius ministrandum ijs, quibus ex officio Diaconissarum debebant, quomodo si aliqua cupiens recipi in ancillam, promittat se non cogitaturā de nuptijs, vt liberius seruire possit.

HÆC SOLVTIO minimè omnium quadrat; nam p̄terquam, quod Patres citati dicunt, eas Deo verè vouisse; si votum Deo factum rescindi potest, ac debet E (vt Caluinus dicit) ab eo, qui stimulis carnis agitatus, continere non potest, quantò magis rescindi poterit promissio facta Ecclesiæ? Cur ergo istas adolescentiores Apostolus damnat, quia nubere volunt?

SED, inquiūt, non damnat, quia nubere volunt, sed quia fidem Ecclesiæ datam irritam fecerunt scortando. AT CONTRA; nā Apostolus in præsenti dicit: *Habentes damnationem*; ergo debet culpa præsens damnationi præsenti respondere: scortatio autem iam præterierat, & ex sententia Caluini emendata fuerat per nouam voluntatem honesti coniugij; Sic enim loqui tur Apostolus: *Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt*: non igitur damnantur, quia luxuriatæ fuerint, sed qa nubere volunt, quod est præsens. Cur autem damnā-tur, quia nubere volunt, nisi quia continentiam voue rant, & sic nubere volēdo, primā fidē irritā fecerunt?

SED instant rursus, quia ibidē Apost. dicit: *Volo iuniores nubere*; non ergo approbat vota iuniorum. At vide huius loci explicationem infra cap. XXX.

Iam verò Petrus MARTYR in lib. de cęlibatu & votis, post repetitionem eorum, quæ ex Luthero & Caluino iam protulimus, & refutauimus, duo adfert noua. PRIMVM dicit, hunc locum esse ambiguū, & posse varijs modis exponi, proinde nihil solidi hinc adferri ad confirmanda dogmata.

RESPONDEO, non posse rectè ambiguum vocari eum locum, quem omnes interpretes, qui quidem ante nostras lites exortas exstiterūt, vno modo exposuerunt: alioqui nihil erit non ambiguum. Nihil enim est tam apertè dictum, quod non possit à contentiosis ambiguum fieri. ADDO præterea, ex locis ambiguis dogmata stabiliri, & confirmari posse, quando accessit explicatio Ecclesiæ per Concilia approbata, aut per communem Patrum consensum; nam alioqui nihil omnino habebimus certi, vt reuera nihil hæretici certi habent; nam, vt diximus, nihil est in Scripturis, quod non possit exponi varijs modis, si velimus contentiosè agere. Quod si addas præterea, ex eiusmodi ambiguis locis dogmata fidei confirmari non posse, nullum omnino habebimus dogma. Exempli causſa, Christum esse Deum, negant hodie in Transyluania permulti, & omnia loca Scripturæ, quibus id nos probamus, illi varijs modis exponunt: ergo si Petro Martyri credimus, non erit dogma fidei, Christum esse Deum. Atque hoc idem de omnibus alijs articulis facile posset ostendi.

SECVNDO, Petrus Martyr contendit illud: *Habentes damnationem*; non significare pœnam, quæ peccato respondeat coram Deo, sed solum quandam infamiam apud homines. Etsi enim illæ, quæ promiserāt Ecclesiæ castas se futuras non peccent nubendo, immò benè faciant cum Paulus dixerit: *Melius est nubere, quam vri*, 1. Cor. tamen subeunt quandam notam leuitatis, q̄ non perseuerent in eo, quod cœperant.

Porrò id non aliter probat, quam auctoritate Martini Buceri, qui vocem illam κρίμα, quam noster interpres damnationem interpretatus est, ambiguam esse docuit, & interdum accipi pro accusatione corā hominibus.

AT Nos Bucero opponimus inprimis omnes Patres supra citatos, qui damnationem æternam coram Deo habere dicunt viduas, quæ post votum nubere volunt. Opponimus deinde ipsum Apostolum Paulum, qui vbique illa voce vtitur ad significandam dānationē coram Deo & hominibus, pro crimine magno & manifesto, ad Rom. 3. *Quorum damnatio*, τὸ κρίμα, *manifesta est*, appellat damnationem iudicium Dei contra illos, qui blasphemabant, ac mentiebantur Apostolum dicere: *Faciamus mala, vt eueniant bona*, Et ad Rom. 13. *Qui autem resistunt Dei ordinationi, ipsi sibi damnationem*, κρίμα, *acquirunt*. Certè autē, qui Deo resistunt, damnationem habent coram Deo, & non coram hominibus tantum.

Deniq;, Ioannes ēt c. 3. nō semel, sed ter vtit verbo (κρίμα) in hac significatione. *Non venit*, inquit, *filius hominis, vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus p ipsū.* Vbi illud ἵνα κρίνῃ, (vt iudicet) nō significat iudicium discussionis, sed dānationis. Est. n. sensus; Nō venit, vt sniam dānationis ferat aduersus mundū, sed cōtra potius, absolutionis. Sic ēt paulo post: *Qui credit, non iudicatur*, i. nō dānatur, *qui aūt non credit, iam iudicatus est*. i. manifesta est snia dānationis, quā habebit, etiāsi nondum pronunciata sit. Viderint igitur Bucerus &

Martyr,vbi legerint κρίμα,non significare damnatio nem coram Deo.

Præterea,quare,quæso,viduæ illæ,si nullo voto obstrictæ erant,infames fuissent apud homines,si nubere voluissent? Si non erat turpe(vt ipsi dicunt) Episcopo uxorem habere,& ea mortua,rursus aliam, & aliã ducere,& in ipso Episcopatu filios procreare,cur turpe fuisset viduæ,quæ continere non poterat, nubere? Et si nec infamiam,nec leuitatem,nec turpitudinem esse uolunt hoc tempore Monachis & Sanctimonialibus, post solenne votum continentiæ, ad matrimonium transire;quomodo audent dicere,fusse infame, ac turpe viduis illis velle nubere, cum nullam haberent non nubendi obligationem?

CAPVT XXV.

Idem asseritur ex Concilijs.

NVNC SECVNDO probanda est nostra sententia testimonio omnium Ecclesiarum,quod ex Concilijs antiquis facilè haberi poterit. Iudicium Ecclesiæ Orientalis,patet ex Concilio ANCYRANO, cano. 18. *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta,inter digamos habeantur.* Item ex Cõcilio CHALCEDONENSI generali,can. 16. *Virginem, q̃ se Domino consecrauit,similiter & Monachum,non licere nuptialia iura contrahere, quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes,excommunicentur.*

Iudiciũ Ecclesiæ Africanę,patet in Concilio CARTHAGINENSI III.c.33. vbi præcipit, vt sacræ Virgines in monasterijs diligentissimè custodiantur. Et in Concilio Carthaginensi IIII.c.vlt.vt supra citatũ est.

Iudiciũ Ecclesiæ Hispanicæ,patet in Concilio TOLETANO IIII.c.55. *Duo sunt genera viduarum,seculares & sanctimoniales.* Et paulo infrà: *Eæ si ad nuptias transierint,iuxta Apostolum,non sine damnatione erunt, quia se primum Deo vouentes, postea castitatis propositum abiecerunt.*

Iudicium Ecclesiæ Gallicæ,patet in Concilio TVRONENSI II.c.16.ante annos mille celebrato: *Si qui in monasterio conuersi sunt,nullatenus exinde habeant licentiam euagandi,nec,quod absit, ullus eorum coniugem ducere,& si vxorem duxerit,excommunicetur, & de vxoris malè sociatæ consortio etiam iudicis auxilio separetur;quod si iudex ad hoc solatium dare noluerit,excõmunicetur. Qui infelix Monachus tali coniunctione fœdatus si per cuiuscunque patrocinium se conatus fuerit defensare, & is,qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui eũ exceperint defensandum,ab Ecclesia segregentur, donec reuertatur ad septa monasterij,& indictam ab Abbate, quamdiu præceptum ei fuerit,agat pœnitentiam, & post satisfactionem reuertatur ad gratiam.*

Iudicium Ecclesiæ Germanicæ, patet ex Concilio MOGVNTINENSI,tempore Arnulphi Imperatoris c. vltimo: *Quę propositum castitatis assumpserint, aut monasterij claustris regulariter constringantur, aut domi manentes,castitatem suæ professionis integerrimè custodiant.* Ibidem confirmatur decretum 13. Concilij Elibertini,& sextum Colonienſis Concilij, sub Carolo Crasso,in quibus statutum fuit,vt Virginẽs sacræ, si semel votum violauerint,pactumque virginitatis pdiderint, solum in fine vitæ communionem percipiant:si autem libidini diu seruierint, ne in fine quidem eam accipiant. Multa item de vita Monachorum & Sanctimonialium habentur in Concilio Moguntino,sub Rabano.

Iudicium Ecclesiæ Italicæ patet ex Concilio ROMANO sub Syluestro,can.10.vbi prohibetur Episcopus benedicere virginem,quæ nuptias aliquando expetijt,nisi diu fuerit eius pudicitia probata. Et ex Cõcilio FORoIVLIENSI,tempore Caroli Magni: *Item placuit de fœminis cuiuscunque conditionis,puellis scilicet vel viduis,quæ virginitatis,siue continentiæ propositũ sponte pollicentes, Deo mancipatæ fuerint, & ob continentiæ signum nigram vestem,quasi religiosam, sicut antiquus mos fuit in his regionibus,indutæ fuerint, licet non à Sacerdote sacratæ, in hoc tamen proposito eas perpetim perseuerare mandamus. Si vero postea,siue clanculo, seu publicè nupserint,dignis quidem mundano iudicio corporalibus coercitæ vindictis,segregentur ab inuicem, & agant cunctis diebus vitæ suæ pœnitentiam,&c.*

CAP. XXVI.

Idem asseritur ex responsis Pontificum & Imperatorum.

TERTIO, probanda est responsis aliquot veterum & sanctorum Pontificum. Ac PRIMVM CLEMENS lib.3.Constitut.Apostol.cap.1. *Quare,* inquit, *oportet non temerè facere professionem,sed cum consilio et consideratione. Præstat enim,eam non vouere,quam vouere,& non reddere.* De viduis loquitur.

SYRICIVS epist.1.cap.6.dicit, nec publicas leges, nec iura Ecclesiastica vllo modo permittere Monachis vel Sanctimonialibus nuptias post votum.

INNOCENTIVS I.epistо.2.ca.12.dicit,eas, quæ post votum nupserunt,esse adulteras Christi,id est, sacrilegas.

LEO I.epistо.ad Rusticum Narbonensem Episcopum;quæ est 90.c.13. *Propositum,* inquit, *Monachi proprio arbitrio & voluntate susceptum,deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo,debet & reddere.*

GELASIVS epist.1.cap.22. *Virginibus,* inquit, *sacris temerè se quosdam sociare cognouimus, & dicatum Deo propositum incœsta fœdera sacrilegaq̃, miscere,quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamq̃ pœnitentiam omnino nõ recipi,&c.* Idem cap.23.dicit,viduas etiam peccare, si post uotum nubant.

Denique,GREGORIVS I.lib.1.epist.33.ad Venantium: *Considera,* inquit, *quanto periculo in diuino iudicio dignus eris,qui temetipsum Deo omnipotenti,cui sub monachali habitu deuoueras,subtraxisti,&c.* Et epistо.40. ad Anthemium, iubet Monachos, si uxores ducant, debere separari,& remitti ad monasteria.

His accedant responsa etiam Principum politicorum. Scribit enim Eusebius libro 4. de uita Constantini,fuisse abrogatam à Constantino antiquam legẽ Romanorum,qua priuabantur successione hæreditaria homines steriles,uel orbati liberis, Causſam autẽ abrogationis scribit fuisse propter eos, qui religionis & pietatis gratia ex uoto cœlibatum colebant, ne uideretur lex politica pietatem uelle punire. Rursus, cum tempore Iuliani Apostatæ cępissent quidam sacras Virgines in coniugium petere, Iouinianus Imperator Christianus,qui Iuliano successit, legem tulit,ut capite plecteretur,qui sacram Virginem,uel ad coniugium petere, uel etiam impudicè aspicere deprehensus fuisset. Scribit hanc historiam Sozomenus lib.6.hist.Eccles.cap.3,& exstat adhuc ea lex in Codice,L.Si quis,de Episcopis & Clericis. Quæ lex si hoc tempore obseruata fuisset,Martinus Lutherus, cum non paucis ex suis iustissimè caput amisisset.

CAPVT XXVII.

Idem asseritur testimonio Patrum.

QVARTO probanda est testimonijs Patrũ. IGNATIVS epist.ad Tharsenses iubet honorari uirgines Deo sacras.& epist.ad Antiochenses *Virgines,* inquit,

quit, *agnoscant cui se consecrauerunt.*

DIONYSIVS Eccles. hierarch. cap. 6. p. 2. describens ritum, quo initiabantur Monachi, dicit eos publice in Ecclesia promittere, se renũciare vitę diuisibili, id est, vitæ seculari; secularis enim diuisus est, vt Apostolus dicit 1. Corinth. 7. cum partim de Deo, partim de vxore cogitet.

MARTIALIS epistola ad Tholosanos, capite octauo dicit se Valerię virgini persuasisse, vt virginitatem suam Deo voueret, quod etiã Iphigeniæ suasisse Matthæum scribit Abdias in eius vita, & Theclæ beatum Paulum scribit S. Ambrosius lib. 2. de virginibus, & Flauiæ Domitillæ sanctum Clementem scribit Beda in martyrologio die 7. Maij, cuius etiam meminit Eusebius in Chronico.

TERTVLLIANVS libro de velandis virginibus: *O sacrilegæ manus*, inquit, *quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt, quid peius aliquis persequutor fecisset, si hoc a virgine electũ cognouisset?* Et in fine libri: *Nupsisti*, inquit, *Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuã.* Et ibidem: *Quid*, inquit, *faciet ipsum continentiæ votum? &c.* Et libro de Monogamia, vltra medium: *Habentes*, inquit, *iudicium, quod primam fidem resciderunt, illam videlicet, a qua, in viduitate inuentæ, & professæ eam, noluerint perseuerare.*

CLEMENS Alexandrinus Strom. 3. initio, *Est ergo*, inquit, *continentia, corporis despicientia conuenienter pactis conuentis cum Deo initis.* Et in fine libri: *Dominus*, inquit, *dixit, qui vxorem duxit, non repudiet eam; qui nõ duxit non ducat; qui autem professus est se nunquam ducturum, sine vxore perseueret.*

ORIGENES homilia 23. in Numeros: *Vnde*, inquit, *mihi videtur illius solius esse indesinẽs offerre sacrificium qui se indesinenti, & perpetuæ deuouerit continentiæ.*

HILARIVS in Psalm. 64. *Deo ergo*, inquit, *vouenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia.*

EVSEBIVS libr. 4. de vita Constantini: *Castitatem*, inquit, *virginalemq́, modestiam amplexatæ quædam, corpus, & animum consecrauere Deo.* Et infra de Constantino: *Virgineum*, inquit, *chorum tantum non adorabat, istic habitare Deum, cui se puellæ deuouerant, arbitrabatur.*

S. CYPRIANVS li. 1. epist. 11. ad Pomponium: *Christus*, inquit, *Dominus & Iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, iacere cum altero cernat, quam indignatur, & irascitur, et quas pœnas incœstis eiusmodi coniunctionibus comminatur?* Et infra: *Quæ*, inquit, *hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.* Et lib. de habitu virginũ: *Qui*, inquit, *se Christo dicauerint, & tam carnem quam mentem Deo deuouerint, opus suum consumment magno præmio destinatum.*

S. ATHANASIVS in lib. de humanitate Verbi dicit, etiam pueros virginitatem suo tempore profiteri solitos. & in Apologia pro fuga sua meminit sacrarum virginum, quas Ariani petulantissime vexauerunt. q. fusius scribit Petrus Athanasij successor, in epistola quadam, quæ exstat apud Theodoretum li. 4. hist. Eccl. ca. 20. 21. 22. Idem Athanasius in libro de virginitate: *Postquam*, inquit, *continentiam professa es, corpus tuum sanctificasti.*

S. BASILIVS in proœmio constitutionum monasticarum: *Itaque*, inquit, *qui a mundi vinculis liber esse cupit, nuptias veluti pedicas quasdam fugit; his autem relictis, vitam suam Deo consecrat, & castitatem profitetur, vt neque facultas ipsi sit conuersionis ad nuptias.* Et epistola vltima, quæ est ad virginem lapsam: *Et quia*, inquit, *impius in profundum collapsus mala de cetero contemnit, etiam ipsa abnegas ad verum sponsum pacta, neque esse virgo, neque vnquam promisisse clamas. Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo, & Angelis, & hominibus. Reuoca in memoriam venerandam congregationem, & sacrum virginum chorum, quot literas ad Sanctos sæpe exarasti, per quas pro te orare petijsti, non vt nuptias humanas, immo ignominiosam corruptionem assequereris, sed vt a Domino* IESV *non excideres? &c.* Idem libro de virginitate parum a medio: *Cum*, inquit, *virginitatem Domino professa sint, carnali postmodum voluptate male blanda delinitæ ac deuictæ stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiũt.* Et paulo ante: *Horrẽdo*, inquit, *sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur.* Et paulo infra: *Nam quod solemne*, inquit, *legitimumque connubium sponsus ille* (Christus) *occuparit, & virginitatis habitus, & fœdera, & conuenta cum illo, & præterea processus ipse testatur, huiusmodi quippe nobilitata viro processit in publicum, &c.* Idem in quæstionibus fuse explicatis, quæst. 14. & 15. multa de voto solenni Monachorũ disputat.

S. Gregorius NAZIANZENVS oratione de obitu patris sui vltra medium: *Vt enim*, inquit, *nos Deo vouimus, & discrimen effugeremus, ita periculo defuncti, nosmetipsos obtulimus, &c.* Gregorius. n. vt ipse poemate de vita sua scribit, a matre Deo consecratus fuerat, antequam nasceretur, & ipse postea, cum in mari periclitaretur, iterum uotum continentiæ, & religionis emisit, quod etiam seruauit.

S. OPTATVS Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianũ: *Spirituale*, inquit, *hoc genus nubendi est; in nuptias sponsi iam venerant voluntate ex professione sua, &c.*

Sanctus EPIPHANIVS hæres. 61. Apostolicorum: *Tradiderunt*, inquit, *sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias cõuerti.* Et infra: *Si*, inquit, *quæ vidua fuit, ac Deo dicata, & postea nupsit, iudicium & condemnationem habebit, quod primam fidem reiecit; quanto magis quæ Deo dicata virgo fuit, & nupsit, contra Christum lasciuit, & maiorem fidem reiecit, iudicium habebit?* Et hæres. 48. Montanistarum: *Gaudet*, inquit, *Deus verbum his, qui approbatum Dei cultum præstare possunt, & virginitatem, & continẽtiam exercere deligunt, &c.* Vides cultum uocari professionem continentiæ.

Sanctus Ioannes CHRYSOSTOMVS hom. 15. in priorem ad Timotheum: *Et vidua*, inquit, *in viduitatis professione Christo consentit, id est, Christo nubit.* Et infra: *Cum*, inquit, *illi se deuouerint, nubere volunt habentes dãnationem, quia primam fidẽ irritam fecerunt*, fidẽ pactũ dicit. Et hom. 14. prolixissime describit, ac miris laudibus prædicat monasticã professionem, sed clarissime epistol. 6. ad Theodorum lapsum: *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ: sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum, quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo, &c.*

SVLPITIVS in uita S. Martini ante medium: *Arborius*, inquit, *vir sancti admodum & fidelis ingenij, cum filia eius grauissimis quartanæ febris æstibus urgeretur, epistolam Martini quæ casu ad eum delata fuerat, pectoris puellæ in ipso accessu ardoris inseruit, statimq́ fugata febris est; quæ res apud Arborium tantum valuit, vt statim puellam Deo voueret, & perpetuæ virginitati dicaret, profectusq́ ad Martinum, puellam ei præsens obtulit, neq́ ab alio eam, quam a Martino, habitu virginitatis impositio, passus est consecrari.*

RVFFINVS li. 10. hist. c. 8. dicit, Hierosolymis fuisse insigne monasterium sacrarum uirginum, quibus Helena mater Constantini suis manibus ministrare in mensa aliquando solebat.

Sanctus AMBROSIVS lib. 3. de uirginibus, ante medium: *Initiatas*, inquit, *sacris mysteriis, & cõsecratas inoegritati puellas nubere prohibes. Vtinam potuissem reuocare nupturas, vtinam potuissem flammeum nuptiale pio integritatis velamine mutare; an indignum videtur, vt sacratæ virgines, a sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quibus licet sponsum eligere, non*

re, non licet Deum præferre? Et infra: *Discite*, inquit, *quantas Alexandrina, totiusq; Orientis, & Africana Ecclesia, quotannis sacrare consueuerint, pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur*. Similia passim repetit.

B. HIERONYMVS in epist. ad Sabinianum, *Moris est*, inquit, *in Aegypti & Syriæ monasterijs, ut tam uirgo, quam uidua, quæ se Deo uouerint, & seculo renuncian tes, omnes delitias seculi conculcarint, crinem monasterio rũ matrib. offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli uoluntatẽ incessuræ capite, sed ligato pariter, ac uelato*. Plena sunt scripta sancti huius viri testimonijs, pro castitatis voto, & professione, adeo vt Petrus Martyr dicat, nullum esse ex Patribus, qui magis dogmati ipsorum aduersetur, quam Hieronymus.

S. AVGVSTINVS li. 1. de adulterinis coniugijs, c. 24. *Quod*, inquit, *cuiquam, antequam uouisset, licebat, cum id se nunquam facturum uouerit, non licebit: si tamen id uouerit, quod uouendum fuit. sicut est perpetua uirginitas, &c.* Et in Psal. 85. *Nescio*, inquit, *quæ castimonialis nubere voluit. quid voluit? quod & mater ipsius. aliquid mali voluit? mali plane. quare? quia uouerat Domino Deo suo*. Idem ibidem: *Quid*, inquit, *ait Apostolus de quibus dã quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes*, inquit, *damnationem, quia primã fidẽ irritam fecerunt. quid est primã fidem irritam fecerũt? vouerunt & nõ reddiderũt.*

S. FVLGENTIVS li. de fide ad Petrũ, c. 42. *Eis*, inqt, *qui siue coniugati, siue a coniugio liberi, continentiam Deo vouerunt, admodum est damnabile, si vel illi coniugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, a quo recessuros, illi libera, illi communi professi sunt voluntate*. Idem S. Fulgentius in epist. 1. c. 6. *Non peccat*, inquit, *virgo nubens, si virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vouit*. Et epist. 3. c. 4. *Hic est*, inquit, *vnigenitus Dei Filius, vnigenitus etiam virginis Filius, vnus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctæ virginitatis fructus, decus, & munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritualiter sancta virginitas nubit; a quo sancta virginitas fœcundatur, vt perseueret intacta: a quo decoratur, vt permaneat pulchra; a quo coronatur, vt regnet perenniter gloriosa; quapropter bonum depositum custodi, & meritum tanti boni, quod ut haberes, Deus dedit, & ut Deo uoueres, ipse fecit*.

Ad hæc omnia Conciliorum, Pontificum, & Patrũ testimonia, tres adfert responsiones Petrus Martyr ad finem libri. PRIMO dicit, omnia ista humana esse testimonia, nec esse Christiani hominis officium prouocare a testimonijs DEI ad testimonia hominũ: *Qđ*, inqt, *ad alterum attinet de iudicio Patrum, quoniam aduersarij nostri, & in hac caussa, & in alijs controuersijs semper prouocare solent ad eos, pronuncio mihi non uideri hominis esse Christiani ad hominum iudicia prouocare a Scripturis Dei. hoc enim est iniuriam facere Spiritui sancto; nam fides est ex auditu, auditus autem ex uerbo Dei, non ex Patribus*. Hæc ille. Vbi etiam fusissime probat, non esse prouocandum a Scriptura ad Patres.

Sed dum hæc dicit, ipse mihi prouocare videtur a candore ad impudentiam, a veritate ad mendacium; non enim Catholici Doctores prouocarunt vnquam a Scriptura ad Patres, sed in Scripturæ intelligentia a iudicio paucorum seditiosorum, ad iudicium multorum sapiẽtissimorum, & optimorum virorum, vel etiam a iudicio partis ad iudicium aliorum, qui partes non sint. Vt enim in humanis litib. cum duo contendunt, & iudicem aliquem appellant, non prouocant a lege ad iudicem, sed a parte litigante ad iudicem: & si rursus iudex non satisfaciat, prouocant iterum non a lege, sed ab vno iudice ad alium, donec veniatur ad aliquem, a quo prouocari non possit. Ita quoque in Ecclesia cum oriuntur lites, inspiciuntur leges diuinæ, quæ ab omnib. recipiuntur. Quod si lis non finiatur, quæritur iudex, nõ quod Scripturæ non credatur, sed quod de ipsa Scriptura quæstio sit. Itaq; prouocamus ab explicatione aduersarij litigantis, ad arbitrium sapientium, & peritorum, qui ante litem exortã floruerunt. quod si illi inter se fortasse non conueniant, prouocamus ad Ecclesiæ totius iudicium, id est, ad summi Pastoris, vel generalis Concilij definitionem.

Quod si quis adhuc velit ab isto iudice ad Scripturam prouocare, idem facit, ac si quis in humanis litib. a Prætore prouocaret ad legem; quod ridiculum esset, cum nihil sit aliud prouocare a Prætore ad legẽ, quando de sensu legis quæstio est, quam prouocare a sententia publici iudicis ad suum proprium, priuatumque iudicium.

AT, inquit Petrus, ẽt Patres omnes, & Cõcilia, licet inter se optime consentiant, errare possunt, nisicũ verbo Dei cõsentiant. RESPONDEO, id quidem esse verũ, sed assumptionem, quę subticetur, esse falsam, nimirũ posse omnes Patres, aut Concilia legitima & approbata, cum verbo Dei non consentire. Exempla autem, quę ipse adfert, nihil aliud probãt, nisi posse Patres singulos seorsim, & Concilia illegitima, & reprobata errare. Concilium enim II. Ephesinum, & Constantinopolitanum sub Leone Iconomacho, quorum exempla Martyr adducit, nemo nescit qualia fuerint.

ALTERA eius responsio est. Patres quidẽ id asserere, quod nos dicimus, sed non esse audiendos, qđ non habuerint iustam caussam id asserendi: *Certe*, inquit, *ut quod uerum est fateamur, eos in hac caussa habemus inquiores. Statim. n. ab Apostolorum temporib. nimium tribui cœptum est cœlibatui, quib. autem de caussis id factum sit, supra multis uerbis docuimus*. Hæc ille.

Docuit autem supra, quatuor esse caussas, cur initio Ecclesiæ cęperit coli cœlibatus: *Cur tanto*, inquit, *in pretio uirginitas fuerit, caussa una esse potest, quod Christus dixerit, esse Eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, & in eam sententiam permulta Paulus habet in septimo capite prioris ad Corinth. hæc sane Patres semper habuerunt in ore, sed eos cogitare oportuit, quæ madmodum essent accipienda*. Et infra ALTERA *caussa est, quod illo tempore graues erant persecutiones omnibus in locis, minus autem molestum est in persecutione, si quis solus fugiat, quam si cogatur sollicitus esse de uxore & liberis*. TERTIA *caussa est, quia illis temporibus Christiana religio graui laborabat infamia; cum enim horis ante lucanis, & in tenebris metu Principum ad hymnos & synaxes conuenirent, populus cœpit suspicari illos uti inter se promiscuo concubitu, & nefaria libidine, &c.* Et infra: *Atque ea gratia magnum numerum alebant uirginum & cœlibum*. QVARTA *caussa est, quia bona pars eorum, qui accesserunt ad Christum, erat Ethnicorum. At illi maxime semper suspiciebant uirginitatem & cœlibatum*.

Hic nos respondemus, PRIMAM caussam esse præcipuam, & verissimam, nimirum verba Christi, & Apostoli. Quod autem addit Martyr, sanctos Patres debuisse cogitare, quemadmodum illa essent accipiẽda, coincidit cum responsione superiori. Id enim est quæ rere, vtris tandem magis credendum sit in eorum locorum explicatione, Patribus ne antiquissimis, & sanctissimis, & doctissimis, an Luthero, & Caluino. Sed certe non video quomodo ambigi possit de hac re; nã si statim ab Apostolis, vt Martyr dicit, floruerunt Patres illi, profecto Apostolos ipsos audire & consulere potuerunt: ac proinde longe melius verba illorum intelligere, quam isti, qui mille & quingentis annis post Apostolos fuerunt.

SECVNDA, & TERTIA caussa potuerũt quidẽ momentum aliquod habere ad suadendam continentiã, sed non fuisse caussas præcipuas huius rei, facile probamus. PRIMO, quia Patres, dum laudant, & suadent continentiam, & continentiæ votum, nunquam adferunt istas caussas, sed verba Christi, Apost. & Prophe-

tarum

tarum. Quocirca ipse etiam Petrus Martyr fatetur, A semper Patribus fuisse in ore verba Christi, & Pauli, nec attulit vllum testimonium alicuius veteris, qui scripserit suspiciendum esse, vel suscipiendum cœlibatum ob fugam in persequutione, aut ob refellendā calumniam Ethnicorum. SECVNDO; si istæ fuissent causſæ præcipuæ, iamdudum cessasset admiratio cœlibatus; nam causſæ illæ breuissimo tempore durarūt: non autem ita est, sed semper magis & magis in Ecclesia floruit, & viguit honor continentiæ Deo sacratæ ac deuotæ.

QVARTA causſa falsissima est, cum constet cœlibatum in Ecclesia non à Gentilibus, sed à Iudæis cœpisse; siquidem Christus ipse virgo, mater eius virgo, Ioānes virgo, Apostoli omnes post vocationem suam cōtinentes, ex Iudæis, non ex Gentibus nati fuerant. Illi etiam primi Christiani, qui in Ægypto continentiam colebant, de quibus scribit Philo in lib. de vita contemplatiua supplicum, ex Iudaismo, non ex Paganismo, ad Ecclesiam venerant. B

Adde, q̄ Petrus Martyr contrarium scripsit in cōmentario ad cap. 7. prioris ad Corint. vbi sic ait; *Neq; iudicamus de cœlibatu, quod sit in præsentia, vt hactenus erat in Iudaismo, & apud Ethnicos parum honestus. Scribit enim Cicero de legibus, cœlibes esse prohibento. Christus hanc ignominiam cœlibatus amouit, &c.*

Porrò Gentilium testimonia adferuntur quidem interdum a Patribus, sed ita adferūtur, vt Apostolus quondam citauit Aratum Poetam, Act. 17. & Menādrum 1. Cor. 15. nimirum, non ut in huiusmodi testimonijs ponatur firmamentum dogmatum fidei, sed C ut ostendatur cœlibatus non pugnare contra naturā, & rationem, & ut Christiani erubescant, si in ijs, quæ ad uirtutem pertinent, inueniantur Ethnicis inferiores. Hoc modo S. Hieronymus in libris aduersus Iouinianum, postquam multis Scripturæ testimonijs cœlibatum confirmauit, producit etiam Ethnicorum testimonia & exempla.

TERTIA responsio Petri Martyris constat ex aliquot Patrum testimonijs, quæ cum uoto continentię pugnare uident. Sed ea paulò post adferemus, vbi ad obiectiones aduersariorū dissoluendas puenerimus.

CAPVT XXVIII.

Idem asseritur ratione.

D

NVNC tandem, ut ad postremum genus argumentorum ueniamus, duplici ratione, in scripturis, & patrum testimonijs fundata, idipsum breuiter cōfirmabimus. Prima ratio ex dignitate continentiæ, secunda ex utilitate uouendi sumetur. PRIMVM igitur id omne Deo rectè uouetur, quod est illi gratū; si fiat. Eiusmodi autem continentia est, cum longè excellat coniugio, & cum fornicatione ne comparari quidem debeat; poterit igitur rectè continentia Deo uoueri. Assumptio, quæ sola negari solet, paucis confirmanda est. QVIA uerò Lutherus in Epithalamio cauillatur, uirginitatem quidem præstare coniugio, sed non item uitam cœlibem uitæ coniugali: Argumenta adferemus de uita ipsa, & statu cœlibū. Ac primum Scriptura diuina clamat 1. Cor. 7. *Igitur qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Et infra: *Cui uult nubat, tantum in Dño beatior aūt erit, si sic pmanserit.* Huc ēt ptinent alia testimonia, q̄ attulimus supra ī disputatione de cōsilijs. E

Iam uero Patres passim perfectam uitam hanc esse dñt. CYPRIANVS lib. de habitu uirginū, virginū cœtū esse dicit illustriorem portionem gregis Christi. Et ibidem: *Magna*, inquit, *uos merces manet, præmiū grāde uirtutis, munus maximum castitatis.* DIONYSIVS de Ecclesiastica hierarch. c. 6. part. 2. *Sacerdos*, inquit, *perfectissimam ei uitam exponit, ei uidelicet, qui monasticam vitam profitetur.* EVSEBIVS li. 1. c. 8. demonst. Euangel. *Et talis*, inquit, *existit in Christianismo perfecta uitæ modus.* BASILIVS c. 18. monasticarum constitutionū, & Gregorij Naziāzeni in orōne de obitu S. Basilii, vitā perfectam, immo ēt perfectissimam appellant, monasticen. Ioannes CHRYSOSTOMVS li. 3. aduersus uituperatores vitæ monasticæ, eandem vitam appellat perfectionis culmen, virtutisque fastigium.

HIERONYMVS in epist. 1. ad Heliodorū: *Tu perfectum te fore pollicitus es, nam quando relicta militia te castrasti propter regna cœlorum, quid aliud quam perfectā secutus es vitam?* AVGVSTINVS lib. 1: de moribus Ecclesiæ, c. 31. *Iam*, inquit, *accipite perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda solum, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singulārem.* Et de sancta virginitate, c. 52. *Pergite*, inquit, *virgines Dei, via sublimitatis, pede humilitatis.*

SVLPITIVS in 2. Dialogo: *Beata species*, inquit, *& Deo digna, nihil enim virginitati est comparandū.* Idem quoque Patres summo consensu vitam virginum, angelicam vitam esse docent, vitam vero coniugalem, vitam hominum. AMBROSIVS lib. 1. de virginibus: *Nemo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.* CYRILLVS catechesi 12. *Non ignoremus castitatis gloriam, Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio.*

NAZIANZENVS in carmine de virginitate:

Salue virginitas diuino tradita dono,
Mater inoffensa uitæ, bona maxima fundens.
Christi pars & spiritibus sociata supernis
Ignaris thalami.

ATHANASIVS libro de verginitate extremo, his titulis virginitatem celebrat: *O virginitas opulentia indeficiens, corona immarcessibilis, templum Dei, domicilium Spiritus sancti, margarita speciosa, vulgo incōspicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apostolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona.* Vide præterea, si placet, de cōparatione virginum cum Angelis, Hieronymum in epist. 8. ad Demetriadem, Augustinum de sancta virginitate c. 13. Chrysostomum homil. 18. in Genesim, Basilium in libr. de virginitate, Fulgentium in epist. 3. ad Probam, Damascenum libr. 4. cap. 25. Isidorum lib. 2. de summo bono.

Hic vero mire irascitur Petrus Martyr, nam in libro de cœlibatu, & votis recitat sententiam Athanasij supra citatam, & ait: *Sunt hæc hyperbolis plena, neque ad amussim veritatis consistunt. Apostoli sane coniuges habuerunt, & Prophetæ, quomodo ergo virginitas est illis gaudium, & corona? quid præterea cum virginitate commune habent Angeli, quandoquidem corpore carent? vnde non magis illi virgines queunt dici, quam si quis lapidem cœcum appellet.* Hæc ille. Sed quid mirum, si non placent porcis margaritæ?

Quod autem falsi accusat Athanasiū Petrus, quod dixerit, continentiam gaudium esse Prophetarum, & gloriam Apostolorum, refellitur facillime ex S. Hieronymo, qui in epist. 22. ad Eustochium sic ait: *Virgo Helias, Heliseus virgo, virgines filij Prophetarum: Hieremiæ dicitur, & tu ne accipias uxorem.* Hæc ille, Quis vero nescit Ioannem Baptistam, & Prophetam, & virginē fuisse? ex Apostolis Ioannem certo scimus virginē fuisse. Quod idem de Paulo idem HIERONYMVS affirmat loco citato, et de Apostolis omnib. in Apologia pro libris contra Iouinianum: *Apostoli*, inquit, *aut virgines, aut post nuptias continentes.* Ad hos ergo Apostolos, & Prophetas respiciens Athanasius, vere & proprie, non falso & hyperbolice locutus est.

Quod aūt reprehendit Petrus comparationem virginum cum Angelis, non solum Athanasio, sed omnibus alijs Patrib⁹, & ipsi ēt Christo iniuriam facit, qui Matth. 22. ait: *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erūt sicut Angeli Dei in cœlo.* Cui credemus

iam, Petro Martyri neganti eos, qui non nubũt, similes esse Angelis, an Christo idipsum asserenti?

At, inquit, Angelis nó magis conuenit non nubere, quam lapidi non videre. Ita est, sed tamen sicut eum, qui valdè cœcus, aut surdus, aut mutus est, lapidi, & trunco, non ineptè comparamus; sic etiam eos, qui continentia & puritate excellunt, rectissimè Angelis similes facimus; nam alioqui nec vultum habẽt Angeli; & tamen non timuit S. Lucas dicere Act. 6. *Viderunt vultum Stephani sicut vultum Angeli.* Atque hæc de prima ratione. Addo aliam rationem ex parte ipsius uoti; Melius est & Deo gratius ex voto aliqd facere, quàm sine voto, igitur non solum licet, sed etiã expedit continentiam vouere. Antecedens his argumentis confirmatur.

Primo, Scriptura hortatur ad vouendum Ps. 75. *Vouete & reddite.* Quo testimonio permotus S. Aug. multis in locis ad vouendum hortatur, vt in epist. 45. ad Armentarium, epist. 89. ad Hilarium, epist. 143. ad Iulianum, in libro de bono viduitatis, c. 19. in lib. de sancta virginitate, c. 29. & 30. in Psal. 75. 99. & alibi. At si melius esset absq; voto operari, deciperet nos Spiritus sanctus, quod nullo modo fieri potest: igitur melius est operari ex votò.

Secundo, opus eò melius est, ac Deo gratius, quò ex pluribus, aut ex maiori virtute procedit; continere sine voto, est temperantiæ: continere ex voto, est actus simul temperantiæ, & religionis, quæ quidem religio temperantia ipsa longè est nobilior: igitur continere ex uoto melius, & Deo gratius est, quàm sine voto. Itaq; S. Augustinus in libro de sancta virginitate cap. 8. *Nulla*, inquit, *fœcũditas sanctæ virginitati etiã carnis comparari potest, neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, spiritu tamen religione ac deuotione seruatur, ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet ac seruat continentia pietatis.*

Tertio, quod fit ex voto, maiori caritate & liberaliter fit, quam quod sine voto. Qui enim sine voto aliquid facit, opus duntaxat offert Deo, qui autem vouet atque ex voto facit, & opus, & facultatem offert. Qd explicat S. Anselmus in lib. de similitudinibus, ca. 84. his verbis: *Plus donat, qui arborem cum fructib. quàm qui solos fructus donat.*

Quarto, melius est quod fit ex voluntate confirmata in bonum, quàm quod fit sine eiusmodi firmitate: sicut peius est peccare ex voluntate obfirmata ad malum, quam ex fragilitate. & quemadmodum qui peccant ex voluntate confirmata, in malum, similes sunt damnatis: ita qui operantur ex voluntate confirmata in bono, similes sunt beatis.

Quinto, qui vouet, non solùm id lucratur, quod diximus, quod excellentius opus facit, sed etiam munit seipsum aduersus tentationes Diaboli, & humanã fragilitatem ac mutabilitatem. Homines. n. in ijs rebus, ad quas nõ sunt alligati vinculis legum, etsi optimæ sint, & vtilissimæ, facilè mutant propositum, Diabolo instigante. & et sine Diaboli artibus, ex propria mutabilitate. Quocirca videmus in reb. humanis sæpe requiri iuramenta, vt alligetur voluntas, ne facilè mutari possit. Ita milites, magistratus, sponsi, atq; alij id genus iurare coguntur, non autem solis verbis se facturos quod debent polliceri. Hinc S. Aug. epistol. 45. ad Armentariũ: *Non te*, inquit, *vouisse pœniteat, immò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.* Et infra: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.*

CAPVT XXIX.

Soluitur obiectio prima aduersariorum.

Restat nunc, vt obiectiones aduersariorum, soluamus. Prima obiectio cõis est omnibus & sumitur ab illis Scripturis, quæ docent, opera bona non ex necessitate, quam tũ secum adferunt vota, sed voluntariè, ac liberè esse faciẽda: Id enim est melius, & laudabilius, & Deo etiam acceptius, quod est magis voluntarium, & liberum, ac proinde minus necessarium. Psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*, 1. Cor. 7. *Non vt laqueum vobis injciam*, id est, hortor ad continentiam, sed non ad votũ. 2. Cor. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorẽ diligit Deus.* Et ad Philimonem: *Ne veluti ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium.* S. Hieronymus li. 1. in Iouinianum, ante medium: *Et ideo plus amat virgines Christus quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: maioris q; gratiæ est offerre quod non debeas, quã reddere quod exigaris.* Et S. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua c. vlt. *Sic abstinere, vel ieiunare debemus, vt non nos necessitati ieiunandi subdamus, ne iã nõ deuoti, sed inuiti, rẽ voluntariã faciamus.*

Respondeo, triplicem esse libertatem, ac triplicẽ item necessitatem. Vnam ex parte debiti, siue debitũ oriatur ex præcepto, siue ex voto, siue aliũde. Id enim dicimur liberè facere, quod non tenemur facere, id vero necessario, qd tenemur. Alteram ex parte naturalis determinationis voluntatis. Illa enim dicimur liberè facere, in quibus non habemus voluntatem determinatam ad vnum: atq; hæc libertas est, quæ propriè dicitur liberum arbitrium. Tertiam ex parte coactionis, siue ea sit absoluta coactio, ut cum quis trahitur vi, quò ire non vult, siue sit moralis quædam, & quasi cõditionata coactio, ut cum quis nollet aliquid facere, & non libenter facit, facit tamen coactus timore aliquo humano, aut seruili.

Ex his Prima libertas non est necessaria ad opus laudabile, aut Deo gratum faciendum: neq; cõtraria necessitas pugnat cum laude & merito operis boni, quia potius contra, vt ostendimus, ista necessitas auget laudem operis boni. Semper enim nisi aliunde sit impedimentum, melius est opus ex præcepto, quam non ex præpto, ex uotò, quam non ex voto. Altera illa libertas necessaria est ad laudem boni operis, sed ea æquè reperitur in opere, quod fit ex præcepto aut voto, & in opere omnibus modis indebito; nam etiã si quis millies vouerit, aliquid poterit tamen ex arbitrij libertate votum nõ reddere, & peccare. Tertia libertas est item necessaria ad laudẽ boni operis, sed neq; ipsa repugnat præcepto, & multo minus voto. Potest enim fieri, vt quis tanta alacritate, & promptitudine exsequat opera præcepta, quanta alius opera nõ præcepta. Vnde Dauid dicebat. Psal. 118. *In via testimoniorũ tuorũ delectatus sum, sicut in oĩbus diuitijs.* Et: *Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.*

Pari ratione fieri põt, immò ordinariè fit, ut q; fit ex uoto, fiat libẽtius, & prõptius, q̃ quod fit sine uoto. Votũ. n. ex se lætitiã gignit, cum ex magna caritate p̃cedat illud 1. Paral. vlt. *Lætatus est populus, cum vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino.*

Quod si aliqui cum tristitia soluunt, quod vouerunt, id accidit ex uitio hominum, non ex natura uoti, nec tamen etiam tunc melius est, quod fit sine voto, quam ex uoto; nam, ut S. Thomas docet in opusc. 18. quod est de perfectione cap. 12. potest tribus modis quis se habere in soluendo uoto.

Vno modo, vt libenter faciat id, ad quod tenetur ex uoto, & quia res ipsa placet, & quia uotum placet; & tũc sine dubio magis meretur, quã alius, qui æquè libenter illud idem operatur sine uoto.

Altero modo, ut inuitus faciat rem illam, quam uouit, tñ libenter impleat uotum; ut si is, qui uouit ieiunium, incipiat non amare ieiuniũ, & proinde cũ difficultate, & tristitia ieiunet, adeò ut si eẽt sui iuris, nõ uoueret ieiuniũ: tamen quia iam uouit, & placet ei uehementer seruare Deo fidem datam, propterea prom-

prõpto & alacri animo superet eam difficultatem, vt impleat votum. Atq; hic etiam magis meretur quam alius, qui sine voto libenter ieiunet; vt enim excellentior est religio, quam temperantia, ita melius est implere votum libenter, quod est religionis, quam libenter ieiunare, quod est temperantiæ.

TERTIO modo potest fieri, vt quis adeo doleat se vouisse, vt non velit amplius seruare votum; sed quia hoc est simpliciter malũ, non potest cõferri cũ bono.

Ex his ad ea testimonia, quæ contra protulimus, facile est respondere. Ad illud Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo*, respondeo, illud, *voluntarie*, opponi tristitiæ, & coactioni, non autem necessitati, quæ oritur ex voto, aut præcepto.

Ad illud 1. Cor. 7. *Non vt laqueum vobis injiciam*; quibus verbis apertissime demonstrari existimat Petrus Martyr prohibita esse vota, respondeo, *laqueum*, appellari necessitatẽ, quæ detinet inuitum, nõ autem quamlibet necessitatem. Proinde vota esse laqueos illis, qui temere vouerunt, vel qui coacti sunt ab alijs vouere, cum ipsi nihil tale cuperent: quemadmodum ẽt nuptiæ laquei dici possunt ijs, qui temere ducunt vxorem; & eo modo alligant se alicui, cum qua viuere nõ possunt, & inde occasionem accipiũt cum alijs fornicandi. Est igitur sensus Apostoli; Exhortor vos ad continentiam, sed ita tamẽ, vt non cogam inuitos, nec sua deam temere eam accipere, & vouere, quod esset laqueus animarum, sed vt ostendam id, quod est per se honestum, & vtilissimum; vt quibus Dominus huius rei desiderium inspirauerit, illi accipiant, & voueant.

Quod autem laqueus hoc loco non dicatur votũ, aut necessitas absolute, sed, vt diximus, votum ab inuito, aut temere susceptum, testatur S. AVGVSTINVS lib. de bono viduitatis, ca. 5. qui sic exponit: *Non vt laqueum vobis injiciam, id est, non vt vos cogam.* & S. HIERONYMVS li. 1. in Iouinianum: *Non imponit*, inquit, *nobis Apostolus laqueum, nec cogit esse, quod nolumus.* Similiter exponunt commentaria in hunc locum Theodoreti, Theophylacti, Anselmi, & aliorum.

Accedit ipsa laquei metaphora; non enim laqueus dicitur funis ligans, & tenens hominem, ne forte cadat; sed funis vi detinens, & ad capiendũ, & ad perdẽdũ expositus. Deniq; Sapiens Prou. 20. idipsum disertis verbis exposuit: *Ruina*, inquit, *est homini deuotare Sanctos, & post vota retractare.* Vbi pro eo, qd Hieronymus vertit, ruina in Hebræo est. קוֹקֵשׁ quod proprie laqueum significat; nam יָקוֹשׁ illaqueare est, יָקוּשׁ auceps dicitur. vnde verterunt septuaginta interpretes, παγὶς, id est laqueus; nec male Hieronymus vertit ruinam, quia finis proprius laquei casus & ruina est. Igitur iuxta Salomonem laqueus, & ruina est, non absolute vouere, sed uouere, & post uotum retractare, quod accidit ijs, qui temere aut inuiti uouent. Isti enim uoto, ut laqueo quodam tenentur coacti, & occasionem accipiunt grauius delinquendi.

Ad illud 1. Cor. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate*, respondeo, hoc loco appellari necessitatem, non legẽ, aut uotum, sed humanam necessitatem, quæ cogit homines facere, quod non uellent. loquitur enim de ijs, qui eleemosynas faciunt inuiti, quia uidelicet erubescunt non facere, quod alij faciunt, ne iudicentur auari; aut non audent negare petenti magno alicui uiro, qualis erat ipse Paulus, pro egenis. De hac necessitate loqui B. Paulũ testantur verba sequentia: *Hilarẽ enim datorem diligit Deus.* necessitas enim quæ ex humano timore nascitur, hilaritati opponitur, nõ autem necessitas uoti quę oritur ex caritate. Idem respondendum est ad alium locum ex epistola ad Philemonem.

Ad testimonium aũt S. Hieronymi li. 1. in Iouinianũ, ubi dicit maioris gratię esse offerre qd nõ debeas, quã reddere qd exigaris, respondeo, S. Hieronymum loqui de opere illo quod exigitur ratione pręcepti, nõ de eo quod exigitur ratione uoti. Nam multum interest inter legem & uotum, quod ad rem presentem pertinet. qui. n. facit opus non imperatum ulla lege, etsi non facit opus laudabilius, quaten⁹ facit opus nõ imperatum, immo, ut supra diximus, ceteris paribus, melius sit op⁹ imperatum, quã nõ imperatum facere; tñ tribus de caussis, ut plurimum, facit opus laudabilius.

PRIMO, quia res non imperatæ sunt plerumque no biliores secundum se, quam res imperatę. Deus enim minora imperauit, maiora consuluit. at hoc non habet locum in uotis; non enim minora fiunt ex uoto, maiora sine uoto, sed è contrario; perfectissima enim quæque opera uoueri possunt, & solent.

SECVNDO, quia semper, qui facit opera non imperata, ex caritate, sicut oportet, facit etiam omnia opera imperata; atq; ita plus dat, quam ille, qui facit solũ opera imperata; includuntur enim præcepta in consilijs, non contra. sed neque hoc in uotis locum habet; non enim qui facit aliquid sine uoto, continuo implet etiam omnia uota.

TERTIO, quia ut plurimum maior promptitudo requiritur ad opus non imperatum aggrediendum, quã ad opus imperatum, ut notum est; ac propterea ratione maioris promptitudinis opus non imperatum maioris gratiæ est, vt Hieronymus dicit, quam opus imperatum. At de uoto hoc dici non potest; nam etsi maior promptitudo forte requiratur ad aggrediendũ nouum opus, ad quod non tenemur ullo modo, quam ad opera ordinaria facienda, ad quæ tenemur ex uoto: tñ maior illa prõptitudo superat ab alia quadam adhuc maiore, quæ necessaria fuit ad uotũ ipsum faciẽdum. Cum enim uotum spõte offeratur, & sit res ardua, & difficilis, multò maior promptitudo requiritur ad uotũ faciendum, quam ad faciendum aliquid sine uoto.

Ad testimonium S. Prosperi ex lib. 2. de uita contẽplatiua, cap. ult. ubi dicit, sic esse abstinendum, ut non nos necessitati subdamus, respondeo, necessitatem, de qua S. Prosper loquitur, non esse necessitatem legis, aut uoti, sed necessitatem timoris humani, quæ tristitiam gignit; ideo. n. subiungit idem auctor: *Ne non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus.*

CAPVT XXX.

Soluitur secunda obiectio.

ALTERAM obiectionẽ ducunt ex illis Scripturę testimoniis, quæ aperte imperant matrimoniũ ijs, qui stimulũ carnis patiuntur: Hinc enim sequitur, uotũ continentiæ perpetuæ temerarium esse, & proinde illicitũ, cum nemo sciat quãdiu sine eiusmodi stimulis uiuere queat. 1. Cor. 7. *Qui non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam vri.* Ibidẽ: *Propter fornicationem vnusquisque suã vxorẽ habeat:* Huc etiam maxime facit illud 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere, matresfamilias esse, filios procreare.* Contra quod præceptum ij peccare uidentur, qui puellis continentiæ uotum suadent, aut permittunt.

Respondeo ad hoc argumentum tribus modis. PRIMVM assero, in nullo horum locorum uocari ad nuptias ab Apostolo eos, qui tentantur stimulis carnis, sed eos, qui incontinenter uiuunt, ita, ut flagitijs se polluant. SECVNDO assero, eos, qui incontinenter uiuunt, non uocari absoluto imperio ad nuptias, sed solum ostendi eis remedium quoddam facile, & quasi portum, quo se recipiant; sic tamen ut liberum eis relinquatur ad maiora aspirare. TERTIO assero, hoc ipsum siue consilium siue permissionem, siue remedium non dari ab Apostolo ijs, qui uouerunt continentiam, sed solum hominibus solutis, & liberis.

Ac ut de PRIMO prius dicamus, sciendum est, aduersarios existimare nuptias esse necessarias iure diuino ijs, qui uruntur; per ustionem autẽ intelligũt tentationes

tationes carnis non breues & leues, sed graues & diu turnas, quæ conscientiam turbant, licet eis non consentiatur. Ita docet Lutherus in Epithalamio, ubi ēt grauiter accusat S. Hieronymum, quod coniugium non inierit, cum ipsemet fateatur in epist. 22. ad Eustochium, se grauissimis, & diuturnis ardorib. carnis vexatum fuisse, immò etiam eo Lutherus progredit, vt S. Hieronymum ꝓpterea hæresis Pelagianæ accuset, quasi videlicet senserit ꝓprijs virib. sine dono Dei posse aliquē uincere tētationes. q̄ tñ est manifesta calūnia, cū ibidē Hier. dicat se ꝓcib. ad Deū assiduè instare solitū pro uictoria obtinenda contra tētationes.

Sed de vstione cum Luthero conueniunt Caluinus, & Petrus Martyr in comment. 1. Cor. 7. distinguit enim Caluinus tria genera tentationum carnis. VNVM, quod ita tentat, ut uincat, & hoc esse dicit pessimum genus vstionis, quod uerissimum est. ALTERVM, quod ita tentat, ut statim acriter repellatur, ita vt intus iacula nō penetrent, nec ulla mentis perturbatio oriatur, & has tentationes fatetur non propriè uocari ustiones, & propter has non esse nuptias necessarias. quod etiam libenter concedimus. TERTIVM genus esse dicit medium, cum quis uidelicet tentationi non plene consentit, tamen iacula intus penetrāt, & sentitur carnis delectatio & mētis perturbatio. & has tentationes proprie vstiones esse dicit, & qui eas habent, eos affirmat certa lege citari ab Apostolo ad matrimonium, ita ut peccent non nubendo.

Vbi est obseruandum, Caluinum non sine fraude dixisse, tertium genus tentationis esse cum quis plene non consentit, licet iacula intus penetrēt: nam ad rem obscurandam posuit, plene; cū uellet dicere, tertium genus esse, cum quis nullo modo consentit, & tamen sentit acres stimulos carnis. qui enim consentit, siue plenè, siue non plenè, ad primum genus pertinet secundum eorum sententiam, cum non agnoscāt discrimen peccati mortalis, & venialis, sed omnem motum carnis, quantumuis inuoluntarium, doceant esse mortale peccatum.

Immò hoc est fundamentum præcipuum, ex quo deducunt eos, qui grauiter tentantur, debere necessario uxorem ducere, quia, vt Lutherus in Epithalamio docet, non sunt certamina castitatis similia alijs certaminib. qui enim tolerat famem, aut sitim, aut alia id genus, non peccat. at æstus libidinis sine peccato esse non potest, cum sit prohibitus omnis motus concupiscentiæ. In quo fundamento Caluinus, Petrus Martyr, & omnes alij conueniunt: sed & fundamentum ipsum est putridum, & ædificium, quod super exstruunt, facile deijci potest.

Ac de fundamento quidem alibi disputandū erit, nūc S. Pauli & Augustini testimoniū sufficiat, Rom. 7. *Si quod nolo, facio, iam non ego operor illud.* Quis capiat, mihi esse peccatum, quod ego non operor? Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, c. 25. *Quod si illa concupiscentialis mobediēntia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter uoluntatis legem, quasi lege sua mouetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Sed de hoc alibi. Nunc ad rē præsentem uenientes, asserimus ab Apostolo uocari homines ad matrimonium non ob solas tentationes siue sensum, sed ob consensum libidinis, & per vstionem, non tentationes, sed incontinentiam, & flagitia interpretamur, vt hic sit sensus verborū Apostoli: q̄ oīno decreuit aut fornicari, aut nubere; is bñ facit si nubat, quia melius est nubere, q̄ uri. i. quā fornicari.

Probamus hanc nostram expositionem. PRIMO, ex antecedentibus uerbis, dicturus enim Apostolus: *Melius est nubere, quam uri*, præmisit: *Si non se continent, nubant.* Vbi per ustionem exponit ipsemet Paulus incontinentiam; nam causam reddit cur debeant nubere qui non se continēt, quod uidelicet melius sit A nubere, quàm uri. i. q̄ non cōtinere, constat aūt incōtinentiam non tentationē, sed flagitium significare.

SECVNDO idem patet ex illis uerbis eiusdem capitis: *Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* vbi non dicit Apostolus, propter tentationem fugiendam, sed propter fornicationem fugiendam quisque suam uxorem habeat, id est, non si tentaris, sed si fornicaturus es, uxorem potius habeas.

TERTIO idem probatur ex illis uerbis: *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* vbi etiam non propter simplicem tentationem iubet, ut coniuges debitum mutuē reddant, sed propter incontinentiam. Idem igitur significat apud Apostolum vstio, quod incontinentia.

QVARTO ex illo 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere:* causam.n. reddit non tentationem, sed incontinentiam: *Nullam*, inquit, *dare occasionem aduersario maledicti caussa*, id est, ne demus occasionem, Gentilibus maledicendi uitam, & mores Christianorum: non autem possunt maledicere aduersarij Christianis ob occultas tentationes, sed ob manifesta flagitia. Vnde mox subiungit: *Iam enim quædam abierunt post Satanam.*

QVINTO idem probari potest exemplo ipsius Apostoli 2. Cor. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, ut auferretur a me.* Nec est uerum quod dicit Petrus Martyr in lib. de cęlibatu, & votis, Apostolum impetrasse gratiā, qua nec laberetur, nec grauiter uexaretur; ipse.n. Apostolus contrarium dicit, se uidelicet non impetrasse quod petebat, ut auferretur stimulus carnis. Ait enim; *Et respondit mihi Dominus, sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur.* Vnde S. AVGVSTINVS tract. 7. in Io. & ser. 53. de verbis Domini, & alibi sæpe, hoc Pauli exemplū adfert, cum ostendere vult Deum sæpe utiliter non exaudire suorum orationes. Itaque Apostolus tentabatur magnis & diuturnis stimulis carnis, & tamen uxorem non ducebat: non igitur tentari est uri; alioqui Paulus suo ipsius iudicio damnatus esset.

SED addit Petrus Martyr, hūc locum Apostoli nō necessario de tentatione carnali esse intelligendū, cū Chrysostomus per stimulum carnis dolorem capitis intelligat: alij uero persequutiones, quas patiebatur.

AT hæc nimis magna negligentia, uel impudentia est, cum Chrysostomus, nec nō Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus disertis verbis refellant eos, qui per stimulum carnis dolorē capitis interpretantur. Illud quidem est verū, hos Patres referre hūc locum ad persequutiones: tamen S. Augustinus in Ps. 58. concione 2. contendit, stimulum carnis aliquid significare: quod uerecundiam, & pudorem adferat, & qd nemo de tanto Apostolo dicere ausus fuisset, nisi ipse hoc de se confiteri non erubuisset. at certè nullus est pudor; dolores capitis, aut persequutiones confiteri.

Vnde ēt THEOPHYLACTVS, licet exponat de persequutionib. tñ addit, satius esse exponere de tētatione carnis: *Vel*, inquit, *quod satius est, Veneris inchoamenta, quib. maxime urgebatur, expressit:* quō ēt exponi posse docent Sedulius, Anselmus, & Thomas in commentario, quod idem suadet metaphora colaphizationis: vt enim colaphus; non tam lædit carnem, quam pudorem inijcit animo: ita carnalis tentatio, cui nō consentitur, ruborem potius, quam detrimētum adfert; denique adeo videtur iā recepta hæc expositio, ut vulgo tentationes carnales, stimulus carnis dici soleant.

Sed qa hic locus nō oīno cōuincit, cū varijs modis a Přib. exponat, sūt alia duo magis spicua, 1. Cor. 9. *Castigo corpus meū, & in seruitutem redigo.* Et Rom. 7. *Ego ipse mente seruio legi Dei, carne aūt legi peccati.* Et: *Non quod uolo bonū, hoc ago, sed qd nolo malū.* Et: *Sentio aliā legē in membris meis repugnātem legi mentis meæ.*

Quæ

Quæ loca non modo S.Auguſt. multis in locis,ac præcipuè lib.2.retract.c.1.& lib.6.in Iulianum,c.11. contendit de ipſo Paulo,& alijs iuſtis hominib. intelligenda eſſe: ſed etiam Lutherus in aſſert. 2. articuli, omnino affirmat non poſſe aliter intelligi, & probat ex laborib.omnium Sanctorũ & nominatim S.Hieronymi in ſuperandis grauiſſimis carnis tentationib. *Quid*, inquit, *in vita omnium Sanctorum legimus,quã labores.vigilias,orationes, ieiunia, quib. ueluti machinis ſpiritualib.pugnauerunt aduerſus carnem,& cõcupiſcentias corporis proprij? quis eorum non gemit? non accuſat, non laborat in carne ſua,& in concupiſcentijs ſuis? cum ergo in his omnib.uideamus illas auctoritates,caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,& condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem,uideo autem aliam legem,&c.quæ cauſſa eſt,ut hæc Apoſtolum uelimus non in ſua,ſed in piorum perſona dicere,quæ in perſonis piiſſimorum uidemus uiuaciſſimis ſtudijs geri?* Et infra: *Quoties ergo, S.Hieronymus de incendijs libidinum conqueritur, etiã tum cum multo ieiunio, & labore contra eam pugnaret, hoc eſt,dũ eſſet nonmodo baptizatus,ſed & ſanctiſſimus?* Hæc ille. Qui vt veriſſimè iſta dicit, ita manifeſte repugnat ijs,quæ docuit de S.Hieronymo in Epithalamio.hic enim eum cum Paulo iungit, & cum omnibus ſanctis,concupiſcentiæ ſtrenuè repugnantib. ex quo ſequitur,vt uel apud Paulum 1.Cor.7.vri non ſit tentari,ſed labi in ſcelera:vel Paulus, & omnes Sancti vſtionem paſſi ſint, ac proinde contra Deum peccauerint,quod matrimonium non inierint.

Accedunt Sexto teſtimonia Patrum. Clemens Alexandrinvs libro 4. Stromatum in ipſo principio,Baſilidis Hæreſiarchæ ſectatorib.tribuit eam explicationem, quam nũc aduerſarij amplectuntur: *Et illud*,inquit,*melius eſt nubere,quã uri,aiunt dicere Apoſtolum,ne animam tuam in ignem inijcias, noctu, & interdiu reſiſtens,& timens,ne a continentia excidas: nã cũ in reſiſtendo occupata fuerit anima,a ſpe eſt diuiſa. Apprehẽde ergo*,inquit his verbis Isidorvs in moralib. *robuſtam mulierem,ne à Dei gratia auellaris,& cũ igne in ſemine excreueris,oum bona ores conſcientia.* Et paulo poſt: *Has uoces*,inquit, *adduxi ad Baſilidianos reprehendendos,&c.* Commentarius,qui Ambroſio tribuitur:in hunc locum: *Cum*,inquit,*voluntas calori carnis conſentit,vritur: nam deſideria pati,& non uinci, illuſtris uiri eſt,& perfecti.*

S.Hieronymvs in Apologia pro libris contra Iouinianum:*Si autem*,inquit, *ſe continere non poſſunt,& ardorem libidinis non tam continentia uolunt quam fornicatione reſtinguere,melius eſt nubere,quam uri,ideſt, melius eſt maritum ducere,quàm fornicari.* Hæc ille. S.Avgvstinvs lib.de ſancta virginitate, c.34. *Melius*,inquit,*nuberent,quam urerentur,ideſt, quàm occulta flamma concupiſcentiæ in ipſa,concupiſcentia uaſtarentur,quas pœnitet profeſſionis,& piget confeſſionis.* Idem S.Aug.lib.de bono coniugali,c.10.*Mihi*,inquit,*uidetur hoc tempore ſolos eos, qui ſe non continent, coniugari oportere,ſecundum illam eiuſdem Apoſtoli ſñiam: Quod ſi ſe non continent,nubant: melius eſt.n.nubere,quàm uri.*

Porro Chrisostomvs viſus eſt Petro Martyri de tentatione ſola hunc locũ intellexiſſe,ſed non ita eſt; ſic enim Chryſoſtomus breuiſſimè expoſuit: *Significat Apoſtolus quanta ſit concupiſcentia tyrannis. hoc autem eſt quod dicit,ſi magnam uiolentiam pateris,& libidine incenderis,laboribus te,& ſudoribus libera,nequando decidas.* Hæc ille.Vbi vſtionem interpretatur tentationem, quæ ad flagitium omnino perducet,nimirum accedente ad æſtum concupiſcentiæ infirmitate,id enim ſignificant illæ uoces, *Tyrannis, uiolentiæ, & ne decidas.* Itaque ſenſus eſt iuxta Chryſoſtomum, ſi animo imbecillo es, & vis tentationis ita urget, ut omnino ſis fornicaturus,præſtat,ut nubas;quem ſenſum clarius expreſſit in libro de virginitate. Et Chryſoſtomum ſequutus Theodoretvs ita expreſſit: *Vſtionem*, inquit, *non uocat cupiditatis moleſtiam, ſed animæ mancipationem, & ad id quod eſt deterius inclinationem. Quod autem dicit, eſt eiuſmodi: melius quidem eſt,& uos quibus coniugalis conſuetudo nondum obtigit,et uos qui coniuncti quidem fuiſtis: ſed morte eſtis diſiuncti, eligere continentiam. Sin autem cupiditatis impetum ferre non poteſtis, ſed ad hoc ſuſtinendum certamen imbecillo animo eſtis,quemadmodum ad ea, quæ pulchra, & honeſta ſunt, non habetis alacre,& ardens animi propoſitum,nulla lex prohibet, quo minus matrimonium contrahatis.* Hæc ille.

Denique,ut omittam ceteros, S.Thomas in commentario huius loci,nõ ſolum affirmat vſtionem hoc loco incontinentiam ſignificare, ſed etiam id confirmat ex ipſa uocis proprietate. Vri.n.nõ calere ſignificat,quod tentatis conuenit, ſed calore labefactari,ac detrimentum pati,quod minime cõuenit ijs, qui ſimpliciter tentantur,ſed ijs, qui tentationibus ſuperantur. Atque hinc Scriptura 1.Pet.1.Eccleſ.2.Sap.3.& alibi comparat iuſtos in tentationibus poſitos auro, quod per ignem probatur: aurum enim in igne probari dicitur non comburi, licet valde incaleſcat, quia detrimentum non patitur: paleam uero incaleſcere, & comburi,quia planè corrumpitur.

Alteram nũc ſolutionem addam.tametſi enim per uſtionem Apoſtolus tentationem ſignificaret,ad huc tamen nihil aduerſarij obtinerent: nam in nullo eorum locorum,quos ipſi citant, inuenitur uerũ præceptum nubendi, ſed ſola permiſſio: falſumque eſt quod Caluinus lib.4.Inſtit.cap.13.§.17.dicit,certa lege citari ad coniugium eos,qui urũtur.primum enim forma loquendi nõ eſt imperatiua: nam non ait Apoſtolus,qui non continetis,nubite,ſed: *Qui non ſe continent: nubant*; nec ait, propter fornicationem ducite vxorem,ſed: *Vxorem habeat,&c.*

Deinde ratio, quam Apoſtolus reddit,nimirum: *Melius eſt nubere,quàm uri*, ſatis indicat,uerba Apoſtoli,non præceptum, ſed permiſſionem continere. Vt enim Chryſoſtomus notat, Apoſtolus rationes adiungit, ne videatur legislatio, id quod ipſe dixit: ac præterea ratio ipſa non concludit,neceſſariũ eſſe matrimonium,ſed licitum,& permiſſum: nam etſi melius eſt nubere, quam uri, tamen eſt quoddam tertiũ melius utroque,id eſt,continere,& vſtionem inedia, & lachrymis reſtinguere, quomodo, ſi quis diceret, qui non vult pugnare, fugiat, quia melius eſt fugere, quam occidi,is non imperaret, ſed permitteret fugã: non enim prohiberet pugnare, & uincere, quod eſt melius,quam fugere,uel occidi.

Tertio, ſicut Apoſtolus ait: *Qui non ſe continent, nubant*, Ita dixit; *Iterum reuertimini in idipſum*. ut enim monuit incontinentes ſolutos,ut nuberent,ob periculum fornicationis, ſic etiam monuit coniugatos incontinentes,ut poſt aliquã feriationem ab opere coniugali,iterum redeant ad opus cõiugale,ob periculum adulterij. At his verbis poſterioribus nihil Apoſtolus imperauit, ſed ſolum permiſit: ſic enim ſubiunxit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*: Igitur in uerbis quoq; prioribus,nullum imperium, ſed ſola indulgentia, ac permiſſio eſt.

Ex quo intelligimus,ẽt in illis verbis: *Vnuſquiſque uxorem ſuam habeat*, nullum eſſe ꝑceptum: nam aut loquitur de illis,qui iã uxores duxerũt,vt vult S.Hieron.li.1.in Iouinianum,& recte, quia ſequitur paulo poſt:*Dico autem innuptis,& uiduis,bonum eſt ſi ſic permanſerint*;aut loquitur de illis qui nõ duxerant, ut Petrus Martyr contendit:ſi de ijs qui duxerãt,tunc ſenſus erit:*Vnuſquiſq; uxorem ſuam habeat*,ideſt retineat etiam quoad torum, ſed iuxta indulgentiã,non iuxta imperium.idem.n.eſt: *Iterum reuertimini in idipſum: & unuſ-*

& vnusquisq; suam uxorem habeat, quoad totum: si ve A
ro de ijs loquitur, qui non duxerũt, idẽ erit; Vnusq; q;
vxorem ducat ob fornicationem, & qui non se contí-
nent, nubant. quod iam ostendimus, permissionem,
non legem sonare. imò a maiori ducitur argumentũ:
nam si, ubi est adulterij periculum, Paulus non impe
rat opus coniugale, sed permittit; multo magis nõ im
perabit vbi est periculum solius fornicationis.

Qvarto, si vllum esset p̃ceptum matrimonij in
verbis Pauli, maxime esset in illis 1. Tim. 5. *Volo iunio
res nubere.* at nullũ ibi esse p̃ceptum facile probari po
test, nam in primis pugnaret cum illis verbis eiusdẽ
Apostoli 1. Cor. 7. *Volo omnes esse sicut meipsum*, idest,
continentes: ista. n. apertissimè pugnant, uolo omnes
continere, & uolo quosdam nubere. Idem. n. est, ac si
diceret, uolo oẽs continere, & non uolo oẽs continere. B
neutrũ igitur Apostolus iubet, sed absolute optat,
vnum. i. oẽs continere, & tñ alterum permittit cedẽs
infirmitati quorundam. i. nubere. Præterea nõ solum
Paulus dixit: *Volo iuniores nubere.* sed addit: *Filios pro
creare, matres familias esse &c.* Si ergo cum ait: *Volo iu
niores nubere*, imperat nuptias; etiam cum ait, uolo eas
filios procreare, & matres familias esse imperat, ut libe
ros habeant, proinde si steriles fuerint, peccabunt in
Apostolicã legẽ, q̃ sane nemo nisi stultus cõcederet.

Addo Vltimò testimonia Patrum. ac locum qui-
dem illum: *Qui non se continent, nubant.* iam audiuim⁹
Theodoretum ita exponentẽ, nulla lex prohibet, quò
minus matrimonium contrahatis. qđ idem & alij do
cent. Locum aũt istum: *Volo iuniores nubere*, ita expo-
nit Chrysostomvs: *Volo quia ipsa volunt.* Et infra: C
An verò matrimoniũ p̃cipit? absit. Sed neq; prohibet. Et
infra: *Prohibet igit̃ ab hmõi viduas, atq; deterret, nõ qđ
adolescẽtulas eẽ viduas nolit, sed qđ adulteras fieri uetet.*

S. Ambrosivs vtrumq; locum exponit simul in li
bro de viduis: *Nõ puto*, inquit, *quod iuniores reuocãdas
putarit a viduitatis affectu, maxime cum dixerit: Me-
lius est nubere, quam uri; nam vtiq; pro remedio nuptias
suasit, vt periturã sanetur: non pro electione præscripsit, ca
sta & continens quod sequatur.* Et in fine libri: *Sed nec
vidua præceptum accipit, sed consiliũ.* S. Hieronymvs
in epist. 11. ad Ageruchiam de monogamia: *Vult*, in-
quit, *Apostolus alterum matrimonium, cum ait: Volo iu-
niores nubere præferens digamiam fornicationi, secundũ
indulgentiam duntaxat, non secundum imperium.* S. Av
gvstinvs lib. de bono viduitatis, c. 8. *Quod*, inquit, D
*dicit; Volo iuniores nubere, nuptiarum bonum Apostolica
sobrietate, & auctoritate commendat: non procreandi offi
cium etiam eis, quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam
ad obsequelam legis imponit.* Et paulo ante: *Idem dixe-
runt de illo loco, qui non se continent, nubant, nimirum re-
medium ostendi, non legem figi.*

Sed adferamus nunc tandem solutionem tertiam.
Dico igitur, ista omnia quæ ex Apostolo aduersarij
obijciunt, siue permissionem sonent, ut nos probauit-
mus, siue præceptum, vt ipsi volunt, pertinere solum
ad homines liberos, non autem ad eos, qui uotis iam
obligati sunt. Nam de ea quæ habet uotum continen
tiæ, non potest recte dici: *Quæ non se continet, nubat: me
lius est nubere, quam uri.* Nam vtrumq; est malum, & E
nubere, & uri: imò peius est nubere, quidquid reclа-
ment aduersarij, p̃sertim ei, quæ habet uotũ solenne.

Nam quæ vritur, aut non peccat si vstio solum ten
tationem significat: aut peccat solum contra tempe
rantiam, & cõtra votũ, si fornicationem significat: q̃
vero nubit post solenne uotum, peccat contra tempe
rantiã, contra votum, & contra ipsum coniugium, cũ
sub nomine coniugij tegat perpetuum sacrilegium.
Quæ autem nubit post uotũ simplex, illa verũ matri-
moniũ cõtrahit, tñ aliquo modo magis peccat, quam
quæ fornicatur, quia reddit se impotentem ad seruan
dum uotum, quod non facit, quæ fornicatur.

Secvndo, ei quę virũ habet, & siue, quod ille per-
petuo ægrotet, siue quod perpetuo absit, nõ potest ab
eo debitum coniugale petere, etiamsi grauissime vra-
tur, non potest dici, si non se continet, nubat; melius
est nubere, quam vri. Sed necessario dicẽdum illi est,
vt seruet fidem coniugi, & orationibus & ieiunijs pu
gnet contra ustionem. Id quod ne aduersarij quidem
negare auderent. Non igitur Apostolus ea uerba di-
xit omnibus qui uruntur, sed solum ijs, qui soluti, ac
liberi sunt: & si ligati censentur ij, qui fidem coniugi
dederunt, cur non ij, qui dederunt Deo?

Tertio, ex Patribus S. Ambrosivs ad virginem
lapsam, c. 5. *Dicit aliquis*, inquit, *melius est nubere, quã
uri, hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum ue
latam. Ceterum, quæ se spopondit Christo, & sanctum ue
lamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est uiro. Etiamsi voluerit nubere cum alterius lege connubij, adul
terium perpetrat, ancilla mortis efficitur.*

S. Hieronymvs lib. 1. in Iouinianum. *Si nupserit*,
inquit, *uirgo nõ peccauit, nõ illa uirgo quæ semet Dei cul
tui dedicauit, harum. n. si qua nupserit, habebit damnatio
nem, quia primam fidem irritam fecit; uirgines. n. q̃ post
consecratione nupserint, non tã adulteræ sunt, quã incestæ.*

S. Avgvstinvs lib. 1. de adulterinis cõiugijs, c. 15.
Illis, inquit, *qui se non continent, utique expedit nubere, et
quod licet, expedit. quæ autem uouerint continentiam, nec
licet, nec expedit.* Et lib. de bono uiduitatis, c. 8. *Proin-
de*, inquit, *quæ se non continent, nubant, antequam conti-
nentiam profiteantur, antequam Deo uoueant, quod nisi
reddant, iure damnantur.*

C Gregorivs in li. pastorali, p. 3. admonitionis 28.
Scriptum est, inquit, *melius est nubere, quam uri, sine
culpa quippe ad coniugium ueniunt, si tamen necdum
meliora uouerunt.*

S. Ioannes Chrysostomvs in lib. de virginitate,
c. 39. *Viduæ*, inquit, *omnino si noluerit, potestatem nuben-
di facit, at eam, quæ coniuge mortuo se in sequens tempus
Deo consecrarit, si postea nupserit, uehementer accusat,
vt quæ fidem Deo datam post fefellerit. non ijs ergo sed il-
lis dixit, si se non continent, nubant: melius est. n. nubere,
quàm uri.* Idem Chrysost. hom. 19. in priorem ad Co-
rinth. exponens illud; Si nupserit virgo, nõ peccauit:
Non de ea, inquit, *quæ sibi elegerit virginitatem loqui-
tur, quippe quæ iam peccauit.* Quod idem habẽt Theo-
doretus, Theophylactus, Oecumenius in eundem lo
cum, & Epiphanius hæresi 61.

CAPVT XXXI.

Soluitur tertia obiectio.

Obiectio Tertia, eaq; omnium grauissima, su
mitur ab ijs locis, qui docent, continentiam esse
donum Dei, quod non omnib. detur. quod argumen-
tum etsi soluimus breuiter in disputatione de cœliba
tu sacerdotum: hoc tamen loco accuratius soluẽdum
est. Loca præcipua sunt quatuor, Sap. 8. *Nemo potest
esse continens, nisi Deus det.* Mat. 19. *Non omnes capiunt
uerbum hoc, sed quibus datum est.* Et infra: *Qui potest ca
pere, capiat.* 1. Cor. 7. *Volo autem omnes homines esse si-
cut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex
Deo, unus sic, alius autem sic.* Et infra: *Qui statuit in cor
de suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem
habens suæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seru a
re uirginem suam, bene facit.* Quem locum tractans
S. Hieron. lib. 1. in Iouinianum dicit, quosdam habe-
re necessitatem nubendi, aut scortandi.

Ex his locis ita argumentantur; Nemo debet uo- »
uere, nisi id, quod certo scit se posse soluere; alioqui ex »
ponit se periculo uiolandi uotum, & proinde teme- »
re uouet, & Deum offendit: *Displicet enim illi infide- »
lis, & stulta promissio*, Ecclesiast. 5. At nemo potest »

certo

„ certo scire,an poterit perpetuo continere,cum id non
„ possit sine dono Dei,nec possit vlla ratione scire,an ha
„ beat illud donum,& multo minus an sit perpetuo ha
„ biturus,vt Scripturæ allatæ ostendunt;nemo igit̃ po-
„ test,nisi temere,& imprudenter, perpetuam contin̄
„ tiam vouere. Ex qua ratione illud etiam deducũt,eos,
„ qui iam vouerunt, posse, ac debere votum suum re-
„ scindere, quia ea, quæ non sunt in nostra potestate,
„ non sunt materia voti.

„ Addit Petrus Martyr similitudin̄. Si quis.n. voue
„ rit se perpetuo ministraturũ pauperib.ac deinde pau-
„ lo post in morbũ incidat,certe nõ tenebitur voto suo,
„ qa qd̄ erat ei possibile cum vouit,iã illi impossibile fa-
„ ctũ est;igitur & ille,qui contin̄tiam vouit, si incidat
„ in morbũ concupiscentiæ, non tenebitur amplius vo
„ to suo. Neq; satis est dicere, posse istum orare Deum,
„ ac petere continentiam;nam etiam, qui ægrotat cor-
„ pore,posset orare Deum,& petere sanitatem,& tam̄
„ si non impetrat,vt sæpe accidit,liber a voto suo est.

Respondemvs, continentiam,& donũ esse Dei, & tamen in arbitrio, & potestate hominis positam, quorum alterum aduersarij affirmant, alterũ negant. Est igitur obseruandum,multa esse genera donorum Dei. Quædam enim dantur homini sine eius coopera tione,qualia sunt robur,sanitas,pulchritudo, prophe tiæ,linguarum aut miraculorum gratia, & omnes ha bitus,quos Deus infundit, & hæc stultum esset asse re esse in nostra potestate,aut pendere ex humana ele ctione,ita, vt possit ea habere quicunque velit: atque ad hoc genus donorum reuocant aduersarij continen tiam;disertis.n.verbis Petrus Martyr dicit: *Idem esse, statuere an velis continere,& an velis prophetare.*

Aliud genus doni consistit in auxilio diuino, sine quo non faceremus id,quod cum eo auxilio facimus. sic.n.credere,sperare,diligere; perseuerare, patiẽtem esse, vincere tentationes dicuntur, & sunt verissima Dei dona,quia nisi Deus gratia sua nos præueniret ex citando, & adiuuaret dirigendo, protegendo, & coo perando,nihil boni faceremus;et tñ ista ipsa opera pẽ dent ab electione humana, & sunt in nostra potestate,quia Deus licet iuuet,non tñ cogit,neq; necessitat; & licet homo sine Dei auxilio non possit quidquã bo ni facere,absolute tamen dicitur posse, quia sufficiens auxilium,vt quis operetur,aut saltem,vt possit maius auxilium petere, nunquam deest, alioqui non pecca rent homines non credendo, non sperando, &c. Ad hoc genus donorum continentiã pertinere dicimus.

Vbi præterea est notandum, quod sicut circa fidẽ, pœnitentiam,perseuerantiam,aliosque actus bonos, ita etiam circa continentiam duplex gratia,siue auxi lium distingui solet; Vnum sufficiens,quod omnibus datur saltem pro loco,& tempore; quo auxilio non tã fit vt operemur,quam vt operari possimus; Aliud au tem efficax, quo re ipsa operamur. Atq; hoc posterius est donum singulare, quod non omnibus datur; soli enim illi donum fidei habent,qui re ipsa credunt, so li illi donum habent perseuerantiæ, qui re ipsa perse uerant, soli illi donum habent continentiæ, qui re ipsa contiuent,quos notum est non esse multos,nedum omnes, & de hoc dicitur: *Non omnes capiunt verbum hoc,sed quibus datum est.* Et simul est verum, omnes, qui volunt, posse continere, quia sufficiens auxilium ad continendum, aut ad gratiam impetrandam nulli denegetur. Sicut etiam de fide scriptũ est, *Non omniũ est fides*, 2. Thess.3. & tamen omnes credere possunt si volũt,cum prædicatur Euangeliũ,alioqui nõ pecca rẽt, qui non crederẽt. Quid interfit inter hęc auxilia, nõ est huius loci explicare, sed in disputatione de gra tia,& libero arbitrio, si Deus annuerit, explicabitur.

His iam notatis,probandum est, continentiam do num Dei esse, & tamen in arbitrio nostro positam. Quod sit donum Dei,Scripturæ allatę clarissime ostẽ dunt,nec aduersarij id negant:quod autem sit in pote state nostra, præueniente, vt diximus, & comitante gratia,his argumentis confirmamus.

Primo testimonijs earundem Scripturarum;nam Matth.19.illa verba: *Sunt Eunuchi,qui se castrauerunt propter regnum cœlorum*,aperte indicant arbitrij liber tatem. Si enim continentia ita esset donum Dei,vt ab hominis electione non penderet, dicendum fuisset, sunt Eunuchi,qui sunt facti a Deo,non autem,qui se castrauerunt; ideo enim de abscisis dicitur, sunt.n. Eunuchi, qui sunt facti ab hominibus, nõ autem qui se castrauerunt,quia illa abscisio est opus alienũ,non proprium. Præterea, si donum continentiæ simile est dono prophetiæ,linguarum, sanitatis,atque alijs eius modi; cur non dicimus, sunt Prophetæ, qui se ipsos Prophetas fecerunt,sicut dicimus,sunt Eunuchi,qui se ipsos castrauerunt?

Secvndo illa verba: *Qui potest capere, capiat*, cohortationem ad continentiam habent,vt,præter sanctos Patres, etiam Petrus Martyr testatur in libro de cœlibatu & votis. Sic etiam illa verba Pauli prioris epistolæ ad Corint.7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, cohortationem continent,eodem interprete Petro Martyre. At quis,rogo, sapiens hortaretur vnquam ad id,quod non est in potestate? Num,quis vnquam hortatus est homines, vt Prophetæ fiant, aut robusti ex debilibus, proceri ex paruis,formosi ex deformibus?

Sed, inquit Martyr, *istæ cohortationes dantur ijs tantum,qui donum Dei habent.* Contra;qui donum habent,ipsorum sententia, non possunt non continere. Scribit enim Martinus Bucerus,qui Petro Martyri in star oraculi esse solet,in illud Matthæi 19. *Non omnes capiunt verbum hoc,sed quibus datum est.* Sicut valde famelicus non potest non auide cibum sumere,si offe ratur ei: sic non posse non continere ab vxore ducenda,qui donum id a Deo susceperit. Si igitur, qui donum non habent,non possiunt continere;qui habent, non possunt non continere; qui sunt illi, quos Christus & Apostolus eius ad continentiam cohortantur?

Tertio, illa verba 1.ad Cor.7. *Quod uult, faciat; non peccat, si nubat*; liberam homini optionem dant eligendi coniugium,aut cęlibatum;quomodo ergo nõ est in arbitrio hominis positum,vt contineat,si velit? non.n.de reb.impossibilib. vlla deliberatio esse põt.

Qvarto, continentes ac cęlibes in Scripturis laudantur, & præmijs afficiuntur, vt satis probatum est in disputatione de cõsilijs Euangelicis, ex testimonio Isa.56.de Eunuchis,quibus promittitur,*nomẽ melius, quam filijs & filiabus.* Et ex Apoc.cap.14. vbi *Virgines cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest.* Et ex illo Sap.3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus,&c.* At nullum præmium,nullam laudem merentur opera,quę non sunt in nostra potestate, vt omnes cõsentiunt;nec enim præmio afficiuntur, qui prophetant,qui linguis loquuntur,qui morbos curant,qui dæmones eijciunt, quia hæc solius Dei dona sunt: igitur continentia non solum est donum Dei, sed etiam libera hominis actio.

Qvinto,a simili, non minus donũ Dei est credere,q̃ continere. Nam de fide scriptum est. Io.6. *Nemo potest ad me venire,nisi Pater traxerit eum.* Et in Actis Apostolorũ,c.13. *Crediderũt quotquot erãt præordinati ad vitam æternã.* Et ad Ephes.2. *Gratia estis saluati per fidem,& hoc nõ ex vobis,Dei enim donũ est.* Ad Philipp. 1. *Vobis datũ est,vt in eũ credatis.* Et 2.ad Thessal.vlt. *Non omniũ est fides.* At nihilominus credere põt oẽs, qui volunt,& recte hortamur oẽs ad fidem, & sine vl la temeritate promittũt oẽs in Baptismo,se fidẽ Chri stianam conseruaturos vsque ad mortem:igitur & cõ tinere possunt omnes, qui volunt, & recte hortamur omnes ad continentiam;& sine temeritate multi ,p-

mittunt

mittũt Deo, se continentiam perpetuam seruaturos. A

Respondent, discrimen esse inter fidẽ & continentiam, q illa sit necessaria ad salutem, hæc non item. Vnde monere solemus, vt facit S. Hieron. in commẽ. c. 19. Matthæi, vt quisque exploret vires suas, antequã voueat continentiam, non autem monemus, vt quisque exploret vires suas, antequam credat.

At facile hoc refellitur: nã potissima causa, cur votum continentiæ temerarium asseritur ab aduersarijs, non est, quia continentia sit res necessaria, sed q res impossibilis, sine peculiari Dei dono, quod nõ omnibus datur. Alioqui multa nõ necessaria sine vlla temeritate uoueri possunt, ut notum est. Si igitur hæc potissima causa eque locũ hẽt in fide atq; in continẽtia, vt ex Scripturis demonstrauimus, cur temere promittitur continentia, & non temere ꝓmittitur fides? B

Adde, quod non est uerum, debere eum, qui vult vouere continentiam, explorare vires suas, & non debere explorare uires suas, qui vult fidem Christianã amplecti. Nam Dñs Lucæ 14. monet eos, qui uolunt ad se venire. i. legem ac fidem suam suscipere, ut imitentur eos, qui uolunt turrim ædificare, qui prius cõputant, si habent sumptus ad perficiendum; nec non eos, qui bellum gesturi sunt, qui prius cogitant, si possint cum decem millib. occurrere ei, qui cum uiginti millib. venit. Vnde & Ecclesia explorat Catechumenos, an habeant plenum & stabile propositum perseuerandi in fide & lege Christiana, quia peius est a fide deficere, quam fidem nunquam recipere. ad quem finem ex antiquissima consuetudine in Quadragesima fiunt aliquot scrutinia Catechumenorum, qui in C Paschate baptizandi sunt. De quibus uide, si placet, Alcuinum in lib. de offic. diuinis, c. de Spiritu sancto.

Hoc solum interest inter fidem & continentiam, quod, qui explorans uires suas, non iudicat, se habere sufficientes uires ad continẽdum, potest nubere, quia continentia non est necessaria ad salutem, quanquam etiam potest procurare vires maiores per orationem; qui autem iudicat, se non habere sufficientes uires ad perseuerandum in fide & lege Christi, is non potest propterea licite non amplecti fidem & legem Christi, quæ necessaria est, sed debet uires maiores a Deo petere, quas sine dubio habebit, si fideliter petat.

Sexto, probatur ex absurdo, quod ex aduersariorum sententia sequitur. Nam si continere nõ possint omnes, qui uolũt, sequitur, multis hominib. nullum D peccatum esse fornicari aut mœchari. Nam si quis, antequam uxorem ducat, grauissimè vrgeatur stimulis carnis & donum continentiæ forte non habeat, quid aget? fornicabiturne impune? *Habet*, inquiunt, *paratum remedium, ducat vxorem.* Sed quid, si non statim inueniat? Nec enim vno die contrahuntur matrimonia, imò multi menses plerumque intercedunt inter sponsalia, & nuptias. Ad hæc, si iam duxit, sed forte abest procul ab ea, ut sæpe cõtingit, aut ea morbo graui, & diuturno laborat, ita vt nõ liceat uiro debitum petere coniugale. quid aget? mœchabiturne, si forte vritur, & donum continentiæ se habere non videt? *Non licet*, inquiunt, *mœchari: idcirco, qui eiusmodi est, pro continentiæ dono Deum exoret; non enim negabit illi, quod fideliter petit.* E

Sed cur, quæso, non idem facere poterit, qui continentiã uouit, si forte uratur, & donum se habere non videat? Respondent, magnum esse discrimen inter continentiam ab adulterio, vel fornicatione, & continentiam ab uxore. Illa. n. necessaria est, & a Deo imperata, idcirco nunquam Deus eam petẽtibus negat. At continentia ab vxore nec necessaria est, nec imperata: ideo non semper conceditur, etiamsi petatur. Addit Petrus Martyr in libro de cœlibatu & uotis, cœlibatum non esse petendum a Deo absolutè, sed solum sub conditione, si expediat ad maiorem eius gloriam, sicut petimus sanitatem, opes, & similia, quę nõ sunt necessaria ad salutem. Ioãnes Caluinus lib. 4. Instit. c. 13. §. 17. dicit, nostrum non esse, fiduciam habere obtinendi a Deo specialis doni, quale est cęlibatus. Martinꝰ Bucerus in c. 19. Matthæi, clarè affirmat, nõ esse petendum cęlibatum a Deo ab ijs, qui nesciũt, an Deus velit illum eis dare. Ratio autẽ eorum est, quia oratio debet nasci ex fide, fides autem niti debet promissione Dei; promissio vero nulla est, qua cœlibatũ perpetuum alicui certo promiserit. Ita impij & impuri homines, non modo cœlibatum oppugnant, sed etiam uiam sibi, & alijs ad eum præcludunt.

Sed facile est ratiunculas istas refellere. nã etsi promissio particularis deest, sufficit tamen promissio generalis: *Petite, & accipietis.* Luc. 11. Et: *Si quid petetis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioan. 14. 15. & 16. B Alioqui enim, si requireretur particularis promissio, nec Fides, nec Spes, nec Dilectio, nec Continentia coniugalis, nec alia uirtus peti posset: nusquam enim exstant promissiones horũ donorum in particulari.

Porro generales promissiones requirunt quidẽ cetas conditiones: non enim quod quisq; petit, semper impetrat, cum sæpe contingat minus utilia, & minus bona peti, quæ Deum nullo modo dare cõueniat: sed conditio, quę requiritur, non est, ut a duersarij fingũt, ut res, quæ petitur, sit necessaria ad salutem, uel imperata. Id enim nulla ratione, vel auctoritate cõfirmãt, sed est, vt id, quod petimus, sit secundum eius uoluntatem: sic enim docet nos S. Ioannes in epist. 1. cap. 5. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quod cunq; petierimus secundum eius voluntatem, audit C nos. Non solum autem est secundum eius uoluntatẽ id, quod est necessarium ad salutẽ, sed etiam id, quod est utile, & utilius, quam eius oppositum; neque id solum, quod ipse imperauit, sed etiam quod consuluit, & laudauit, & cui præmium maximum promisit. Talem autem esse cœlibatum, supra multis docuimus.

S. etiam Avgvstinvs tract. 102. in Io. explicans quid sit, q Deus petentibus in nomine Christi nõ negat, dicit esse id, quod conducit ad æternam salutem, nec addit, oportere esse necessarium, aut imperatum.

Probatur Vltimo, cœlibatũ esse in potestate nostra, Dei gratia adiuuante, ex testimonijs Patrũ. Tertvllianvs lib. de Monogamia, prope finem, explicans locum illum; Non oẽs capiunt verbum hoc: *Elige*, inquit, *quod bonũ est. si non potes, est quia non vis. Posse enim si velis, ostendit, quia tuo arbitrio vtrumq; reliqit.*

Origenes in cõment. eiusdem loci: *Qui vult*, inquit, *capere verbũ, quod de castitate positũ est, petat: credens dicenti, & accipiet, non dubitans de illo, quod dictum est; Omnis qui petit, accipit.* Hieronymvs in eũdem locum; *His*, inquit, *datũ est, qui petierunt, qui voluerũt, qui, vt acciperent, laborauerunt. Omni. n. petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperiet.* Gregor. Nazianzenvs orat. 31. in hoc Euangelij capitulum de trib. Eunuchorum generib. *Cum audis*, inquit, *quibus datũ est, adde, datum esse ijs, qui volunt, & assentiuntur.*

Ambrosivs li. 3. de virginib. *Dominus*, inquit, *qui sciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis; nõ omnes, inquit, capiunt verbum istud.* Et lib. de viduis: *Sunt*, inquit, *Spadones, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: sed hoc non omnib. imperatur, sed ab omnibus flagitatur.* Et infra: *Scit creator omnium, affectus esse varios singulorum, & ideo præmijs virtutẽ prouocauit, non infirmitatẽ vinculis alligauit.* Hæc ille. Vbi vides, continentiam omnib. prædicari, ab omnib. flagitari, nimirum, si ipsi uelint præmia eius consequi.

Ioannes Chrysostomvs in commentario eiusdem loci: *His*, inquit, *datum est, qui sponte id eligunt; quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio opus esse, quod quidem omnibus paratum est, si volumus, in hac lucta euadere superiores.*

Avgv-

AVGVSTINVS in Psalmum 137. in illud; Votum vouit Deo Iacob: *Ipse Dauid*, inquit, *vouit tanquam in potestate habens, & rogat Deum, vt impleat, quod vouit; est deuotio vouentis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat viribus suis reddere, quod vouerit. Qui te hortatur vt voueas, ipse adiuuat, vt reddas.* Et lib. 6. Cōfes. c. 11. *Vtique dares*, inquit, *numerum continentiam, si gemitu interno pulsaremi aures tuas.* Denique, idem Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 19. 13. & 20. ex professo docet possibilem esse continētiam omnibus, etiam illis, qui nihil de ea cogitantes, in eius seruandæ necessitatem inciderunt. Quod idem adhuc fusius docet BASILIVS in libro de virginitate, vltra medium. Ex his ad loca Scripturæ, initio posita, facile erit respondere.

Ille igitur locus primus Sapient. 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*, de continentia in genere accipi debet, vt non solum virginalem, aut vidualem, sed etiam coniugalem cōprehendit. Is. n. qui hæc verba dicit, Salomon est, qui quidē non virgo, aut viduus, sed maritus erat, ac proinde maritalē continentiā a Deo petebat. Quocirca nō habemus ex hoc loco, continētiā ita esse donum Dei, vt non possit esse omnib. cōis. Nam ēt ex aduersariorum sniā, continentia coniugalis ab omnibus haberi potest, modò eam à Deo petāt. idcirco. n. sequitur: *Adiy Deum, & deprecatus sum.*

Ille alius locus Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est*, maiore explicatione indiget. Aduersarij cōtendunt illud: *Non omnes capiunt*, hunc habere sensum; Non omnes sunt capaces continentiæ ab vxore, sed ij soli, qui habent peculiare donum. Ex quo sequitur, vt qui non habent donum, verè non possint continere. Colligitur verò, hunc sensū ex voce Græca χωροῦσι, nam χωρέω, non significat capere, i. apprehendere, quomodo dicimus, cape librum cape pileum, sed capere, i. capacem esse, quomodo dicimus, hydria hæc tantum aquæ capit, vt metretam vnam, vel alteram, vt Euangelium loquitur.

At falluntur aduersarij ambiguitate huius vocis. Nam verbum χωρέω, & Latinum capio, interdum significat naturalem potentiam ad capiendum, quam qui non habent, dicuntur propriè incapaces; interdū tamen significat actualem, seu voluntariam capacitatē, quæ ex libero arbitrio pēdet, & qui eā non habēt, nō dicuntur incapaces, sed dñr non capere. Exempli gratia, locus angustus rectè dicitur incapax multarū rerum, & similiter pueri, qui nondum apti sunt naturaliter ad fraudes nectendas, dicūtur doli incapaces. At qui aliquid non intelligit, quia non attendit, aut quia non est, qui eum doceat, is non dicitur incapax, tametsi nondum capiat, quod dicitur. Et similiter q consilium aliquod non admittit, quia ab alio iam est persuasus ad aliud, dicitur quidem non capere illud consilium, non tamen non esse capax, siue non posse illud admittere, si velit. Et in hac significatione accipitur hoc loco, significat enim non omnes intelligere practicè, id est, non admittere, non persuaderi, non approbare quod dictum est, non expedit nubere.

Quod autem hoc ita sit, probatur PRIMO, quia si capere hoc loco significaret esse capacem, ineptè Dominus addidisset: *Qui potest capere, capiat.* His enim verbis adhortatur Dominus ad continentiam, vt Petrus Martyr fatetur, & omnes interpretes docent. At qualis adhortatio est, q pōt esse capax, sit capax? PRÆTEREA, si de capacitate hic ageretur, & vellet Dñs, vt aduersarij contēdunt, ostendere, non oēs esse capaces cōtinentiæ, ac proinde illis necessariū esse nubere: rō illa (sūt. n. Eunuchi, q de matris vtero sic nati sūt, &c.) nihil planè ad rem faceret, immò contrariū potius p baret. Nā si dicas, quidā continet vitio naturæ, vt frigidi; q dā aliena crudelitate, vt ab hoīb. castrati; quidā p pria voluntate, vt qui propter Dei cultū cœlibes vi uunt, non ergo omnes possunt continere: certè non rectius colliges, quàm si diceres; Quidam vi tracti currunt, alij currunt spontè, non igitur omnes possunt currere. At contra rectissimè colligeres; Multi necessitate continent, multi voluntate; igitur credibile est omnes continere posse, si velint.

Quocirca S. Ioannes CHRYSOSTOMVS in commētario huius loci rectè docet, Christum per hanc similitudinem Eunuchorū probare voluisse, facile & vtile esse abstinere à nuptijs, & proinde non rectè iudicare eos, qui non capiunt, i. non suscipiunt & approbāt verbum hoc. Nam si multi abstinent, sine vlla spe maioris boni, ut Eunchi corporales, quantò facilius erit abstinere proposita spe excellentissimi præmij & fulgidissimæ coronæ? Adde vltimò testimonia Patrum, quæ paulò antè citata sunt.

Illud autem: *Qui potest capere, capiat*, duobus modis potest exponi. PRIMO, ut loquatur Dñs de potentia proxima, quam non habent, nisi illi, quibus iā Dominus inspirauit desiderium efficax continendi, ut sē sus sit: *Qui potest capere, capiat*, id est, qui Dei dono sē tiunt sibi intus persuaderi, vt contineant, approbent verbum hoc. Ita videntur hoc dictū intellexisse Hieronymus in hūc locum, & Augustinus lib. 2, de adulterinis coniugijs, c. 19. sed non debet hinc deduci, ergo non omnes possunt continere. Nam etiamsi non omnes habent potentiam proximam, tamen habent remotam, & possunt, si velint, precibus impetrare potentiam proximam, id est, vires ad continendum: sicut de fide dicitur Ioan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Addi enim potest: Qui potest veniat, id est, qui trahitur, veniat; qui autem non trahitur, oret, ut trahatur.

SECVNDO dici potest, hunc locum habere eundē sensum cum illo Matth. 13. *Qui habet aures audiendi, audiat*, non enim vult Dñs dicere, non oēs habere aures, sed monet oēs, vt vtantur facultate, quam habēt. Quomodo solemus dicere; Qui habet oculos, videat; qui habet mentem, iudicet; sic igitur & hoc loco Dñs dicit: *Qui potest capere, capiat*, id est, qui habet mentē & iudicium sanum, intelligat, iudicet, approbet verbum hoc, quod dictum est: *Non expedit nubere.*

Iam verò TERTIVS locus: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic.* 1. Cor. 7. nō habet difficultatem; nam Apostolus vocat donū Dei non solum continentiam virginalem, sed ēt coniugalem. Donum enim Dei est, q aliqui eligant virginitatem, & similiter, quod aliqui eligant matrimonium, & in eo castè perseuerent. Sed quomodo cum his cohæreat, q in potestate nostra sit continere, & castè uiuere, iam antea exposuimus.

POSTREMVS locus non facit ad propositum; nam cum Paulus ait: *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit:* dupliciter accipi pōt nomen Virginis. Vno modo, pro ipsa virginitate, vt accepit S. Hieron. lib. 1. in Iouinianum. Alio modo, pro filia virgine, ut exponit Epiphanius hęres. 61. Itē cōmentaria Ambrosij, Theodoreti, Theopbylacti, & aliorum ferè omnium.

PRIMA expositio non est probabilis, est enim inauditum, vt virgo accipiatur pro virginitate. Neque in hac re quæstionem habemus cum aduersarijs; nā Ioānes Caluinus, Petrus Martyr, Erasmus, & alij in hūc locum, per virginem, filiā virginē intelligunt, nō virginitatem. Si tñ admitteretur prior illa expositio, per necessitatē non oporteret intelligere necessitatem absolutam coniugij, sed conditionatam. Nam, ut eo loco S. Hieron. dicit, qui nolunt continere, illis necesse est, aut vxorem ducere, aut scortari, absolutè tñ neutrum est necessariū. SI VERO accipiatur expositio posterior, quæ vera & germana est: p necessitatē nō erit

opus

opus accipere necessitatem coniugij, ob carentiã doni continentiæ, de qua necessitate hic agimus: sed necessitatem extrinsecam, quæ ad rem præsentem non pertinet; dicitur. n. pater habere necessitatem iungendi filiam matrimonio, si ipsa nolit uiuere in cælibatu, vel, si ipse seruus sit, & cogatur a Domino filiam elocare: & contra dicitur, habere necessitatem seruandi filiam virginẽ, si vel ipsa nolit nubere (neque. n. ad id cogi potest) uel si non inueniatur, qui eam uelit. Sed si nulla talis necessitas adsit, liberum erit patri statuere de filia, ut uoluerit: sed si iungat eam matrimonio, bene faciet, si non iungat, melius faciet, ut Apostolus ibidem scribit. Hæc de locis scripturæ propositis.

Ad eam vero similitudinem, quam Petr⁹ Martyr posuit de eo, qui uouit ministrare ægrotis, & postea non fecit, qđ in morbum ipse inciderit, rñdetur, non esse simile hoc uotum uoto continentiæ. Primvm, enim, iste non peccat non implendo votum, quia uoluntatem habet promptam & paratam ad uotum implendum, non. n. vult ęgrotare, sed cogitur. At qui ob morbũ concupiscentiæ ducit uxorẽ post uotum, is nõ habet uoluntatẽ implendi uotũ, sed habet contrariã, ideſt, non implendi; implicat. n. contradictionẽ, quod quis uelit continere, ut uouit, & uelit uxorẽ ducere.

Deinde, ægritudo corporalis non pendet a uoluntate ægrotantis, incõtinentia uero pendet. Non enim potest recte dici; Nemo ęgrotat, nisi qui vult. at rectissime dicitur; Nemo fornicatur, nisi qui vult. Obediũt enim membra corporis ad nutum uoluntatis.

Denique, sanitas corporalis non est bonum absolute petendum, quia sępe melior est ægritudo ad uitã æternam cõsequendam, quàm sanitas. Vnde nullum exstat cõsilium Euangelicum de tuenda sanitate, ꝓpter regnum cœlorum: at continentia absolutè peti potest: & infallibiliter conceditur, si aliũde nõ sit defectus in oratione, quia est bonum ad vitam ęternam longe utilius, quam matrimonium, & propterea consulitur & commendatur passim in Scripturis.

CAPVT XXXII.

Soluitur quarta obiectio ex ratione naturali.

Dilvendæ sunt obiectiones, quas aduersarij sumunt ex uarijs incommodis, quæ videntur nasci ex cælibatu. Prima ratio. Cœlibatus naturæ ipsi repugnare videtur, quæ frustrà sexuum diuersitatem & vim generatiuam molita erit in homine, si melius est cœlibem esse, quam coniugatum.

Hęc ratio Iouiniani est, & iam olim a S. Hieronymo lib. 1. in Iouinianum, refutata. Sed quia rursus a Luthero in sermone de matrimonio, & ab Erasmo i Encomio matrimonij reuocata in lucem est, respondemus, non esse frustra uim generatiuam, & sexuum diuersitatem, etiam si permulti ea non utantur. ea siquidem, quæ propter bonũ speciei instituta sunt, non dicuntur frustra, si a quibusdam indiuiduis exerceantur, etiam si a multis alijs non exerceantur, alioqui enim omnes herbæ omniaq; poma cum seminib. nascuntur, & tamen pauciſſima ex eis seruntur.

Secvnda ratio. Si oẽs continerent, mundus periret: non igitur oportet omnib. continentiam ꝑdicari.

Respondent Patres, non esse periculum, ut omnes continere uelint: semper enim plures erunt imperfecti, quam perfecti, & ideo oportere omnibus prędicari, ut saltem pauci id faciant. S. Hieronymvs lib. in Iouinianum: *At dices, inquit, si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis.*

Aliam solutionem adfert S. Avgvstinvs, cap. 10. de bono cõiugali: *Nouit quosdam, qui murmurent, quid si omnes velint ab omni concubitu abstinere, unde subsisteret genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent, Multo citius Dei ciuitas cõpleretur, & acceleraretur terminus seculi.* Hęc ille. Quod etiam clarius docet libro de bono viduitatis, c. 23. vnde & Apostolus dixit in priori epistola ad Corin. 7. *Volo omnes esse, sicut meipsum*, ideſt, cælibes. Qđ certe non dixisset, si non liceret omnibus cœlibatum eligere, etiamsi mundus finiendus esset.

Ex quo intelligimus, non esse certam opinionem eorum, qui dicunt, si soli essent in mundo Monachi & Sanctimoniales, debere eos coniungi matrimonio ad speciem conseruandam. Possent enim eiusmodi credere mundi finem adesse, ac proinde non teneretur votum uiolare, ut speciem propagarent, si tamen quis defendere velit, quod nonnulli probabiliter docent, teneri ad coniugium homines in extrema illa necessitate conseruandi generis humani, nõ esset cur votum timeret: Vota enim non possiunt præscribere contra legem diuinam.

Tertia ratio. Ex cœlibatu tot monachorum, Sacerdotum, & Sanctimonialiũ, leditur Christiana Respublica, siquidem minuitur numerus Christianorũ; nec potest commodè resistimultitudini infidelium.

Respondet S. Ambrosivs libro 3. de virginibus: *Nonnullos, inquit, dixisse, audiui, quod periit mundus, defecit genus humanum, coniugia labefactata sunt. Quæro, quis tandem quæsiuit uxorem, qui non inuenerit?* & cetera, quę apud eum legere poteris. Sed certè hoc tempore, si qua causſa est paucitatis Christianorum, & multitudinis infidelium, ea non cœlibatus, sed monogamia est. Turci siquidem habent etiam suos quosdam religiosos, q cælibes esse coguntur: sed ideo valde multiplicantur, quod plures simul uxores habeant. Non puto autem aduersarios tam esse cęcos, ut uelint etiã contra Christi legem introducere polygamiam.

Porro causſa, cur Christiani plerumque uiribus inferiores sint, cum est aduersus Turcas pugnandum, non est paucitas hominum, sed discordia Principum Christianorum. Alioqui enim Magnus Alexander exiguum exercitum habuit, sed obedientem & strenuum, ideo totum orbem terrarum breui subegit. Romani quoque non multitudine, sed arte & disciplina uincebant. Denique, tempore Caroli Magni res Christiana mirabiliter floruit, & tamen plurimi tunc erant Sacerdotes, Monachi, & Sanctimoniales, qui cœlibatum colebant.

Qvarta ratio. Ex cœlibatu perpetuo non raro morbi oriuntur, qui non aliter curari possiunt, quam opere coniugali: igitur temere uouetur eiusmodi cœlibatus. Potest enim ac debet in eiusmodi casibus uotum frangi, ut uitæ consulatur. Respondeo, nullos morbos ex continentia, sed ex crapula, & incontinentia omnes, aut ferè omnes nasci.

Sed quid si morbus aliunde contractus usu coniugij curari posset, & aliter non posset? Respondet S. Bonauent. in 4. dist. 38. art. 2. q. vlt. nullo modo licere ob periculum morbi, vel mortis, uotum continentiæ uiolare. Primo, quia nullus est morbus, qui non possit alia ratione curari, ut medici periti & pij de hac re consulti respondent. Secvndo, quia etiamsi non posset aliter morbus curari, quam voti violatione, melior est uirtus continentię, quam aliqua prolixitas uitæ corporalis: nam qui dant operam literis, & sacris meditationib. præsertim si uitæ asperitatem adiungant, fere certo sciunt se minuere sibi ipsis uitam, & tamen recte possunt sapiẽtiæ, & pietatis accessionem anteponere paucis annis uitæ corporalis.

Dices, si ieiunij lex, aut uotum, corporis ualetudini uehementer noceat, potest ac debet non seruari; cur igitur non idem dicatur de uoto continentiæ.

Respondeo, non esse eandem rationem ieiunij & continentiæ: nam cibus ordinatur per se ad salu-

tem

tem indiuidui: idcirco illo non vti cum necesse est ad A
salutem conseruandam, vitium est, non virtus, proinde nec voti materia. At coniugij actus non ordinatur per se ad salutē indiuidui, immo potius nocet. Quod si quando prodesse posset, solum esset per accidens, neque id omnino certo, nō autem licet propter incertū, & per accidens, omittere voti impletionem, quę certo & per se bona est: & simile est, si quis me velit occidere, nisi furtum faciam. non enim licet furari, etiamsi alioqui tenear seruare vitam, nam furtum non est medium per se institutum ad vitam seruandam, sed solū per accidens prodesset, ex mala alterius volūtate. Refert Martinus Cromervs lib. 29. de rebus Polonicis, Casimirum quendam regis filium miraculis post obitum claruisse, qui maluerat mori, quam fęminę ad misceri, vt ei medici suadebant. Vide de hoc argumē- B
to plura apud Michaelem Medinam libr. 4. de continentia, controuersia 4.

» Qvinta ratio, Propensio ad gignendam prolem
» naturalis est & bona, quippe quæ etiam in natura in-
» tegra fuisset, & in omnibus animantibus est: at impe
» dire naturalē, ac bonā propensionē, qđ faciūt qui cęli-
» batū perpetuo colūt, peccatū est, cū id nihil sit aliud,
» quā naturę, ac Deo ipsi, qui naturā instituit reluctari:
» igitur non licet cœlibatum perpetuo colere illis, q ,p-
» pensionem ad gignendum sentiunt. Atque hæc est ra
» tio, ob quam Lutherus in sermone de matrimonio di-
» cere ausus est, non esse præceptum, sed plus quam prę
» ceptum, illud: *Crescite, & multiplicamini*, Gen. 1.

Respondet Michael Medina lib. 4. de continentia, cap. 11. impedire alterum ne operetur iuxta natu- C
ralem propensionem, vt si quis cogat aliquem perpetuo continere, peccatum esse; non autem esse peccatū impedire in seipso naturalem propensionem, vt si qs sponte sua perpetuo contineat: quia ius, & iniuria ad alterum referuntur. nec enim aliquis proprie sibi ipse iniuriam facere potest.

At si ita est, cur peccatum erit occidere seipsum? certe B. Thomas in 2.2.q.64.ar.5. ideo affirmat peccatū esse, seipsum occidere, quod sit contra naturæ propensionē: & si peccatum est occidere se, quia id pugnat cū naturali propensione, cur non erit peccatum nolle filios procreare, cum id ēt pugnet cum naturali propensione? Franciscus Victoria in relectione de homicidio, & Dominicus a Soto lib. 5. de iustitia & iure, q. 1. ar. 5. respondet propensionem ad generandum esse D
quidem naturalem, tamen non conuenire homini, vt homo est, sed vt conuenit cum bestijs: at propensionē ad viuendum, & naturalem esse, & conuenire homini vt homo est: propterea peccatum esse seipsum occidere, quod id sit contra propensionem hominis naturalem, at non generare non esse peccatum, quod non sit contra propensionem proprie humanam.

Sed non videtur hæc responsio plene satisfacere; nam si propensio ad generandum non est proprie humana, quia est homini communis cum bestijs, certe multo minus propensio ad viuendum erit proprie humana, cum sit homini communis cum omnibus viuentibus. dicent fortasse, generare conuenire homini ratione corporis tantum, viuere āt ratione corporis, & ratione animæ. At hoc loco non disserimus nisi de vita E
corporali. præterea ipsum viuere, & esse, nonne commune est cū alijs rebus? deinde si occidere seipsū esset peccatum, quia est contra naturalem hōis propensionē: certe ēt velle occidi ab alio & optare mortē, esset peccatū, quia id ēt est contra hominis propensionē naturalē; nā Ioā. 21. Petro dicitur: *Cum senueris, alius cinget te, & ducet quo tu non uis.* Et 2. Cor. 5. Paulus ait: *Cupimus nō spoliari, sed superuestiri.* Et tn quis dixerit peccasse eūdē Paulū, cū ait: *Cupio dissolui et esse cum Christo.* Philip. 1. & S. Ignatium, cū (vt ipse scribit in epist. ad Romanos) sūmo ardore cuperet a bestijs deuorari?

Denique constat, consilium esse sanctissimum, cum quis inuaditur a latrone, & non potest mortem euadere, nisi latronem occidendo, vt mortem potius oppetat, quam inferat, etiamsi id maxime videatur contra naturæ inclinationem.

Respondeo igitur, duplicem esse hominis inclinationem naturalem, vnam in rem absolute, & secūdū se consideratam; alteram in rem consideratam cū omnibus circumstantijs. Nam si consideres mortē secundum se, morbum, ieiunium, atque alia id genus, naturaliter abhorrebis. at si consideres mortem, morbum & similia, vt materiam patientiæ, vt uiam ad cœlum, vt occasionem glorificandi Deum, iam incipies affici & appetere. Quia vero posterior propensio sola est vere, ac proprie humana, quia est secundum rectum iu- B
dicium rationis, ideo contra illam facere peccatum est. Est enim id pugnare cum ratione, atque ideo cum ipso iure naturæ, & cum Deo auctore naturæ.

Porro cœlibatus etsi est contra priorem inclinationem, non tamen contra posteriorem, immo conformis est posteriori illi inclinationi, quia est medium ad purius, & feruentius amandum Deum. At occisio sui ipsius est contra vtramque inclinationem, nisi forte a Deo præcipiatur. idcirco nunquam licet semetipsum occidere, nisi Deus iubeat; nam si Deus iubeat, poterit appeti vt medium ad maius bonum, id est, ad implendam Dei voluntatem, & gratiam eius promerendam: *Melior est enim misericordia Domini super vitas*, Psalm. 62. At extra hunc casum nunquam potest esse medium ad maius bonum; nam bona omnia vel corporalia, vel spiritualia sunt, corporalium fundamentum est vita, idcirco fieri non potest, vt occisio sit medium ad maius bonum corporale, spiritualia uero sūt actus liberi arbitrij, proinde a uoluntate pēdent, nec est ullum eiusmodi bonum, quod non possit haberi sine sui ipsius occisione.

» Sexta ratio. Virginitas nō est uirtus, sed res omni
» no indifferens; nam uirtutes per se expetuntur, virgi-
» nitas autem non est bona, nec appetibilis, nisi relata
» ad aliud, id est, ad Deum purius orādum & colendū.
» Præterea uirtutibus omnibus contraria sunt vitia: uir
» ginitati autem nullum opponitur vitium, non igitur
» virginitas materia uoti esse potest.

Respondeo, uirginitatem absolute cōsideratam, ut solum dicit negationem quandam coniugij, non esse uirtutem: sed eandem, ut est perfecta quædam refrenatio concupiscentiæ, & proinde medium ad melius, ac purius Deum colendum, omnino esse uirtutē. immo ut S. Fvlgentivs notauit in epistol. 3. cap. 4. adeo uirtus est uirginitas, ut a uirtute nomen acceperit; quomodo etiam mortem appetere absolute nō est uirtus, tamē mortem appetere ad fidem, uel patriam defendendā, uirtus est fortitudinis. Verum est tamen virginitatem antequam Deo per uotum consecretur, non esse uirtutem specialem, & ideo non habere contrarium uitium. Est enim, si absq; uoto consideretur, actus quidam perfectus, & heroicus temperantiæ, & idcirco non uitium illi opponitur, sed aliquid minus bonū. Vitia enim opponuntur actibus necessarijs uirtutum, non autem actibus perfectis, & heroicis. Vide E
S. Thomam in 2.2.q.152.

» Septima ratio est Erasmi in colloquio Proci &
» Puellæ, ubi petulantissime loquitur: Pomariū melius
» est, quod post flores fructus parturit; uitis melior, quæ
» amplexa palum, uel ulmum; uuis grauida est, quā quę
» humi iacēs cōputrescit; rosa felicior, quę manu homi-
» nis atteritur, delectans interim oculos, et nares, quam
» quæ senescit in frutice; uinum felicius, quod bibitur
» antequam acescat. ex quibus illud efficere contendit,
» ut coniugiū melius, magisque expetēdum uideatur,
» quam cœlibatus. Illud etiam addit, unā uirginē si nu-
» bat, posse multas uirgines parere, ,pinde si uirginitas

» placet,non posse nuptias virginũ displicere,quod hoc
» ipsum,quod tantopere placet, cum fœnore reddunt.

Sed eiusmodi argumenta talia sunt, qualia equi & canes,si loqui possent, proponerent, quippe qui nihil melius nouerunt corporis delicijs.at Christianos qualescunque, quibus regnum cœlorum patria est, vita præsens exilium, auctor Christus virgo de virgine, & virginitatis prædicator, mirum est potuisse eo modo argumentari; nam virgo Christiana non habet flores sine fructibus,immo fructum habet centesimum,cũ coniugium non habeat nisi tricesimum, vt Patres colligiunt ex c.13.Matth. vnde S.Avgvstinvs libr. de sancta virginitate,c.8. *Nulla*, inquit,*carnis fœcunditas sanctæ virginitati,etiam carnis, potest comparari.* Et S. Ambrosivs li.1. de virginibus: *Conferamus*,inquit, *bona mulierum cum vltimis virginum,iactet licet fœcundo se mulier nobilis pari*ª,*&c.* Et sanctus quoq; Hieronymvs in epist.ad Demetriadem,& epist.22.ad Eustochium,idem argumentum fuse diluit.

Sed Erasmus non habuit forte oculos, quibus fructus virginum conspici possunt: *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus.*1.Corin.2. Pari ratione non est virgo Christiana vitis humi iacens, & putrescens,sed est vlmo nobilissimæ adhærens,Christo desponsa,eiusq; spiritu grauida,vt pulchre docet S.Fulgentius in epist.3.ad Probam, c.4.

Denique, virgo Christiana non est rosa in frutice senescens, aut vinum acescens, sed perpetuo florens, & vigens. Coniugia enim marcescunt, & acescunt, quippe quæ finem habitura sunt: virginitatis autem flos hic incipit, & in futura vita perficitur, vbi nemo nubit,sed omnes sunt velut Angeli Dei.

Porro,quod addit Erasmus, ex nuptijs virgines nasci,elegãter refellit S. Avgvstinvs lib.de sancta virginitate,c.10. *Nam*,inquit,*ne illo quidem debent continentium meritis se conferre coniugia, quod ex eis virgines procreantur. Hoc enim non coniugij bonum est,sed naturæ,quæ sic diuinitus instituta est,vt quolibet humano vtriusque sexus concubitu siue ordinato,& honesto,siue turpi,& illicito, nulla fœmina, nisi virgo nascatur. Ita fit ut virgo nascatur etiam de stupro,sacra autem virgo nec de coniugio.* Hæc ille.

CAPVT XXXIII.

Soluitur obiectio quinta ex Concilijs.

Obiicvnt aduersarij quoque testimonia Conciliorum & Patrum,quæ tamen nullo negotio solui poterunt. Primvm testimonium est Concilij Ancyrani,can.19. *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt,professione contepta, inter bigamos habeãtur.* Hoc testimoniũ profert Ioãnes Brẽtius in prolegomenis cõtra Petrum a Soto, vt inde probet matrimoniũ post votum non esse peccatum, cum constet digamiã peccatum non esse. Sed male Ioannes Brentius ratiocinatur; nam Concilium non docet, eos, qui ducunt vxorem post votum,vere esse digamos,sed in pœnam peccati facit eos inhabiles ad sacerdotiũ, ac si digami essent,ex eo autem quod eiusmodi homines a Concilio puniuntur,non potest colligi eos non peccasse, sed contra potius peccasse, pœna enim culpam sequitur. & cum ipsum Concilium dicat eos præuaricatos esse promissionem,& professionem contempsisse,is tantũ dicere poterit eos non peccasse, qui præuaricationem & contemptum peccata esse negare audebit.

At,inquit Petrus Martyr, in libro de cœlibatu, & votis, Concilium hoc non diremit matrimonium cõtractum post votum,nec alia pœna affecit, quam vt digamia reputaretur.

Respondeo, Concilium non diremisse matrimonium, quia nullum erat quod dirimi posset. nec enim Concilium dicit eos matrimonium contraxisse,sed solum præuaricatos promissionem suã, quod tam forni A catione, quam nuptijs fieri potuit. q; si etiam nuptiæ fuerint veræ illorum,& propterea nec dirimendę, q; etiam nunc seruamus in ijs, qui post votum simplex vxorem ducunt, an propterea licuit ex Concilij sentẽtia ijs,qui vouerunt cõtinentiã,nuptijs copulari? quã multa male fiunt,quę tamen facta tenent?certe si nullum esset peccatum ita copulari, nõ punirentur a Cõcilio,qui id fecerũt.siquidẽ apud aduersarios, vbi nullum est crimen votum continentiæ violare, non solũ non arcentur a ministerio qui ex Monachis mariti facti sunt,sed ipsi prope soli vocantur ad ministerium.

Secvndvm testimonium est Concilij Gangrẽsis, » can.9.& 10.vbi damnantur,qui continentiam profes » si,nuptias execrantur,aut despiciunt coniugatos. »

Respondeo, Ioannem Brentium in Confessione B VVirtembergensi capite de votis, & Petrũ Martyrẽ in lib.de cœlibatu & votis, dum hos Canones proferunt, impudentiam suam ostendere. Nihil enim isti Canones docent,nisi nuptias non esse malas,licet votum continẽtiæ sit melius;& continentiæ professores humiles esse debere,non superbos. Quod ipsum fuse docet S.Augustinus in vltimis aliquot capitibus libri de sancta virginitate,sed Canones ipsos audiamº. Canon IX. *Si quis uel uirginitatem,uel continentiam professus tanquam abominabiles nuptias iudicat,& non propter hoc solum, quod continentiæ, & uirginitatis bonum sanctum propositum est,anathema sit.* Canon X. *Si quis propter Deum uirginitatem professus, in coniugio postea per arrogãtiam uitaperauerit,anathema sit.* Quid hic legitur, quod non Catholici omnes libentissime audiaC mus & amplectamur?

Tertivm testimonium est Cõcilij Chalcedonen- » sis can.16. *Si qua se uirgo Deo dedicauerit,similiter &* » *Monachus,non licere eis uxori nuptijs; si vero inuenti fuerint hoc facientes,maneãt excõicati. Statuimus uero posse* » *in eis fieri humanitatem,si ita probauerit loci Episcopus.* »

Ex hoc loco colligit Petrus Martyr potuisse permit » ti ab Episcopo connubia Monachorum,& Sanctimonialium. At non hoc dicit Canon,immo aperte negat posse coniungi eiusmodi personas. Humanitas porro illa, de qua loquitur Concilium, non est indulgentia nuptiarum,sed absolutio ab excommunicatione. Cũ enim statuat Cõcilium perpetuum anathema in eiusmodi apostatas,permittit tamen,vt Episcopus etiam ante mortis articulum anathema tollat, si nimirũ illi D ad pœnitentiam venerint,& a male contracto connubio discesserint, vt exponit Concilium Triburiense, can.23.Nunc ad Patrum testimonia ueniamus,quę a Brentio, Caluino, Illyrico, sed potissimum a Petro Martyre collecta sunt.

CAPVT XXXIV.

Soluitur obiectio sexta ex Patribus.

Primvs ex Patribus est Petrus cum omnibus Apostolis.excepto Ioãne: *Sumemus*,inquit Petrº Martyr,*principium ab Apostolis; nam quodammodo sunt Patres Patrum.Illi autem quamuis essent sanctissimi, tamẽ non aspernati sunt coniugia; immo si credimus Ambrosio,omnes habuerunt uxores præter Ioannem & Paulum.* Et infra: *Quanquam ita Ambrosium cito hoc loco,non* E *ut prorsus concedam in eam sententiam: unde enim sciebat ille,Paulum non habuisse uxorem?*

Respondeo,qui ex Apostolis vxorẽ habuerint, & qui non habuerint, ex Scripturis certo constare non posse,excepto solo Petro,cuius socrum legimus Matth. 8. Ioannem tamen virginem fuisse nemo dubitauit unquam. Idem de Paulo,& Apostolis ceteris probabiliter docet Hieronymus li. 1. contra Iouinianũ; sed quidquid de hoc sit,illud nobis satis est, & Petrũ, & Apostolos oẽs,post uocationẽ a Christo,continentes fuisse: *Sed*,inqt Petrus Martyr,*solẽt dicere, Apostolos postquam uenissent ad Christũ,repudiasse quodammodo*

uxores,

vxores, & ab illarum consortio abstinuisse. Qui ista dicũt suа tantum dicunt, nihil probant, immò absurdè, & sine ratione dicunt; nam nisi intercessisset adulterium, nullo modo licuit discedere ab vxoribus. Nec Christus venit in mũdum facere diuortia, sed potius monet, ut quod Deus coniunxit, homo non separet. Hæc ille. Nos uero non dicimus ab Apostolis repudiatas vxores, quod Christus prohibet Matth. 29. sed ex consensu abstinuisse a cõmercio coniugali. Nec. n. S. Ioseph ideo repudiasse dicendus est beatissimam coniuge suam, q̃ eam nunq̃ cognouerit. non. n. carnalis copula, sed consensio animorum coniugium facit.

PORRO Apostolos oẽs post vocationem renunciasse officio coniugali, nõ tm̃ dicimus, sed ẽt probamus; nam cũ Petrus dixisset Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, Dominus addidit: *Omnis, qui reliquerit domũ, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Vbi satis apertè inter oĩa illa, quę legimus Apostolos reliquisse, videmus ẽt coniuges numerari. quod si relinqui non põt vxor. quin repudietur, accusẽt igitur Petrus Martyr Christum, qui præmium tam grande uxores relinquentibus pollicetur. Adde, quod non nos primi docemus, Apostolos cœlibes post vocationem vixisse, docuit id Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, docuit S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum, docuerunt alij ferè oẽs, nec vllus Catholicorum vnquam contradixit.

SECVNDO loco ponit Petrus Martyr Ignatium, q̃ in epist. ad Philadelphienses dicit, non esse detrahendũ nuptijs, q̃ Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli mariti fuerunt. RESPONDEO, de Apostolis iã diximus, eos habuisse vxores, sed post uocationem mutasse illas in sorores, ut Clemens Alexandrinus loquitur. Patriarchæ & Prophetę tpi & statui legis veteris seruiebant. Quanquam, ut nonnulli Prophetę, ut Isaias & Ezechiel, exẽplo docuerunt non esse detrahendũ nuptijs, ut rectè Ignatius monet, sic alij item Prophetę, ut Helias & Hieremias exemplum cõtinẽtiæ præbuerunt.

TERTIO ponit Iustinum, qui in Apologia secunda meminit continentiæ, sed nõ meminit uoti. RESPONDEO, quid hoc ad rem? num ideo uouere non licet, q̃a Iustinus non meminit uoti?

QVARTO ponit Dionysium Corinthiũ, qui in epist. ad Gnosios, teste Eusebio lib. 4. histo. c. 23. monet Pinytũ Episcopum Gnosiorum, ne cõpellat fratres ad seruandã continentiã. RESPONDEO, quis nostrum contradicit? sed num quia non licet cogere fratres ad continentiam, non licebit ẽt sponte illã susc̃ipere?

QVINTO ꝓfert Ireneũ, qui lib. 1. c. 9. meminit uxoris Diaconi cuiusdã. & c. 31. dicit, Tatianum hæresiarchã æquasse matrimonium scortationi. Addit Petrus Martyr: *Et quid aliud nostri faciunt aduersarij? immò isti matrimoniũ ministrorũ statuunt esse adulterio et scortatione deterius, q̃d est cõsentire cũ Tatiano, si hoc nõ est?*

RESPONDEO, quid est ineptire, uel potius impudẽter mentiri, si hoc non est? num iõ uotum continentiæ illicitum erit, quia Diaconus quidam vxorem habuit? & unde probas Diaconum illum ab uxore non continuisse post sacrum ordinem susc̃eptum? Porro Tatianus uera & legitima matrimonia damnabat, & ideo hæreticus erat, nos sacrorum ministrorũ coniugia, non coniugia legitima, sed sacrilegia coniugij nomine tecta esse ostendimus, & iõ reprehẽdimus. alioqui si Tatianũ sectatus quicunq; coniugia illigitima non commendat, Tatianum etiam sectari dicetur, q̃ coniugium parentis cum filia non probauerit. Itaque S. Augusẽ. qui Tatiani hæresim optimè nouerat, eam que damnauerat in lib. de hęresib. c. 25. idem tm̃ coniugia, quæ post uotum contrahũtur, peiora adulterijs esse affirmat in libro de bono uiduitatis, cap. 11.

SEXTO loco profert Clementem Alexandrinum, qui in primo libro pędagogi, ca. 10. dicit, Christianos debere aut matrimonium contrahere aut purè uiuere, si non contrahant. Hinc enim colligit Petrus Martyr eos, qui non purè uiuunt ex Monachis & Sacerdotibus, debere matrimonium contrahere. At cũ non potius colligit, debere eos mutare uitam, & mores emendare, & sic purè, & castè uiuere, & uotum suum Domino reddere? *Sed*, inquit Martyr, *idem Clemens in lib. 3. Stromatum dicit, Paulum habuisse vxorem, Petrum, ac Philippum liberos genuisse.*

RESPONDEO, sed ibidem dicit, ante uocationem ad Apostolatum ista facta esse, postea uerò ab Apostolis uxores habitas loco sororum, non loco uxorum. Attexit deinde longissimam disputationem eiusdem Clementis contra eos, qui nuptias damnant. Sed omnia sunt παρέργα, neque aliud probant nisi inopiam, qua ipse premitur, testimoniorum, quæ ad rem faciant.

SEPTIMO transit ad Tertullianum, ac primum fatetur multa in Tertulliano esse pro Papistis, sed non esse fidem habendam Tertulliano, quod hæreticus fuerit, & secũdas nuptias prohibuerit. SED facilè hoc refellitur; nam etiamsi hæreticus fuerit, non tamẽ unquam a ueteribus reprehenditur, quod uotum continentiæ asseruerit, sed ob alios errores, quos S. Augustinus notauit lib. de hæresib, cap. 86.

Deinde Petrus Martyr mentiri audet in libro de uelandis uirginibus Tertullianum tractare, an solæ nuptæ debeant uelato capite ingredi Ecclesiam, an etiam uirgines, non autem loqui de uelo, seu habitu sacrarum uirginum. Sed adeo manifestè mentitur, ut non sit opus, nisi librum ipsum legere; scribit enim aduersus uirgines seculares, quæ cum nudo capite incederent, ægrè ferebant, uirgines sacras tectas, & uelatas procedere, & adferebant in argumentum, quod Apostolus 1. Corinth. 11. mulieres uelari iusserit, de uirginibus autem nihil dixerit: *Ambiunt*, inquit: *virgines hominum, aduersus virgines Dei.* Et infra: *Scandalizamur*, inquit, *quia aliter aliæ incedunt, & malunt scãdalizari, quam prouocari.* Et infra: *O sacrilega manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt.* Et infra: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam, incede secundum sponsi tui voluntatem, Christus est qui & alienas sponsas & maritas velari iubet: utique multo magis suas.* Denique liber S. Cypriani de habitu uirginum ex libro Tertulliani expressus, satis apertè docet, de quibus uirginibus Tertullianus loquitur.

Sed habet Petrus Martyr ex Tertulliano insigne testimonium contra nos; nam in lib. de monogamia, tractans locum illum 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere*, ita loquitur: *Ad eas dirigit, quales supra denotat, iuuenculas viduas, quæ in viduitate deprehensæ, & aliquandiu affectatæ, postquam in delitijs habuerunt Christum, nubere volunt habentes iudicium, quod primam fidem rescinderunt, illam videlicet, a qua in viduitate inuentæ, & professæ eam, non perseuerant. Propter quod vult, eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant.* EX HIS *verbis*, inquit Martyr, *alterutrum horum omnino intelligendum est, vel Paulum velle eas nubere, quamuis vouissent, idque magis Tertullianus videtur sentire, vel si non de viduis, quæ professæ sint, sed de similibus agatur, tamen Paulum eas quoque velle nubere, ne postea fidem datam rescindant. Hæc quoque sententia contra aduersarios nostros facit; nam illi iuuenculas, & pene puellas permittunt vouere, & in periculum incurrere.*

RESPONDEO, priorem sensum nullo modo admittunt uerba Tertulliani. Illa enim uerba, *Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant*, apertissimè monent, eum loqui de illis, quę nondum uouerũt; nã quę semel uouerunt, & fidẽ primam rescidẽrũt, quomodo possunt nubere, ne pri-

mam fidem rescindant, cum iam eam resciderint? & A cum ipsum nubere, sit primã fidem rescindere? Tertullianus enim interpretatur primam fidem rescindere, non perseuerare in professione viduitatis.

At, inquit Martyr, *Paulus dicens, uolo uiuores nubere, dirigit sermonẽ ad eas, quæ primã fidẽ irritã fecerunt, vt Tertullianus dicit, uult igitur Apostolus, ex interpretatione Tertulliani eas nubere, quæ iam uouerant.* Respondeo, dirigere sermonẽ ad eas, quæ vouerant, nihil aliud est, quã eas respicere, & ex earũ ruina alijs prospicere de remedio, vt verba sequẽtia apertissime docẽt. Quod vero attinet ad posteriorem sensum, fatemur, velle Apostolum iuuenculas nubere, sed vt supra ex Patribus ostendimus, non omnes iuuenculas, sed eas tantum, quæ continere nolunt. Omitto hic mendacia reliqua Petri Martyris, eum dicit, nos matrimonium B impurum, & spurcum appellare: & alia id genus, quorum Deo rationem in iudicio reddet.

Octavo loco ponit Origenem, in cuius libris nihil inuenit pro se, nisi quód loca quædam pro se facere interpretatur, quia non faciant cõtra se, nimirum, vbi Origenes non vituperat nuptias, & multo magis vbi aliquid dicit in laudem nuptiarũ. Ita profert multa ex commentarijs Origenis in c. 12. ad Rom. & in c. 19. & 23. Matthei. Sed nihil omnino est, quod ad rem faciat; nos enim nuptias longe magis honoramus, quam aduersarij faciant, cum Sacramentum Christi esse doceamus, quod illi pertinacissime negant, & ciuilem contractum solum in nuptijs agnoscant.

Nono venit ad Cyprianum, qui lib. 1. epist. 11. ad Pomponium ita scribit de quibusdam virginib⁹, quæ C posteaquam se Deo dicauerant, cum masculis cubare repertæ fuerant: *Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerent, ita fortes, & stabiles præmium virginitatis expectent; si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est, vt nubant, quam in ignem delictis suis cadant.*

Hunc locum non Petrus Martyr solum, sed etiam Caluinus, Brentius, alijq; ex aduersarijs obiecerunt. Refellit quoque Petrus Martyr aliquot solutiones parum congruas, vt ostenderet argumentum plane esse insolubile. Sed responsio plana, & facilis in promptu est. Sanctus enim Cyprianus eo modo loquitur, quo sanctus Paulus 1. Tim. 5. nimirum occasione quarundam virginum, quæ parum honeste se gerebant post votum continentiæ, monet alias, vt si non habent firmum propositum perseuerandi, non uoueant, sed nubant. Hic igitur sensus est verborum Cypriani: *Quod si ex fide se Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerent; si autem perseuerare nolunt, aut non possunt*, id est, si dum de voto faciendo deliberant, cogitant, se non perseueraturas, melius est, vt nubant, quam in ignem delictis suis cadant.

Esse ãt hunc sensum eorũ verborũ probari potest. Primo, quia S. Cyprianus virginibus illis sub disiunctione concedit, vt nubant, si perseuerare nolunt, aut non possunt. Proinde concedit, vt nubant, si tantum nolint perseuerare, etiamsi alioqui possint. At post uotum licitum esse nubere ei, qui perseuerare potest, ne Caluinus quidem, aut Petrus Martyr affirmaret.

Secundo, de sacris virginibus in eadem epistola E idem Cyprianus dicit, eas grauissime peccare, si alicui viro misceantur; & non mariti, sed Christi adulteras esse: *Si superueniens*, inquit, *maritus sponsam suam iacẽtem cum altero uideat, nonne indignatur, et fremit? & per zeli dolorem fortassis & gladium in manus sumit? quid Christus Dominus & Iudex noster cum uirginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernit, quam indignatur, & irascitur? & quas pœnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur?* Hæc ille. Non ergo Cyprianus potuit eiusmodi uirginib. Deo dicatis, nuptias permittere, nisi incestam coniunctionẽ & manifestã Dei offensionem, seipso teste, permittere uellet. Quis uero credat tã stultũ Cyprianũ fuisse, vt sciens, & prudẽs grauissima crimina pmitteret?

Tertio, de virginibus Deo dicatis, quæ iam lapsæ fuerant. in eadẽ epistola iubet ut separentur, idq; aliquoties repetit, & ne semel quidẽ admonet, posse eas cum stupratoribus suis, aut cum aliis inire matrimonium: *Quod si*, inquit, *obstinatæ perseuerant, nec se ab inuicem separant, sciãt se cũ hac sua impudica obstinatione nunquã a nobis admitti in Ecclesiam posse, &c.* Igitur cũ supra monebat, vt nuberent, non de ijs loquebatur, q̃ iam nouerant, sed de ijs, quæ adhuc sui iuris erant.

Vrget Petrus Martyr illud uerbũ: *Aut non possunt.* quasi aliquæ sint, quę absolute non possint continere, etiamsi uelint. Sed hoc supra explicatũ est. Sic. n. Cyprianus loquitur, quomodo Christus ipse, cum ait, q̃ potest capere, capiat. Illi enim dicuntur uelle, & non posse, qui desiderant continere, sed non plena, & perfecta uoluntate. Proinde desunt illis uires efficaces ad continendum, quas tamen uires, si uellent in oratione laborare, non difficulter acquirerent. Alium locum ex libro de singularitate Clericorum, in disputatione de cœlibatu sacerdotum explicauimus.

Decimo ponit Eusebiũ Cæsariensem, ex quo tũ nihil adfert, nisi coniecturã quandã, qđ cõsecratio uirginũ solennis cœperit tpe Constantini Imperatoris, antea uero nõ fuerit. Coniectura hæc est, qđ li. 4. de uita Constantini, posteaq̃ narrauerat, Constantini decreto abrogatã fuisse legẽ ueterẽ, quæ priuabat hæreditate eos, qui liberos nõ habebãt, cõtinuo subiecerit Eusebius, mulieres ad perpetuã uirginitatẽ se Deo cõsecrasse, nec non ad sacerdotiũ Dei. At Hæc cõiectura nititur manifesto mẽdacio. Non. n. Eusebius subiecit de uirginũ consecratione post narrationẽ de abrogata lege, sed præmittit tanquã rationẽ legis abrogatæ. Dicit. n. Constantinum legẽ illam abrogasse, quia multi uiri, multæq; fœminæ liberis carebant, non ob impotentiam generandi, sed quia ob immẽsum amorem numinis, perpetuum cœlibatum profitebantur.

Vndecimo loco Athanasium ponit, sed ne syllabam quidem unam pro se inuenire potuit. Idcirco solum attulit loca quædam contra se, & respondit, non esse Athanasium audiendum, non esse tolerandum, nimis multum sibi sumpsisse hunc patrem. Cẽturiatores cent. 4. c. 4. col. 267. & cap. 6. col. 466. & c. 7. col. D 486. proferunt unum Athanasij testimonium ex epistola ad Dracontium, ubi dicit, se nouisse Episcopos & Monachos, qui filios genuerint.

Respondeo, nos etiam nouisse permultos Monachos, qui simul etiam Episcopi dici uolebant, & filios genuerunt, nimirum Lutherum, Bucerum, Martyrem, Ochinum, Oecolampadium, VVigandum, & alios. Athanasius enim eo loco reprehendit episcopos & Monachos perdite uiuentes, ac dicit, nonnullos reperiri, qui filios genuerint; nã alioqui id illicitum fuisse ex sententia Athanasij, patet ex cohortatione ad Monachos, ubi inter alia impedimenta monasticæ uitæ ponit, alligatum esse uxori, aut filijs impeditum.

Dvodecimo loco ponit Basilium, quem ab erudi tione, & doctrina magnum appellatum fuisse dicit. E Profert autem unum testimonium ex libro de uirginitate, ubi Basilius arguit sacras uirgines, quæ perdite & flagitiose viuunt, ac dicit longe esse præstabilius, si uiros habeant, illisque subiectæ sint, & officium coniugale, ut decet, exerceant: *Nihil*, inquit Martyr, *pro nobis dici potuit aptius.*

Respondeo, non monet Basilius, ut sacræ uirgines, q̃ flagitiose uiuunt, relicta professione nubãt, sed dicit, melius fuisse futurũ, si nupsissent, antequã voue rẽt. Melius enim est in statu humiliore saluari, quam in sublimi damnari. Id ita esse planum est tum ex illis uerbis: *Nam si abiecto uirginco, & ad uitam, ad quã*

conser-

conseruandæ domus & procreãdorum liberorum gratia, A facta est inutilis, et professæ virginitati pudẽda futura est: tota res dãni plena est; Et longe præstabilius esset ipsã viro coniunctã ad vitã gubernari, &c. Vbi vides, nuptias suaderi, non ei, quæ vouit, sed ei, quæ professæ virginitati pudenda futura est, tum ex eodẽ libro, vbi BASILIVS fusissime probat, sacras virgines non posse vllo modo nubere: *Virginitatem*, inquit, *professæ, deinde a carnis uoluptatibus incitatæ scortationis peccatũ nuptiarũ nomine velare volunt, non ignorantes, opinor, etiamsi ignorãtiam simulent, quod quæ sponsi sui dexteram præteriit: neque huius est sponsa, quem illegitime reliquit, neque illius, cui seipsam per affectum vitiosum adiunxit, iuxta leges vxor reperiri potest.* Et infra: *Ne decipiat seipsam, quod peccatum ipsi pro nuptijs reputabitur.* Et infra: *Non enim locum apud ipsum habebit nuptiarum prætextus.* B

At, inquit Martyr, *Basilius cum hæc scripsit, oblitus erat sui.* Sed quis credat, virum tam admirabilem, qui ab eruditione magni nomen inuenit, in eodem libro tam aperte secum pugnare, nec potuisse tres paginas scribere, quin obliuiscĕretur sui? Omitto, quæ deinde attexit Martyr in reprehensionem S. Basilij. nõ enim hic quærim⁹, an recte dixerit, sed an dixerit id, de quo agimus. Quanquam etiam ad refutationem calumniarum, & ratiuncularum Martyris, satis est scire, illum fuisse vere magnum Basilium, istum esse Petrum falso Martyrem appellatum. Adfert aliud testimonium ex q. 15. fuse explicata, sed ad rem non pertinet, & a nobis paulo infra refutabitur in disputatione de votis filiorum inuitis parentibus editis.

DECIMOTERTIO ponit Gregorium Nazianzenũ, C ex quo nihil adferre potuit contra nos. Tantũ adfert multa, quæ dicit pro se facere, quia non faciũt contra se, nimirũ vbi Nazianzenus scripsit, nuptias esse bonas. Adfert ĕt multa, quæ dicit se nõ probare, vt quod Naziãzenus dicat virginitatem hominis Angelis aggregare, nuptias perturbationis, virginitatẽ splendoris indicium esse, continentiã in arbitrio positam, ita vt possint continere oẽs, qui volunt. Hæc Martyr admittere se non posse dicit, sed non multum refert, qd ipse admittat, modo Nazianzenus a Catholicis faciat.

DECIMOQVARTO ponit Hilariũ, ex quo vnũ duntaxat locum hãbere potuit, quẽ nobis obijceret. in reliquis Hilariũ reijcit cũ ceteris Patribus, qui Papistis nimis aperte fauẽt. Testimoniũ igitur contra nos profert Martyr ex cõmentario Hilarij in c. 19. Matt. vbi D sic loquitur: *Nobis circa Eunuchos sermo sit & voluntas; & in uno posuit naturã, in altero necessitatẽ, & in tertio voluntatem. Naturã in eo, qui ita nascitur, necessitatẽ in eo, qui ita factus est, uoluntatẽ in illo, qui spe regni cœlestis talis esse decreuerit, cui nos similes effici, si tãtũ possumus, admonet. Ecce*, inquit Martyr, *is non inquit, si tñ uelimus: si possimus, rationem habens uirium uniuscuiusq; nostrum.*

RESPONDEO, nihil Hilarius addit ad verbum Domini: *Qui potest capere, capiat.* De quo loco satis multa diximus. Neque negamus, habendam esse virium rationem, & eos nõ debere seipsos castrare ob regnum cœlorum, qui nondum vires habere se sentiunt ad cõtinendum, & qui proinde non possunt: tamen addimus, eos, qui vires nondum habent, & modo non possunt, posse tamen per orationem vires acquirere, qui- E bus postmodum poterunt, si voluerint.

Alium locum ex Hilario proferunt Magdeburgẽses, Cent. 4. c. 4. col. 300. vbi postquam posuerunt encomia virginitatis ex Athanasio, ita subiungunt: *Contra hanc superstitiosam opinionẽ uidetur Hilarius in Ps. 64. loqui; Cernimus nudis Philosophos algere corporibus, ipso etiam coniugiorum usu Magistri abstinent, hæretici sicco panis cibo uiuunt. Sed quis tandem ocioso huius propositi profectus? totum hoc inane, & ridiculum est, & cum ipsis superstitionis caussis miserabile. Deo ergo uouẽda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerãtia. Vota enim tantum Ecclesiasticæ religionis utilia sunt, quæ cum & digno Deo cautionibus & præpositæ in Ecclesia obseruantiæ studio probantur.*

Ex his verbis Magdeburgenses collegisse vidĕtur, vouendum esse corporis contemptum, sed non extremum illum vsq; ad nuditatem, & algorem; vouẽdam castitatem, sed coniugalem, non virginalem; vouẽda ieiunia, sed non ardua illa, quibus nonnulli solo pane viuunt. At non hoc Hilarius dicit, sed monet, continentiam, ieiunia, corporis contemptum, extra Ecclesiam nihil prodesse, multum autem prodesse, si in Ecclesia propter Deum suscipiantur, ipsique Deo vouẽantur. Explicat enim illa verba Psalmi: *Tibi reddetur uotum in Hierusalem.* Et vim facit in illis vocibus: *Tibi, & in Hierusalem*, id est, Deo, & in Ecclesia. atque inde superstitiosa vocat continentiam, & ieiunia Gentilium, quia non Deo; & hæreticorum, quia non in Ecclesia offeruntur. Quocirca Petrus Martyr ex hoc loco Hilarij colligit, Hilarium sensisse, votum cœlibatus debere fieri ad placendum Deo. Sed addit, sibi hanc Hilarij sententiam non probari.

DECIMOQVINTO ponit Epiphanium, ex quo duo testimonia profert, vnum ex lib. de hæresibus, hæresi 48. vbi sic legimus: *Nos vero non necessitatem imponimus, verum cum bono consilio admonemus, exhortantes eum qui potest, non autem necessitatem imponimus non potenti, neque reijcimus ipsum a uita.*

Ex his verbis arguit Catholicos Petrus Martyr, q⁹ imponant necessitatem cœlibatus, quia non admittũt ad sacros ordines nisi cœlibes: & rursus, quod dicant, C omnes posse continere, si velint; quorum vtrumque reprobat Epiphanius. Sed de hoc posteriore iam sæpe diximus, quomodo verum sit, quosdam posse, & non posse continere. Nam non possunt, dum non habent donum, & tamen possunt absolute, quia possunt donum petere & habere. Et tamen interim non negamus, quin male faciant, qui vouent eo tempore, quo se donum habere non sentiunt, & peius etiam faciũt, qui eiusmodi homines impellunt, aut etiam cogunt ad uouendum. De priore autem, manifesta calumnia est; nam etsi non admittimus ad sacros ordines, nisi cœlibes, tamen sicut non cogimus ad ordines suscipiendos, ita nec ad cœlibatum profitendum.

Itaq; idem ipse Epiphanius, qui neminem uult cogi ad cœlibatum, affirmat non debere admitti ad sacros ordines nisi cœlibes. Sic enim loquitur Epiphanius hæresi 59. *Reuera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui mortua sua vxore secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem & dignitatem, sed & adhuc liberos gignentem, vnius uxoris uirum non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in uiduitate uixit, Diaconum et Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum.*

Aliud testimonium proferunt, cum Petrus Martyr, tum etiam Ioannes Brentius ex eodem lib. hæresi 61. vbi sic legimus: *Melius est lapsum a cursu palam sibi uxorem sumere secundum legem & a uirginitate multo tẽpore pœnitentiã agere, & nõ quotidie iaculis sauciari.*

Respondeo PRIMO, Epiphanius videtur dicere, minus malum esse nubere post uotũ, quã occulte & assidue scortari: non tñ dicit, non esse malum nubere post uotum, quod aduersarij dicunt, & de quo nostra controuersia est. Nam in eodem loco paulo ante Epiphanius sic ait: *Sancti Apostoli tradiderunt, peccatũ esse post decretam uirginitatem cõuerti ad nuptias.* Et paulo post; monet illud Pauli: *Si nupserit virgo, non peccauit* intelligi debere de ea, quæ nõ dum est dicata Deo. Et infra, illud 1. Tim. 5. *Damnationem habent, quia priman fidem irritam fecerunt*, dicit maxime pertinere ad uirgines, quæ nubere uolunt post uotum.

Deniq; ipse ĕt Petrus Martyr, fatet, Epiphaniũ no biscũ facere: *Nunquã*, inquit, *asserui, Epiphanium face*

re mecum, quod dicat esse peccatum matrimonium inire, post uotum editum. Et infra: *In eo itaque mecum non conuenit Epiphanius: sed tantum in eo quod illas nuptias, & ueras esse dicat, & licitas.* Hæc ille. Qui manifestè se cum pugnat, vel Epiphaniũ falso pugnare secum ipsum asserit. Nam peccatum esse nuptias inire post uotum, & nuptias esse licitas post uotũ pugnantia sunt: vtrumque tribuit Martyr Epiphanio, qui tamen constanter primum asserit semper, alterum nunquam.

SECVNDO dico, probabile esse, Epiphanium nõ uoluisse etiam dicere, minus malum esse nubere post votum, quam scortari, sed hortatum esse ad nuptias eos, qui sine uoto perseuerabant in cœlibatu, & tamen flagitiosè uiuebant: nam in eo loco distinguit duo genera virginum. Vnum eorũ, qui ex electione, & professione, ac uoto virgines erant, & de his sæpius repetit, non licere sine grauissimo crimine post dicatam Deo virginitatem conuerti ad nuptias. Alterum eorũ, qui tpe adolescentiæ non inuenerũt commodas nuptias, & ideo quasi necessario permanserant toto eo tempore cœlibes, deinde cum iam prouecti essent ætate, erubescebant conuerti ad nuptias, atque idcirco cœlibes permanere decreuerant: interim tamen occultè scortabantur, & coram hominibus virgines erant, coram Deo nequaquam. Hos ergo hortatur, ut agant pœnitentiam propter amissam per fornicationem virginitatem, & ad matrimonium confugiant, magisque timeant Dei cõdẽnationem quam hominum iudicia.

Itaque cum ait Epiphanius: *Melius est unum peccatum habere, quam multa,* nõ vult dicere, melius est peccare semel nubẽdo post uotum, q̃ sæpius scortari, sed melius esse post unam fornicationem transire ad nuptias, q̃ cœlibem manendo exponere se periculo assiduè scortandi: & cum hortatur eum, qui a cursu lapsus est, ut uxorem accipiat, non uocat cursum uotum cęlibatus, sed ipsum cęlibatum, quem ille longo tpe libere seruauerat, & postea per fornicationem corruperat. Hoc dico valde esse probabile, tũ quia uerba Epiphanij hunc sensum patiuntur, tum etiam quia non est crẽdibile Epiphaniũ hortari uoluisse ad id, quod ipse fatetur esse contra Apostolicas sanctiones.

DECIMO SEXTO proponit Petrus Martyr Chrysostomũ, ex quo nihil adfert, nisi laudes nuptiarum, q̃ nihil caussæ nostræ officiunt: Sed Magdeburgenses Cent.5.c.4.col.444. producunt testimonium Chrysostomi ex oratione de cohabitione regulariũ mulierũ cũ viris, ubi hortatur virgines sacras, ut potius aperte nubant, q̃ cũ viris ita cohabitẽt: *Nam illas nuptias,* inquit, *neq; Deus cõdẽnat, neq; homines reprehẽdunt. Honesta.n.rès est neminẽ offendens, neminem lædẽs. Virginitas aũt illa cum uiris plusquã stuprũ ipsum ab oĩb.arguitur.*

At non satis fideliter hæc uerba Magdeburgenses retulerunt. Siquidem omiserunt ea, quæ proxime præcedunt, ex quib. apertissime colligitur, Chrysostomũ loqui de nuptijs, quæ uotũ præcedunt, non de ijs, quæ illud sequuntur. Sic ait: *Nã si habere cohabitatores concupiscis nõ oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transeundum erat. Multo.n.melius sic nupsisse, quam illo modo uirginem profiteri, fuisset: nam illas nuptias neque Deus condemnat, &c.* Et infra: *Si concupiscunt uirum, & nuptias, quis prohibebat, & libertatem adimebat, ne hoc facerent?* Hæc ille. Loquitur ergo Chrysostomus, quomodo Cyprianus, & Basilius loquebantur, de eo, quod debuisset fieri ante uotum, non de eo, quod post votum fieri debuit. Idem.n. Chrysostomus in epist.6. ad Theodorũ, disertè dicit matrimoniũ post uota monastica nõ matrimoniũ, sed quid adulterio peius esse.

Exstat apud Chrysostomum alius locus, qui cõtra vota obijci potuisset, quamuis eum nõ legerim ab aliquo aduersariorum notatum fuisse. lib.3. aduersus vituperatores uitæ monasticæ, sub finẽ ita loquit̃ Chrysostomus: *Ergo ne intempestiue liberos nostros ab deser-*

ti commoratione reuocemus, uerùm studij cœlestis disciplinam in eis solidam permittamus, altisq; radicibus arbusta firmari, & siue decem annos, siue etiam uiginti nutriendi illi sint in monasterio, non perturbemur. Ex his verbis colligi videtur, non fuisse monachos uotis adstrictos, aut certe uota ipsa libera fuisse Chrysostomi ætate, q̃quidẽ domũ ex monasterio redire poterant.

RESPONDEO, duo erant genera hominum qui in monasterijs eo tempore uiuebant. Alij enim monasticen profitebantur, & hi uotis adstricti erant, nec redire poterant ad negotia secularia. Alij solũ ad tempus in monasterijs degebant, non tam ut monachi fierẽt, quàm vt in pietate, & uirtutibus exercerentur. Hi vero nullis uotis alligati erant, & cum uolebãt abire ex monasterio, poterant. De his ergo posterioribus hoc loco Chrysostomus loquitur. Quod etiã ex eo cognosci potest, quod omnes ciues hortatur, ut ad monasteria filios suos mittant, necnon, ut ipsi etiam, licet conjugati, eo se conferant, ibique aliquandiu commorentur. De prioribus loquitur S. Basilius ca.21. Constitutionum, ubi multis rationibus ostendit nõ licere monacho domum redire. Ipse etiam CHRYSOSTOMVS in epist.6. ad Theodorum: *Equidem fleo,* inquit, *non q̃ paternarum rerum sollicitudinem geras, sed quod negligendo calcaueris quidquid ante de pectore Christo spoponderas. ad hæc inhorresco, his angor, & crucior, propter ista formido non immeritò. Vt enim non obijcitur desertio militiæ, non militanti; ita is, qui semel cæperit esse miles, cum deseruisse detegitur, pœna ultima dignus iudicatur.* Item THEOPHYLACTVS in c.8. Matth. *Si autem,* inquit, *illi neque patrem sepelire licuit, uæ his, qui monasticen professi ad mundana regrediuntur negotia.*

DECIMO SEPTIMO ponit Petrus Martyr Ambrosiũ, ex quo quia nihil adferre potuit cõtra uota cõtinẽtiæ, inuehitur in eius libros de virginib. plane aureos & dulcissimos. Dicit Ambrosiũ sibi ipsũ nõ cõstare, q̃ nunc doceat virginitatẽ non imperari, sed consuli; nũc vero ipse idẽ eam imperet, cũ prohibeat virgines Deo sacratas nubere. SED nõ ĩtelligit iste falsus Martyr carnali amore cęcatus, neq; qd loquatur, neq; de qb⁹ affirmet. Aliud.n.est imperare virginitatẽ, aliud eã exigere ab eo, q̃ spõte se obligauit. Deniq; libros illos de virginib. q̃ tantopere displicẽt Petro Martyri, S. Hieron. mirificè laudat in epi.22. ad Eustochium.

DECIMO OCTAVO ponit Hieronymum, ex quo vnum locum profert ex epist.8. ad Demetriadẽ. Deinde acerbè satis reprehendit libros S. Hieronymi aduersus Iouinianum. Sed posteriori obiectioni sat est opponere S. Augustinum, qui in epistola 29. ad Hieronymum, libros illos contra Iouinianum suauissimam & præclarissimam disputationẽ appellat: Necnon ipsum Hieronymum, qui in Apologia pro libris suis contra Iouinianum, eas calumnias, quas nunc Petrus Martyr profert, iam ante refutauit.

Porro testimonium in epist. ad Demetriadem, hoc est: *Sanctum virginum propositum, & cœlestis, Angelorumq; familiæ gloriam, quarundam non bene se agentiũ nomen infamat, quib. aperte dicendum est, ut aut nubãt, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere.* Hæc *verba,* inquit Martyr, *nõ possunt intelligi de ijs qui nondum uouerint. Quia nemo honestat aliquẽm ordinem nisi fuerit in illum adscriptus. Nullus turpi uita infamasset Apostolos, nisi inter eos fuisset annumeratus.*

RESPONDEO, loquitur S. Hieronym⁹ de ancillis sacrarum virginum nobilium. Erant enim quędam virgines sacræ fęminæ nobilissimæ, quæ domi suæ uiuebant, & multis ancillis comitatæ procedebant. Sæpe aũt fiebat, vt aliquæ ancillarum, quæ quidem nullum habebant uotum, parum pudicè uiuẽdo dominas infamarent. Sic enim pergit ibidem Hieronymus post verba citata; *Digna res risu, imò planctu, incedentibus dominis, ancilla virgo procedit ornatior, ut pro nimia con-*

suetudine

suetudine quam incomptam videris dominam suspiceris. A
Et paulo superius: *Mores enim & studia dominarum plerumq; ex ancillarum & comitum moribus iudicantur.*

Porro ancillas virginum sacratum non fuisse omnes sacras virgines, perspicuum est ex epist. 22. ad Eustochiũ; vbi monet virginẽ Eustochiũ, vt ex ancillis, si quas habeat eiusdem propositi, eas magis honoret, & ad mensã suã adhibeat, earũ honor aliarũ sit inuitatio: Vbi ẽt addit hæc verba de ancillis, quas dixerat in uitandas ad continentiam ex aliarũ honore. *Si qua dissimulat, & seruitutem refugit, illi Apostolum legito, melius est nubere, quam vri.* Vbi docet, esse quidem prouocandas ancillas ad propositum continentiæ, sed non esse cogendas.

Aliud testimonium ex Hieronymo proferri potuisset; sic.n. loquitur ad sacram virginem in epist. 47. de B
vitando suspecto contubernio: *Si uirgo es, quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nubis?* Esse autem virginem sacram, quam alloquitur, patet ex verbis illis eiusdem epistolæ: *Non tibi displiceat eius conuersatio, quæ te sponso tuo uirginem consecrauit.*

Respondeo, loquitur Hieronymus de quadã virgine, quæ non in monasterio publice professa fuerat (nã in eadem epistola hortatur eam, vt se conferat ad monasterium) sed priuatim vouerat continentiam, vt eo tempore multæ facere solebant; ac deinde relicta matre vidua, iuueni cuidam adhæserat, & cum eo viuebat nõ sine suspicione impudicitię. Hanc ergo Hieronymus monet, vt potius aperte nubat, quam perpetuo cum aliorum scandalo impudice viuat. Neque ita hoc monet, quasi peccatum nõ sit, quod aduersarij volunt, nubere post votum, sed quia minus peccatũ sit, C
& prudentia ac ratio doceat, ex duobus malis minus esse eligẽdum. Quod autem S. Hieronymus malum esse putet, nubere post votum, non negat Petrus Martyr, cum id millies repetat S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & alijs in locis, sed præterea idipsum habemus, hoc loco; nam postquam dixerat: *Si corrupta es, cur non palam nubis?* Ita subiungit: *Neque uero hoc dico, quod post peccatum tollam pœnitentiam, ut quod male cœpit, male perseueret, sed quod desperem in istiusmodi copula diuulsionem.* Hoc est, nõ hortor vt nubas, quia cupiam in eo quod male cœpisti fornicando, male perseueres nubendo, & non potius cupiam pœnitentiam, & emendationem; sed quia desperem te posse separari a viro, ideo malo, quod minus est malum, vt D
marito adhæreas, non fornicario.

Est ãt hoc loco obseruandũ, nuptias post votũ simplex, de quo Hieronymus loquitur, licet sine peccato cõtrahi nequeant, tñ veras nuptias esse, & ideo aliquo modo minus malũ esse, nubere post votũ eiusmodi, q̃ assidue fornicari, tũ ob fidem coniugij, tum ob prolẽ legitimã, tũ ob alia bona: tñ ẽt aliquo modo, vt nos supra diximus, est maius malum sic nubere, quam fornicari, quia, qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum seruandum, quod non facit, qui fornicatur.

Decimonono ponit Augustinum, quem in primis fatetur aduersari sibi, & suis Lutheranis apertissime, sic enim ait. *Hæc omnia uotorum genera, id est, uirginum, uiduarum, coniugatarum, uult Augustinus & firma & ualida esse ita ut grauissime peccent, qui post ea nũ* E
cupata, matrimonia contraxerint. Et post testimonia allata subiungit: *Ista uir Dei scribit, ut homo deceptus.*

At cur non sit verisimilius decipi Martyrem, quã illum virum Dei, qui etiam aduersarijs testib. doctissimus atque sanctissimus fuit? Adfert deinde duo loca pro se. Vnum ex libr. de sancta virginitate, c. 40. & 41. vbi Augustinus dicit, impossibile esse, aut valde difficile intelligere, cur Deus vni det continentię donum, alteri non det. Ex quo loco colligit Martyr, non posse omnes qui volunt, hoc donum habere. Si enim omnes, qui volunt, haberent donum, non esset difficile intelligere, cur vni daretur, alteri non daretur. Caussa enim esset, quia vnus vult, alius non vult.

Alterum testimonium sumitur ex libr. de bono viduitatis, cap. 9. & 10. & ex epist. 10. ad Bonifacium, vbi S. Augustinus docet, nuptias post votum ratas esse, ac veras, nec debere dissolui.

Tertium testimoniũ addit Brentius ex libr. de bono coniugali. c. 21. vbi S. Augustinus non audet anteponere virginitatem S. Ioannis coniugio Abrahæ.

Addo ego Quartum testimonium ex lib. de sancta virginitate, c. 34. vbi sic loquitur S. Augustinus de virginibus quibusdam sacris: Hæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nuberent, quam vrerentur.

Respondeo ad Primum testimonium, & dico *S.* B
Augustinum loqui de dono continentiæ, non quo fit, vt aliquis continere possit, quod nemini negari dicimus, sed quo fit, vt re ipsa aliquis contineat; quod non datur nisi ijs, quibus Deus dandum esse iudicauerit: neq; est hoc proprium dono continentiæ, sed commune cum dono fidei, dilectionis, perseuerantię, alijsque donis eiusdem generis. Siquidem omnes iusti vere perseuerare possunt, si velint, & tamen impossibile intelligere, cur Deus vni iusto det perseuerantiæ donum, ita vt re ipsa infallibiliter perseueret, alium cadere sinat, nec det ei eam gratiam, qua efficaciter perseueret. libro de spiritu & litera, c. 34. *Iam si ad illam profunditatem*, inquit, *scrutandam quisquam me coarctet, cur uni ita suadetur, vt persuadeatur, alteri non item; duo interim occurrũt q̃ respõdere libeat. O altitudo diuitiarũ.* Et: C
Nõ ẽ iniqtas apud Deũ. Sed de his alibi disputãdũ est.

Ad Secundum dico Augustinum voluisse quidẽ nuptias post uotum esse ueras nuptias, sed simul asserere uisse (qd Petrus Martyr nõ negat) grauissime peccare eas, q̃ post uotũ nubũt. sic.n. ait li. de bono uiduitatis, c. 9. *Damnantur tales uiduæ, non quia coniugalem fidem posterius mierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt.* Et cap. 11. *Non possum dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia, sed plane non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas a castitate sanctiore, quæ uouetur Deo, adulteriis esse peiores.* Hæc ille. Itaque testimonium Augustini nihil efficit contra id, quod nunc defendimus, non licere nubere post uotum.

Sed instat Petrus Martyr; in eo saltem contradictis Augustino, quod matrimonia Monachorum & Sanctimonialium irrita esse decernitis. D

Respondeo, conuenit inter Theologos, matrimonium post uotum simplex continentiæ illicitum quidem esse, tamen ratum, nec dirimendum: post uotum solenne nullum esse. sic enim Innocentius I. docet in epist. 2. & post eum Gelasius in epist. 1. ac Toletanum Concilium I. can. 16. Vtrum autem post solenne uotum, nullum sit matrimonium iure diuino & naturali, an solũ iure Ecclesiastico, qõ est. Nam Albertus, B. Thomas, B. Bonauentura, Richardus, & Durãdus in 4. dist. 38. & Dominicus a Soto li. 7. de iustitia & iure, q. 2. art. 5. uolunt iure diuino, ac naturali matrimoniũ nullum esse, si post votum solenne contrahatur. Atq; hi dicerent S. Augustinum de uoto simplici tantum E
esse loquutum, non de solenni, ut etiam S. Hieronymum in epist. 47. de vitando suspecto contubernio. Contra uero, S. Basilium in li. de virginitate, & Chrysostomum in epist. 6. ad Theodorum, de uoto solẽni.

At Scotus & Paludanus in 4. dist. 38. & Caietanus in 2. 2. q. 88. ar. 7. et omnis schola Iureconsultorum, vt refert Panormitanus in c. Rursus. Qui Clerici uel uouentes, asserunt solo iure Ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post uotum solenne cõtrahitur. Atque hi Augustinum & Hieronymũ, uel de uoto simplici loquutos esse dicerent, uel de solẽni secundũ regulas iuris diuini, ac naturalis. Decretum. n. Ecclesia-

sticum,quo inhabiles fiunt ad matrimonium, qui vo A
tum habent solenne, ad eorum notitiam non perue-
nisse. vtraque sententia probabilis est, nec est nostræ
considerationis hoc loco quæstionem istam definire.

Ad TERTIVM dico S. Augustinum eo loco non cō
ferre virginitatem cum coniugio absolute, sed virgi-
nitatem vnius personæ coniugio alterius personæ. Et
si enim absolute virginitas longe excellat coniugio,
vt Augustinus, cum alibi sæpe, tum in ipso libro de
bono coniugali,ca.23.affirmat: tamen potest fieri, vt
virginitas coniuncta sit in vno homine cum minore
caritate, humilitate, alijsq; virtutibus, quam coniu-
gium in altero homine. Idcirco non possumus ante-
ponere virginem coniugato,nisi constet in ceteris vir
tutibus illos esse pares.

Ad QVARTVM dico S. Augustinum eo modo esse B
loquutum,quo S.Hieronymus in epist.47. nimirum
minus malum esse aperte nubere ei, qui simplex vo-
tum habet,quam perpetuo occulte fornicari.

VICESIMO adducit Leonem, ex cuius operibus v-
num testimonium profert ex epist.87.alias 85.ad epi
scopos Africæ,vbi Leo ita loquitur: *Dicente Apostolo,
vt inter alias Christianismi regulas is Episcopus ordine-
tur,quem vnius vxoris virum fuisse,aut esse constaret,tā
sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de mulie
re sacerdotis eligenda, eadem intelligatur seruanda condi
tio.* Videtur enim hic dicere S. Leo, non modo posse
Episcopum ordinari,qui vxorem habuerit, sed etiam
qui habeat;& præterea posse Episcopum, qui non ha- C
bet vxorem,eam ducere, si voluerit.

Sed ad hoc testimonium iam respondi in disputa-
tione de cœlibatu sacerdotum. Admittimus.n.episco
pum fieri posse,qui vxorem habeat,modo ab ea se cō
tinere deinceps velit. Posse autem Episcopum vxorē
ducere nunquā sensit, vel scripsit S. Leo. siquidem in
codicibus emendatioribus non habetur: *De muliere
sacerdotis eligenda*,sed,*de muliere sacerdotis eligendi*. Iu
bet enim S. Leo, vt non solum arceatur a sacerdotio,
qui plures vxores habuit, sed etiā is qui vnam habuit,
quæ tamen alterius antea fuerit. Consule epist.84. ad
Anastasium vbi disertis verbis Leo docet, non modo
Episcopum, sed et Presbyterum,Diaconum & Sub-
diaconum debere innuptum esse vel continentem.

POSTREMO loco adducit Petrus Martyr Gregoriū
I.qui lib.1.epist.42.ita scribit: *Ante triennium omnium
Ecclesiarum Siciliæ Subdiaconi prohibiti fuerunt, vt mo* D
*re Romanæ Ecclesiæ suis vxoribus non miscerentur,quod
nisi durum atq; incompetens* (impium, pro incompe-
tens, Petrus Martyr legere maluit ad rem exaggeran
dam) *videtur,vt qui vsum continentiæ non inuenit,neque
castitatem promisit,compellatur a sua vxore separari, at
que hoc,quod absit,in deterius cadat.* Ex his multa dedu
cit Martyr, q̄ aduersus Catholicos pugnare videtur.

PRIMVM est,Romanum Pontificem,qui prohibue
rat,ne Subdiaconi Siciliæ suis vxoribus miscerentur,
feciſſe contra Nicænam Synodum, quæ Paphnutio
auctore decreuit,non esse Clericis prohibendum pro
priæ vxoris commercium. At fabulam istam Paphnu
tianam in disputatione de cœlibatu sacerdotum eui-
denter,vt arbitror, confutauimus. Præterea, si vnus E
Romanus Pontifex præceptum paulo durius, & in-
competens,vt S.Gregorius dicit,imposuit,mox illud
a successore temperatum fuit.

SECVNDVM est, non fuisse eo tempore votū anne-
xum sacro ordini. Gregorius .n.dicit, durum sibi esse
visum, vt Subdiaconi castitatem tenere cogerentur,
qui non promiserant. At si in Sicilia Subdiaconi non
vouebant, nū alibi nusquā vouebant? immo abusus
erat,quod in Sicilia non vouerent. Atq; idcirco ibi S.
Gregorius iubet,moneri Episcopos, vt nullū ordinēt
subdiaconum,qui non antea continentiam voueat.

TERTIVM est, tyrannidem hanc a Romana Eccle A
sia cœpisse, in Orientali autē seu Græca Ecclesia eius
modi vsum non fuisse.sed mendaciū apertissimū est,
non fuisse vsum continentiæ,& Subdiaconorum, at-
que ordinum ēt superiorum in Orientali & Græca ec
clesia ante tempora S.Gregorij.Contrarium.n.diser-
tis verbis docet Epiphanius hæresi 59. Hieronymus
libro in Vigilantium. Leo epist. 84. & alij quos supra
citauimus in disputatione de cœlibatu sacerdotum.

QVARTVM est, Gregorium, licet admodū superſti
tiosum,vidisse tñ hoc esse durum,& alienum a pieta-
te,& moderari conatum, non tñ potuisse,quātum vo
lebat,ob canones,& decreta. Sed quod sanctissimum
virum admodum superstitiosum Petrus Martyr vo-
cat, facit more suo. quod ait eum vidisse hoc esse alie-
num a pietate,mentitur,vt solet.Non enim impium, B
sed incompetens Gregorius esse dixerat prædeceſſo-
ris sui decretum. quod addit S. Gregorium moderari
conatum canones prædecessorum,sed non tantum se
cisse quantum voluisset,plane diuinat,vel somniat po
tius. Gregorius enim, vt summa potestate, ita etiam
summa libertate vtebatur in ijs, quæ ad Dei hono-
rem,& Ecclesiæ vtilitatem pertinere videbat.

Adferunt alij quidam adhuc vnum testimoniū ex
Gelasio Papa.Is enim epist.1. ad Episcopos Lucaniæ,
c.23. de viduis quæ continentiam vouerant loquens,
ait: *Nos talibus nullum laqueum debemus inijcere, sed so
lum adhortationes præmij sempiterni pœnæq; proponere
diuini iudicij, & vt nostra sit absoluta conscientia, & illa-* C
rum pro se rationem Deo reddat intentio. Hæc ille.

RESPONDEO, laqueus, de quo Gelasius loquit, non
est, vt aduersarij credunt, nuptiarū prohibitio ijs, quę
nouerant, sed ijs, quæ nō nouerant; nam ante dixerat
Gelasius eas,quæ vouerunt, nō posse nubere sine pec
cato: *Sicut*, inquit, *si se continere non poterant, Ꝑm Apoſto
lum nullatenus nubere vetabantur: sic habita secum de-
liberatione promissam Deo pudicitiæ fidem debent custo-
dire.* Vult igitur Gelasius non debere cogi uiduas ad uo
uēdum, sed exponenda illis esse, & præmia si uoueāt,
& reddant,& supplicia si uoueant,& non reddant.

CAPVT XXXV.

Quod iuniores vouere possint.

SEQVITVR disputatio QVARTA de ijs,qui uota mo
nastica suscipere ac nūcupare possunt. Quatuor sūt
gña personarum,quib. præ ceteris aduersarij negāt fa
cultatē huiusmodi uota suscipiendi. Primo,iuniores.
Secundo filijfamilias inuitis parentibus. Tertio,coniu-
ges ex consensu mutuo. Quarto,coniuges ante ma
trimonium consummatum,inuito altero coniuge.

De PRIMO,Lutherus li.de uotis monasticis ait,nō
oportere uiros admittere ad uota monastica, nisi post
annum LXX.uel LXXX.Similiter Confessio Augu
stana,ar.27.conqueritur,quod pueri permittantur fie
ri religiosi.Calum⁹ li.4.Instit.c.15.§.19.dicit olim ne
fas fuisse ante annum LX. admittere fœminam ad uo
tum continentiæ.Martyr in lib.de cœlibatu, & uotis
eandem querimoniam renouat. Probant ex illis uer-
bis 1.Tim.5. *Adolescentiores viduas deuita*,uel ut est in
Græco παραιτοῦ,reijce,&; *Volo iuniores nubere,matres
familias esse,&c.* possumus addere duos ueteres Cano
nes; nam Concilium Romanum sub Sylvestro, ca-
non.10. prohibet uelari sanctimoniales ante annum
LXXII.& B. Gregorius lib.3.epist. 11. uetat sancti-
monialem uelari ante annum LX.

At his non obstantibus dicimus duo. Primo ad uo
ta suscipienda continentiæ,obedientiæ, & paupertā-
tis, requiri quidem eam ætatem, in qua sit usus liberi
arbitrij;sed ubi is adfuerit, in quacunque ætate licere
talia uota nuncupare. Probatur PRIMO Scriptura
Thren.3. *Bonum est viro,cum portauerit iugum ab ado
lescentia sua.* Matth.19. *Sinite paruulos venire ad me.*

SECVN-

SECVNDO exemplis: nam Ioannes Baptista a puericia secessit in eremũ, Luc.1. B. Maria adolescentula vouit perpetuam continentiam, vt supra demonstrauimus; B. Antonius, Paul⁹ I. Eremita, Hilariõ, Benedictus, Bernardus, Franciscus, alijq́; permulti in adolescentia monachi facti sunt, ut patet ex Athanasio, Hieronymo, Gregorio & Bonauentura, in eorũ sanctorum vitis. pari ratione omnes fere sanctæ Virgines, quas Ecclesia publice colit, adolescentulæ vouerant cõtinentiam, vt Thecla, Agnes, Cecilia, Agatha, Lucia, Clara, Catharina, & aliæ propemodũ infinitę.

TERTIO probatur ex Patribus. ATHANASIVS de humanitate verbi, dicit etiam pueros virginitatẽ profiteri doctos esse a Christo. BASILIVS in quæstionib. diffusè explicatis, q.15. disputat in qua ætate recipiendi sint homines ad uota monastica, & respõdet, in prima ætate esse recipiẽdos pueros ad monasterium, sed non esse admittendos ad professionem, nisi ubi cęperint liberũ habere vsum rationis. AMBROSIVS lib.3. de virginibus: *Non ergo*, inquit, *ætas recipitur florentior, sed animus examinatur. ac certe Theclam non senectus, sed virtus probauit, & hinc quid plura contexã, cum omnis ætas habilis Deo, perfecta sit Christo? nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in paruulis passionem. An dubitamus si eum vsque ad continentiam sequatur adolescentia, quem vsque ad mortem confiteatur infantia?*

HIERONYMVS in epistola ad Eustochium de virginitate docet, in cœnobijs fuisse suo tempore homines omnis ætatis, pueros, uiros, senes. AVGVSTINVS de sancta virginitate, c.36. *Sed*, inquit, *respice agmina virginum, puerorum, puellarumq́, sanctarum, in Ecclesia tua eruditum est hoc genus, illic tibi a maternis uberibus pullulauit, nomen tuum ad loquendum linguam soluit, nomen tuum velut lac infantiæ suæ suxit infusum, nõ potest qui quam ex hoc numero dicere, qui prius fuit blasphemus, & persecutor. immo etiam quod non iussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti dicens, qui potest capere capiat, arripuerunt, uouerunt, & propter regnum cœlorum seipsos non quia minatus es, sed quia hortatus es, castrauerunt.*

SECVNDO DICIMVS ad professionem publicam, expetendam etiam eam ætatem, quam leges Ecclesię prescribunt, quæ pro temporum, & locorum diuersitate variæ exstiterunt: nam Concilium Cæsaraugustanum, c.vlt. & Agathense, can.13. iubebant exspectari annum XL. antequam mulieres publicam professionem emitterent. Concilium autem Carthaginense III. can.4. iubebat exspectari annum XXV. qd expositum est in Concilio Mileuitano, can.26. debere intelligi, nisi aliqua necessitas cogat ante illud tempus virginem velari. B. GREGORIVS lib.1. epist.48. in insulis ubi est molestior habitatio, iubet, ne recipiatur aliquis ad monasticam professionem ante annum XVIII. ex quo recte deducunt canonistæ, in alijs locis posse recipi in minori ætate, nimirum anno XIV. quam ætatem definiunt multi canones, ut c. Ad nostram, & c. Significatum, extra de regularibus.

Porro Concilium Trullanum, can.40. & Concilium Triburiense, can.24. permittunt professionem etiam ante annum XII. sed nostro tempore Cõcilium Tridentinum, sess.25. c.15. statuit professionem non debere fieri ante annum XVI. quam ætatẽ etiam olim definierat S. Basilius, vt testatur Concilium Trullanum, c.40. ex quibus apparet nunquam in Ecclesia fuisse consuetudinem, aut legem, ut exspectaretur annus LX. vel LXXX.

Ad ARGVMENTA. Illud Apostoli: *Adolescentiores deuita*, seu reijce, intelligitur a numero earum viduarum, quas Ecclesia alebat, non a uoto continentię. Solum enim anus LX. annorũ quæ seipsas alere non poterant, uoluit Apostolus nutriri sumptib. Ecclesię.

AT, inquit Petrus Martyr, si iuniores arcebat Paulus a conuictu earum uiduarum, quas alebat Ecclesia propter periculum incontinentiæ, cur non ob eãdem caussam arcendæ sunt a uoto? RESPONDEO, quæ alebantur ab Ecclesia, vouebant etiam cõtinentiam, tur pius autem fuisset deficere a uoto aliquam ex ijs, quæ publice alebantur ab Ecclesia, quam ex alijs, idcirco nolebat Apostolus recipi iuniores ad numerum earum, quæ ab Ecclesia alebantur. Illis autem verbis: *Volo iuniores nubere*, opponim⁹ aliud, volo, ex 1.Cor.7. *Volo omnes esse sicut meipsum*, ideſt, continentes. Cum enim istæ uoluntates contrariæ sint, oportet dicere neutrum adferre præceptum, & absolutè quidẽ Apostolum cupiuisse, ut omnes continerent, tamen quia nonnullæ bonum propositum deseruerant, cœpisse optare, vt iuniores quæ non viderentur perseueraturæ, potius nuberent, quàm uouerent. Vide quæ de hoc loco diximus supra cap. XXX.

Ad illud Concilij Romani dico, PRIMO, locum esse corruptum, & intelligibilem, & fortasse multo minorem annorum numerũ debere poni pro LXXII. Dico SECVNDO, loqui Concilium non de omnib. viginibus, sed de illis solum quæ antequam profiterentur, uiros petierunt, ut ipsa uerba Concilij indicant, illæ enim diutius quam ceteræ probandæ videntur.

Ad Gregorium dico, eum loqui de sola Abbatissa. Sic enim ait: *Iuuenculas Abbatissas fieri vehementissime prohibemus, nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cuius ætas hoc, atque mores exegerint, uelari permittat.*

CAPVT XXXVI.

Licere filijs ingredi Religionem parentibus inuitis.

DE SECVNDO, an uidelicet filij inuitis parentib. fieri possint religiosi. Lutherus in li. de uotis monasticis dicit, non posse filios, quamuis maximæ ætatis sint, ingredi religionem sine consensu parentum, si adhuc superstint. idẽ docent Magdeburgenses Cẽt. 4.c.10.col.1304. & Cent.6.c.6.col.354. & Martyr in lib. de cęlibatu, & uotis. Ratio eorum PRIMA est, qa præceptũ de obediendo parentib. in omni ætate obligat, & sicut non licet ulli uouere, quod non obediet parentib. ita non licet vouere aliquid eis inuitis. SECVNDO, quia uxor non potest ingredi religionẽ sine consensu uiri, nec seruus sine consensu domini, ergo nec filij sine consensu patris, & confirmatur ex Concilio Gangrensi, c.16. *Quicunq́, filij a parentib. prætextu diuini cultus abscedunt, nec debitam reuerentiam dependunt illis, anathema sint.* Contrarium docet B. Tho. in 2.2.q.88. art.8. ad 2. & antea idem probauerat exẽplo suo, quippe inuitis & repugnantibus matre & fratribus, ordinem Prædicatorum professus est.

Nos breuiter respondemus, licere filijs inuitis parentibus ad religionem transire, duabus seruatis conditionib. VNA, vt ad annos pubertatis peruenerint. Porro pubertas in viris est anno XIV. vt habemus c.1. de regularib. in Sexto; in fœminis anno XII. vt habemus can. puella, 20.q.2. ALTERA cõditio est, ut parentes non sint in tali necessitate, ut sine filiorum auxilio viuere non possint. Tunc enim tenentur ex præcepto Dei, parentibus adesse.

Probatur iam hæc sentẽtia, PRIMO Scripturis. etsi enim hoc Scripturæ diserte non docent, tñ eis ualde conforme est. Gen.12. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, et de domo patris tui*, Deuter.33. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos: & fratrib. suis: Ignoro illos. Hi custodierũt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Vbi Moses in laudib. Leuitarum ponit, quod parentes, & fratres deseruerint, ut Deo liberius vacarent. Vnde glossa interlinearis exponit, qui dixerunt:

runt: nescio vos, patri & matri cursum mentis impedientibus. Item Psal. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuũ.* Item Matth. 10. *Qui amat patrem, vel matrem plus quã me, non est me dignus.* Et Lucæ 9. non permisit Dominus eum, quem vocabat, vt iret domum ad salutandum, vel ad sepeliendum parentem.

SECVNDO sacris canonibus; nam in Concilio Tolet. X. c. vlt. *Parentibus*, inquit, *filios religioni tradere non amplius, quam vsq; ad quartum decimum eorũ ætatis annum licentia poterit esse: postea vero, an cum voluntate parentum, an suæ deuotionis sit solitarium votum, erit filijs licitum religionis assumere cultũ.* Item 20. q. 2. can. Puella, qui sumptus est ex Concilio Triburiensi, can. 24. *Puella*, inquit, *si ante duodecimum ætatis annũ sponte sua velamen sibi sacrũ assumpserit, possunt statim parentes vel tutores id factum irritum facere si voluerint. Si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Item c. cum virum, de regularibus, Clemens III. loquens de puella nubili: *Tunc*, inquit, *quia liberum habet arbitrium in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.*

TERTIO, testimonijs Patrum. CHRYSOSTOMVS in fine lib. 3. contra vituperat. vitæ monasticæ: *Sin autẽ*, inquit, alloquens parentes, *vos contenderitis, filij quidẽ, si fuerint egregia virtute præditi, etiãsi nolueritis, ad hanc peruenient Philosophiam monasticam sempiternisq; gaudijs fruentur, vos autem infinitos vobis ipsis cruciatus congeretis.* Idem homil. 84. in Ioannem: *Cum spiritualia*, inquit, *impediunt parentes, nec agnoscendi quidem sunt.* Similia habet in c. 6. epi. ad Eph. in illud: *Filij obedite parentibus in Domino.* vult. n. additum esse, *in Domino*, qa nõ debemus eis parere, cum pietatem impediũt.

THEOPHYLACTVS in c. 19. Io. in illud: Ecce mater tua: *Oportet*, inquit, *quidem parẽtibus ad pietatẽ obsistẽtibus non parere; non obsistentibus autẽ omni cura seruire.*

AMBROSIVS li. 1. de virginitate loquens de illis, q̃ inuitis parentibus profitebantur, nõ arguit ipsas, sed eorum parentes, qui vim facere conabantur; quos dicit esse peiores Gentilibus, qui filias præmijs ad virginitatem inuitabant: *Illic præmijs*, inquit, *reuocantur a nuptijs: hic ad nuptias coarctabuntur iniurijs? illic violentia fit ut capiantur: hic fiet violentia ne profiteantur? & potest esse patientia Sacerdotum, vt non uel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificium vendicent?*

HIERONYMVS in epist. de suspecto contub. *Si qs*, inquit, *te corripit, quod sis Christiana, quod sis virgo, non cures quod matrem deserueris, vt in monasterio inter virgines viueres: talis detractio laus tua est. Item crudelitas ista pietas est, illum enim præfers matri, quem præferre uberis & animæ tuæ.* Idem ad Heliodorum, quæ prima est omnium: *Licet* inquit, *paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre, siccisq; oculis ad vexillum crucis euola; solum pietatis genus est, in hac esse re crudelem.* Idẽ in vita Malchi testatur eum, cum à parentibus ad nuptias minis & blanditijs cogeretur, eis inuitis, ad monasterium se contulisse.

AVGVSTINVS in epi. 38. ad Lętum, qui à matre impediebatur, ne ad vitam perfectam sequeretur: *Sed quid*, inquit, *dicit, aut quid allegat? forte decem illos menses, quibus viscera eius oneraſti, & dolores parturitionis, ac labores educationis: hoc hoc interfice verbo saluatori, hoc perde matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memento, vt oderis in ea, si diligis eam, si tyro Christi es, si turris fundamenta posuisti.*

Gregorius TVRONICVS in vita Leobardi & Pappulæ, laudat eos, quod tam ille, quam illa, inuitis parẽtibus, monasticam professionem susceperit. GREGORIVS hom. 37. in Euangelia, in illud; Qui non odit Patrem, &c. *Quos*, inquit, *aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.*

Denique B. BERNARDVS epist. 3. quam scribit nomine Heliæ Monachi ad parentes eius: *Sola*, inquit, *causſa, qua non licet obedire parentibus, Deus est. Ipse. n. dicit, qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. Si vere me, vt boni, & pij parentes diligitis quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius seruitio, cui seruire regnare est, retrahere tentatis? verum nunc cognosco, quia inimici hominis domestici eius: in hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco vos parentes, sed hostes. Si diligeretis me gauderetis vtiq; quia vado ad meum atque vestrum, immo vniuersorum Patrem: alioqui quid mihi & vobis? quid a vobis habeo, nisi peccatum & miseriam, &c.*

QVARTO, probatur ratione B. Ambrosij lib. de viginibus: *Cui licet*, inquit, *maritum eligere, cur non licet Deum præferre?* At licet filijs parentibus inuitis, matrimonium contrahere, cur non etiam liceat ijsdem inuitis continentiam profiteri? Præterea licet viro, vxore inuita, ad religionem transire, quando matrimonium de præsenti quidem contractum erat, sed nondum consummatum, ut habemus c. Verum, & ca. Ex publico, de conuersione coniugatorum, ergo multo magis licebit inuito patre. Præterea quilibet ingenuꝰ post annos pubertatis est iuris sui, quantum ad ea, q̃ ad personam & statum suum pertinent. In hoc enim differunt serui à liberis. Denique magis obediendum est Deo, quam hominibus, Act. 5. Deus autem consulit perfectam vitam, Matth: 19. omnibus in genere, & in particulari interna inspiratione vocat quosdam; ergo si parentes resistant, audiendi non sunt.

Neque argumenta in contrarium vim vllam habent. PRIMVM est, Deus iubet obedire parentibus, & eos honorare, Ephes. 6.

RESPONDEO, parentibus duo à filijs deberi, obedientiam, & honorem, id est, temporalia subsidia. Quantum ad primum, dico ex Chrysostomi, Theophylacti, Hieronymi, & aliorum expositione in eum locum, ideo Apostolum addidisse, *in Domino*, vt intelligamus, non esse eis obediendum, nisi in ijs, quæ nõ impediunt pietatem. Quantum ad alterum, dico, præceptum illud, vt alia omnia affirmatiua, non obligare, nisi in casu necessitatis, cũ uidelicet pater sine filij opera uiuere non potest. Si enim uel diues sit, uel habeat alios, à quibus alatur, filius non tenetur ei adesse ut expresse docet Luc. 9. Dominus cum ait: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Nam ut Theophylactus exponit, qui dixerat: *Sine vt vadam, & sepeliam patrem meum*, non dicere uoluit; Pater meus mortuus est, debeo eum sepelire; sed, sine ut maneã cum patre meo, usq; ad mortem eius: cum autem obierit, & eum sepeliero, tunc sequar te.

SECVNDVM argumentum erat: Vxor non potest ingredi religionem sine consensu uiri, nec seruus sine consensu domini; igitur nec filius sine consensu patris.

RESPONDEO, uir non habet corporis sui potestatẽ, sed uxor, ut dicitur 1. Cor. 7. & ideo non potest uir de persona sua disponere sine consensu uxoris. Filij autẽ quoad personam suam, liberi sunt post annos pubertatis. Vnde B. Augustinus, qui epist. 36. ad Letum docuit posse filios inuitis parentibus sequi perfectionẽ, idem in epist. 199. ad Ediciam, docet, uxorem id facere non posse sine cõsensu uiri. pari ratione seruus nõ habet personæ suæ potestatẽ, sed dominus eius, ideo de ea disponere non potest. Addit B. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. quod cum subiectio seruilis sit pœna peccati, non autem subiectio filialis, non mirum uideri debet, si seruis adimitur aliquid, quod antea eis competebat, & id non adimitur filijs.

Argumentum TERTIVM ex Concilio Gangrensi, cap.

cap.16. RESPONDEO, fuisse eo tempore quosdam, qui malè intelligentes uerba Domini. Luc.14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, &c.* prætextu Euangelij relinquebant non solum parentes, sed etiam uxorem, & liberos, nec eorum ullam curam gerebant, etiamsi maximè indigerent. hos ergo Synodus anathemati subijcit. Vnde c.14. anathema dicit coniugibus, deserentibus coniuges. Et cap.15. parentibus deserentibus filios, & c.16 filijs negligentibus parentes.

Ex quo apparet, nihil facere hoc decretum contra religiosos, qui parentibus adsunt, si eorum præsentia necessario indigeant: si autem non indigeant necessariò, absunt quidem corpore ab eis, tamen eos iuuant quomodo religiosos decet nimirum precibus apud Deum. nam etiam filij seculares non eodem modo iuuant parentes, sed alii consilio, alij artificio, alij opibus, prout conuenit statui uniuscuiusque.

Addit QVARTVM argumentum Petrus Martyr ex Basilio quæst.15. fusè explicata, ubi filios dicit nõ esse recipiendos ad monasticam disciplinam, nisi a parentibus offerantur, RESPONDEO, loquitur S. Basilius de filijs, qui ob minorẽ ætatem adhuc subsunt in omnibus patriæ potestati, id quod textus Basilij loquitur apertissimè; *Eos*, inquit, *qui sub parentibus sunt dum ab illis ipsis adducuntur, coram multis testibus suscipiemus.*

CAPVT XXXVII.

Licere coniugatis ex consensu uouere continentiam.

DE TERTIO, an liceat coniugatis ex cõsensu mutuo suscipere uota perpetuæ continentiæ. Negat hoc disertis uerbis Petrus Martyr in commentario 1. Cor.7. & probat ex uerbis Pauli: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum.* Vbi Paulus solum ad tempus concedit uacationem ab usu coniugali. Idem docent Magdeburgenses Cent.4.cap.10. colum.1304. ubi accusant Malchum Monachum, tãquam matrimonij contemptorem, quia ex consensu perpetuo abstinuit ab uxore, quam duxerat in captiuitate sua. Vbi obiter notanda est imperitia, uel nequitia ipsorum; nam, ut Hieronymus scribit in uita Malchi, cogebatur Malchus à Barbaris ducere in uxorẽ mulierem quandam, quæ uirum habebat; cum igitur non posset sine peccato adulterij illam accipere, simulauit nuptias, ut mortẽ euaderet, & illam pro sorore habuit, & tamen Magdeburgenses illum reprehendunt, q; illi mulieri misceri noluerit.

At hic error impudentissimus est, & probo PRIMO ex ipso Pauli loco: nam Paulus postquam ait: *Iterum reuertimini in idipsum.* subdit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Vbi illud: *Secundum indulgentiam*, non potest referri ad illud: *Nolite fraudare inuicem.* Ibi enim locum habet imperium, nõ indulgentia; neque ad illud: *Nisi ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi.* Nam abstinere ad tẽpus ex consensu propter orationem, nõ eget indulgentia. Id enim dicimur indulgere quod non libenter concedimus, sed quasi coacti. Paulus autem maximè cupiebat, ut continerent, cũ dicat: *Cupio omnes esse sicut meipsum*; ergo illud, secundum indulgentiam, refertur ad illud: *Iterum reuertimini in id ipsum.* Id enim Paulus non libenter concedit, sed indulget propter incontinentiam illorum: quomodo exponunt Hieronymus libro 1. contra Iouinianum. Augustinus lib. 1. contra Iulianum, cap.21. Ambrosius, Theodoretus, & alij in hunc locum, ergo qui perpetuò cootinent ab uxore ex consensu, rem gratissimam Paulo faciunt: tantum abest, ut ipse id prohibuerit.

SECVNDO, probatur ex Patribus. BASILIVS in quæstionibus diffusè explicatis. quæst.12. *Eos*, inquit, *q̃ in coniugio matrimonij ad talẽ uitam accedunt, percunctari oportet, an ex consensu hoc faciant, &c.* EPIPHANIVS hæresi 59. & Hieronymus libro contra Vigilantium dicunt, coniugatos non consueuisse sacris initiari, nisi continentiam perpetuam ab uxore promitterent. Quod idem statuit Concilium Arelatense II. can.2. Idem quoque S. Hieronymus in epistol.14. ad Celantiam, arguit eam fœminam, quod sine consensu uiri continentiam uouisset.

AVGVSTINVS in epistola ad Ediciam, quæ est 199. *Quod*, inquit, *Deo pari consensu ambo uouerat is, perseueranter usque in finem reddere ambo debuistis: à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè perseuera.* Et epist.54. ad Arment. & Paulinam: *Ambo*, inquit, *Deo reddite, quod ambo uouistis.* Et infrà: *Sit uester consensus oblatio ad supernũ altare Creatoris, &c.* Et supra: *Nunc uero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo.* Idem Augustinus in epist.32. ad Paulinum, laudat eum, quod cum Therasia coniuge sua continẽtiæ votum susceperit: ipse etiam S. Paulinus epist.3. ad Aprum, mirificè eum laudat, q; cum uxore perpetuam continentiam Deo uouerat.

GREGORIVS libr.9. epist.39. ad Theotistam patriciam: *Si uero*, inquit, *utrisque conueniat continentem uitam ducere, hoc quis audeat accusare. quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, maiora non prohibuit?* THEODORETVS lib.4. histor. cap.13. laudat Pelagium Laodicensem Episcopum, quod prima die nuptiarum, cum ipse iuuenis iuuenem sponsam accepisset, ei persuaserit, vt simul continentiam uouerent. HILARIVS Arelatensis in epistola ad Augustinũ, quæ præponitur libris de prædestinatione. *Sciat*, inquit, *sanctitas tua, fratrem meũ cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse: unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare & custodire dignetur.*

Probatur TERTIO, exemplis eorum, quos rectè fecisse, quod ex consensu continentiam uouerint, nullo modo negari potest, cum sancti fuerint, & miraculis claruerint. PRIMVM exẽplum est Mariæ & Ioseph. Quod enim veri coniuges fuerint, patet ex Euangelio Matthi 1. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et: *Ioseph uir eius, cum esset iustus, &c.* quod autem ex consensu perpetuo continuerint, certum est. Fuit enim error Heluidij a tota Ecclesia damnatus, quod B. Maria non fuerit semper uirgo. Vnde B. Augustinus de consensu Euangelistarum lib.2. cap.1. *Hoc exemplo*, inquit, *magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Neque hoc exemplum aduersarij negare possunt.

Nam centuriatores Centu.1. lib.1. cap.10. col.366. dicunt, Iosephum & Mariam ita uerum coniugium contraxisse, vt uoluerint statuto tempore, more aliorum coniugum liberos procreare.

Quod etiam docet Martinus Bucerus in caput 1. Matth. Petrus Martyr in libro contra Smithæum de cœlib. & Caluinus in primo caput. Luc. Id autem etsi blasphemum est, cum Beatam Mariam uirginitate animi, quæ sola uirtus est, spoliare nitatur, tamen in eo nobis deseruit, quod hinc habemus, non posse negare hæreticos, quin veri coniuges fuerint Maria & Ioseph. Porro ijdem Centuriatores Centuria 4. ca.5. col.405. dicunt errorem Heluidij esse, dicere B. Mariam aliquando cum Iosepho uiro suo rem habuisse: nec possunt dicere, B. Mariam, inuito Iosepho, continuisse,

tinuisse, nec è contrario, cum vterque sanctissimus fuerit.

Secvndvm exemplum est Ammonis Monachi, qui cum vxore virgine ex consensu semper virgo permansit, teste Palladio, in historia Lausiaca, capit. 8. & quod hoc Deo placuerit, ex eo manifeste colligitur, quod eius animam S. Antonius in cælum ab Angelis deferri cum summa gloria vidit, vt Athanasius refert in vita S. Antonij.

Tertivm exemplum est apud Cassianum, Collat. 14. c. 7. vbi refert, Laicum quendam, quia cũ vxore sua, ex consensu continẽtiam virginalem colebat, adeo claruisse, vt Dæmonem quẽdam ferocissimum, quem S. Ioannes Abbas expellere ab obsesso corpore non potuerat, ipse sola sua præsentia mox expulerit.

Qvartvm est S. Paulini & Tharasiæ vxoris, qui ex consensu votum perpetuæ continentiæ susceperunt. De quo vide epist. 32. Augustini ad Paulinum.

Qvintvm est S. Maturiani & Maximæ uxoris, de quo vide Victorem libro primo de persecutione VVandalica.

Sextvm est apud Gregorium Turonicum de gloria Confessorum, c. 32. ubi refert, quod cum ex duob. coniugibus, qui semper ex consensu castè vixerant, altera mortua esset, alter in hæc verba prorupit: *Gratias tibi ago, omnipotens Conditor, quod hanc puellam, sicut eam tradidisti impollutam, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi restituo: illa verò etiamsi mortua est, subridens ait: Sile vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum, nemine interrogante, secretum.*

Septimvm est S. Eduardi Angliæ Regis, de quo Surius tomo 1. ex antiquo manuscripto refert, quod cum vnà cum vxore virgo permansisset, multis miraculis claruit, & post annos centum a morte, inuentus est omnino integer, adeo, vt ne barba quidem illi, quę prolixa & cana fuerat, decidisset.

Octavvm est S. Henrici I. Imperatoris, sed secundi Regis, & Kunegundis vxoris eius, qui similiter ex consensu virgines permanserunt, & miraculis claruerunt, adeo ut uomerem candentem sine læsione calcauerit S. Kunegundis in testimonium virginitatis, de quibus vide Krantzium libro 3. cap. 32. suæ Saxoniæ.

Nonvm est Petri Vrseoli Ducis Venetorũ, apud Volaterranum lib. 4. qui cum uxore ex consensu caste viuens, miraculis illustris fuit.

Decimvm est S. Catharinæ Suecæ, quæ cum viro suo virgo permansit, & miraculis claruit, Volaterranus lib. 22.

Vndecimvm Boleslai Pudici Polonorum Regis de quo sic canit Clemens Ianitius Polon.

Coniuge consentit cum virgine virgo maritus,
Addictus studijs casta Diana tuis.

Dvodecimvm est Alphonsi II. Regis Castellæ. de quo similia refert Volaterranus libro 2. quod nimirum miraculis claruerit, & ab uxore perpetuo se continuerit.

Probatur Vltimo ratione; nam tota caussa, cur non liceat viro profiteri continentiam, est, quia non habet potestatem corporis sui; & nemo potest rem alienam donare inuito domino. At ista caussa cessat, cum ex consensu fit votum.

Adde Postremo, quod solum contra obijci potest illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. sed hoc facile soluitur: nam non soluitur coniugium per uotum continentiæ. Vnde Augustinus libro 1. de serm. Domini, cap. 25. *Beatiora*, inquit, *sane coniugia iudicanda sunt, quæ sine filijs procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta; continentiam inter se pari consensu seruare potuerint; quod neque contra illud præceptum sit, quo Dominus dimitti coniugem vetat, & illud seruatur, quod ait Apostolus: Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint.*

CAPVT XXXVIII.

Per vota solennia solui Matrimonium ratum, non consummatum.

De Qvarto duo sunt errores extremi. Vnvs est Martini Kemnitij contra sess. 24. Concilij Tridentini can. 6. & Magdeburgensium, qui docent, matrimonium siue sit ratum & consummatum, siue sit ratum tantum, non posse solui per monasticã professionem. ita docent Centur. 1. lib. 2. cap. 12. col. 637. idem docet Erasmus in cap. 7. 1. ad Corinth. & in eandem sententiam propendet ex Catholicis Claudius Espencæus libro sexto, cap. 4. de contin. suntque pro hac sententia grauissima argumenta. Nam Matt. 19. & 1. Corinth. 7. matrimonium insolubile esse pronunciatur: quod autem hoc de rato dicatur, patet Primo, quia matrimonium ratum non differt a consummato ulla essentiali differentia. copula enim carnalis actus quidam est coniugij, non essentia coniugij. Secvndo, matrimonium ratum est verum Sacramentum, significans Christi & Ecclesiæ vnionem inseparabilem, ergo indissolubile. Præterea Tertio, per matrimonium ratum dat uir uxori potestatẽ corporis sui, ergo non potest inuita uxore continentiam Deo uouere.

Alter error est in altero extremo, quod nimirũ matrimonium etiam consummatum dissoluatur per ingressum in religionem. Ita decreuit Iustinianus C. de Episcopis, & Clericis, l. fin. & refert hanc legem Gregorius libro 9. epistola 39. pro sententia adduci solet Basilius in quæstionibus fusius explicatis, q. 12. vbi videtur dicere, virum, qui nõ potest ab uxore impetrare consensum transeundi ad religionem, posse ea inuita id facere. adducitur etiã exemplum Theonæ Abbatis, de quo Cassianus colum. 21. cap. 9. scribit, quod cum per quinq; annos cum uxore vixisset: ac deinde Monachus fieri vellet, & ab uxore licentiam non impetraret, illa inuita, matrimonium soluit, & Monachus factus est. & capit. 10. scribit idem Cassianus, non debere hoc factum reprehendi, cum iste Theonas Apostolicis miraculis postea claruerit, & a plurimis magnis Patribus factum eius collaudatum fuerit.

At nihilominus Ecclesiæ sentẽtia est in medio, nimirum matrimonium ratum solui per monasticam professionem, non autem matrimonium consummatum. id habemus c. ex publico, & c. ex parte tua, & cauerũ, de conuersione coniugat. & 27. q. 2. c. n. despon. satam, alijsq; multis canonibus ibidem. quibus accessit Tridentini Concilij, sess. 24. can. 6. ubi dicitur: *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.*

Probatur ergo secunda pars huius sententiæ contra secundum errorem. Primo, ex ipsa Scriptura nã quod Christus ait: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*. Et: *Qui dimiserit uxorem, facit eam mœchari*, Matth. 19. & quod ait Apostolus 1. Cor. 7. *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere, &c.* in aliquo matrimonio locum habere debet, ergo saltem in matrimonio consummato, si. n. in hoc non habet locum, in nullo habebit. Secvndo, ex Patrib. nam Hieron. in epist. 14. ad Celantiam, arguit eam, quod sine licentia viri continentiam uouisset. Item August. epist. 45. ad Armentarium, & in epist. 199. ad Ediciam, diserte docet, non licere coniugi, inuito coniuge, uouere continentiam. & si id faciat, debere cogi, vt, uoto non obstante, uiro

suo debitum reddat. Idem docet Gregorius lib.9.epi-
sto.39.ad Theoctistum, vbi reprehendit legem ciuilẽ
quæ permittit contrarium. Idem prohibent VIII. Sy
nodus & Nicolaus I. in epist. ad Carolum Regẽ, alia-
que Conciliorum & Pontificum decreta apud Gra-
tianum 27.quæs.2. necnon in decretalibus, tit. de con
uers. coniugatorum.

Ad testimonium Basilij respondeo, fortasse loqui
cum de matrimonio rato, sed nondum consumma-
to. q9 si ita est, sententia eius nobis apertissimè fauet.
Sin autem de consummato fortè loquatur, dico tria
habere eo loco Basilium. PRIMVM enim asserit cõiu-
gatum venientem ad monasticen, debere interroga-
ri, an consensum vxoris obtinuerit: *Vir enim non habet
potestatem corporis sui, sed vxor*, vt Apost. ait 1. Cor. 7.
DEINDE addit Basilius, si cõiux repugnet, ac resistat,
oportere audire Domini vocem: *Qui non odit patrem,
matrem, vxorem, &c. non est me dignus.* Quæ duo inter
se pugnare videntur. Sed addit TERTIO, sæpe accidis
se, vt orationibus à Deo impetratũ sit, vt coniux mor-
bo correpta, consensum præbere cogeretur.

Videtur ergo S. Basilius velle, vt coniugatus, si Mo
nachus fieri velit, primum consensum vxoris quærat:
si impetrare non potest, oret Deum, & lachrymis &
ieiunijs instet, quo id etiam vxori persuadeatur, ac tũ
demum obtento cõsensu Monachus fiat. sic enim &
Apostolo obediet, dum non sine consensu coniugem
relinquit, & Christo etiam parebit, dum vxoris amo-
rem Christi amori postponit. Exemplum habemus in
fratre & sorore S. Bernardi. Nam & ille ab vxore, & il
la a marito orationum instantia consensum obtinuit,
quem antea impetrare non poterant. Vide lib.1.ca.4.
& 6. vitæ S. Bernardi.

Ad exemplum Cassiani dico, esse illud vnum ex ijs
factis Sanctorum, quæ sunt admiranda, non imitan-
da. Credendum n. est, peculiari Spiritus sancti admo
nitu id factum esse, præter cõem ordinem, ac legem,
qñquidem ille tot claruit postea signis & virtutibus.

Probatur altera pars contra alterũ errorem. PRI-
MO, testimonijs Ecclesiæ suprà citatis. etsi enim ad-
uersarij ea non recipiunt, tñ cum nulla ipsi in contra-
rium adferant, recta ratio docet, potius credendũ esse
tot sanctis Pontificibus, & vni generali Concilio, quã
simplici inficiationi paucorum hominum.

SECVNDO probatur, exemplis Sanctorũ. AC PRI-
MVM, q9 S. Theclam ante matrimonij consummatio
nem S. Paulus à nuptijs reuocauerit, testatur Epipha
nius hæresi 78. & Ambrosius lib.2. de virginibus.

SECVNDVM exemplum est S. Alexij, qui prima no
cte nuptiarum vxorem intactam relinquens, peregrè
profectus est, castamque vitam perpetuò duxit. ita re
fert Simeon Metaphrastes in eius vita, cuius historia
totius Ecclesiæ à multis seculis celebratione confir-
mata est.

TERTIVM exemplũ est S. Euphrasiæ. de qua simi-
lia refert idem Simeon Metaphrastes.

QVARTVM est S. Ceciliæ, quæ, teste eodem Meta-
phraste, prima nocte nuptiarum negauit viro suo Va
leriano coniugale debitum, quia nimirum continen-
ter viuere volebat.

QVINTVM est apud Augustinum lib. 8. Confess. E
c.6. vbi scribit, duos milites, lecta Antonij vita, mox
vota monastica suscipisse, relictis sponsis, quas habe-
bant: illas vero cum id cognouissent, similiter fecisse.
Nec refert quod ab Augustino dicantur sponsæ, non
vxores; nam sæpissimè Veteres sponsas & sponsos vo
cant vsq; ad consummationem matrimonij, atq. exin
de maritos & vxores. Sic accipitur nomen sponsæ in
c. Ex publico, & c. Carissimus, & c. Ex parte tua, extra
de conuersione coniugatorum: & eodem modo Au-
gustinus lib.8. Confess. cap.3. *institutum est*, inquit, *ut
sponsæ iam pactæ, non citò tradantur, ne vilem habeat ma-* A *ritus datam, quam non suspirauit sponsus dilatam.* Præ-
terea aduersarij non solum vxores, sed etiam sponsas
futuras, negant posse dimitti propter vota monas-
tica.

SEXTVM est S. Leobardi, qui, teste Gregorio Turo
nensi rupit fœdera nuptialia cum honesta puella ini-
ta, & inuitis parentib. Monachus factus est.

SEPTIMVM est apud Gregorium lib. Dialog. 3. ca.
14. vbi dicit, Gregoriam sacram virginem, nuptijsq;
constitutis, ad Ecclesiam confugisse, & sanctimonia-
lis vitæ habitum petijsse, ac impetrasse.

Probatur VLTIMO, duplici ratione. PRIMA est, qa
ratio ipsa docet, semper esse licitum transire de statu
minus perfecto ad perfectiorem, si id possit fieri sine
vllius detrimento: at status coniugij est imperfe- B
ctior statu religionis, ergo poterit ab vno ad alium fie
ri transitus, quando id fiat sine vllius detrimento: fit
autem sine vllius detrimento, quãdo matrimonium
est ratum, sed non consummatum. nam cum matri-
monium est consummatum, duplex detrimentũ ori-
tur, si dirimatur; vnum proli iã natæ, vel conceptæ, q̃
non poterit tam bene educari; alterum ipsi coniugi,
quæ manet ligata, nec potest alteri nubere, & quando
etiam posset, non tam commodè, cum nõ sit amplius
virgo. At nihil horum inuenitur in matrimonio non
cõsummato. Ibi enim nulla est proles, & vxor potest
alteri nubere, & æquè bene, atque antea, cum adhuc
sit virgo, & nihil infamiæ incurrat ex huiusmodi re- C
pudio, vt notum est.

DICES; at iniuria illi fit, cũ spoliatur inuita re sua,
RESPONDEO, tenetur consentire marito volenti per
fectiores nuptias sine vlla cõparatione inire, cum id
facere possit sine suo incommodo, potest autem cogi
vt faciat, quod tenetur facere.

DICES rursum; si hæc ratio valeret quidquam, pro
baret non solum propter monasticam professionem
matrimonium ratum dirimi, sed etiam propter sacro
rum ordinum susceptionem, ac præcipuè propter epi
scopalem dignitatem, cum etiam sacro ordini sit an-
nexum solenne votum continentiæ, & status Episco
porum sit perfectior statu religiosorum. At non diri-
mitur matrimonium ratum propter ordinis sacri su-
sceptionem, vt Ioannes XXII. definiuit in Extraua-
ganti, Antiquæ concertat. de voto. RESPONDEO, non
esse similia; nam monasticæ professioni repugnat per
se, & ex natura rei coniugium, non autem repugnat D
per se & ex natura rei ordini sacro, sed ex solo decreto
Ecclesiæ.

SECVNDA ratio est; nam in matrimonio duplex in
uenitur vinculum: vnum spirituale, quod ex solo con
sensu nascitur: alterum carnale, quod nascitur ex co-
pula; sed istud carnale dirimitur per mortem corpora
lem, vt patet ex 1. Corinth. 7. ergo vinculum spiritua
le dirimi debet per mortem spiritualem & ciuilem:
talis est monastica professio, qua homo toti mundo
quodam modo moritur. Et ex hac etiã ratione patet
cur non dirimatur tale matrimoniũ per ordinem sa-
crum; nam sacer ordo non requirit mortem illam spi
ritualem seu ciuilem, qua quis opibus & propriæ vo-
luntati renunciet.

Ad argumenta duplex est solutio. VNA commu- E
nis Theologorum, quam præcipuè Sotus explicat in
4. dist. 27. q. 1. art. 4. quod tam insolubile sit matrimo-
nium tantum ratum, quam consummatum; & tunc
ad illa omnia argumenta respondent, ea probare opti
mè matrimonium ratum non posse dirimi ab homi-
ne, id est, humana vlla auctoritate, sed tamen non pro
bare, quin possit dirimi à Deo: Deum autem esse qui
dirimit, cum sponsum vocat ad religionem.

DICES; vnde habemus, quod Deus dirimat matri-
monia rata, & non dirimat etiam consummata per
vocationem ad religionem, cum certum sit, Deum

omnia

omnia posse dirimere? Respondeo, scimus ex Ecclesiæ declaratione.

Altera solutio est communis Canonistarum, q̃ etiã sequitur Caietan⁹ in opusculis, tomo 1. tract. 28. qui docent, matrimonium consummatũ non esse solubile, nisi a Deo: matrimonium autem ratum tantũ esse solubile, auctoritate Pontificis, & etiam sine illa auctoritate, solui per ingressum in religionem; & tũc ad argumentum ex verbis Domini Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; respondent, ea uerba intelligi solum de matrimonio cõsummato. Nam hæc verba non sunt dicta a Domino, nisi postquã dixerat: *Erunt duo in carne vna*, quod non fit, nisi per copulam carnalem. Et sic docet exponi debere hunc textum Alexander III. cap. Ex publico, de conuersione coniugatorum.

Ad Primam rationem respondent, matrimoniũ ratum, & consummatum non differre solum accidẽtaliter, id est, vt rem operantem, & non operãtem, vt vult prima opinio; nec tamen differre proprie essentialiter, quasi desit matrimonio rato altera pars essentiæ, quomodo differunt homo & anima; sed differre, sicut perfectum & imperfectum, sicut differunt homo, cui non deest ulla pars integralis, & homo mancus, surdus vel cęcus: id, quod ipsa uerba ostendunt. Cur enim dicitur matrimonium ratum, & non consummatum, si nihil ei deest, nisi operatio, siue effectus? & cur non dicitur etiam sacerdotium ratum, & non consummatum, antequam presbyter incipiat exercere sacros ordines?

Porro id, quod deest matrimonio rato, id est, quod facit illud solubile. Nam Sacramentum matrimonij triplicem habet significationem. Primo, significat gratiam inuisibilem, siue coniunctionem Christi cũ anima. Secundo, coniunctionem Christi cum Ecclesia per caritatem. Tertio, coniunctionem Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem. Ex quibus matrimonium ratum habet solã primam, ut docet S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad 1. & Innocentius III. c. Debitum, de bigamis. Quę significatio sufficit ad constituendum verum Sacramentum, sed ea non facit matrimonium insolubile. nã illa coniunctio Christi cum anima non est insolubilis, ut patet.

Matrimonium autem consummatum habet alias duas, vt patet ex Paulo, Ephes. 5. qui non dixit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, nisi postquam dixerat: *Erunt duo in carne vna*. quod certe fit per copulam: & confirmatur hoc totum ex eo, quod si matrimonium ratum, non consummatum, significaret unionem Christi cũ Ecclesia, sequeretur esse digamum, qui duo matrimonia rata contraxit, licet vnum tantum, aut nullum consummauerit, quod est contra c. Debitum, de digamis. Sequela patet; nam digamia contrahitur ex defectu significationis vnius Christi cum una Ecclesia, quam non habet, qui cum duabus contraxit.

Ad Secundam rationem dico, matrimonium ratum esse verum Sacramentum, sed non perfectum, quoad omnem significationem.

Ad Tertiam dico. Primo, eos, qui dant seipsos vxori, semper intelligere, se dare cum ea conditione, nisi vocẽtur a Deo ad spirituales nuptias. Secundo, non teneri coniugem ad soluendum eiusmodi debitum cum detrimento boni spiritualis sui, quando id potest fieri sine ullo detrimento alterius coniugis, ut in præsenti accidit. Vtraque solutio est bona, sed hæc posterior est conformior decretis & factis Pontificũ, qui de facto dispensant in matrimonio rato, non consummato. Præterea, prima opinio nititur testimonio Nicolai 27. q. 2. can. Scripsit, ubi dicit, Deum esse, qui soluit matrimonium, cũ aliquem uocat ad religionẽ. At hoc fundamentum nõ est solidum, quia Nicolaus loquitur de matrimonio consummato, & intelligit illud solui, quoad torum, non quoad uinculum.

CAPVT XXXIX.

De Eremitis.

Sequitur disputatio Quinta de Eremitis. Eremitarum institutum præ ceteris religionibus grauissime reprehendunt Magdeburgenses Centur. 4. & 5. cap. 6. & 10. necnon Caluinus libro 4. Institut. cap. 13. §. 16.

Duo sunt autem, quæ reprehendunt, solitudinem, & uitæ seueritatem. Solitudine dicunt eos peccasse dupliciter contra proximũ, Primo, quod quasi odio humani generis in solitudines recesserint, cõtra illud Matth. 24. *Ecce in deserto est, nolite exire*. Et Heb. 10: *Non deserentes collectionem nostram*. Secundo, quod illa officia caritatis deseruerint, quæ Deus mandauit, contra illud Heb. 10. *Adiuuemus nos inuicem*.

Vitæ seueritate dicunt eos peccasse in seipsos. Primo quod se exposuerint multis periculis, & tentationibus, sine Dei mandato, contra illud Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Et ideo in pœnã peccati Deus permiserit eos vexari uarijs modis a Diabolo, vt de Antonio & Hilarione patet. Secundo, quod sui ipsorum fuerint homicidę, nimijs ieiunijs, cilicijs, alijsque sponte susceptis afflictionibus, contra illud Exod. 20. *Non occides*. Et Colos. 2. *Habeto honorem corpori*. Tertio, quod stulto labore seipsos uexauerint, in rebus ridiculis & fatuis ponentes religionẽ, vt patet de Simeone, qui in altissima columna more auis plurimos annos uixit: in quo apparuisse dicunt mirã Diaboli fascinationem & illusionem.

At vitam Eremiticam sanctam & perfectam, & Deo gratam esse probatur. Primo, testimonio Scripturæ, quæ uehementer laudat Heliam & Ioannem, qui Eremitarum Principes fuerunt, siue solitudinẽ, siue asperitatem uitæ consideres: nam de Ioanne dicitur Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne*. Helias autem quantus fuerit, uel ex eo patet, quod in laudibus Ioannis Angelus posuerit, futurum illum similem Heliæ: *Ipse*, inquit, *præcedet in spiritu, & virtute Heliæ*, Luc. 1. Porro Helias ut plurimum uersabatur in monte Carmelo, & pilis indueba tur, zona pellicea præcinctus, vt dicitur 4. Reg. 1. similiter Ioannes vixit in deserto ab infantia ad finem vsque uitæ, & pilis Camelorum induebatur, præcinctus zona pellicea, victusq; eius erant locustæ & mel syluestre, vt dicitur Luc. 1. Matthæi 3. Quocirca uetères Patres Heliam & Ioannem Eremitas & Principes Eremitarum faciunt, ut Basilius in epist. ad Chilonem. Nazianzenus in Apologia postquam ex fuga redijsset. Chrysostomus homil. 96. in Matth. Hieronymus partim in epist. ad Paulinum de institutione Monachi, partim in epist. ad Eustochium de virginitate. Cassianus Collat. 18. c. 6. Sozomenus lib. 1. hist. cap. 12. Theophylactus in primum caput Luc. Isidorus lib. 2. c. 15. de offic. diuinis.

Ad hoc argumentũ respondent, ac præcipue de Ioãne docent, eũ nunquam fuisse in uera eremo, nec tam aspero uictu, & uestitu usum, ut nos dicimus. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. c. 6. col. 248. dicunt, Ioannem prædicasse in deserto, esse accipiendum per Synechdochen, quia nimirum prædicabat in oppidis adiacẽtib. deserto. & c. 10. col. 357. dicunt, Ioãnem habitasse cum suis parentib. sed dictũ habitasse in deserto, quia domus parentum eius erat in montanis Iudeę, qui locus vulgo dicebatur desertum, ob montes, & sterilitatem, quanquã plurima ibi oppida & pagi existerent. similiter exponũt Bucerus & Zvvinglius in c. 3. Mat.

Rursus Centuriatores ibidẽ col. 356. dicunt, uestiẽ

Ioannis

Ioannis fuisse quidem ex pilis cameli, sed tamen bene contextam, & talem, qualibus ordinarie utebantur homines eius loci. quod idem ait Bucerus in ca.3. Matth. addit vero in eundem locum Chytræus, fuisse vestem similem illis, quas vndulatas vocamus; vel Italice, dici ciambelotto, quibus certe nobiles nunc vtuntur, non rustici.

Denique Centuriatores col.364. dicunt, locustas Ioannis fuisse genus cancrorum, ideſt, optimorum piscium, quos piscatores proijciebant tanquam in lege prohibitos, sed Ioannē illos manducare solitū Euangelica libertate. Quod idem sensit Melanchthon in cōcione de Ioāne Baptista, & aliquot alij in c.3. Mat.

Hos errores refellit accuratè Petrus Canisius li.1. de corruptelis verbi Dei, c.2.3. & 4. Ac primum in verissimo deserto fuisse Ioannem, probat Canisius PRIMO, quia uox desertum, quæ in Scriptura frequentissima est, semper accipitur pro uero deserto.

SECVNDO probat, nam Lucæ 1. dicitur, erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel, ergo nō viderunt illum Israelitæ usq; ad annum eius 30. quo nimirum se ostendere, & prædicare cœpit, ergo toto illo tempore non habitauit in domo parentum, uel in oppidis, & pagis, sed in verissima eremo;

TERTIO ex illis uerbis Luc.3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismū pœnitentiæ.* vbi notandum est, eam regionem Iordanis, ubi Ioannes prędicabat, fuisse etiam desertam. sic enim ait Matthæus c.3. de re eadem loquens: *In dieb. illis venit Ioannes Baptista, in deserto prædicans Baptismum pœnitentiæ.* ergo Ioannes uenit a deserto in desertum; sed prius illud desertum ubi mansit Ioannes, antequam prędicare inciperet, adeo erat desertum, vt eius comparatione illud alterum nō videretur desertum: nā alioqui cur Lucas diceret, uenit a deserto in regionē, si hæc regio erat æquè deserta. Itaq; uera est Euthymij sententia, qui in c.3. Matth. docet, duplex fuisse in Iudęa desertum; vnum interius, quo nimirū nemo, aut rarissimi penetrabant; alterum exterius, vbi non habitabant quidem homines, tamē per illud sæpius iter faciebant: ac Ioannem quidem usque ad annum XXX. fuisse in interiori deserto, deinde postremo vitę suæ anno in deserto exteriori.

Possumus addere QVARTAM rationem ex dubitatione Iudæorum, qui Io.1. petunt a Ioanne, quis ipse sit, nùm Helias, an aliquis alius? Si.n. versatus fuisset semper in domo parentum, certè sciuissent illum esse Ioannem filium Zachariæ, & Elisabeth. At quia per tot annos latuerat, uidelicet ab infantia, vsque ad annos triginta: nemo erat qui eum agnosceret, & ideo petunt: *Tu quis es?* & quia uidebant eum uestitum eo modo, quo Scriptura testatur indui consueuisse Heliam, & simul sciebant rediturum Heliam ante Christi aduentum, ideo quærunt? *Helias es tu?*

Accedunt VLTIMO testimonia Patrū. EVSEBIVS lib.9. demonstrationum Euang. c.5. *Procedebat*, inquit, *ex deserto insitatum indutus habitum, omnemq; communem hominum consuetudinem declinans: nam neque in vicum vllum, neque in urbem, neque in communē aliquem virorum cœtum commeabat.* Et infra: *Repente*, inquit, *nescio vnde è latebris solitudinis prodeuntem, & post prædicationem rursus in solitudinem. & latebras recedentem, sine cibo, sine potu, abhorrentem a multitudine, merito obstupescebant, & ne hominem quidem illum esse arbitrabantur.*

HIERONYMVS in epist.4. ad Rusticum: *Ioannes*, inquit, *Baptista sanctam habuit matrem Pontificisq; filius fuit, & tamen nec patris affectu, nec matris opib. umcebatur, vt in domo parentū cum periculo uiueret castitatis, viuebat in eremo, & oculis desiderantib. Christum nihil aliud dignabatur aspicere.* Accedant testimonia supra citata, q̄ Ioannem Eremitarum principē faciunt.

Iam uero de Ioannis ueste, quod non fuerit ex panno, nec ullo modo mollis, ac delicata, patet ex illis verbis Domini Matth.11. *Quid existis in desertum uidere? hominem mollibus uestitum? ecce qui mollib. uestiuntur in domibus regum sunt.* Vnde Chrysost. hom.10. in Matth. dicit Ioannis vestem compunctioni, & pœnitentię accommodatam fuisse, & ibidem ait, fuisse cilicinam ad mundi contemptum indicandum. Sanctus quoq; BERNARDVS in serm. de S. Ioanne Baptista: *Venit*, inquit, *Ioannes non manducans, nec bibens, planè nec vestiens, sicut enim non est locusta cibus, nisi aliquorū forte irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli hominum est indumentum.* Hæc ille. Et cur quæso sanctus Euangelista tam sollicite nobis Ioannis uestē descripsit, si ea communis, & ordinaria erat? cur uestē Christi non etiam descripserunt Euangelistæ, si personæ & non ipsius uestis ratio habebatur?

Porrò de uictu, quod locustę illę non fuerint pisces delicati, sed aut uerę locustę, quę sunt minuta animātia, uel certè herbarum summitates, patet PRIMO, qa Græca uox ἀκρίδες, nihil aliud significare potest, ut Euthymi⁹ docet. SECVNDO, quia Christus Luc.7. ait: *Venit Ioannes non manducans, neque bibens*, ideſt, usque adeo tenui cibo, & potu utens, ut nullo uti uideatur. TERTIO, quia sic exponunt omnes Patres, quos uide apud Canisium.

Probatur SECVNDO, uitæ eremiticæ institutū ex testimonijs sanctorum Patrum, qui uno consensu illud approbāt. BASILIVS in epist. ad Chilonem, Martyrio comparat uitam solitariā, & soluit omnes obiectiones, quæ contra Eremitas fieri possunt. similiter in epist.1. ad Gregorium Theologum de utilitate solitudinis multa disputat. NAZIANZENVS in Apologia pro fuga sua, uocat cælestem uitam Eremitarum, & in epist. ad Hellenium refert mira quędam de Eremitis sui temporis, ut quod aliqui nūquam homines videant, aliqui integris uiginti diebus cibo abstineāt. Refert etiam de quodam, quod toto anno in oratione steterit, & ne tantillum quidem obdormierit, cui reliquias exigui cibi uicinus coruus adferebat. Postea quam autem hæc, & similia retulit, subiungit: *Talis est Christi pars, talis passionum Christi fructus, quem ipse è terra ad Patrem defert: religionis, inquam, Christianæ columen, populi decus, mundi fundamentum, cum cœlestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certās.*

EPIPHANIVS in compendiaria doctrina, inter ea, quæ in Ecclesia Catholica seruantur sine præcepto, primo loco ponit uirginitatem, secūdo solitudinem, quibus adiungit abstinentiam a carnibus, ouis, piscibus, & ab ipso etiam pane, & uino, humi cubationē, sacci gestationem, & similia.

CHRYSOSTOMVS passim p̄dicat laudes Eremi, ut hom.8. in Matt. ubi sic ait: *Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudinem, paradiso prorsus omnem illam Eremū videbit digniorem, & innumeros Angelorum choros in corporib. fulgere mortalib. &c.* Similia habet hom.69. & 70. in Matt. & hom.14. in priorem ad Timotheū.

HIERONYMVS in epist.1. ad Heliodorum: *O desertum*, inquit, *Christi florib. vernans, ò solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis exstruitur, ò Eremus familiarius Deo gaudēs, etc.* Idem in epist. ad Eustochiū de uirginitate dicit, eos, qui ex cœnobijs ad Eremum tanquam ad uitam perfectiorem profugiunt, nihil secum ferre ad cibum, nisi panem, & salem.

AVGVSTINVS lib.1. de morib. Ecclesiæ, c.31. miris laudib. effert Eremitas: *Nihil*, inquit, *de ijs dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contēplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum*

ctorum intellectu percipi nõ potest. Et infra: *Hoc tã excellens fastigiũ sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest?*

His adde IVSTINIANI nouellã constitutionẽ 133. vbi sic ait: *Solitaria uita atque in ea contemplatio res plane sacra est, & quæ suapte natura animas ad Deum adducat, neque ijs tantum, qui eam incolunt, commodet, sed etiam omnibus alijs, &c.*

TERTIO probatur rõnib. PRIMA ratio sumitur ab effectu, videmus.n. magnam partem ueterũ Eremitarum euasisse viros perfectissimos & miraculis clarissimos, cuius rei testes produci possunt illi oẽs, qui scripserũt uitas & res gestas Eremitarum, vt Athanasius in vita Antonij, Hieronymus in uita Pauli & Hilarionis, Palladius in hist. Lausiaca, Cassianus in Collationib. Theodoretus in historia religiosa, Sozomen' lib. 1. hist. c. 12. 13. & 13. & 14. li. 3. c. 13. & lib. 6. c. 28. & sequentib. Ruffinus lib. 2. histor. c. 3. & 4. Euagrius lib. 1. ca. 21. & lib. 4. c. 7. ac vt de ceteris nunc taceam, certe Paulum I. Eremitam Deus non pauisset annis LX. mittens ei per coruum singulis diebus dimidiũ panem; neq; Antonius vidisset animã eius ad chorũ Apostolorũ in cælum deferri, neque Leones illi sepulchrũ effodissent, nisi summa illius solitudo cẽtũ ferè annorum, & maxime uitæ austeritas Deo placuisset.

SECVNDA ratio, vita Eremitica est culmen & fastigium uitæ religiosæ: nam omnes fere Patres docent, ad vitam Eremiticam non debere quenquam transire, nisi prius diligẽter in cœnobio se exercuerit, ꝓpterea q̃ Eremus non adferat perfectionem, sed præsupponat. B. Hierony. in epist. ad Rusticum, 1. Cassianus Collat. 10. c. 3. Aug. lib. 1. de morib. Ecclesiæ, c. 3. Benedictus in Regula, c. 1. Bernardus serm. 3. de circuncisione. & hæc fortasse est causa cur liceat omnib. fere religiosis transire ad ordinem Carthusiẽsium, quia nimirum vita illorũ est solitaria, & proinde perfectorum. Cum igitur uita Eremitica perfectissima sit, nõ põt Deo non esse grata; supra. n. ostensum est, uitam pfectã adeo placere Deo, ut rectissimè uoueri possit.

TERTIA ratio, austeritas, & solitudo sunt optima media ad optimum finem: nam finis austerę & solitariæ uitæ est contemplatio Dei, rerumq; cælestium, vt patet ex Cassiano Collat. 19. quæ est de fine uitæ Eremiticæ: eam autẽ optimam partẽ Dñs vocat Luc. 10. Medium aũt ad contemplationem oĩum optimũ, est habere animum collectum, & intentum: cui rei mirũ in modum deseruit solitudo, quæ omnem strepitum rerum, quæ animum distrahere possent, procul arcet. hinc Dñs quotiescũq; orare volebat, pergebat in mõtes, & loca deserta. Luc. 5. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.* Moysi quoq; Exod. 24. cum Deus loqui uellet, iussit ut solus ascenderet in montis verticem, & caliginem intraret, nimirum ut nihil uidere posset, quod animũ eius a Deo auocaret. Scribit etiã B. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, adeo hoc esse verum, ut etiam multi Philosophi ductu naturæ in desertis habitauerint, & quidam etiam sibi oculos eruerint, vt sine distractione contemplari possent.

Idem de ieiunio, & reliqua uitæ seueritate dici potest. Nam quod ieiunium medium sit optimũ ad orationem, patet ex eo, quod in Scriptura ubiq; iungitur orationi. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio.* Matt. 17. *Hoc genus nõ ejcitur nisi in oratione, & ieiunio.* Luc. 2. &; *Hæc non discedebat a templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, & die.* 1. Cor. 7. *Vt vacetis orationi, & ieiunio.* & Chrysostomus homil. 1. in Gen. dicit ieiunium esse animæ instar alarum ut sursum ferri, & summa cõtemplari queat. similia habet Athanasius in lib. de virginitate, & Basilius orat. 1. de ieiunio: & quisq; experitur, cum caro uiget & floret, & in delicijs agit, animum quoque fieri quodammodo carnalẽ & terrenum, & magis de luxuria quam de sapiẽtia cogitare.

Quocirca ẽt Plato locum pestilentẽ elegit, vbi uersaretur & doceret, ut ait Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, vt discipuli sui nihil amarent nisi sapientiã; & ibidem refert Pythagoræos vitasse nõ solũ urbes, sed ẽt hortos, & oĩa loca, quæ uoluptatẽ adferunt; ne animi mollescerent, & a studio sapientiæ retardarentur. Similia docet de sacerdotib. Ægyptiorum, qui ut uacarent contemplationi syderum, neque vxores habebant, neque ullum propinquorum uidebant, & cibo tenuissimo utebantur. Scribit etiam GALENVS in exhortatione medicinæ, animas hominum uoluptatib. deditorum in multo sanguine tanquam in luto demersas nihil subtile, & cœleste contemplari posse.

Quanquã sancti illi Eremitæ, non solum ꝓpter cõtemplationẽ ita seuerè uiuebãt, sed ẽt alijs iustissimis caussis. PRIMO, quia loci natura id exigebat, nec. n. poterant, ẽt si uoluissent, eas cõmoditates uitæ in deserto reperire, q̃ in urbib. reperiuntur. & hęc est caussa cur Paulus primus Eremita foliis palmarũ indueretur, & fructib. eiusdẽ arboris aleretur, quia nimirũ, nihil aliud ibi erat: & similiter cur Ioãnes locustis & melle siluestri viueret, q̃a eiusmodi rebus illa eremꝰ abundabat, vt Hieron. docet li. 2. cõtra Iouinianum.

SECVNDO, q̃a occupati delicijs animi, partim obliuiscebãtur corporis, ut de Ioanne Abbate refert Cassianus Collat. 19. c. 4. qui non recordabatur, an pridie comedisset nec ne: partim etiam ægrè ferebant istam corporis seruitutem, & ideo quo tarius, & breuius poterant necessitati corporeæ satisfacere, eo se feliciores putabant, ut Philo scribit de primis illis Monachis, in libro de uita cõtemplatiua supplicum. multi enim propter auiditatem spiritualium epularum uix quinto aut sexto quoque die corpus reficiebant.

TERTIO, quia nouerant Deo gratissimam esse victoriam cupiditatum, & patientiæ exercitationem: quia enim caro semper concupiscit contra spiritum, placet Deo, ut spiritus semper concupiscat aduersus carnem. Vnde Tertullianus, seras & aridas escas, & reliquam corporis afflictionem sacrificium Deo gratissimum esse dicit, libro de resurrectione carnis.

QVARTO, ad fructus dignos pœnitentiæ peragendos, & pro peccatis satisfaciẽdum. Sancti. n. qui feriò iustitiam esuriunt, leues culpas graviter uindicare solent. & hæc est una ex præcipuis caussis, cur Ioãnes Baptista tam seuere uixerit: nam & si ipse nulla fortasse peccata omnino uoluntaria habuerit, cum scriptũ sit ne leui saltem maculare uitam famine posset, tamen quia missus a Deo fuerat, ut pœnitentiam prædicaret, voluit exemplo, & uerbo eam prædicare, idcireo, ut Chrysostomus dicit homil. 10. in Matth. vestem habuit compunctioni & pœnitentiæ accommodatam. Ex his facile iam erit ad argumenta respondere.

Ad PRIMVM argumentum respondeo, Eremitas non odio humani generis, sed studio purioris uitę cõcedere in solitudinem. Vnde AVGVSTINVS lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ, c. 31. *Quid est*, inquit, *quod videnr qui non possunt homines nõ diligere, & tamẽ possunt homines non videre? profectò illud quidquid est, præstantius est rebus humanis, cuius contemplatione potest homo sine homine uiuere.* Itaque licet peccet contra genus humanum, qui odit societatem, non tamen peccat qui sine odio solitarius manet.

Locus autem Euãgelij: *Nolite exire*, ad literam de aduentu Antichristi intelligitur. mysticum autẽ desertum, & penetralia significant Ethnicorum & Hęreticorum falsa dogmata, ut Origenes, Hieronymus & Beda scribunt in c. 24. Matth. Hæretici enim Christum inuenire uolunt in quibusdam sensibus Scripturarum planè inuijs, & desertis, quos sancti Patres ne a longe quidem salutauerũt. qualis est hic ipse sensus horum uerborum: *Nolite exire.* quis enim unquã cogitasset per hęc verba prohiberi uitam Eremiticã?

&

& tamen Magdeburgenſes dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus*, in hoc deſerto, in hoc ſenſu recondito, eſt vera verbi diuini intelligentia.

Ad illud Hebr. 10. *Non deſerentes collectionem noſtram*, dico Paulum accuſare eos, qui ex odio, vel inuidentia non conueniebant in Eccleſiam, quia nimirum non habebant eum locum, quem cupiuiſſent, & ideo ſeorſim cum paucis conuenticula faciebant. Vnde Theodoretus, & Oecumenius notãt Paulum per collectionem intelligere conſenſionem animorum. ADDE, quod etiam Eremitæ, exceptis pauciſſimis, ad Eccleſiam in ipſa eremo ſimul conueniebant, vt nũc ét Carthuſianos, & Camaldulenſes facere videmus.

Ad SECVNDVM argumentum reſpondeo cum Auguſtino lib.1. de moribus Eccleſiæ, cap.31. vbi ille ſic ait: *Videntur nonnullis* (Anachoretæ) *pluſquam oporteret deſeruiſſe res humanas, non conſiderantibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum. quorum corpora videre non ſinimur.* Vnde & IVSTINIANVS loco citato dicit, imperium, militiã, agros ipſos, et quidquid boni habent homines ſeculares, per orationes conſeruari ſanctorum Eremitarum.

DICES, non ſola oratio eſt opus caritatis a Deo præceptum, ſed multa alia, vt Eleemoſyna, viſitatio ægrotorum, conſilium, inſtructio, &c. quæ Eremitæ non modo non præſtant, ſed etiam impotentes ſe reddunt ad ea præſtanda. RESPONDEO, ad opera caritatis non obligantur homines priuati, niſi quando ſe offert occaſio. hoc enim intereſt inter Prælatos, & non Prælatos, quod illi teneantur ex officio inquirere, an populi ſibi crediti aliqua re indigeant. at iſti non tenẽtur quærere, ſed ſolum oblata occaſione facere alijs, quod ſibi fieri volunt. Et quanquam ex intentione facere ſe impotentem ad ea opera præſtanda, ſit peccatum, vt ſi quis ideo ſemper maneat domi, ne vlli pauperi occurrat: tamen ſi præter intentionem id accidat, non eſt peccatum.

Ad TERTIVM dico, exponere ſe periculo, non eſſe peccatum, alioqui non liceret nauigare, nec præliari, &c. Sed peccatum eſſe temere exponere ſe periculo; quod faceret qui ſine iuſta cauſſa, & conſcius ſuæ debilitatis & nuditatis, cum viro forti, & armato congredi vellet. & ſimiliter in rebus ſpiritualibus, qui ſolitudinem peteret ſine cauſſa, id eſt, ſine propoſito puritatis vitæ, & non prius in cœnobio edoctus, eſſet pugnare cum Diabolo, vt Patres citati docent, niſi fortaſſe extraordinarie Deus aliquem vocet, vt conſtat de Paulo primo Eremita, & alijs quibuſdam.

Ad QVARTVM, dico, adeo ſanctos Eremitas non fuiſſe ſui homicidas, vt etiam diutiſſime vixerint; nã Paulus primus Eremita vixit annos CXIII. Antoni⁹ CV. ceteri fere omnes admodum ſenes fuerunt, vt ex collationibus Caſſiani colligitur. Oſtendit ét B. Hieronymus li.2. contra Iouinianum, ex Hippocrate, & Galeno, conducere ſanitati ieiunium, quod idem ex Antiphane medico doctiſſimo, demonſtrat Clemens Alexandrinus, lib.v. Pædagogi, cap.1.

Ad illud autẽ Coloſſ.2. *Habeto honorem corpori*, eſt duplex ſolutio. VNA ſecundum Auguſtini explicationem in epiſt.59. ad Paulinum, vbi ſic explicat, quæ videntur quidem rationem habentia ſapientię in ſuperſtitione, & humilitate, non ad parcendũ corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis, id eſt, videtur abſtinentia iſtorum habere quaſdam rationes ſapientiæ, licet ſuperſtitioſa ſit, quia hoc facere videntur ad humiliandum cor, & caſtigandum corpus, nõ autem ad honorandum vel ſaturandum. hæc enim bona eſſent, ſi non fierent ſuperſtitioſe; nam & Paulus ait: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, 1. Corinth.9.

ALTERA explicatio eſt Hieronymi in epiſtola ad Algaſiam, & Chryſoſtomi in hunc locum. qui dicunt reprehendi eos, qui corpus non honorant. porro honor corpori debitus id requirit, vt non ſubtrahantur ei neceſſaria, neq; ſine vtilitate vel neceſſitate affligatur. Eremitę autem affligebantur quidem, ſed magna cum vtilitate, nec tamẽ neceſſaria ſibi ſubtrahebant, vt patet ex longiſſima vita ipſorum; nã etſi interdum neceſſaria ſibi ipſi ſubtrahere videbantur, vt cum ieiunabant multis diebus ſine vllo cibo, tamen quia vires ad hoc faciendum ex diuino beneficio habebant, non erat illis eiuſmodi cibus neceſſarius.

Ad QVINTVM ſufficit Apologia Theodoreti in hiſtoria religioſa. cap.26. vbi duobus modis defendit factum Simeonis. PRIMO, quia id non fecit ſponte, ſed quaſi coactus, cum enim plurimi ad eum confluerẽt, eumq; certatim tangerent, vt curarentur a languoribus ſuis, vel certe, vt ſanctitatem aliquam inde perciperent; ille indignum ſe iudicans tanto honore, & ſimul ægre ferens tantam diſtractionem, & impedimẽtum ab oratione, excogitauit rationem illam in columna viuendi, quo nemo attingere poſſet.

SECVNDO dicit, id eũ feciſſe inſtinctu Spiritus ſancti, qui voluit nouo illo ſpectaculo ſingulariſſimæ pœnitentiæ, & patientiæ excitare torporem hominum, quemadmodum quondam Prophetas ſuos Deus quedam facere præcepit, quæ ſtulta uidentur; nam Iſaiam iuſſit nudum prorſus incedere per ciuitatem, Iſa. 20. Hieremiam cathena lignea ſpõte ſua circumdatum, Hiere.28. Ezechielem comedere panem in fimo bouino coctum, & per dies CCCXC. dormire ſuper latus ſiniſtrum, & per XL. ſuper dextrum. Ezech.4. & caput, ac barbam radere, & pilos in medio foro in ſtatera ponderare, & vnam partem cremare, alteram concidere gladio, tertiam diſpergere in uentum, aliam ligare in ſummitate pallij. Ezech.5. denique Ioannem Baptiſtam iuſſit habitare cum beſtijs, indui pilis camelorum, & ueſci locuſtis.

Quod autem uere Simeon iſte Dei inſtinctu in columna habitauerit, probat Theodoretus ex uita eius miraculis clariſſima, & ex cõuerſione innumerabiliũ hominũ, qui per eum Chriſtiani facti ſunt. Nam hic erat ordo uitæ eius, tota nocte, & magna diei parte, id eſt, uſque ad horam nonam orabat. deinde uerba faciebat ad eos, qui illum inuiſebant; inuiſebant autem tam multi, ut uia quæ ad illum ducebat propter continuum euntium & redeuntium hominũ concurſum, perenne quoddam flumen uideretur. porro his concionibus multa millia Ethnicorum ad Baptiſmũ adduxit, ſæpe etiam Iudæos & Hæreticos confutauit. Poſt concionem curabat ægrotos, qui ordinarie adferebantur; tãta autem erat fama nominis eius propter miracula, ut ex toto orbe terrarum eo concurreretur, ex Armenia, Perſide, Scythia, Æthiopia, Arabia, Hiſpania, Gallia, Britannia.

Romæ uero in omnium officinarum ueſtibulis, & porticibus imagines eius uiſebantur, quib⁹ Romani ſibi præſidium, & opem parabant. Poſt curationes dirimebat lites, plurimi enim ad illam columnam, tanquam ad ſummum tribunal contentiones ſuas, & diſcordias dijudicandas adferebant. multa futura prædixit, quæ ſuo tempore impleta fuiſſe idem Theodoretus ibidem affirmat. Ieiunabat integram Quadrageſimam ſine ullo cibo & potu, idq; pluſquam per annos XXVIII. continuauit. Denique, cum iam mortuus eſſet, adhuc ſtabat cadauer eius immotum, & erectum in columna, quemadmodum cum uiuebat, et poſt ſepulturam miracula creberrima tam ad loculũ reliquiarum, quam ad ipſum columnam fiebant. Porro harum rerum mirum ſilentium apud Magdeburgenſes; nimirum hinc facile euanuiſſent omnes ipſorum obiectiones.

CAPVT XL.

De habitu & tonsura Monachorum.

SEQVITVR Disputatio SEXTA de habitu, & tonsura, de quib. duo explicanda sunt. PRIMO, antiquitas harum cæremoniarum. SECVNDO, ratio earum; nam Magdeburgenses Cent. 4. ca. 6. col. 467. loquentes de habitu, & tonsura Monachorum, dicunt esse res superstitiosas, & non conformes Scripturæ, nec vsui puriores Ecclesiæ. Caluinus quoque li. 4. Instit. c. 19. §. 27. videtur indicare, cepisse vsum tonsuræ tempore Augustini, caussam autem fuisse dicit, quia eo tempore soli homines effœminati, & delicati alebant comam: non aut videbatur permittendum Clericis, & Monachis, vt id facerent, quod soli faciebant lasciuiores, & molliores; postea vero corruptioribus temporibus excogitata esse mysteria, & significationes.

Quidam vero HORTENSIVS Landus librum scripsit de persecutione Barbarorũ, vbi multa dicit cõtra tonsuram Monachorum. Et ne videatur sine Scriptura loqui; profert aliquot Scripturas Testamenti veteris. Prima est Leuit. 19. vbi Dominus ait: *Non attonde bitis comam in rotundũ.* Cui similis est locus Hierem. 9. vbi Dominus dicit, se dispersurũ omnes circum tonsos in comam. Tertia est Leuit. 21. vbi de Sacerdotib. dicitur: *Nõ radent caput, nec barbã.* Quarta est Ezech. 44. vbi idem habetur. Quinta in epistola Hieremiæ apud Baruch. c. vlt. vbi Hieremias ridet idolorum Sacerdotes habentes caput, & barbam ratam.

Quantum igitur ad vestes, quod antiquissimum sit institutum, vt qui profitentur mundi contemptũ, & pœnitentiam, singulari & notabili habitu induantur, patet primo ex DIONYSIO, c. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi de professione Monachi loquens ita ait: *Sacerdos*, inquit, *signo crucis eum consignatum tondet; omnique veste detracta eum alia induit, &c.* Eusebius li. 2. historiæ, ca. 24. scribit ex Egesippo Iacobum Apostolum fratrem Domini nunquam induisse laneam vestem, sed sola syndone linea vsum.

ATHANASIVS in lib. de virginitate ante medium, docet sanctimonialem, vt fuscam vestem & vilem gerat. BASILIVS epist. 1. ad Gregorium multa dicit de habitu Monachi, & similiter in quæstionib. fuse explicatis. q. 22. CHRYSOSTOMVS hom. 69. in Matth. dicit, Monachos habitu imitari Heliam, & Ioannem, & li. de comparatione Regis & Monachi dicit, Monachũ vno tantum amictu, instituto suo cõformi, vti solere.

PALLADIVS in hist. Lausiaca, c. 41. dicit ẽt virgines sanctimoniales suo tempore cucullis vti consueuisse. TERTVLLIANVS li. de velandis virginibus meminit habitus Deo dicati, quo vtebantur sanctimoniales.

AMBROSIVS li. 6. epist. 36. de Paulino loquens, qui ex magno viro in seculo, & nobili senatore Monachꝰ factus fuerat, & eo facto multos gentilium senatorũ offenderat: *Et cum ipsi*, inquit, *capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra: si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religionis vestem mutauerit, indignum facinus appellant.*

HIERONYMVS in epist. 4. ad Rusticum Monachũ: *Vidi quosdam*, inquit, *qui postquam renunciauere seculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de conuersatione priſtina mutauerunt.* Epist. 13. ad Paulinum: *Tunicam*, inquit, *mutas cum animo, &c.* Et Epist. 15. ad Marcellam: *Tunicam fusciorem*, inquit, *induta se repente Domino consecrauit.* Epist. 22. ad Eustochium de virginitate omnium cœnobitarum eundem fuisse habitum dicit, nimirũ tunicam & sagum, quib. in vita Hilarionis addit cucullã. dicit. n. vestes eiꝰ fuisse, tunicam sacceam, palliolum, & cucullam. Epistol. 27. ad Eustochium de obitu Paulæ loquens de sanctimonialibus: *Vnus*, inquit, *omnium habitus, linteamine ad tegendas solum manus utebantur.*

AVGVSTINVS li. 6. contra Faustum, c. 9. dicit, peccatum esse, si vel sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nuptæ speciem virginum vestib. referãt; & in epist. 199. ad Ediciam indicat, fuscam vestẽ fuisse tunc insigne continentiam profitentium.

GREGORIVS li. 2. Dialogorum, c. 1. meminit, habitus Monachi, & li. 3. c. 14. meminit habitus sanctimonialis, deniq; CASSIANVS totum primum librum de institutis cœnobiorum consumit, in explicãdo habitu Monachorum, docẽs eos præscriptũ habitũ professioni congruentem a maioribus accepisse. ADDE duo Concilia; nam Gangrense can. 12. reprehendit eos Monachos, qui ob habitũ superbiebant, & contemnebant alios Christianos, qui communibus vestibus vtebantur. Concilĩ Carthag. IV. can. 104. distinguit habitũ laicalem ab habitu religioso. De habitu Clericorum, vide Chrysost. hom. 83. in Matth. & Hieronym. li. 1. contra Pelagianos, vbi meminerunt candidæ uestis. Item Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, vbi meminit sacræ tunicæ, qua vtimur in mysterio Christi.

IAM quod attinet ad rationem habitus monastici; ea redditur ab ijsdem Patribus; nam cur uestẽ mutet Monachus futurus, rationem esse dicit Dionysius, c. 6. Eccles. hierarch. ut significetur uitæ mutatio. cur, prio, & certo utantur religiosi uestium genere, rationes duas reddit Basilꝰ q. 22. ex diffuse explicatis. PRIMA ratio est ad designãdam propriam professionem. Si. n. cõuenit, ut aliter uestiantur senatores, aliter milites, aliter nobiles, aliter rustici, & si Paulus 1. Corin. 11. iubet uirum aperto capite orare ad significandam potestatem, mulierem uero uelato ad significandam subiectionem. cur non conueniet religioso certam uestem deferre ad significandum statum suum? SECVNDA ratio est, ut religiosi saltem inuiti cogantur recte uiuere, si non haberent certum habitum, nõ internoscerẽtur ab alijs. at nũc ab omnib. statim cognoscũtur & obseruantur, & si quid agãt cõtra suã professionem, ab omnibus notantur, & reprehenduntur.

Cur utantur cucullis, rationem esse dicit Cassianus loco notato, ad designandam simplicitatem, innocentiamque infantilem, ad quã Monachi redire cupiunt. Infantes. n. dum adhuc in fascijs, & sinu nutricis uersantur, uelis quibusdam quasi cucullis teguntur. Cur autẽ uestẽ horridam, ut sacco, aut certe simplici, & uili utantur, caussam reddunt Hieronymus, & Cassianus locis notatis; tum ad agendam pœnitentiam, tũ ad mũdi contemptum demonstrãdum. Nam saccos, & aspera uestes, habitum esse pœnitentium Scriptura testatur, cum inducit Achab pœnitẽtem sacco indutum, 3. Reg. c. 21. & Heliam uestẽ pilosa tectum 4. Reg. 1. & Niniuitas sacco uestitos, Ionæ 3. & Ioannem pilis camelorum utentẽ, Matth. 3. & deniq; multos alios: *Circumeuntes in melotis, & in pellibus caprinis.* Hebræ. 11.

Quia tñ potest quis & bene, & male uti uestẽ inusitata, id est, insigniter cõtempta, uel horrida; monet sapiẽter B. Augustinus li. 2. de ser. Dñi in mõte, c. 19. ut ex sola uestẽ neminẽ iudicemꝰ; sed ex alijs eiꝰ operib. discamus, vtrũ id faciat contẽptu superfluj cultus, an ambitione aliqua, et simulatione sãctitatis. Põt. n. sub ouina pelle lupus latere, nec tamen debet ouis deponere pellẽ suam, qa sub ea aliquando lupus delitescit.

NVNC ad tonsuræ antiquitatem ostendendam, habemus in primis Dionysium eodem capite 6. Eccles. hierar. ubi clare dicit, Monachum futurum primum tõderi. Deinde, indui alia uestẽ, priore abiecta. Habemus DEINDE Anicetum in epistola ad Gallos; ubi iubet radi caput in modum spheræ.

TERTIO, Athanasium in librõ de uirginitate, Palladium in histor. Lausiaca, cap. 41. & Hieron. in epist. ad Sabinianum Diaconum, qui testantur etiam sanctimoniales tonderi consueuisse.

QVARTO, Epiphanium hæresi 80. & Augustinum de ope-

de opere Monachorum, cap. vlt. qui acriter reprehendunt quosdam Monachos crinitos, qui tonderi more aliorum nolebant.

QVINTO, Hieronymũ & Augustinũ qui coronæ sacerdotalis meminerũt. Hieronymus in epistola ad Augustinum, quæ est 26. inter epist. Augustini: *Fratres tuos Dominum meum Alipium, & Dominum meũ Euodium, vt meo nomine salutes precor coronam tuam.* Augustinus in epistola ad Proclinianum Episcopum 147. *Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri, &c.*

SEXTO, Isidorum li. 2. de officijs diuinis, c. 4. & Bedam li. 5. hist. Anglorum, c. 22. quorum prior ab Apostolis dicit institutam esse tonsuram & coronam Clericorum, & Monachorum, posterior dicit S. Petrum omnium primum gestasse coronam capillorum, toto reliquo capite detonso, & ad eius imitationem omnes Clericos & Monachos idem suscepisse.

SEPTIMO, Iustinianum, qui in Authẽticis coll. 7. ti. 5. c. 2. & 3. distinguit tõsurã Monachorũ nouitiorũ, q̃ Laicorum tonsuram vocat, a tonsura professorum.

OCTAVO, Concilia; nam Concilium Carthaginẽs. IV. can. 44. prohibet Clericos alere comam aut barbam. Concil. Tolet. IV. can. 40. iubet, vt omnes Clerici toto capite detonso, solum circulum capillorum supra aures relinquant. ex quo apparet, olim eandẽ fuisse coronam Clericorum & Monachorum: sed Monachi quidem seruarunt antiquam consuetudinem, Clerici vero magna ex parte illam mutauerunt.

Vt autẽ ad rationem tonsurę veniamus. PRIMVM, falsa est Caluini ratio; nam quod tempore Augustini non solum aliqui dissoluti comam gestarent, sed multi alij probi homines, idque sine peccato facerent; ex eo patet, quod pœnitentes iubebantur tondere caput in signum doloris, & pœnitentiæ, vt patet ex Concil. Agathensi can. 11. & Toletano III. can. 12. & præterea non solum Clerici, & Monachi tondebantur, sed ita tondebãtur, vt corona capillorum appareret, quod certe non erat in communi vsu Laicorum.

ALIA ratio redditur ab Isidoro li. 2. de officijs diuinis, c. 4. quod nimirum Monachi tondebantur ad imitationem Nazaræorum, qui in die consecrationis suæ tondebantur, vt dicitur Num. 6. Nazaræi. n. sunt Monachi Testamenti veteris. At hæc ratio non mihi probatur, siquidem Nazaræi tunc solum tõdebantur, cũ desinebant esse Nazaræi, insigneq; illorum erat longa cæsaries, vt ex eodẽ c. 6. Numeri patet. Immo EPIPHANIVS hær. 80. probat, Monachos nostros debere esse tonsos, quia gerere comam longam, est proprium Nazaræorum Testamenti veteris. Sicut etiam Augustinus libro de opere Monachorum, prope finem dicit, Patres Testamenti veteris merito gestasse longos capillos, quia mysteria redemptionis nondum reuelata erant. Idem. n. significabant velamẽ positum in facie Mosis, & coma longa Sanctorum. At nunc postea quam Christus apparuit, conuenit, vt qui Christo sũt consecrati, contrarium significent ablatione comarum. & hæc potest esse ratio prima nostræ tonsuræ.

SECVNDAM reddit Beda li. 5. hist. c. 22. ad exprimẽdam imaginem spineæ coronæ Christi; vt. n. omnes Christiani signo communi crucis ornantur, ita par erat, vt Clerici & Monachi, qui specialius Christum patientem imitari volent, speciali signo ornarentur.

TERTIAM & QVARTAM rationem reddunt Isidorus li. 2. c. 4. de officijs diuinis, Rabanus li. 1. de inst. Clericorum, c. 3. & Hugo li. 2. de Sacramentis, p. 3. c. 1. dicunt. n. tonderi capillos, qui sunt superfluæ quædam corporis partes ad significandum, debere Clericos & Monachos omnia superflua, & præcipue vitiosas cupiditates amputare, vt sic maneat vertex, id est, animus liber, & apertus diuinis contemplationibus, & illustrationibus: & rursum sic tonderi dicunt, vt relinquatur circulus capillorum, ad significandã regiã coronam, quandoquidem seruire Deo, regnare est.

QVINTAM reddit Dionysius c. 6. Eccl. hierarch. vt significetur illa nudatione capitis, vita pura & apta, non fucata vlla specie, quã Monachus exhibere dẽt.

Posset addi SEXTA ratio tonsurę Monachorum, nimirum vt signũ esset pœnitẽtię, & conuersionis: nam vt ante diximus, pœnitentes olim nõ nisi tonsi recipiebantur. Porro tonsuræ Sanctimonialium rationẽ moralem reddit Hieronymus in epist. ad Sabinianũ, qa nimirum non lauabãt vnquam, nec vngebant caput, & periculum erat, ne a paruis animalibus, quæ inter cutem & crines oriuntur, & concretis sordibus oppri merentur. Quanquam negari non potest, quin etiam id fiat ad contemptum mundi demonstrandum; solent enim fœminæ capillos plurimi facere.

Est autem hoc loco obseruandum, olim nõ tam rasurã, quam tonsuram fuisse in vsu. tondebantur enim demisse quidem, sed ita tamẽ, vt cutis tecta maneret. Id apparet ex CLEMENTE Alexandrino lib. 3. pædagogi. c. 11. *Sed pili*, inquit, *tondendi sunt, non nouacula, sed tonsorum forficibus.* Item ex OPTATO Mileuitano, qui li. contra Parmenianum arguit Donatistas, quod Catholicis Sacerdotibus, per vim capita raserint: *Docete*, inquit, *vbi vobis mandatum sit, radere capita Sacerdotibus, cum e contrario tot sint exempla proposita, fieri nõ debere.* Item ex HIERONYMO in c. 44. Ezechielis, vbi dicit, Sacerdotes non debere comam alere, nec tamẽ radi; sed ita tonderi, vt cutis tecta maneat. Deniq; Dionysius, Epiphanius, Hieronymus, Athanasius, Palladius, Augustinus, Isidorus, Beda, & Concilia Carthaginense & Toletanum nusquam nominant rasuram, sed solã tonsurã. Vnus est Anicetus Papa, qui, vt dixi, rasuræ meminit, sed non est ea epistola prorsus indubitata, forte. n. falsum titulum præ se fert. Nec tñ propterea reprehendimus vsum huius temporis, quo Monachi & Clerici raduntur; nam nec vnquam fuit prohibitũ radi, & præterea eiusmodi cæremonię, pro temporum & locorum diuersitate, variari possunt.

Ad argumenta HORTENSII respondemus, in primis præcepta illa esse cæremonialia, & propterea non magis obligare, q̃ obligẽt circũcisio, sacrificia, &c. Deco præterea primũ & fm locum ex Leuit. 19. & Hier. 9. nihil concludere; nam vt recte notauit Isichius in hunc locum, tondere comam in rotundũ, non est comam scindere, sed ornare. Itaq; prohibebat Deus Iudeis, ne comam rotundã efficerent; quod certe Monachi non faciunt, qui comam radunt, vno circulo capillorum excepto. Neq; hoc Deus absolute prohibebat, sed solum propter intentionem malam, nimirum ne hoc facerent in cultum dæmonis, vt eo tẽpore, & in ijs locis gentiles faciebant, vt notant Theodoretus q. 28. in Leuit. & Isichius, ac Radulphus in hunc locũ.

Ad Tertium Leuit. 21. dico, ibi non præcipi Sacerdoti, ne radat caput absolute, sed ne radat in morte alicuius propinqui sui, in signum doloris, voluit enim Deus, Sacerdotes esse ceteris constantiores.

Ad Quartum Ezechielis 44. dico, Sacerdotibus Iudæorum fuisse prohibitam rasuram, non quod in se mala sit, sed ne uiderentur similes Sacerdotibus gẽtium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant, ut ex epistola Hieremię appa ret. Quod ex se non esset malum, patet, quia Ezechiel, qui Sacerdos erat, iubetur a Deo radi. Ezechielis 5. & præterea Num. 6. Nazaræus completo tempore cõsecrationis suæ iubetur radi. Vnde Paulo dicit Iacobus Actor. 21. *Sunt nobis viri quatuor, habentes votum super se, his ergo assumptis sanctifica te cum illis, & radãt capita sua.* Solum ergo propter uiciniam idololatrarum prohibebantur Sacerdotes Iudæorum radi. quę forte causſa erat, cur Optati, Hieronymi, & Ambrosij tempore Christiani Sacerdotes non raderentur, sed tõde

rentur,nã adhuc ipsorũ tempore erant Sacerdotes Isi dis,qui caput radebant,vt Ambrosius epist.36.& Hieronymus in ca.44. Ezechielis testantur, posteaquam autem illa causla cessauit,nihil absurdi faciunt,qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt.

Ad vltimum dico, Hieremiam non ridere illos Sacerdotes,quia radebant caput,& barbam, sed quia id faciebant in honorem Deorum ligneorum, qui non poterant remunerare cultores suos.

CAPVT XLI.

Licere Monachis manibus laborare.

RESTAT postremo Disputatio de ratione viuendi,siue de opere corporali Monachorum. Sunt autem quatuor modi viuendi apud homines religiosos. Vel.n. viuunt ex labore proprio,vendentes aliqd, & ementes aliud: vel viuunt ex bonis suis communibus,id est,ex bonis q̃ religiosi ipsi ad monasteriũ adferunt, & in commune constituunt: vel ex bonis relictis ac donatis a pijs viris. vel ex mendicatione.

De singulis dicendum est. Ac PRIMVM,de primo duo fuerunt extremi errores. Vnus eorum, qui dicebant non licere religiosis operari, & laborare pro victu, sed debere eos confidere in Dei prouidentia, & viuere ex alienis laborib. huius erroris fuerunt Messaliani,siue Euchitæ,apud Epiphan.hæres.80.& rursus quidam apud Carthaginem,teste August.lib.2.retract.cap.21.

ALTER error fuit Gulielmi de sancto amore,& postea Io.VViclesi apud Thom.VValdensem li.4.doct. fidei antiquæ,art.2.c.22.& Io.Caluini lib.4.instit.ca. 13.§.10.qui docent teneri Monachos ex proprio labore viuere, quanquam Gulielmus non omnes religiosos obligabat ad laborandum manib.sed eos solum q̃ non habent bona stabilia in communi. PRIMVS error natus est ex duobus locis Scripturæ male intellectis,nimirũ Matth.6. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, dicentes,quid manducabimus,&c.* Et Ioan.6. *Operamini non cibum qui perit,sed qui permanet in vitam æternã.* Refellit hunc errorem August. in libro de opere Monachorum,ex verbis Apostoli 2.Thessal.2.vbi & se laborasse,& operatum dicit,ne quenquam grauaret, & alios monet,vt operentur,& laborent.

Quia vero respondebant hæretici illi,B.Paulum loqui de opere spirituali, id est, de oratione & exhortatione;notanda sunt alia loca, vbi expresse ponitur labor manuum,Actor.20. *Ad ea,quæ mihi opus erant,et his,qui mecũ sunt, ministrauerunt manus istæ.* Ad Eph. 4. *Qui furabatur,iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis.*1.Thessal.4. *Operamini manibus vestris.* Ad hæc,vt acute notauit Augustin. idem Apostolus 1.Corinth.9. dicit se operatum,cum tamen liceret sibi secundum Domini ordinationem non operari. At certe non licebat ei secundum Domini ordinationem non concionari,& non orare. Ait enim: *Si non Euãgelizauero,væ mihi,&c.* Loquitur igitur de corporali labore, cum dicit se laborasse, cum tamen non teneretur.

Ad verba illa Domini contra citata,respondeo,nõ prohiberi illis verbis moderatam sollicitudinẽ quærẽdi cibum proprio labore,sed immoderatam & superfluam. Põt aũt trib⁹ modis esse immoderata sollicitudo. PRIMO,ratione finis, vt si quis quærat cibum præcipua intentione, quasi sit ille vltimus finis,vt faciũt qui euangelizant,vt comedant;cum deberent comedere,vt euangelizent. Atque hoc reprehendit Dominus Matth.6.cum ait: *Primum quærite regnũ Dei,&c.* Et Ioan.6. *Operamini non cibũ,qui perit, sed qui permanet in vitam æternam;* id est,primaria intentione quærite cibum spiritualem,secundaria corporalem.

SECVNDO,ratione diffidentiæ immoderata est sollicitudo,vt cum quis adeo sollicitus est de rebus temporalibus, vt vix possit credere sibi Deum adfuturum in illis acquirendis, etiamsi adhibeat ipse quoque suũ laborem. Et hoc reprehendit Dominus cum ait Mat. 6. *Nolite solliciti esse, &c.* vult enim persuadere fidelibus confidẽtiam in Deum; & sane persuadet efficacissimis argumentis;nam si Deus,inquit, pascit aues, & vestit lilia,quæ eum non norunt, immo etiam prouidet Gentilibus,qui eum blasphemant, quomodo vobis cultoribus suis poterit deesse? & si vobis corpus,et animum donauit,quę maiora sunt;quomodo credibile est nõ daturum cibum & vestes quæ sunt minora?

TERTIO, immoderata est sollicitudo ratione temporis,vt cum qs hodie sollicitus est pro ea re, pro qua satis tempestiue eras inciperet sollicitus esse.& hoc reprehendit Dominus cum ait ibidem: *Nolite solliciti esse de crastino. Sufficit diei malitia sua.* vbi notandũ, nõ reprehendi prouidentiam parandi necessaria pro tempore futuro,alioqui peccasset Ioseph. Gen.41.qui recõdidit frumẽta ꝓ futura sterilitate: ẽt Dñs ipse habebat loculos,vt emeret cibos,Ioã.13.Itaq; vocatur sollicitudo de crastino, & mala est illa, quæ non conuenit præsenti tempori secundum rectam rationem.

CAPVT XLII.

Non teneri Monachos ad laborem manuum.

SECVNDVS error tria affert præcipua fundamenta. VNVM ex Apostolo,qui Ephes.4.1.Thessal.4.& 2. Thess.3. præcipit Christianis, vt ex labore manuum victum quẽrant.ex quibus locis tale argumentum duci potest: vel ista uerba B.Pauli continent præceptum necessitatis,uel consilium perfectionis,si primum, ergo tenentur laborare etiam religiosi;si secundũ, ergo tenentur saltem religiosi, illorum enim est uiam perfectionis & consiliorum tenere.

SECVNDVM fundamẽtum est ex AVGVSTINO,qui in libro de opere Monachorũ dicit, religiosos teneri ad hoc Apostoli præceptum implendum,nec excusari per occupationes spirituales. Sic.n.ait c.17. *Quid,* inquit, *agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacẽt, scire desidero. Orationibus,inquiunt, & Psalmis,& lectioni,& uerbo Dei. Sancta plane vita & in Christi suauitate laudabilis: sed si ab his auocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsa escæ quotidie præparandæ, ut possint apponi & assumi. Si autẽ ad ista uacare seruos Dei certis interuallis temporis ipsius infirmitatis humanæ necessitas cogit, cur non & Apostolicis præceptis obseruãdis aliquas partes temporum deputamus? citius enim exauditur una obedientis oratio,quam decem millia contemptoris.*

TERTIVM,fundamentum est ex consuetudine omnium antiquarum religionum;nam Epiphanius hær. 80.Hieronym.epist.4.ad Rusticum, Aug.li.1. de morib.Eccles.c.31.Cassian.lib.2.c.3.& lib.3.ca.2. de institutis cœnobiorum,docent omnia monasteria bene instituta,secundũ Apostoli legem manibus laborare.

His non obstantibus, respondemus cum B. Tho. in opusculo 19.& in 2.2.q.187.art.3.& B.Bonauentura in libro de paupertate Christi, & in Apologia pauperum: ad uictum labore manuum quęrendũ nõ magis teneri Monachos,quã seculares.& probatur PRIMO,uel laborare manibus est præceptum,uel cõsiliũ. Si primũ,oẽs obligat, tam seculares,q̃ religiosos. Præcepta.n.dãtur omnib.omnibus.n.dicitur: *Si uis ad uitam ingredi,serua mandata.* Si secundum,ergo nemo tenetur laborare manib. nisi qui sponte ad huius consilij obseruationem se obligauerit;talis enim est natura omnium consiliorum:ergo religiosi qui id consiliũ non receperunt, non tenentur manib.laborare. Non enim tenentur religiosi ad omnia consilia, sed solum ad illa,quæ sponte suscipiunt.

SECVNDO, si tenerentur religiosi laborare manib.

magis

magis quam seculares, aut id esset ex præcepto naturali, aut ex positione: neutrum autē dici pōt. quod. n. non ex positiuo, patet, quia nullum tale exstat. quod non ex naturali, probatur: Nam p̄ceptum de laborando, vt est naturale, dupliciter obligat, uno modo absolute, alio modo in certo casu. PRIMO modo non obligat singulos, sed Rēpub. ut patet, debent. n. in ea alij esse opifices, alij agricolæ, alij medici, alij iudices, &c. & ex hac parte non conuenit religiosis laborare manib. illi. n. officiū habēt in Repub. orādi & psallēdi, & similia faciendi. SECVNDO modo tenentur quidē singuli hoc p̄cepto, sed non minus seculares, q̄ religiosi: nam oēs casus in quib. obligant singuli laborare manib. non minus accidere p̄nt secularib. quā religiosis. v.g. vnus, & p̄cipuus casus est, si quis nihil habeat vnde uiuat, nec possit licite habere, nisi operando. Alius casus est, si quis teneatur prouidere alteri de cibo, & non possit licite eum inuenire nisi operando. Tertius est, si quis non possit ocium fugere, vel tētationes carnales superare, nisi operando corporaliter. At omnes tam religiosi quam seculares tenentur prouidere, ne moriantur fame, & ocium fugere, ac superare tentationes. omnes igitur tenētur eodem modo laborare.

TERTIO probatur ex illis ipsis argumentis, q̄ cōtra nos p̄ferunt. Nā in primis Apostolus, in illis locis nō scribit Monachis, sed secularib. vt patet, & præcipuè iuxta opinionē aduersariorū, qui docēt nōdū illo tpe cepisse religiones. Deinde Apostol⁹ in illis locis nunq̄ p̄cipit operari absolutè, sed solū ad euitandū furtum, vel scandalū, uel ocium: nā Eph. 4. ait: *Qui furabatur, iā non furetur, magis aūt laboret operando manib. suis.* Et 1. Thes. 4. posteaq̄ dixerat, vt operarent, subiūgit rōnem: *Vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Vbi illud, *desideretis*, non significat cōcupiscatis, sed careatis. Sic enim est in Græco χαμηδενὸς χρείαν ἔχητε. i. & nullius indigentiā habeatis. Scādalizabātur. n. infideles, cū uidebāt Chr̄ianos ex alienis bonis uelle uiuere. Et 2. Thes. 3. post q̄ dixerat: *Qui non laborat, non manducet.* Subdit: *Audiuimus. n. quosdam inter vos inquietos esse, nihil operantes, sed curiose agentes.* Qui ergo possūt furtum euitare, & scādalum, & ocium, alio modo quam corporaliter operādo, eos Paulus nō obligat corporaliter operari.

Iam vero B. August. in lib. de opere monachorum, solum obligat ad operandum manib. illos, qui ante q̄ religiosi fierēt, ex labore manuū viuebāt, & nūc idē facere possunt, sine impedimento maioris boni, & tñ ex ocio, & pigritia nolunt; Nam c. 21. excipit religiosos, qui Ecclesiastica ministeria exercent, quales sunt hoc tempore omnes mendicantes. Sic. n. ait: *Si Euangelistæ, inquit, sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed plane uendicant potestatem nimirum uinedi ex facultatib. populi.*

DICES; potestas petendi sumptus a populo, nō est data nisi ordinarijs pastorib. alioqui possent religiosi accipere decimas, q̄d est falsū, & cōtra canones multos, ut ex Clementina prima de decimis p̄spicuū est.

RESPONDEO, quidquid de hoc sit, q̄d postea uidebimus, satis nobis est, q̄d August. hoc dicat. de cuius sententia disputamus, & p̄terea siue religiosi p̄dicantes, & Sacra ministrantes, possint, ex iustitia sumptus petere, siue non possint, satis est q̄d licitè possint petere saltem ex caritate, & accipere corporalia; sicut ipsi ex caritate ministrant spūalia, & populus accipit. ADDE ēt, q̄d religiosi huiusmodi rectè dici p̄nt operari manibus suis. Operari. n. manib. est operari corporaliter, siue id fiat manib. siue pedib. siue lingua, siue alio modo: appellatur aūt op⁹ corporale, opus manuū, q̄a manus est instrm̄ præcipuum, quo operamur. Vnde etiā aurigæ, & nautæ, & cursores, & vigiles dicuntur operari manib. quia corporaliter exercentur, licet nō minus pedib. q̄ manib. in suo opere utantur. Qui ergo canunt in choro, publice concionantur, docent, confessiones audiunt, plane manib. laborare dici possunt.

Itaq; soli contemplatiui; qui sibiipsis uacāt, manib. non laborant. Inter illos autem excipit Aug. ab obligatione laborandi illos oēs, qui in seculo diuites fuerunt, & bona sua pauperib. dederunt. Illis. n. dēt Ecclesia uictum, & uestitum, q̄nquidem oīa sua ipsi Ecclesiæ in eius pauperib. dederunt. Sic. n. ait de istis loquens, c. 25. *Si & ipsi, inquit, aliquid manib. operentur, vt pigris ex uita humiliore, & ab hac exercitatione venientib. auferant excusationē, multo misericordius agūt, quā cū oīa sua indigentib. diuiserunt. quod quidē si nolūt, quis audeat cogere?* & c. 21. tales multos fuisse dicit in Hierusalē, qui q̄m oīa sua pauperib. dederant, q̄n tpe famis agebant non sunt coacti operari manib. sed eorum inopia eleemosynis Græcorum sustentata est, act. 11. soli ergo remanent illi religiosi, qui in seculo viuebant ex opificio, & in religione sibi solis vacant, non populo. Hos August. obligat ad laborandum.

Sed nec istos obligat absolute, sed solum q̄n, si operent̄, non impedient̄ a maiori bono, & si non operentur, pernitiosè ocioſi erunt, nā si aliquis talis possit p̄petuo orare, aut legere, & uelit id facere, & inueniat qui eū i tali opere uersantē gratis alat, cur nō poterit id facere? nā hoc modo uixit per triēniū B. Bñdictus, vt Gregorius testatur lib. 1. dialog. c. 1. & tota uita sua B. Alexius, ut in ci⁹ uita scribit Simeō Metaphrastes.

Vnde Aug. c. 17. eiusdem libri, ubi dicit monachos nō debere excusari ab opere manuum per orationē, psalmodiam, lectionem, & verbum Dei; clarissime indicat se loqui non de oratione assidua, nec de cōtinua, & publica psalmodia, lectione, concione, q̄ totum hominem occupāt, sed oratione, psalmodia, lectione, & exhortatione priuata, & rara, quæ multum ocij relinquant. Et c. 21. dicit se reprehendere illos Monachos, qui ex conditione seruili ad monasterium ueniūt, vt vitam inopem, & labōriosam fugiant, & uacui pascātur ac uestiantur, & insuper honorentur, ab ijs, a quibus contemni conteriq̄ē consueuerant. de quibus etiam dicit cap. 25. *Nullo modo decet, vt in ea vita, vbi fiunt senatores laborioſi, vbi fiant opifices ocioſi, & quo veniunt relictis delicijs suis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi sint rustici delicati.* Et cap. 28. ait: *Ostendite*, inquit, *hominibus non vos in ocio facilem vitam, sed per angustam & arctam portam regnum Dei quærere.*

Ad argumentum TERTIVM de consuetudine antiquorum monasteriorum dico, Monachos illos fuisse obligatos operari manib. ex proprijs regulis suis. Cur autem eiusmodi regulam constituerint, caussa est duplex. VNA, quia non poterant aliter sustentari: nam nec habebāt prædia, & possessiones sibi relictas, vt nunc habent multi monachi, & eleemosynas a populo petere, nec audebant, cum populo non seruirēt, nec vllo modo id suffecisset: nam vno in loco, sub vno Abbate degebant terna, ut minimum hominū millia, ut August. refert lib. 1. de morib. Ecclesiæ, c. 31.

ALTERA rō est, quia illi monachi cum non essent clerici, sed Laici oēs, excepto Abbate, nō erāt satis occupati, & iō ad fugiendum ocium necessariū erat illis laborare. HIERONYMVS epist. ad Rusticū: *Aegyptiorū monasteria hunc morē tenent, ut nullū absq̄ operis labore suscipiant non tā propter victus necessitatē, quā propter animæ salutem, ne vagetur permitiosis cogitationib. mens, &c.* Nec tñ absolutē est verum oēs antiquos religiosos manib. laborasse. Sic. n. scribit de monasterio S. Martini SVLPITIVS in uita S. Martini, c. 7. *Nemo ibi q̄dquā proprium habebat: oīa in medio conferebātur, non emere, aut uēdere, ut pleriq̄, Monachis moris est. q̄d quā licebat, ars ibi, exceptis scriptorib. nulla habebatur. Cui tamē operi minor ætas deputabatur: maiores orationi uacabāt.* Hęc ille. Vbi vides solos iuniores laborasse manib. eosq̄; non ad uictum q̄rendum (nā nihil eis

vendere licebat, sed viuebant ex bonis, quę attulerāt) sed ad ocium fugiēdum. Sed nec primi Monachi sub Apostolis in Hierusalem, aut in Ægypto operabātur manibus, vt patet Act.3.& 4. & ex libro Philonis de vita contemplatiua.

CAPVT XLIII.

Licitum esse Monachis viuere ex bonis patrimonialibus in communi.

DE SECVNDO modo viuendi nulla potest esse dubitatio; nam in primis talis fuit vita primorū religiosorum sub Apostolis c.4. Act. vnusquisque.n. adferebat precia suarum rerum Apostolis, & inde diuidebatur cuiq;, sicut cuiq; opus erat. Deinde talis ēt fuit vsus antiquorū monasteriorum, vt reciperent, si quid ij in cōmune dare volebant, qui Monachi fiebāt, vt patet ex Augustino, in epist.109. ad Sanctimoniales, vbi sic ait: *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt monasterium, libenter velint illud esse cōmune.* Item serm.2. de communi vita Clericorū: *Viuunt*, inquit, *no biscum in societate communi, & nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt.* Et libro de opere Monachorum, ca.25. ideo dicit, diuites non teneri ad opus manuum, quia monasterio sua bona contulerunt.

B. BENEDICTVS, vt in vita S. Placidi legitur: *Bona quæ fuerant Monachorum suorum, non sinebat alio deriuari, quam ad sua monasteria, vt inde multos Dei seruos alere posset.* B. BERNARDVS epist.1. ad Robertū: *Ostenditur*, inquit, *terra quæ tū illo, & pro illo dicitur, data fuisse.*

Denique hinc natæ sunt illę leges Iustiniani, in Authenticis collat.1. const.5. §. illud quoque, & collat.9. constitut.15. Si qua mulier. In quibus statuitur, bona eorum, qui Monachi fiunt, eo ipso ad monasteria; quę illi ingrediuntur, pertinere. quanquam hoc tempore multæ religiones huic priuilegio renunciarunt.

CAPVT XLIV.

Licitum esse Monachis viuere ex rebus sponte oblatis & donatis.

DE TERTIO modo nulla quæstio esse deberet, nā B. AVGVSTINVS in Psal.102. conc.3. explicans illud: *Cedri, quas plantauit, illic passeres nidificabunt*; dicit cedros esse homines potentes, & diuites; passeres autem esse religiosos pauperes. nidificare vero passeres in cedris, significare, quod religiosorum monasteria a diuitibus huius seculi eriguntur, et sustentātur: *Cedri Libani*, inquit, *nobiles & diuites, ex celsi huius seculi, quā do cū timore audiunt: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, attendunt res suas, villas suas, & oēs superfluas copias, quibus uidentur excelsi, & præbent illas seruis Dei, dum hortos, ædificant Ecclesias, monasteria, colligunt passeres, vt in cedris Libani nidificent.* HIERONYMVS in epist.27. ad Eustochium de obitu Paulæ, laudat sanctam Paulam, quod ex rebus suis quatuor monasteria ædificasset, & sustentasset, vnum Monachorum, & tria sacrarum virginum. GREGORIVS Papa, vt li.1. c.5. & 6. vitæ eius scribit Ioan. Diaconus ex patrimonio suo septē monasteria erexit, et singulis ꝑdia, & possessiones attribuit, sex i Sicilia, vnū Romę. Similia exēpla Caroli Magni. Caroli III. Hērici II. & aliorum optimorum Principum, plurima adferri possent.

CAPVT XLV.

Licere Monachis ex mendicatione viuere.

DE QVARTO præcipua est difficultas. Oppugnauerunt.n. acerrime ordines mendicantium. PRIMO, Gulielmus de sancto amore apud Antoninum p.4. tit.11. c.7. §.5. summæ Theologicæ. SECVNDO, Defiderius Longobardus apud beatum Thomā in opusculo 19. TERTIO, Gyraldus de Abbatis villa apud Bonau. initio Apologię pauperum. QVARTO, Ioānes VViclef apud VValdensem li.4. art.2. doctrinalis fidei. QVINTO, Richardus Episcopus Armacanus ser.4. VLTIMO, Lutherus art. vltimo, & Brentius in Confess. VVirtemberg. ca. de votis monasticis, qui omnes docent, esse extra statum salutis eos, qui redigunt seipsos sponte ad mendicitatem, tum quod exponunt se euidenti periculo moriendi fame, tum quod non liceat eis, nisi forte ægrotent eleemosynas petere, quæ debentur solum ijs, qui seipsos iuuare nequeunt, tum denique quod lex diuina & humana reprehendat, & prohibeat voluntariam mendicitatem.

At nihilominus vitā religiosorū mēdicātiū tanq̄ sāctā, & pfectā approbarūt multi sūmi Pōtifices; vt Innocentius III. teste Bonau. Honorius III. Gregorius IX. Innocētius IV. Alexander IV. & Nicolaus IV. vt refert Ioānes XXII. in Extrauagāti, Quia quorundā, de verborum significatione, necnon Concilium Lugdunēse generale, vt refert Nicolaꝰ IV. c. Exijt, de verborum significatione in 6. & Constantiense, sess.8.

Recte autē fuisse hanc vitā approbatā, ostendimus sequentib. rationib. PRIMO, exēplo Domini; nam Dominus non habuit possessiones, neq; proprias, neque cōmunes, vt patet ex illo Luc.9. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius aūt hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Et quod non operaretur manibus, sed ex eleemosynis fideliū vixerit, patet ex illo Luc.6. *Mulieres aliq̄ ministrabāt ei de facultatib. suis.* Itē ex tota eius vita, siquidē natꝰ est in domo aliena, vixit i domib. & ex reb. alienis; nūc. n. prādebat apud Marthā, nūc apud Simonē leprosū, nūc apud Zacheū, nunc in domo Petri, nunc in domo Matthæi; eq tauit in iumēto aliene; fecit vltimā cenā in domo aliena; sepultus ē in sepulchro alieno. Vnde Ps.39. dicit: *Ego autem mēdicus sum & pauper.* Et Psalm.108. *Quia persecutus est hominem inopem & mēdicum.* Quibus in locis est vox אֶבְיוֹן quæ habetur etiam Deuter.15. vbi dicitur; *Non erit in te mendicus.* Quē locum pro se adferunt, qui dicunt, illicitam esse mendicitatem. & certum est vtrūque Psal. de Christo intelligi; nam priorē allegat Paulus ad Hebr.9. de Christo: *In capite libri scriptum est de me, &c.* Et posteriorem allegat Petrus, Act.1. *Scriptū est. n. in libro Psalmorum, Episcopatum eius accipiat alter, &c.* Item 2. Cor.8. *Propter vos egenus factus est, cum esset diues.* Græce ἐπτώχευσε, significat. n. πτωχεύω, mendicare, vnde apud Homerum Odiss. 17. δαῖτα πτωχεύειν, prandium mendicare.

Ad hoc respondent Armacanus, Christū fuisse pauperem, sed nō mendicum, & pauperē non amore paupertatis, sed qa restrictio dominij eius id exigebat. Dicit.n. Christum successisse Adamo in dominio originali, cui repugnabat tam habere proprium, quam mēdicare; Adamus.n. in statu innocētiæ fuit Dns omnium bonorum terrenorū, sed ita tñ, vt non posset accipere in vsum suū, nisi necessaria, nec sibi aliquid appropriare; diuisio.n. nata ē post peccatū. Itaq; in statu innocētiæ nō fuissent propriæ diuitiæ, nec tamen fuissent uti egeni, uel mendici. Quoniā ergo Christus natus est cū iustitia originali, habuit ēt tale dominiū, quale Adā, & ideo repugnabat illi habere proprium, et simul repugnabat mendicare. cum omnia essent sua, quātum ad usum, tamen fuit restrictū dominum eius, quia debuit esse sub lege; & sic fuit pauper; quia non potuit uti suo naturali dominio, obstante lege ciuili.

Hæc omnia sunt contra apertas Scripturas, & primum quod Christus uere fuerit mēdicus, & caruerit non solum usu, sed etiam dominio temporali rerum terrenarum, patet, quia dominium illud originale in bona communia, perijt per diuisionem rerum iuste introductam. Nec Dominus accepit dominium politicum more humano, licet dominium diuinum semper habuerit. Itaq; fuit uere mendicus, ut ex Psal-

mis,

mis,& ex Apostolo ostendimus. Fuit etiam vere Dominus, saltem in communi cum suis discipulis, eorũ bonorum,quæ illi vt mendico donabantur. Quod.n. Christ⁹ acceperit dominium ciuile, & proprietatem, saltem in communi cum Apostolis, earum pecuniarum,quæ sibi donabantur,patet ex Ioan.12. vbi dicitur Iudas fur, quia vsurpabat sibi pecunias loculorũ Christi. At si Christus nó habebat proprietatem, nec dominium ciuile, non erat furtum illud Iudæ; nam per solum dominium naturale non magis pertinebant ad Christum illæ pecuniæ,quam alię res omnes.

Denique, quod Christus amore paupertatis, & nõ ex restrictione dominij fuerit mendicus, planum est; nam quis illum coegit fieri sub lege? nonne sponte id ipse elegit? quod certe poterat non eligere, si odisset paupertatem. Præterea etiam existens sub lege, nonne poterat facile ditescere si voluisset? nonne turbæ illum Regem facere voluerunt? cur ergo non habuit, vbi caput reclinaret,& sponte non habuit,si non amabat paupertatem? denique cur Paulus 2.Cor.8. vocat istam gratiam Domini,si non ex amore,sed ex necessitate fuit egenus?

Dicit Secvndo Armacanus, Si Christus mẽdicasset,nõ propterea licere nobis mendicare. Esset.n.hoc ponendũ inter opera admiranda,non imitanda, sicut quod ieiunauerit XL.diebus sine vllo cibo. At mẽdicare,sine vllo miraculo fieri potest,vt experientia docet; ieiunare ãt sine omni cibo, non potest sine miraculo. Ad hæc,nõ consuluit Christus,vt se imitaremur ieiunãdo sine omni cibo,consuluit autem,vt se imitaremur mendicando,cum ait Matt.19.*Si vis perfectus esse,vẽde oĩa quæ habes,& da pauperibus,& sequere me.*

Secvndo probatur,exemplo Apostolorum; nam illi omnia dimiserũt,Matt.19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Nec habuerunt possessiones in cõi,vt patet Matt. 10. *Nolite possidere aurum,neque argentum in zonis,nec duas tunicas,&c.* Nec operabantur manibus, sed viuebant ex liberalitate eorũ,quibus prædicabãt,vt patet ex eodem ca.10.Matthæi,& 1.Cor.9. Talis autem est vita mendicantium. Vnde sanctus Franciscus,qui cũ sancto Dominico primus auctor fuit huius instituti; pro regula susceptit decimum caput Matthæi.

Ad hoc respondet. Primo,vitam illam Apostolorum fuisse a Christo institutam ad tempus tantum,nimirum dum in Iudæa prædicabat ante suam passionem;nã Lucæ 22. Dominus reuocauit ista præcepta, dicens: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquam aliquid defuit vobis, sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Vnde & loculos cum pecunijs habuit extremo tempore, vt patet Ioã. 12.& 13.ex quo apparet, iam tunc abrogasse, quæ dixerat Matt.10. *Nolite possidere aurum,&c.* Secvndo obijciunt,hoc fuisse præceptum, non consilium Euãgelicum,proinde non pertinere ad mendicantes, qui se dicunt consilium sequi. Tertio, Apostoli ex Domini ordinatione ex iustitia petebant a populo victum,ut patet ex illo Matthæi 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et ex 1.Cor.9. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* ergo non mendicabant. At nostri mendicates non petunt,nec petere possunt victum ex iustitia.

Ad Primvm respondeo, siue ad tempus siue non ad tempus vitam illam Christus instituerit, inde rectissime colligi,esse licitam,& sanctam,& imitatione dignissimam eam vitam: nisi forte Christus ad tẽpus vitam illicitam instituerit. Præterea non est verum, Christum reuocasse vnquam illã institutionem quoad modum viuendi: reuocauit quidem id quod dixerat: *In viam Gentium ne abieritis.* At illa documenta de non possidendis pecunijs in zona,&c.nunquam reuocauit,vt patet ex 1.Cor.9.Quando autem ait Lucę 22.*Nunc qui habet sacculum,tollat, similiter & peram, &c.*non iubet vt hoc faciant,sed prædicit illis, tempore passionis suæ futuros eos in tali timore,& perturbatione, in quali sunt ij, qui non fidunt vlli amico, & ideo sibiipsis prospiciunt,& tunicam vendunt, vt gladium emant. Neque loculi Dominici repugnant illis verbis; *Nolite possidere aurum,&c.* Nam,vt Nicolaus exponit in cap. Ex ijs,de verborum significatione, in Sexto. Dominus vtramque vitam exemplo suo approbare voluit, nimirum illam, quæ nihil habet, neq; in particulari, neque in communi, excepto simplici vsu rerum donatarum: & rursum illam, quæ aliquid habet saltem in communi; sed vnam instituendo, non destruxit alteram.

Ad Secvndvm dico,illa verba non esse præcepta, sed consilia,& instructionem ex parte populorum,& aliorum prædicatorum, & simul esse ordinationem, & præceptum,ex parte populorum,vt patet ex declaratione Pauli 1.Cor.9. vbi dicit, Dominum ordinasse, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant.ex quo colligit, teneri populum ad alendos Euãgelistas,& simul dicit, se non vsum fuisse hac potestate. ex quo patet, non fuisse præceptum prædicatoribus,vt viuerent ex populi sumptibus.

Ad Tertivm dico, Apostolos ex Domini ordinatione potuisse aliquãdo ex iustitia petere a populo sũptus,aliquando ex æquitate, aliquando ex sola caritate. Pro quo nota ex Arist.li.8.Ethic.c.13. duplicem esse iustitiam;vnam legitimam;alteram moralem. Legitima dicitur, quando ex lege, aut pacto vnus cogitur alteri aliquid soluere. Moralis dicitur, quando sine pacto,aut lege vnus laborat pro alio,ita vt consurgat obligatio quædam compensandi laborem, sed tamen non possit eum compellere ad eiusmodi compẽsationem. iam Dominus ordinauit eos, qui Euangelium annunciant,de Euangelio viuere.

Hæc ordinatio respectu fidelis populi & ordinariorum pastorum,est præceptum iustitiæ in rigore;quãdo enim constituitur aliquis pastor, potest populus eum cogere ad spiritualia ministranda, & Pastor potest cogere populum ad temporalia danda,& hoc modo poterant Apostoli tanquam Episcopi cogere Christianos ad sumptus faciendos. At respectu populi infidelis, vel pastoris non ordinarij, illa ordinatio non inducit rigorem iustitiæ,sed quandam æquitatem,seu moralem iustitiam,& hoc modo Apostoli quando prædicabant Iudæis ipso Christo viuente, non poterant cogere populum ad sumptus faciendos; nam nec populus susceperat Euangelium, & Apostoli nondum erant Pastores ordinarij; nam adhuc tenebantur Iudæi agnoscere Sacerdotes Aaronicos, & eis decimas soluere.itaq; Apostoli accipiebant sumptus ex morali iustitia,vel petebant ex caritate.

Iam religiosi mendicantes, qui mittuntur a summo Pontifice ad prædicandum & Sacramenta ministranda,poterant facere pactum cum ipso Pontifice, vel cum populo de sumptibus accipiendis, & tunc ex rigore iustitiæ illos petijssent. poterant etiam mitti a Pontifice eo modo, quo Christus misit Apostolos ad Iudæos,antequã lex uetus cessasset,nimirũ vt ex quadam æquitate peterent sumptus; nam *dignus est operarius mercede sua*,& qui Euangelium annunciat,de Euangelio viuere debet. non enim Christus dixit, qui est ordinarius Euãgelista,dignus est mercede sua,sed *dignus est operarius*, id est,quicunque id operatur licite,dignus est mercede sua.& hæc fuit expressa sententia Augustini de opere Monachorum, c.21.visum tamen est melius tam Pontifici mittenti, quam ipsis qui mittuntur,vt non peterent vllo modo ex iustitia, vel æquitate, sed solum ex caritate, sicut ipsi non ex debito,sed ex caritate ministrant spiritualia.

Tertio & Vltimo probatur ex euentu, nam hoc genus vitæ innumeris signis, & prodigijs confirmatum est,quæ Deus edidit per Sanctos Frãciscum,

D&ominicum auctores huius vitæ, deinde ab eo tẽpore conuersio gentilium, confutatio hæreticorum, pietas populi Christiani, conseruatio Theologiæ, & innumera alia bona ordinibus mendicantium maxima ex parte accepta referenda sunt.

CAPVT XLVI.

Soluuntur obiectiones.

AT in contrarium obijciunt plurima argumenta, sed omnia reducuntur ad sex. PRIMVM est, quia mẽdicitas iure diuino, & humano prohibita est; nam diuino patet Deut. 15. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* De humano patet ex C. de mendicantibus validis, lib. 11. c. 25.

RESPONDEO, quantum ad legem diuinam, sine dubio non prohiberi ea lege mendicationem vel mendicitatem, cum in eodem capite habeatur: *Non deerunt pauperes in terra tua, &c.* Nec valet responsio Lyrani, qui dicit, in prioribus verbis prohiberi publicos mendicantes, in posterioribus vero agi de pauperibus, qui etsi indigent aliorum auxilio, tamen non debent mẽdicare, sed debet eis a diuitibus prouideri. Non valet ista solutio; nam vtrobique est אֶבְיוֹן quod proprie significat mendicum, & ad verbum verti poterat, non deerunt mendici in terra tua, sicut supra dixerat: *Mẽdicus non erit inter vos.* Et præterea apud Iudæos multi erant mendici, vt patet Lucæ 16. de Lazaro, Lucæ 18. de cæco secus viam mendicante, Ioan. 9. de alio cæco mendicante, Act. 3. de claudo mendicante ad portam templi speciosam.

Ad illa igitur verba: *Non erit mendicus inter vos*, respondeo dupliciter. PRIMO, illis verbis nõ prohiberi mẽdicitatẽ, sed promitti tãtã vbertatẽ rerũ, vt nullus sit futurus mendicus. qui sensus maxime cõuenit Hebræo textui, sequitur. n. immediate: *Quia benedicet tibi Dominus Deus tuus.* Neq; repugnat hæc promissio illis verbis; *Non deerit mendicus in terra tua, &c.* Nam promissio erat conditionata. Sic. n. sequitẽ post illã promissionẽ: *Si tamen audieris vocẽ Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ iussit.* Et qm̃ sciebat Deus istã conditionem non seruandam, prædicit, nunquam defuturos mendicos, & monet, vt illis benefaciant.

SECVNDO dici posset cum B. Thoma in opusculo cõtra impugnantes religionem, hac lege prohiberi mendicationem, non ex parte mendicantium, sed ex parte diuitum. Non. n. Deus prohibet pauperib. mendicationem, cum infra dicat, non deerunt mendici, sed præcipit diuitibus, vt quantum est in se, prouideãt ita pauperũ necessitatibus, vt nulli cogantur mendicare. Melior est tamen prior solutio; nam si Dominus iussisset diuitib. vt non paterentur mendicos, peccassent diuites in populo Iudæorum, qui reuera permittebãt mendicos tempore Christi, & tamẽ nunquam de hoc reprehensi leguntur a Christo, neque ab Apostolis. Præterea, si Dominus ibi prohibuit diuitibus, ne permitterent mendicos, quomodo ibidem præcipit diuitibus, vt mendicis eleemosynam faciãt? Porro lex ciuilis loquitur de illis, qui mendicant, ut ociose viuant, vel vt lucrentur, &c. cum nullam adferant populo vtilitatem. vnde ibidem inertes dicuntur.

Argumentum SECVNDVM. Scriptura passim detestatur mẽdicitatem, vt causlam multorum malorum Prouerb. 30. dixit ille cum quo est Deus: *Mendicitatem et diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomẽ Dei mei.* Ecclesiast. 17. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Ps. 36. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Ps. 108. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent.*

RESPONDEO, loquuntur hæc loca de inuoluntaria mendicitate; qui enim mendicat coactus, & animum habet ad opes, ille facile furatur, & peierat, &c. Quan quam ad primum locum possint dari duæ aliæ solutiones. PRIMA est, sapiẽtem loqui in persona infirmorum, quales sunt plurimi in Ecclesia. Illis enim nocẽt nimię opes, & similiter nimia egestas. Viris autẽ perfectis qui sciunt cum Paulo abundare, & penuria pari, tam opes plurimæ, quam etiam summa egestas sũt instrumenta virtutum, vt patet de Iob, qui utrumque expertus est. Vnde Chrysostomus homil. 18. in epist. ad Hebræos, & Ambrosius serm. 8. in Ps. 118. dicunt, hæc verba Salomonis conuenire hominibus Testamenti ueteris, quia imperfecti erant.

SECVNDA solutio est, a sapiente hoc loco recusari non quamlibet mẽdicitatem, sed illam solum, quę est exposita periculo, qualis non est religiosorum mendicantium; illi. n. certo sciunt sibi non defutura necessaria, tum ob Christi promissionem, Matth. xi 19. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* & Marc. 10. Centies tantum nunc in tempore hoc: tum ob populi deuotionem, a quo non dubitant se recepturos temporalia, cum ei ministrent spiritualia. Immo uidẽtur religiosi ad literam petere, quod sapiens petit. nec. n. uolunt diuitias, & ideo eas relinquunt, nec tamen uolunt mendicitatẽ periculosam, qua moriantur fame, & ideo dicunt, tribue tantum victui meo necessaria.

Illud autem Psal. 36. *Non vidi iustum, &c.* difficile est; nam Elias iustus erat, & tamen quærebat panem, cum diceret viduæ: *Adfer mihi, obsecro, buccellam in manu tua*, 3. Regum 17. & Dauid quæsiuit panem ab Achimelech, 1. Reg. 21. et Lazarꝰ qrebat micas panis, Lucæ 16. Hieronymus & Aug. exponũt de pane spirituali. Caietanus & Lyranus dicũt loqui Psalmũ de eo qd sit vt in plurimũ. TITELMANNVS optime dicit debere referri illud *derelictum* ẽt ad *semen quærens panẽ*, vt sit sensus; non vidi iustum derelictum, neq; semen eius quærens panem, derelictum. Vel certe ibi quærere, non significat quærere quomodocunque, sed quærere cum anxietate & labore, vt illi faciunt, qui diu quęrũt, & vix inueniũt. Vnde in Hebræo est verbum in Piel מְבַקֵּשׁ quod significat quærere diligenter.

Argumentum TERTIVM. Opes moderatę necessarię sunt, vel saltem ualde utiles ad vitã beatam & perfectã in hac uita ducendã; nam Ecclesiast. 7. dicitur: *Melior est sapientia cum diuitijs, & vtilior uidentibus solem; sicut enim protegit sapientia, sic protegit & pecunia*, Actor. 20. *Beatius est dare, quam accipere.* Et Arist. li. 1. Ethic. c. 8. dicit opes esse necessarias ad felicitatem.

RESPONDEO, opes & egestatẽ habere sua cõmoda & incommoda, nam opes prosunt, quia materiam prębent liberalitatis, & quia liberant a sollicitudine quærendi victum, tamen obsunt quatenus adferunt magnam sollicitudinem eas conseruandi, dispensandi: & Contra, paupertas prodest, quatenus præbet materiam patientiæ, & liberat a sollicitudine conseruandi, & distribuendi pecunias; sed obest, quatenus affert sollicitudinem quærendi victum. Verum omnibus consideratis, videtur esse maius bonum, quod adfert voluntaria paupertas, quam id, quod adferunt diuitiæ; & minus malum, quod paupertatem comitatur, quam id, quod comitatur diuitias, & præsertim ijs, qui ex officio euangelizare, & Sacramenta ministrare debent. Et propterea Dominus Apostolis eiusmodi vitam consuluit, Matth. 10. & ipsi etiam Apostoli, Act. 6. testantur, se non parum impediri a uerbo Dei, & oratione, si opes Christianorũ dispensare debeant.

Ad illud autem Ecclesiastę respondeo, nõ uoluisse eum dicere, meliorẽ esse sapientiã cũ diuitijs, quam sine diuitijs, sed meliorem esse sapientiam cũ diuitijs, quam sine sapiẽtia diuitias. Ita Titelmãnns, & recte; nã in Hebræo nõ habetur melior sed bona est sapiẽtia cũ diuitijs: quod non põt dici, quia sit mala sine diuitijs,

tijs,sed quia sine ipsa malæ sunt diuitiæ,& hoc pbat, cum ait: *Sicut.n.protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Sed in hoc differunt, quod sapientia uitã tribuit possessori suo, q.d. etsi pecunia protegit in hoc mundo a multis afflictionib. tamen sola sapientia uitam pbet, & ideo sine sapientia parũ aut nihil prosunt diuitiæ.

Ad illud Act.20.dico,ceteris parib.beatius esse dare omnia sua simul propter Christum, & accipere postea aliquid modicum,quam parum dare, & nihil accipere;& similiter beatius esse accipere temporalia, ut possit expedite, & cõmode dare spiritualia, quam nihil accipiendo impediri a spiritualibus dandis.

Ad locum Aristotelis respondeo. PRIMVM, loqui eum de humana felicitate,quæ multis rebus indiget: nam felicitas Christiana,nec ipsa in se eget ullis terrenis opibus, cum tota in Dei uisione consistat, nec ad eam adipiscendam ualde necessariæ sunt opes, cum melius humilitate & patientia,quam opib. ad regnũ perueniatur æternum. DEINDE addo,loqui Aristotelẽ de homine politico,qui in ciuitate uiuere,& uxorẽ ac liberos habere, & Rempublicam una cum alijs gerere uelit. Eiusmodi autem hominib. negari non potest,quin opes necessariæ sint. Si quis aũt uelit sibi soli uiuere,& contemplationi vacare, huic certè Aristoteles opes necessarias esse minime iudicabit, modo is habeat unde uiuat sine dispendio contemplationis.

Argumentũ QVARTVM. Redigere se ad extremã inopiam est uitium:nam uirtus consistit in medio,uitia in extremis, sed dare aliquid est mediũ, nihil dare est extremum. Præterea cõfirmat ex Paulo 2. Cor.8. *Si uoluntas prompta est,secũdum id quod habet,accepta est,non secundum id,quod non habet. Non enim vt aliis sit remissio,vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.*

RESPONDEO,medium in uirtutibus,excepta iustitia,non considerari penes ipsas res absolute, sed cum ordine ad rationem,& omnes circunstantias. Verbi gratia, non est medium in temperantia, comedere vnum panem,& extrema comedere duos,aut nullũ; sed medium est tantum panis accipere, quantum ratio dictat tibi hoc tempore conuenire; vnde quod tibi est medium, alteri erit extremum. Sic ergo dare omnia,extremum est & uitiosum homini patrifamilias, qui ex officio alere debet vxorem, filios, seruos, &c. At ei, qui statuit mundo renunciare,& soli orationi,& prædicationi instare, planè medium est omnia dare:& extrema erunt dare aliquid solum, & nihil dare,& per hoc soluitur confirmatio:nam Paulus alloquitur homines seculares uxoratos,&c.

DICES; dare oĩa vel est medium ei, qui uult mundo renunciare,ante uotum; uel solum post uotum. si ante uotum, ergo peccabit ille,si non det cĩa, etiamsi nullum habeat uotum paupertatis;nam medio uirtutis opponunt extrema uitiorum. si solum post uotũ. ergo mendicitas non potest uoueri: nã nihil recte uoueť,nisi quod ex se iã est uirtutis actus. RESPONDEO, consilia Euangelica ante uotum,nõ esse actus specialium uirtutum,sed esse actº pfectos uirtutum cõmunium,ut liberalitatis,castitatis,obedientiæ. Porro actib. perfectis non opponuntur actus uitiosi, sed actº minus perfecti;& medium actus perfecti,non habet extrema uitiosa,sed extrema minus pfecta,at post uotum ijdem actus iam sunt actus necessarij specialium virtutum,quibus opponuntur uera uitia specialia.

Argumẽtũ QVINTVM. Qui se spõte redigit ad mẽdicitatẽ,exponit se periculo fame moriẽdi,tẽtatq; Deũ cũ sibi ipsi auferat media ordinaria ad vitã cõseruandã,nec põt dicere, panem nostrum quotidianũ da nobis hodie.nam ei rnderet Dominus, quid a me petis panẽ,cum tibi dederim antea,& tu illum abieceris?

RESPONDEO,ille diceretur exponere se tali periculo,qui omnia sua daret,quando probabiliter sciret,nihil se postea inuenturum:at religiosi certam spem in Deo ponunt sibi nihil defuturum, quandoquidem Christus,id promisit,& experiẽtia longa idem testatur. Neque tẽtant Deum: nam medium ordinarium ad uitam est cibus & potus, siue sit proprius, siue donatus ab alio:ille ergo reijcit media ordinaria,qui aut non vult comedere,aut nõ vult panem accipere, nisi per miraculum,ut illis accidit, de quib. Cassianus col lat.2.ca.6. Nec prohibetur dicere,panẽ nostrum,&c. Immo ipsi maxime hoc dicere possunt,quandoquidẽ sibi nihil retinuerunt, ut Christum sequerentur. Si enim dicat aliquis Rex ciui opulento,relinq; hic tuas possessiones & veni mecum ad bellum:certe ille iure poterit a Rege petere panem quotidianum.

Argumentum SEXTVM. Religiosi mendicãtes,iniuriam faciunt ueris pauperib. nam Luc.14. dicitur: *Cum facis prandium,uoca pauperes,debiles,claudos,cæcos,qui non habent retribuere tibi,& beatus eris. Hoc loco,* inquit Armacanus, *Dominus non iubet uocari pauperes quoscunque,sed pauperes debiles,claudos, uel cæcos,neque etiam debiles quoscunq;,sed debiles pauperes:nã pauperes non debiles,possunt retribuere laborando: debiles nõ pauperes,possunt retribuere pecunias dando.* Præterea, ordo caritatis postulat, ut semper detur eleemosyna magis egenti, magis autem egent pauperes debiles, quam fortes,quales sunt religiosi,non igitur licet religiosis eleemosynas petere,nisi forte ægrotent.

RESPONDEO, si argumentum aliquid cõcluderet, non soli religiosi mendicantes, sed etiam oẽs Clerici, & Monachi, qui ex possessionib. viuunt,& non sunt debiles,claudi,vel cęci peccarent:nã possessiones donatæ monasterijs, & Ecclesijs, quid sunt aliud quam eleemosynæ?ridiculum autem est,non fraudari pauperes a Clericis & Monachis, qui accipiũt in eleemosynam redditus multorum millium aureorũ, & fraudari a mendicantibus, qui accipiunt unum panem.

Ad locum ergo Euangelij dico, Dñm uolle uocari pauperes, siue sint debiles, siue non: legendum est.n. cum distinctione,uoca pauperes,debiles,&c.nã Apostolus Act.24.dicit,se attulisse eleemosynã pauper. b. Christianis,qui erãt in Hierusalem,quos certũ est nõ fuisse oẽs cęcos,uel claudos. Et cum Dñs ait: *Voca eos qui non habent retribuere tibi,* nõ intelligit eos,qui nullo modo possunt retribuere. Tales.n.nulli fere sunt: nã ẽt paupes claudi possũt retribuere aliqđ obsequiũ sed intelligit eos, qui non pñt reinuitare ad simile cõuiuium,uel cõmode aliquid donare,& pinde a quib. nihil sperari solet. Sic.n.ait: *Noli,* inquit, *vocare amicos & vicinos diuites,ne forte ipsi te reinuitent,& fiat tibi retributio.* Porro,pauperes oẽs, etiam qui validi sunt, & suis laborib. uictum quærunt, tales sunt,ut nõ possint retribuere:nam cum uix sufficiant sibi,quo poterunt cõuiuio diuites excipere,aut eis munera largiri?

Ad illam rationem dico, ceteris paribus dandam esse eleemosynam semper magis indigenti, alioqui magis danda est propinquiori,& meliori, & cui debetur ex iustitia,&c. Porro,tribus de caussis potest fieri, vt sit danda eleemosyna potius religioso minus indigenti,quam non religioso magis indigenti.ex Hieronimo in fine libri contra Vigilantium.

PRIMO, si is dederit uere omnia sua pauperib. debetur enim illi uictus ex bonis pauperum, nõ solum ex caritate,sed etiam aliquo modo ex iustitia.

SECVNDO, si laboret pro populo concionando,sacra faciendo, &c. nam & huic debetur aliquo modo ex iustitia,licet is non petat,nisi ex caritate.

TERTIO,ratione perfectionis monasticę:nam danda est semper eleemosyna potius meliori. quia uero non possumus iudicare de internis, danda est potius profitenti maiorem sanctitatem,quam profitenti minorem,quando non constat de mala uita religiosi. Excipitur tñ semper extrema necessitas cuiuscunq; pauperis: illa enim semper præponiť minori necessitati.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE LAICIS SIVE SECVLARIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Ordo totius Disputationis.

DISSERVIMVS DE DVOBVS membris Ecclesiæ, ideſt, Clericis, & Monachis, ſupereſt vt dicamus de tertio, ideſt, de Laicis, ſiue ſecularibus, & ſimul de membris ab Eccleſia præciſis, ideſt, de hæreticis, quæ omnia ad diſputationem de Magiſtratu politico reuocari poſſunt.

Tota hæc Diſputatio ſex quæſtionibus cõtinetur. Primum enim, de ipſa politica poteſtate agendum eſt. Deinde, de officio eius in rebus politicis. Tertio, de officio eius in cauſſa religionis.

De PRIMO ſunt quęſtiones duæ. Prima. An iſta poteſtas ſit res bona, & proinde Chriſtianis licita. Secunda; An per peccatum amittatur.

De SECVNDO ſunt duæ quæſtiones. Prima, de officio Magiſtratus in conſeruanda Republica ab improbitate ciuium per leges, & iudicia, tam ciuilia, quam criminalia, ideſt; An liceat Chriſtianis leges condere iudicia exercere, & gladio ferire noxios, qui ſunt actu proprij Magiſtratus. Secunda, de officio Magiſtratus in protegenda Republica ab hoſtibus externis, ideſt; An liceat Chriſtianis bella gerere, & huic addemus quaſi corollarium propter Lutherum; An liceat bellare contra Turcas.

De TERTIO ſunt aliæ duæ quæſtiones. Prima; An ad Magiſtratum pertineat cura religionis; An vero permittere poſſit, ut quiſque credat, ut uoluerit. Secunda; An Magiſtratus debeat hæreticos ab Eccleſia iudicatos, & damnatos punire, tam in libris eorum, quàm in facultatibus, & in perſonis, etiam vſque ad mortem.

CAPVT SECVNDVM.

Proponitur prima quæſtio, An politica poteſtas ſit bona, & Chriſtianis licita.

EST vna ex præcipuis hæreſib. Anabaptiſtarum, & Trinitariorum huius temporis; Non licere Chriſtianis gerere Magiſtratus, nec debere eſſe vllo modo inter Chriſtianos prætoria, tribunalia, iudicia, ius gladij, &c. Miniſtri, qui in Tranſyluania, Trinitatem, & Incarnationem, & paruulorum Baptiſmum oppugnant, ediderunt anno M.D.LXVIII. Albæ Iuliæ, Antitheſes Chriſti veri & falſi; quarum VII. eſt; Chriſtum falſum habere in ſua Eccleſia Reges, Principes, Magiſtratus, gladios; Chriſtum verum nihil tale in ſua Eccleſia pati poſſe.

Argumẽta eorum hæc ſunt, vel certe eſſe poſſunt. PRIMVM, ex Scriptura, Matth. 17. *Reges Gentium, a quibus accipiunt tributa, &c. ergo liberi ſunt filij.* Et Luc. 22. *Reges Gentium dominantur eorum: non ſic erit inter vos.* Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* 1. Corinth. 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* 2. Corinth. 8. *Vnus Dominus.* Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus.*

SECVNDVM, ab exemplis: nam plerique Principũ abiuntur potentia, & non ſolum non proſunt, ſed etiam obſunt Reipub. vt patet in ipſo initio mundi de Cain, Gen. 4. de filijs Principum, Gen. 6. qui accipientes varias vxores, corrupti ſunt omni ſcelere, & eorum cauſa poſtea venit diluuium. Item de Nemrod, Pharaone, Nabuchodonoſor, & de Saul, Roboã, & ceteris: nam poſt diuiſionem regni, ex Regibus Iſrael nullus fuit bonus.

TERTIVM, a fine: nam Magiſtratus permiſſus fuit Iudæis propter imperfectionem temporis, erant enim pueri Iudæi, & ideo regi debebant ab alio, ut patet Galat. 4. at nos viri ſumus perfecti, & vnctio docet nos de omnibus.

QVARTVM, ab efficiente: nam iſta poteſtas nõ eſt a Deo introducta, ſed ab hominibus tyrannicè vſurpata; quis enim fecit Nemrod Regem? quis Nabucho donoſor? quis Ninum? quis Alexãdrum? quis Iulium Cæſarem? quis alios? hinc laudatur ille pirata, qui reſpondit Alexandro: ego quia cum paruo ligno diſcurro, pyrata dicor; tu quia cum magna claſſe orbem terrarum ſpolias, Imperator dicetis. Auguſtinus lib. 4. ciuit. c. 4. ex Marc. Tull. lib. 3. de Republica.

QVINTVM, ab origine: nam Deus creauit hominẽ liberum, & per peccatum introducta eſt ſubiectio; ergo cum a peccato per Chriſtum liberati ſimus, etiam a ſubiectione eſſe debemus. Antecedens patet: nam Gen. 1. non dicitur; Dominamini hominibus, ſed: *Dominamini piſcibus maris, &c.* Item mulier nunc non ſuijcitur uiro, niſi politica ſubiectione, tamen hæc ſubiectio per peccatum introducta eſt, ut patet Gen. 3. *Sub viri poteſtate eris*; & præterea ante diluuium primus qui condidit ciuitatem, & inchoauit regnum politicum, fuit Cain, ut ex Gen. 4. deducit Auguſt. li. 15. ciuit. Dei, cap. 1. poſt diluuium primus fuit Nemrod, Geneſ. 10.

Denique id clare docent Patres. AVGVSTINVS lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 15. rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit Deus niſi irrationabilibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori; inde primi iuſti, paſtores magis pecorum, quàm Reges hominum conſtituti ſunt, ut hinc etiã inſinuaret Deus, quid ordo poſtularet creaturarum, & quid meritum exigeret peccatorũ. GREGORIVS lib. 21. moral. c. 11. Omnes homines natura æquales genuit, ſed uariante meritorum ordine, alios alijs diſpenſatio occulta poſtponit, ipſa autem diuerſitas, quæ acceſſit ex vitio, recte eſt diuinis iudicijs ordinata, ut quia omnis homo iter uitæ non æquè graditur, alter regatur ab altero; ſimilia habet in Paſtorali, par. 2. cap. 6.

Hanc hæreſim non ſolum Catholici omnes execrantur, ac præcipue B. Thom. in opuſc. 20. & omnes Philoſophi, ſed etiam Philippus Melanchthon in locis, c. de ciuili Magiſtratu, & Ioan. Caluinus lib. 4. Inſtit. c. 20. acerrime, & fuſiſſimè oppugnant, & Lutherus ipſe in uiſit. Saxonica, etſi ab ipſius uerbis in Babyl. Captiuitate, c. de Baptiſmo, occaſionem ſumpſerunt Anabaptiſtæ.

Nos eam quinque argumẽtis refellemus: nam tot etiam ſunt aduerſariorum fundamenta. Primo, ex Scripturis. Secundo, ex exemplis Sanctorum. Tertiõ, ex fine ſeu neceſſitate. Quarto, ex cauſſa efficiente. Quinto, ex origine.

CA-

CAPVT III.

Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus.

QVANTVM ad PRIMVM, Scriptura Testamenti veteris plena est testimonijs. Exod. 22. Iudices populi a Deo ipso vocantur Dij, sicut etiam Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*: cuius uocabuli rationem explicat Iosaphat. 2. Paralip. 19. ubi dicit iudices, non hominū, sed Dei iudicia exercere, ideſt, loco Dei iudicare. Et similiter Deuter. 1. monet Moses iudices populi, ut iuste iudicent, quia Dei iudicium est; & Christus Io. 10. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, &c. Vbi Christus vult dicere; Si Principes Deus uocat Deos, quia ad illos mādatum diuinum factum est, vt iudicent loco suo, cur non magis, &c. non enim quadrat quod alij dicunt, vocatos Deos eos omnes, quibus Deus loquutus est; si ergo Principes uócantur Dij; quia locum Dei tenent, non potest reprehendi munus Principum, nisi reprehendatur Dei ipsius munus.

Præterea Deuteron. 17. describit Moses leges Regi futuro, & in lib. Iudicum, cap. vlt. in ultimis verbis reddere uolens Spiritus sanctus causam omniū malorum, quæ acciderunt illo tempore dicit: *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque, quod bonum sibi uidebatur, hoc faciebat.* In eodem libro Iudicum, & in libro Regum passim habemus Deum excitasse Israeli Iudices, aut Principes, per quos populum liberaret, Prouerb. 8. *Per me reges regnant.*

Respondent Anabaptistæ, Iudæis fuisse permissos Magistratus propter imperfectionem: at aliam rationem esse Testamenti noui.

AT contra: nam in primis Prophetæ prædixerunt omnes Reges terræ seruituros Christo, & Ecclesiæ: quod nō potest fieri, nisi in Ecclesia sint Reges. Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terrā, apprehendite disciplinam*; secundū Hebræum נַשְּׁקוּ־בַר osculamini filium, in eodem Psalmo Scriptura uocat Messiam; item Psal. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes seruient ei.* Isa. 60. *Ambulauerunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Et c. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terra demisso adorabunt te, & pulueres pedum tuorū lingent*; quod certe impletum uidemus in Constantino, Theodosio, Carolo Magno, & alijs, qui adorauerunt sepulcra Apostolorum, & Martyrum, & Ecclesias dilauerunt, & protexerunt.

Præterea: Christus, prædicans Euangelium regni, inter alia dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, Mat. 22. & Paulus Rom. 13. iubet, ut *omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit: non enim est potestas, nisi a Deo*, &c. Et ibidem ter repetit, Principes seculares, quibus tributa redduntur, esse ministros Dei, quo loco vtitur etiam Irenæus lib. 4. c. 70. Item 1. Timot. 2. iubet Apostolus nominatim orari pro Regibus, quo loco utitur Tertullianus in Apologet. ca. 31. quia calumniabantur Ethnici Christianos, quod Magistratibus nollent parere: ac certe si Euangelium non ferret Magistratū, oporteret orare pro destructione Regum & Principum. Ad Titum 3. & *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* 1. Petri 2. *Deum timete, Regem honorificate.*

SED respondent, ex his testimonijs probari, oportere nos parere Regi Ethnico, non autem licere Christianis regna possidere, & Magistratus gerere. Quib. nos respondemus, PRIMVM, non esse mirum in Testamento nouo non fieri multam mentionem magistratuum: nam Christus nō uenit constituere regnū politicum, sed regnum spirituale. & cœleste: & similiter Apostoli in hoc regno spirituali commendando, & propagando occupati fuerunt; politicum reliquerunt, ut antea erat.

ADDIMVS præterea; Licet non expresse Scriptura noui Testamenti approbet in Ecclesia magistratum politicum: tamen euidenter colligi ex adductis testimonijs: nam si Christianis licet subesse Regi Ethnico, cur, non potius Regi Christiano? & si licet Christiano subesse, cur non præesse? cum subesse videatur magis contra libertatē Euangelicam, quam præesse.

DENIQVE, si Christianę libertati repugnaret subiectio, uel præfectura ciuilis, magis repugnaret Ecclesiastica, quia Christiana libertas magis pertinet ad Christianum, ut est ciuis Ecclesiæ quam ut est ciuis mundi: At non repugnat Christianæ libertati præfectura, uel subiectio Ecclesiastica, ut patet ex illo Matthæ. 24. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quē constituit Dominus super familiam suam?* Et ex illo Roman. 12. *Qui præest in sollicitudine.* Et ex illo Heb. 13. *Obedite præpositis vestris.* Neque igitur repugnat præfectura, uel subiectio politica. Atq; hinc soluitur primum argumentum contra allatum.

Ad PRIMVM ergo dicendum est, Christum eo loco de seipso tantum loqui; & rectissime probare se, quia Filius Dei summi Regis esset, non fuisse obligatum soluere tributum vlli Principi, alioqui ipse idem iussit reddi censum Cæsari, Matth. 22. & Apostolus Rom. 13. *Cui tributum*, inquit, *tributum*, &c.

Ad SECVNDVM, eo loco Christus instituit Ecclesiasticum Magistratum, & eum distinguit a politico, & a politico corrupto, cui pompæ, superbia, fastus, anne xa esse solēt, qualem etiam politicum Magistratum, si intelligamus prohibitum esse Christianis; nihil absurdi dicemus, ibi enim non reprehenditur regnum, sed modus regnandi.

Ad TERTIVM, non vult Paulus dicere, non finatis vos obligari ulla lege, sed soluite mature omnia debita; præcedit. n. *Reddite omnibus debita, cui tributū*, &c. Et quia solius amoris debitum, nunquam ita reddi potest, quin semper teneamur amare, ideo ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis.*

QVARTVM dico, fieri seruum hominis eo loco significare seruire homini propter hominem tantum, nam alioqui ibidem Paulus hortatur seruos, vt etiam si possint fieri liberi, tamē magis eligant seruitutem. & Galat. 5. *Seruite* inquit, *inuicem.*

Ad VLTIMVM dico, ibi nomen Domini proprie accipi, quomodo non conuenit, nisi Deo, nec propterea tolluntur Reges, & Principes, qui non proprie domini sunt, sed ministri Dei, qui unus uerus est Domin⁹, nullus. n. est titulus maior: nam verus Dns duas habet conditiones, quæ nulli creaturę conueniunt. Vna est, ut possit pro libito uti re, cuius est Dns, & eam augere, minuere, mutare, annihilare, &c. Altera, vt nulli seruiat, ideſt, nulla re indigeat, sed seipso sufficiat ad omnia; ut recte notat Aug. lib. 8. de Gen. c. 11. & deducit ex Psal. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges*: nā in Hebręo est, dixi Dño, Dns meus אֲדֹנָי & hinc est quod LXX. interpretes vbique nomen proprium Dei יְהוָה reddiderunt per κύριος & Hieron. per dnm. hinc ēt August. & Tertullianus refert in Apolog. c. 34. nunq̄ se dnm appellari passus est, q̄ intelligeret hunc titulū soli Deo cōuenire, & è cōtrario reprehendit a Suetonio incredibilis arrogātiæ Domitianus, q̄ in Amphitheatro sibi acclamari libēter audiret: *Dño, et Dominæ feliciter.* & quod iuberet de se scribi. *Dns, & Deus noster, sic fieri iubet.*

CAP. IV.

Idem asseritur exemplis Sanctorum.

SECVNDA ratio sumitur ab exemplis: nam si res mala esset principatus, nunquam uiri sancti cū gessissent: at habemus in Scriptura plurima exempla sanctorum

ctorum Principũ, ut Melchisedech Regis Salem, Iosephi Patriarchæ qui toti Ægypto utilissime præfuit, Moysis, Iosue, omnium fere Iudicum, Dauidis, Salomonis, Ezechiæ. Iosaphat, Iosiæ, Danielis, Mardochæi, Nehemiæ, Machabæorum, & aliorum.

In Testamento nouo videmus Ioan. 4. Regulũ credidisse in Christũ, nec tamen iussum renũciare principatui; & similiter Act. 13. Procõsulem conuersum a Paulo, non propterea, deposuisse magistratum. Videmus deinde a S. Fabiano Papa, & Martyre, & a tota Ecclesia admissum fuisse Philippum Imperatorẽ, nec illi imperatum, vt deponeret imperium, ut ex historia Eusebij lib. 6. cap. 25. colligitur.

Quod autem non sit in Testamento nouo maior copia exemplorum, ratio est, quia Dees uoluit Ecclesiam suam inchoare ab hominibus pauperibus, & vilibus, vt dicitur 1. Cor. 1. ne putaretur augmentum Ecclesiæ opus humanum, si fauore Principum creuisset. immo è contrario voluit Deus primis CCC. annis, vt Ecclesia totis viribus oppugnaretur ab Imperatoribus totius mundi, vt inde ostenderet, opus suum esse Ecclesiam, & plus posse illam patiendo, quam possent illi: cruciando.

Vnde Augustinus in epist. 50. dicit Deum uoluisse primo tempore impleri illam partem Psal. 2. *Astiterunt Reges terræ, &c.* Deinde sequenti tempore illam aliam: *Et nunc Reges intelligite.* sicut renera impletum videmus in Constantino, & successoribus eius: siquidem videmus Constantinum diuinitus edoctum, & vocatũ a Deo singulari miraculo, ut Eusebius refert lib. 1. de vita Constantini. at si res mala esset principatus, quare Christus ipse Constantinum ad Ecclesiam vocasset? Vbi nota obiter dissonantiam circa hanc historiam: nam in historia Ecclesiastica Eusebij a Russino uersa lib. 9. c. 9. habetur Constantinum per sopore vidisse signum crucis in cœlo, & deinde Angelos ei dixisse: *In hoc vince;* At lib. 1. de vita Constantini Eusebius refert, in itinere tum corporeis oculis uidisse supra solem signum crucis cum illis literis: *In hoc vince.* & idem signum a toto exercitu conspectum, & noctu postea ei apparuisse Christum, qui mysterium explicuerit, atque hæc omnia se ab ipso Constantino coram audiuisse. Itaque uerisimile est quod in historia habetur a Russino additum fuisse. Alia plurima exẽpla addi possent Iouiniani, Gratiani, Theodosij iunioris & senioris, Caroli Magni, Ludouici Pij, Othonis I. S. Henrici Imperatoris, S. Ludouici Regis Francorum, aliorumq; multorum, qui vel in Britannia, uel in Hungaria, uel in Boemia, uel in alijs regionib. sanctissime regnauerunt. Ad argumentum in contrariũ dico PRIMO, falsum esse Principes ut plurimum esse malos: hic enim non agimus de regno particulari, sed de politico principatu in genere, qualis Princeps fuit Abraham, & alij: sicut ergo fuerunt mali Principes, Cain, Nemrod, Ninus, Pharao, Saul, Hieroboam, & alij Reges Israel: ita è contrario fuerunt boni Principes, Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Iosue, omnes fere Iudices, & plurimi reges Iuda.

SECVNDO dico, exempla malorum Principum nõ probare malum esse principatũ, sæpe enim mali abutuntur rebus bonis, at exempla bonorum recte probant, principatum esse bonũ, quia homines boni non utuntur rebus malis: præterea, etiam Principes mali plus prosunt sæpe, quam obsint, ut Patet de Saule, Salomone, & alijs; denique utilius est Reipub. malum Principem habere, quam nullũ, ubi enim nullus est, non potest diu consistere Respub. dicente Salomone Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator, corruet populus.* & ubi est, licet malus, conseruatur unitas pópuli. Vide B. Thom. in opusc. 20. c. 6. lib. 1.

TERTIO dico, quod in Regibus Israel nullus fuerit bonus, ad insignem Dei prouidentiam pertinere: Deus enim id permittere uoluit, quia rebellio illa Israelitarum a tribu Iuda, significabat schismata Hæreticorum ab Ecclesia, vt EVCHERIVS docet in fi. lib. 3. super libro Regum. sicut enim inter Catholicos sunt boni, & mali: at inter Hæreticos nullus potest esse bonus, ita quoque inter Reges Iuda multi fuerunt boni, multi etiam mali. Ex Regibus Israel nullus omnino inuentus est bonus.

CAPVT V.

Idem asseritur ex fine principatus.

TERTIA ratio ducitur a fine. Principatus politicus adeo naturalis, & necessarius est humano generi, vt tolli non possit quin natura ipsa destruatur; hominis. n. natura est, ut sit animal sociale: nã bruta quidem sunt a natura ita instructa, vt possint singula sufficere, homo autem tam multis rebus indiget, ut solus uiuere nullo modo possit: nã bruta nascuntur uestita, & armata, & æstimationem habent ita determinatam ad omnia, quæ sibi conueniunt, ut naturaliter sine ullo doctore statim nouerint nidos ædificare, alimenta quærere, & medicinam etiam sibiipsis facere: at homo nascitur sine uestib. sine domo, sine alimentis, omnium rerum egenus, & quanquam habet manus, & rationem, quib. omnia instrumenta parare potest, tamen singula longum tẽpus requirunt, & adeo longum, ut sit impossibile sibi unum hominum sufficere ad omnia, præsertim cum nascamur rudes, & artes magis doctrina, quam experientia discantur: ergo necesse est, ut simul uiuamus, & unus alium iuuet.

PRÆTEREA, etiamsi quisque sufficeret sibi ad uiuendum, tamen nũquam sufficeret ad protegendum se ab impetu ferarum, & latronum, sed ad hoc necesse est conuenire, & collatis uiribus resistere, & licet sufficeret sibi etiam contra hostes, tamen semper maneret rudis, & expers sapientiæ, & iustitiæ, multarũque aliarum uirtutum, cum tamẽ ad hoc nati simus, vt mentem & uoluntatem præcipue exerceamus: nã scientiæ, & artes longo tempore, & a multis inuentæ sunt, & sine doctore percipi non possunt: iustitia autem non nisi in societate exerceri potest, cum sit uirtus constituens æquitatem inter plures.

DENIQVE, donũ loquendi, & audiendi, ideſt, percipiendi distincte uerba, quorsum homini collatum est si debeat solitarius uiuere? Itaq; recte Aristoteles lib. 1. politicorum, c. 2. dicit, hominem natura ciuile esse animal, magis q̃ sint apes, & grues, & quæcunq; animalia, & si qs solitarius uiuat aut esse bestiã, aut Deũ, ideſt, aut minus, aut maius homine, neq; ideſt contra Eremitas nostros. Nam qui penitus solitarij vixerũt, vt Paulus primus Eremita, Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, & si qui sunt alij, dici possunt aliquid amplius homine habuisse, non natura, sed gratia: nã non sine miraculo alebãtur a Deo, ut notum est; ceteri autẽ etsi in solitudine degerent, tamen frequẽter simul conueniebant, & Abbatibus suis subiecti erant, ut in disputatione de Monachis demonstrauimus.

Iam vero, si natura humana socialem uitam requirit, certe requirit etiã regimen, & rectorem: nam impossibile est multitudinem diu consistere, nisi sit, qui eam contineat, & cui sit curæ bonũ commune: sicut in vnoquoque nostrum nisi esset anima quæ contineret, & contingeret partes, & potentias, & elementa contraria, ex quibus constamus, statim omnia soluerentur. vnde Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* deinde societas est multitudo ordinata, nõ enim dicitur societas multitudo confusa & dispersa; ordo autem quid aliud est, quam series quædam inferiorum & superiorum? Necessario igitur rectores habendi sunt, si societas futura est.

Ex

Ex hac ratione soluitur TERTIVM argumentum Anabaptistarum, falsum. n. assumunt, cum dicunt, regimen politicum permissum Iudæis ob imperfectionem eorum, nobis autem non conuenire, quia vnctio doceat nos de omnibus: nam vnctio hoc in primis docet esse necessarium, habere rectorem: nec sufficit scire omnia, sed oportet etiam multa facere, & parare, quæ non possumus sine aliorum auxilio.

Et præterea hinc deducitur falsũ esse, quod M. T. dicit in primo de inuentione, fuisse olim tempus, quo homines vagarentur more bestiarum, deinde a sapiente quodam, & eloquente homine ui eloquentiæ persuasos conuenire, & simul uiuere, quod idem ét hoc tpe dicere solent quicunq; eloquentiam laudãdam suscipiunt. At reuera nũquã fuit, nec esse potuit tale tempus. Nam Adam sapientissimus fuit & sine dubio nõ permisit homines vagari more bestiarum, & Cain filius eius ædificauit etiam ciuitatem materialem: ante Cain, & Adam nulli fuerunt. Sed non mirum Ciceronem & alios Ethnicos talia dicere: nã Ethnici quia putabant mundum fuisse ab æterno, & tamen videbant omnes artes esse nouas, & non exstare memoriã nisi paucorum annorum, inde suspicati sunt, longissimo tempore homines uixisse more ferarum, & solũ exstare memoriam rerum gestarum ab eo tempore, quo cœperunt homines simul degere: sed Christiani, qui ex testimonio Dei didicerunt, mundum creatum fuisse ante annos nondum sexies millenos, & primos homines vrbes continuo habere cepisse, mirum profecto est, cur dicere audeant longissimo tẽpore hoies sine rectore, & sine ciuitatib. more ferarum vixisse.

CAPVT VI.

Idem asseritur ratione ducta ab efficiente.

QVARTA ratio ab efficiente sumitur; Nam certũ est politicam potestatem a Deo esse, a quo non nisi res bonæ, & licitæ procedunt. id quod probat August. in toto fere 4. & 5. lib. de ciuit. Dei. Nam sapientia Dei clamat Prouerb. 8. *Per me reges regnant.* Et infra: *Per me Principes imperant.* Et Dan. 2. *Deus cœli regnum & imperium dedit tibi, &c.* Et Dan. 4. *Cum bestijs, feriſq; erit habitatio tua, fœnum ut bos, comedes, & rore cœli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque uoluerit det illud.*

Sed hic obseruanda sunt aliqua, PRIMO, politicam potestatem in uniuersum consideratam, non descendẽdo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam, immediate esse a solo Deo; nã consequitur necessario naturam hominis; proinde est ab illo, qui fecit naturam hominis; præterea hęc potestas est de iure naturæ, non. n. pendet ex consensu hominum: nam uelint, nolint, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturę inclinationem. At ius naturæ est ius diuinum, iure igitur diuino introducta est gubernatio, & hoc videtur propriè uelle Apostolus, cum dicit Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

SECVNDO nota, hanc potestatem immediate esse tanquam in subiecto, in tota multitudine, nam hæc potestas est de iure diuino. at ius diuinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem, ergo dedit multitudini; præterea sublato iure positiuo, nõ est maior ratio cur ex multis æqualib. unus potius, quam alius dominetur. igitur potestas totius est multitudinis; denique humana societas debet esse perfecta Respub. ergo debet habere potestatem seipsam conseruandi, & proinde puniendi perturbatores pacis, &c.

TERTIO nota, hanc potestatem transferri a multitudine in unum vel plures eodem iure naturæ: nam Respub. non potest per seipsam exercere hãc potestatem, ergo tenetur eam transferre in aliquem unũ, vel aliquos paucos. & hoc modo potestas principum in genere considerata, est etiam de iure naturæ, & diuino, nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conueniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes uel rectores.

QVARTO nota, in particulari singulas species regiminis esse de iure gentium, non de iure naturæ. nam pendet a consensu multitudinis, constituere super se regem vel consules, uel alios magistratus, ut patet: & si causa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in Aristocratiam, aut Democratiam, & è contrario, ut Romæ factum legimus.

QVINTO nota, ex dictis sequi, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante consilio, & electione humana, ut alia omnia, quæ ad ius Gentium pertinent. ius enim gentium est quasi conclusio deducta ex iure naturæ per humanum discursum. Ex quo colliguntur duæ differentiæ inter potestatem politicam, & Ecclesiasticam: vna ex parte subiecti, nam politica est in multitudine, Ecclesiastica in uno homine tanquam in subiecto immediate: altera ex parte efficientis, quod politica uniuersè considerata est de iure diuino, in particulari considerata est de iure gentium; Ecclesiastica omnibus modis est de iure diuino, & immediate a Deo.

Ex his ad argumentum QVARTVM Anabaptistarum respondeo. PRIMO, argumẽtum solum probare de regno in particulari, non de ipso principatu in uniuersum, nos autem hoc loco principatum in uniuersum, non certam aliquam eius formã constituere uolumus. Adde SECVNDO, sæpissime regna esse iusta & iniusta; a Deo, & non a Deo: nam ex parte ipsorũ occupantium & inuadentium, regna sunt latrocinia, & iniusta; & proinde non a Deo: tamen ex parte diuinæ prouidentiæ quæ utitur mala intentione hominum, & illam ordinat uel ad peccata punienda, uel remuneranda bona opera, uel ad alios bonos fines, regna illa sunt iusta, & legitima. Deus enim interdum admirabili ratione prouidentiæ suæ, ita quibusdam regna adimit, quibusdam largitur, vt & qui regno cadit, iustissime cadat, nec tamen iuste possideat, qui regnum inuadit; daturus etiam ipse suo tempore illius inuasionis iustissimas pœnas. Ac longe alia ratione Deus filijs Israel Palęstinam tradidit possidendam, quàm illam eandem uel Salmanasar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. Siquidem filij Israel, duce Iosue, laudabili obedientia cum Palęstinis pugnabant, illisq; ad internecionem deletis, terras eorum filijs uendicabant. Salmanasar uerò, & Nabuchodonosor, detestabili sacrilegio, Dei populum captiuum ducebant: neque enim imperio Dei, sed prauæ suæ cupiditati obsequi uolebant, tametsi Deus ipsis etiam ignorantibus utebatur ad id quod iustissime fieri uolebat.

Explicant hanc rem accuratè S. Aug. lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 20. & 21. & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis par. 1. c. 29. nec desunt scripturarum testimonia. Nam Isa. 10. sic legimus: *Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem, quasi lutum platearum; ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, &c.* Vbi loquitur de Salmanasar, & Sennacherib, qui animo iniquo occupauerunt regiones Israel; tamen Deus illis nescientibus usus est eorum opera ad puniendum Israelitas.

Sic Isa. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexterã, vt subijciam ante faciẽ eius gentes, & dorsa Regum uertam. Ego ante tẽ ibo, & glorioſos terræ humiliabo, &c. propter seruũ meũ Iacob, & Israel electum*

electum meũ; & vocaui te nomine tuo, assimilaui te, et nõ cognouisti me. Ex quo loco apparet Cyrum acquisiuisse sibi Monarchiam ex cupiditate dominandi, & non propter Dei obsequium: & tamen Deum illi affuisse, & Monarchiam, quam quærebat, illi dedisse, vt ipse liberaret populum Israel de Babylonica captiuitate.

Hierem. 27. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei: Insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi, & seruient ei omnes gentes, & filio eius & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius, & ipsius, & seruient ei gentes multæ, & reges magni: gens autem, & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus omnipotens.* Et tamen quis dubitat, quin Nabuchodonosor mala intentione subiecerit sibi tot regna?

Ezechiel quoq; ait, c. 29. *Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitũ suũ seruitute magna aduersus Tyrũ & merces non est reddita ei de Tyro, p seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eã.* Et infrà: *Dedi ei terrã Aegypti, p eo quod laborauerũt mihi, ait Dominꝰ Deus.*

Sic Romani nõ propter Deum sed cupiditate gloriæ quærebant Monarchiam, vt B. Aug. ostendit prolixè lib. 5. ciuit. Dei, c. 12. & tamen Deus Monarchiã eis donauit, ut tum mercedẽ redderet bonis eorũ operib. moralib. vt idem Aug. docet lib. 5. c. 15. ciuit. Dei, tum etiam, vt per unionem omnium Gentium sub uno principatu pararetur via Euangelicæ prædicationi, ut B. Leo dicit serm. 1. de SS. Petro & Paulo.

Adde tamen, quod etiamsi initio, qui regna constituerunt, fuerint inuasores, ut plurimum: tamen successu temporis fiunt uel ipsi, vel successores eorũ legitimi Principes, quia populi paulatim cõsentiunt. hoc modo regnum Francorũ nunc omnium consensu legitimum est, licet initio Franci iniustè Gallias occupauerint. Atq; idem dici potest de regno Hispanico, quod ab inuasione Gothorum cepit, & de regno Anglorum, quod cepit ab iniusta occupatione Anglosaxonum; & de ipso Imperio Romano, quod a Iulio Cesare patriæ oppressore constitutum est: quod tamẽ postea adeo legitimum esse cœpit, vt Dominus dixerit Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.*

CAPVT VII.

Idem asseritur ex antiquitate.

QVINTA rõ sumitur ab origine; Nã etsi subiectio seruilis cepit post peccatum Adæ, tamen politicus principatus fuisset ẽt in statu innocẽtiæ: & ꝓbatur PRIMO, quia ẽt tunc homo fuisset naturaliter animal ciuile, & sociale, ac proinde rectore opus habuisset.

SECVNDO ex ipsa creatione, nam iõ Deus fecit mulierem ex uiro, & non creauit simul multos uiros, sed vnum tm̃, ex quo oẽs alij nascerent: vt indicaret ordinem & præfecturam, quam inter homines esse uolebat, vt Chrysost. obseruat homil. 34. in 1. ad Corinth.

TERTIO, quia in illo statu fuisset disparitas sexuũ, statuũ, ingeniorũ, sapientiæ & ꝓbitatis; ergo & ꝓfectura ac subiectio: nã in humana societate debuit esse ordo. Rectus aũt ordo postulat, ut inferior a superiore regatur, fœmina a uiro, iunior a seniore, minꝰ sapiẽs a sapiẽtiore, & minus bonus a meliore: qđ aũt hæ diuersitates tunc ẽt locum habuissent, sic ostẽdi potest.

In illo statu fuisset generatio, vt patet Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini*, ergo & sexus disparitas, q̃ necessario ꝓcedit generationem, & disparitas ætatum, q̃ necessario sequitur generationem; & disparitas sapiẽtiæ & probitatis, q̃ sequitur ætatum disparitatem, nõ enim fuissent nati homines perfecti in illo statu, sed debuissent paulatim discere, & proficere. Fuissent quidem omnes nati in gratia Dei, & cum maiori cognitione, quam nunc, vt Aug. docet lib. 1. de Baptismo paruulorũ, c. 38. at sine dubio nõ fuissent tam ꝓfecti, q̃ adulti, & inter ipsos adultos poterant per liberũ arbitrium alij magis, alij minus applicari ad discẽdum.

Deniq; ingeniorũ varietas oritur ex uarietate corporũ; fuissent aũt tũc corpora uaria magnitudine, forma, robore, & similib. ut patet, quia illa corpora non erãt exẽpta a legib. naturæ, & egebant cibo, aeris inspiratione, cęlorũ influxib. fuisset igitur etiam tũc ingeniorũ diuersitas. Vide B. Thom. 1. par. q. 96. & 105.

QVARTO, inter Angelos est præfectura, & subiectio, cur ergo inter homines non fuisset in statu innocentiæ? certè Beelzebub dicitur princeps Dæmoniorum, Matth. 12. qui sane principatum non acquisiuit peccando, sed retinuit quem ante habebat in eos Angelos, qui eum secuti sunt. & Apocal. c. 12. dicitur: *Michael & Angeli eius.* denique Dionysius, c. 9. cœlestis Hierarchiæ, dicit primam Hierarchiam Angelorum præesse, & imperare secundæ, & secundam tertiæ. & B. Greg. hom. 34. in Euang. dicit nomina Principatuum, & Dominationum in Angelis, aperte significare, quod alij alijs præsint.

Ex his ad argumentum QVINTVM respondeꝛ, nõ pugnare libertatem, in qua creati sumus, cum politica subiectione, sed solũ cum despotica. i. cum uera, & propria seruitute; differt aũt politica subiectio a seruili, quod subiectus seruiliter, est, & operatur propter alium; subiectus politice, est, & operatur propter se; seruus regitur nõ in sui, sed in domini sui commodũ, ciuis regitur in commodum suum, non in commodũ magistratus; sicut è cõtrario Princeps politicus, dum regit populum, non suam, sed populi utilitatem quærit, Tyrannus autem & Dominus, non populi sed suã quærit, ut Aristot. docet, lib. 8. de morib. c. 10. Itaque reuera si ulla est seruitꝰ in politico principatu, magis proprie seruus dici debet qui præest, quam qui subiectus est, ut docet Aug. lib. 19. ciuit. c. 14. & hoc ad literam significat illud Domini Matt. 20. *Qui voluerit inter vos primus fieri, erit omnium seruus:* quomodo Episcopi seruos se plebium suarum, & summus Pontifex seruum seruorum Dei se nominat.

Ad PRIMVM locũ ex c. 1. Gen. dico, ibi agi de principatu despotico; sic enim dominari debuit homo piscibus maris, & volatilib. cœli, alijsque animantibus.

Ad SECVNDVM dico mulierem tam ante peccatũ, quam post, sociam & subiectam esse uiro, sociam in generatione, subiectam in gubernatione. Illud autẽ: *Sub viri potestate eris*, non significat quamcunq; subiectionem, sed inuoluntariam, & cum tristitia ac timore, qualẽ ut plurimum experiuntur mulieres coniugatæ: ita docet B. Augustin. lib. 11. Gen. c. 37. *Neque enim*, inquit, *& ante peccatum aliter factam fuisse, decet credere, mulierem, nisi ut uir ei dominaretur, & ad eũ ipsa seruiendo conuerteretur, sed recte accipi potest hanc seruitutem significatam, qua cuiusdam conditionis est potius, quam electionis.*

Ad TERTIVM fateor, Cain primum ædificasse materialem ciuitatem, sed non propterea sequitur ibi cępisse politicum regimen: nam etiam sine ciuitate materiali põt esse Respub. & Principatꝰ: neq; negari põt quin Adamo subiecti fuerint filij & nepotes eius.

Ad QVARTVM dico, Augustinũ loqui de seruitute ꝓprie dicta, ut ex toto illo capite patet: ubi iter alia sic ait: *Conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori, &c.* Neq; obstat quod Augustin. ibidem dicit, inde primi iusti, pastores, magis pecorum, quam Reges hominum cõstituti sunt, ut hinc ẽt insinuaret Deꝰ, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritũ peccatorum: nam hoc loco respicit ad abusum nominis regij, quod interdum accipiat pro despotico principatu: nam ut idẽ Augustinus ait lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 12. Rex dicitur a regendo, & consulendo, non a

regnan-

regnando atque dominãdo; & hoc modo Abraham, Isaac, & Iacob Reges dici potuissent: tamen quia fastus humanus Regem dici putat a regnando & dominando, vnde est illud Domini Lucæ 22. *Reges Gentiũ dominantur eorum*; ideo primi iusti, pastores pecorum potius, quam Reges hominum dicti sunt.

Ad QVINTVM dico, Gregorium nõ loqui de principatu politico simpliciter, sed adiuncto metu, & tristitia, & timore, &c. quæ per peccatum inuecta sunt. & cũ ait, omnes homines natura esse æquales, & per peccatum fieri inæquales, & ideo unum ab altero regi debere, non intelligit homines natura esse æquales sapientia uel gratia, sed æquales in essentia & specie humana: ex qua æqualitate recte colligitur, non debere vnum alteri dominari, quomodo homo dominatur bestijs, sed solum debere unum ab altero regi politice. Vnde ibidem subdit. *Nam contra naturam superbire, est ab æqualibus velle timeri*; quia uero peccatores per peccatum similes fiunt bestijs, & degenerant ab ea naturæ integritate, in qua creati fuerãt; ideo ibidem Gregorius dicit recte post peccatum unum alteri dominari cepisse; cum terrore minando & puniendo, quod in statu innocentiæ non fuisset.

CAPVT VIII.

Principatum siue dominium in impijs esse posse.

QVOD SECVNDO loco ꝓposuimus, uidelicet principatum in impijs esse posse, facile probare potemus. Ac primũ occurrit error Armacani, qui lib. 10. quæstionum Armenicarum, c. 4. docet, titulum præcipuum dominiorum esse gratiam Dei, siue iustitiam & caritatem: alios autem titulos omnes in hoc fundari, & qui iustitia & gratia Dei carent, nullum habere verum dominium. Eundem errorem eodem tempore docuit Ioãnes VViclef, quem refellit optime Thomas VValdensis lib. 2. doctrinalis fidei, ca. 81. & seq. vsq; in finem libri, & postmodũ errorem eundẽ asseruit Ioãnes Hus, ut patet ex Conc. Constãtiẽsi, sess. 15.

Argumenta eorum erãt tria. PRIMVM ex Scriptura Oseæ 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui, argentum suum & aurum suũ fecerunt sibi idola, ut interirent.* Vbi Dominus improbat dominia improborum Regum, & dicit, se non dedisse ea illis, & caussam reddit, quia idola sibi fecerũt. SECVNDVM argumentum ex illo Eccles. 10. *Regnum a Gente in Gentem transfertur propter iniustitias.* Argumentum TERTIVM, ex ratione, quia non est dominium, nisi a Deo, Deus autem nullo modo conferret dominia improbis, tum quia hostes eius sunt; tum etiam, quia videretur approbare abusum; abutuntur enim omnes impij sua potestate.

Hic error facile refellit. PRIMO, Scripturis, Sap. 6. *A Domino data est potestas vobis, & cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, &c.* Isa. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, &c.* Hierem. 27. *Ego dedi*, inquit Dominus, *omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis. &c.* Et Dan. 2. *Tu es Rex Regum, & Deus cœli dedit regnum tibi, &c.* Et Rom. 13. & 1. Pet. 2. Apostoli Petrus & Paulus docent, Regnum potestatem esse a Deo, & illis obediendum, cũ tamen nulli tunc essent Reges, nisi infideles.

SECVNDO, ex Concilio Constantiensi, sess. 8. & 15. vbi hunc errorem Ecclesia damnauit.

TERTIO, ex Augustino, qui li. 5. de ciuit. Dei, c. 21. *Quæ cum ita sint*, inquit, *non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piijs, regnum vero terrenum & piis & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.* Et infra: *Qui dedit*, inquit, *Mario, ipse & Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasiano vel patri uel filio, suauissimis Imperatorib. ipse et Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constãtino, ipse Apostatæ Iuliano.*

QVARTO, ratione: nam dominij fundamentũ non est gratia, sed natura; homo. n. quia factus est ad imaginem Dei, proinde mente ac ratione præditus est, ideo dominatur rebus inferioribus, vt ex 1. cap. Gen. deduci potest: at natura in infidelib. manet, licet gratia careãt, igitur & dominia uera habere possunt. Ad hæc cum gratia & iustitia sit occultissima, & nemo sciat de se, vel de alio, an sit uere iustus, si gratia esset titulus dominiorum, sequeretur, nullum dominium esse certum. Ex quo nasceretur incredibilis confusio & perturbatio inter homines. Neque argumenta eorum aliquid concludunt.

Ad PRIMVM dico, illis verbis nõ improbari a Deo Reges malos, sed improbari, quod Iudei voluerint habere Regem, cum Deus esset Rex eorum: nam, vt exponit B. Hieron. in hoc c. 8. explicat Osee causssas, propter quas populus Israel tradendus erat in captiuitatem, & vnam dicit esse, quia uoluerunt habere Regẽ, alteram, quod fecerunt sibi idola. Quod autem ualde peccauerint, uoletes Regem habere, perspicuum, est ex lib. 1. Reg. c. 12. ubi post electum Saulem in Regẽ, Samuel sic ait ad populum; *State, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias; & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem.*

Ad SECVNDVM dico, transferri regna de Gente in Gentẽ propter iniustitiã, quia Deus propter peccata Regum sæpe donat uictoriam hostib. eorum, sed non propterea eo ipso, quod peccant, ius regni amiserunt.

Ad TERTIVM dico, Dei benignitatem decere, ut etiam hostib. suis benefaciat, ut legimus in Euãgelio Matt. 5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* neque propterea approbat abusum. Non enim donat regna impijs, vt eis abutantur, sed vel ut beneficentia sua inuitati conuertantur a peccatis suis, vt B. Hieron. exposuit in illud Isa. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro; Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas coteram & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus, &c.* uel vt remuneret quædam benefacta eorum, ut B. Aug. docet lib. 5. de ciuit. Dei, c. 15. vel denique, quia interdum hoc merentur peccata populorũ, ut idem Aug. docet li. 5. de ciuit. Dei, c. 19. ex illo Iob 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Idẽ tamen Aug. li. 19. de ciuit. Dei, c. 21. dicit, apud infideles nõ posse esse iustitiã, nec iura, nec uerum populũ, aut Remp. &c. sed uocat ueram iustitiam, & vera iura, quæ ducunt ad uitã æternam. vide lib. 5. in Iul. c. 3.

CAP. IX.

Proponitur quæstio de potestate magistratus.

SEQVITVR TERTIA quæstio; Liceatne Christiano magistratui leges condere, iudicia exercere, & punire improbos. Sunt autem duo errores refellendi. PRIMVS est VValdensium & Anabaptistarum, qui hæc omnia negant. Argumenta vero sunt, quod legũ obligatio tollat Christianam libertatem, iudicia autẽ prohibeantur, Mat. 5. *Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium.* Et 1. Cor. 6. *Delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. cur non magis fraudem patimini? quare non magis iniuriam accipitis?* Deniq; punire gladio interdictum videtur Christianis, Mat. 5. *Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo*; constat autem in lege veteri non fuisse permissum,

missum, nisi magistratui, pœnam talionis inferre; ergo hoc ipsum Christus prohibet, qui etiam Matt. 26. ait: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

Secvndvs error Caluini est, qui etsi lib. 4. institu. c. 20. probat contra Anabaptistas, in Ecclesia debere esse leges ciuiles, iudicia & gladium, tamen lib. 4. instit. c. 10. §. 5. asserit leges ciuiles non obligare in conscientia: quod ante illum docuerat Ioannes Gerson de vita spirituali, lect. 4. & Almain de potestate Ecclesiastica, q. 1. c. 10. Rationes hæ sunt.

Prima, quia potestas politica est temporalis, ergo nihil ei cum conscientia. Secvnda, quia finis legum ciuilium est pax externa. Tertia, quia Princeps nō iudicat de internis. Qvarta, quia Princeps non potest inferre pœnam spiritualem, ergo nec ad illā obligare. Qvinta, quia Princeps non potest absoluere; ergo nec ligare. Sexta, quia bis puniretur idem peccatum, semel hic, semel in alio seculo. Septima, quia Princeps vt plurimum non intendit obligare ad culpam. Octava, quia potius debemus præuaricari gratissimam legem ciuilem, quam leuissimam diuinam, vt illam de non mentiendo officiosè; at ista non obligat, nisi ad uenialem culpam, ergo illa ad nihil obligat: nam si obligaret ad peccatum, præcipue mortale, oporteret potius cauere mortale, quam ueniale.

CAPVT X.

Prima Propositio.

Licet *Christiano Principi leges condere.* Probatur: Nam in primis proprium est Principis leges condere, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et Isa. 33. *Dominꝰ Rex noster, Dominus Legifer noster.* nam Regis est iubere, & iubendo dirigere. Porro lex est ipsa iussio & regula; ergo si Christiani esse possunt Principes, certe etiā possunt leges cōdere; & cōfirmatur ex Augustino li. 19. de ciuit. Dei, c. 17. *Ciuitas*, inquit, *cœlestis dum apud terrenam ciuitatem, uelut captiuam uitam suæ peregrinationis agit iam promissione redemptionis, & dono spiritus, tanquam pignore accepto, legibus terrenæ ciuitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali uitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat.* Et infra: *Hæc ergo cœlestis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus ciues euocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus institutisq; diuersum est, quib. pax terrena uel conquiritur, uel tenetur, nihil eorum rescindens, uel destruens, immo etiam seruans, ac sequens.*

Secvndo probatvr ex necessitate legum ciuilium; Christiani ex eo q; Christiani sunt, non desinūt esse homines, & ciues, & proinde mēbra Reipub. tēporalis, ergo debent habere regulam aliquam actionum suarum humanarum, qua dirigantur in cōmercijs, & consuetudine cum alijs hominib. non sufficit autē lex naturalis, quia solū principia generalia ostendit, neq; ad particularia descendit; non sufficit etiam lex Euangelica, quia illa tractat solum de rebus diuinis & cœlestib. ut notum est: lex autem diuina politica Testamenti ueteris iam cessauit, solum. n. conueniebat uni illi populo Iudæorem, & in illo statu: ergo necessaria est alia aliqua regula humana, nimirum arbitrium Principis; aut lex ciuilis auctoritate Principis constituta. Et quanq; arbitrium Principis aliquo modo sufficere possit, qn Princeps est sapiēs, & populus exiguus: tn absolutè necesse est, populum regi legib. non solo arbitrio Principis, si recte regi debeat. Quod interdum sufficiat arbitrium Principis, patet, quia antiquiora sunt regna, q̄ leges. Iustinus lib. 1. histor. dicit, olim populos sine ullis legib. solo Principū arbitrio, gubernari solitos; & ex Liuio lib. 3. constat, Rom. Remp. ad annos C C C. sine legib. gubernatā. Deniq; antiquissimus legislator uel est Moses; ut Iosephus contendit in 2. lib. contra Appionem, uel certe Phoroneus qui C C C. annis Mose fuit antiquior, vt Eusebius in Chron. & August. li. 18. ciuit. Dei c. 3. docent. At qui ante Phoroneum cōstituta sunt regna Assyriorum, Argiuorum, Ægyptiorum, & aliorum.

Quod autem melius sit regi populum legib. quam solo Principis arbitrio, immo quod sit hoc aliquo modo necessarium, affirmat Aristot. lib. 3. polit. ca. 11. Et probatur Primo, quia facilius est inuenire unum uel duos bonos & sapientes, quam plurimos. Si Resp. debeat regi arbitrio boni Principis, indigebit infinitis bonis Principibus, quorum unus alteri succedat; at si gubernetur legibus, sufficit semel fuisse aliquos, uel unum sapientem, qui legem fecerit.

Secvndo, qui leges condunt multi sunt; & diligēter eas examinant: at Princeps est unus, & sæpe repēte iudicare debet.

Tertio, qui leges fecerunt, sine amore & odio iudicarunt, nā de rebus absentib. iudicarunt, Princeps de præsentibus iudicat, ubi locum habent amici, propinqui, munera, terrores, &c. vnde iudicium legū est iudicium solius rationis, iudicium hominis est iudicium rationis & libidinis, id est, hominis & bestię.

Qvarto, iudicium Principis etiamsi rectissimū sit, vix vnquam caret suspicione, inuidia, querelis, maledictis: at iudicium legis his omnibus carer, quippe quod scitur non posse corrumpi muneribus.

Qvinto, gubernatio per leges pōt longissimo tpe eadem perseuerare: at iudicia hoium sæpe mutantur.

Sexto, gubernatio p leges pōt reduci ad artē, & facilior effici; non autē gubernatio ad arbitriū hominis.

Septimo, melior est gubernatio Principis per se, quam per vicarios: at gubernatio sine legibus necessario requirit multos vicarios, qui omnes ad arbitriū suum iudicent: quando autem per leges gubernatur, ipse Princeps omnia per se iudicare censetur, cū eius legibus iudicetur.

Tertio probatvr: nam si non liceret Principi Christiano legib. obligare populum, id esset propter libertatem Christianam, sed hoc dici nō potest. nam tantum abest, ut lex opponatur libertati Christianæ, vt potius opponatur seruituti contrariæ eidem libertati, id quod ostendo ex ipsa natura libertatis Christianæ: nam libertas Christiana opponitur seruituti peccati, Io. 8. *Amen, amen dico uobis, qui facit peccatū, seruus est peccati; seruus autem nō manet in domo in æternum: filius manet in æternum: si ergo uos Filius liberauerit, uerè liberi eritis.* Et Rom. 6. *Liberati a peccato, serui facti estis iustitiæ.* Vocatur autē hæc iustificatio a peccato libertas quædam, quia qui in peccato est, donec non liberatur per gratiam, non potest uelle bonū ordinatum ad vitam æternam: habet quidem liberum arbitrium, quia potest ex phitib. malis eligere unum, & etiam eligere bonum morale: at eligere bonum diuinum nō pōt, nisi saltē liberari incipiat p Dei grām pœnitentem, quia captiuus tenetur a Diabolo ad ipsius uoluntatem, ut dicitur 2. Timot. 2. at liberum arbitrium liberatum per gratiā potest bonum diuinū velle, & facere. Sed maior adhuc libertas erat in statu innocentiæ, quia tunc homo poterat nullum unq̄ vel le malum, quod nunc etiam iusti nō pōt: maxima autē erit in cœlo, ubi non poterimus velle ullū malum.

Itaque triplex est gradus libertatis, sicut etiam triplex gradus uitæ corporalis. Primvs est beatorum, qui sic poterunt uiuere, ut non possint mori, & sic poterunt bene agere, ut non possint peccare.

Secvndvs fuit Adami & Euæ in statu innocentiæ, qui sic poterāt uiuere, vt possent etiam nunquam mori, & sic poterāt bene agere, vt possent etiam nunquam peccare.

Tertivs

TERTIVS noster, qui sic possumus viuere, vt nō possimus aliquando non mori; & sic possumus bene agere, vt non possimus non peccare saltem venialiter; infra hos tres gradus non est quartus, nisi non viuere, & non bene agere, qui gradus ad damnatos pertinet, vide August. li. de corrept. & grat. c. 11. Cum ergo libertas consistat in eo, ut possimus eligere bonum & reijcere malum, manifestum est, legem non pugnare cū libertate; non enim impedit, quo minus possimus eligere bonum & reijcere malum, sed contra potius iuuat: nam præbet materiam exercendæ libertatis. At seruituti rectè opponi dici potest lex, quia non potest impleri a seruo peccati. vnde Paulus Rom. 3. *Quid ergo*, inquit, *legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.* vide August. de spiritu & litera, c. 30.

Probatur SECVNDO hoc idem, Lex diuina non pugnat cum libertate, ergo nec lex humana. Antecedēs patet, nam Adam liber creatus est, & tamen lex ei imposita fuit, vt non uesceretur ligno scientiæ boni & mali, Genes. 2. Probatur consequentia; nam lex diuina & humana quoad obligationem sunt omnino æquales, ut patebit in sequenti capite.

CAPVT XI.

Secunda Propositio.

LEX *ciuilis non minus obligat in conscientia, quam lex diuina, etsi minus firma & stabilis sit hæc, quam illa.*

Explico, lex diuina & humana differunt quo ad firmitatem, quia diuina nō potest abrogari ab homine, humana potest; at quoad obligationem non differunt, utraque enim obligat in conscientia, nunc ad mortale, nunc ad ueniale peccatum pro retum ipsarum grauitate, ita ut nulla sit melior regula ad discernendum, utrum lex humana obliget ad mortale, an ad ueniale, quam cogitare legem illam esse diuinam, & uidere, si diuina esset, quomodo obligaret.

Probāt PRIMO, uis obligatiua est de essentia legis, ut dictū est li. 4. de Pontifice, c. 16. & obligare est effectus necessarius legis, ergo ois lex & a quocunq; feratur, siue a Deo, siue ab Angelo, siue ab homine, & homine siue Epo, siue rege, siue patre, eodem modo obligat. Probatur consequentia a simili, nam quia hoīs essentia est, rationale esse, & propria passio esse risibilē, omnis homo est rationalis & risibilis, siue sit creatus a solo Deo, ut Adam; siue a Deo ex alio homine, ut Eua, siue ab hominibus genitus, ut Cain. Antecedens patet, nam lex est regula morum, regulæ autem proprium est intrinsecè ita dirigere, ut recessus ab ipsa sit peccatum in moribus, sicut recessus a regula in naturalibus dicitur peccatum naturæ, ut sunt monstra, & recessus a regula in artibus est peccatum artis.

Vbi notandū est, q̄ sicut res ceteræ, quoad existentiā, pēdēt ab agente, nō quoad essentiā, essentiæ. n. sūt æternæ; sunt. n. quædā participationes possibiles diuinæ essentiæ: ita ēt lex, quoad existentiā, pendet a legis latore; non. n. erit lex, nisi dictetur ab eo, qui habet auctoritatē. at quoad essentiā non pēdet, quod. n. lex obliget, est quid æternū, & immutabile, & participatio quædam legis æternæ Dei, quæ est prima & summa regula; & hoc uidetur uoluisse dicere B. August. li. 22. contra Faustū, c. 27. cum ait: *Peccatū est dictum, vel factū, vel concupitum, contra æternam Dei legē.* Nam siue quis præuaricetur legem naturalem, siue positiuam, siue diuinam, siue humanam, semper peccat cōtra legem æternam, quia omnis lex est legis æternæ participatio. Et quanqnam nō potest fieri, ut aliqua uera lex non sit a Deo, cum lex non possit condi, nisi ab habente potestatem, & non sit potestas, nisi a Deo Rom. 13. tamen (si per impossibile) esset lex non a Deo, adhuc obligaret ad culpam, sicut si (per impossibile) homo existeret non factus a Deo, adhuc esset rationabilis.

Probatur SECVNDO; nam si lex obligaret solū quia diuina, omnes leges diuinæ æqualiter obligarent, ut patet, nam eadem esset ratio obligationis in omnib. At hoc est falsum, nam magis obligat lex, nō occides, quam lex, non furaberis; & magis lex, non furaberis, quam lex non mentieris; & lex non mentieris, quam lex, non loqueris uerbum otiosum.

Præterea TERTIO, ostensiuè, illa lex diuina magis obligat, cuius uiolatio est magis contraria fini legis, id est, caritati, ideo. n. peius est occidere, quā furari, qa magis contra caritatē; & ideo mortale est mētiri perniciosè, ueniale est mentiri officiosè, quia illud est cōtra caritatē: hoc uero præter caritatem: sed lex humana ēt habet pro fine caritatē, & ordinat media ad hūc finem. quod. n. ait Apostolus 1. Tim. 1. *Finis præcepti est caritas*, de omni præcepto intelligitur, & patet; nā lex ciuilis iusta, semper est uel conclusio, uel determinatio legis diuinæ moralis: ergo habent eundem finem, & solum in hoc uidentur differre, quod lex humana dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, id est, ad pacem & conseruationem Reipub. lex autem diuina dirigit etiam in ordine ad internos actus caritatis: igitur eadem est ratio legis diuinæ & humanæ, quod attinet ad obligationem.

SED OBIICIES; si ex natura rei, & ex ordine ad caritatem sumitur grauitas peccati, superfluæ sunt leges. nam æquè obligamur ante legem ac post legem ad id fugiendum, quod natura sua lædit caritatem, & ad id faciendum, quod est necessarium ad conseruandam caritatem.

RESPONDEO, negatur consequentia, nā si lex nō adsit generaliter aliquid præcipiens, aut prohibens, multa quæ sunt mala uni, non erunt alteri mala, v. g. si lex non sit, quæ prohibeat gestare arma, erit malū gestare arma ei, qui facilè prouocatur ad irā, & qui hēt inimicos, quib. cupit nocere. at non erit malū homini pacifico, & qui solum cupit seipsum defendere; tñ si id lex prohibeat, iam est malū omnibus; lex. n. nō debet respicere, quid huic aut illi sit bonū vel malū, sed qd prosit, aut obsit Reipub. PRÆTEREA plurima sūt necessaria vel noxia bono communi, quæ tamen nō sūt bona, vel mala ulli in particulari, nisi lege præcipiantur, vel prohibeantur. Verbi gratia, tributum necessarium est Regi, tamen si lex non adsit, non est necessarium, vt ego soluam; nam parum prodest meū solius tributum Regi, neque ad me pertinet videre, quibus rebus indigeat Respub. & sic possent omnes dicere. Similiter noxium est Reipub. exportari aurum ex prouincia, at non est noxium notabiliter, quod ego solus exportem meum aurum, & sic omnes dicere possent; Lex ergo necessaria est, quæ generaliter præcipiens & prohibens, publicæ utilitati prospiciat.

QVARTO, lex diuina positiua ideo obligat ad peccatum, quia constituit actum, quem præcipit in genere uirtutis, cum ante non esset; nam si Iudæus non ex contemptu, sed ex cibi appetitu moderatè comedisset carnem suillam in lege prohibitā, sine dubio peccasset, non autem peccasset formaliter contra obedientiam, quia non ex contemptu, ergo contra temperantiam; at moderatè uesci carne suilla, ex se non est contra temperantiam, sed res quædam indifferens, ergo lex fuit, quæ illam abstinentiam fecit actū temperantiæ necessariū. At hoc idem uidemus in lege humana: nam lex diuina non alia de caussa facit esse actum uirtutis eum, qui ex se erat indifferens, nisi quia est regula morum ab eo positi, qui habuit auctoritatem præcipiendi. Sed homo etiam potest præcipere, & regulas morum constituere, ut supra ostendimus, potest igitur homo lege sua constituere actum, alioqui indifferentem, in genere uirtutis: proinde pares sunt lex diuina & humana, quoad obligationem.

QVINTO, lex diuina & humana ita differūt, ut lex Regis & Proregis, siue lex Pōtificis & eius Legati. At

istæ obligant eodem modo, & solum differūt firmita te, ergo & illę. Propositio patet: nā Scripturę passim testātur, Reges esse ministros Dei, & ab illo habere auctoritatē, & loco eius iudicare, Prouer. 8. Sap. 6. Rom. 13. 1. Petri 2. Assumptio etiam patet; nam auctoritas Proregis est a Rege, & Legati à Papa. & experientia idem testatur, & cōfirmatur ex sanctis Patrib. Augustino & Bernardo. Augustinus in titulum Ps. 70. *Vbi*, inquit, *hoc iubet pater, quod contra Dominum non sit, sic audiendus est, quomodo Deus, &c.* Certum autem est, maiorem esse Regis, quā patris auctoritatem, vt idem Augustinus dicit serm. 6. de verbis Domini. Bernardus tractat. de præcep. & dispensatione. *Siue Deo, sive homo vicarius Dei mādatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo*, vbi clarè dicit, differre leges ex parte materiæ, non autem ex parte præcipientium.

At Obicies; nam B. Bernardus ibidem loquens de mandatis hominum, dicit, iussa sine culpa non negliguntur, sine crimine non contemnuntur, vbiq; .n. & culpabilis neglectus, & contemptus dānabilis est: vbi videtur dicere, legem humanam nunquam obligare ad culpam mortalem, nisi ratione contemptus. Respondeo, loquitur de præceptis rerum leuium, in talibus enim non potest esse crimen, nisi ratione contemptus. Nec enim possunt Prælati pro arbitrio obligare ad culpam mortalem.

Sexto probatur, quia videtur implicare contradictionem, posse Principes obligare ad pœnam, & non ad culpam, si quidem culpa et pœna relatiua sunt. & B. Augustinus dicit lib. 1. retract. c. 9. *Omnis pœna si iusta est, pœna peccati est.* Et in epist. 105. & alibi, Deū ipsum fore iniustū asserit, si quenquā dānaret innoxiū. Quo modo igitur possūt Principes damnare ad mortē, eos, qui leges suas præuaricātur, si illi nihil peccauerunt? si culpam in conscientia non contraxerunt.

Dices; quomodo ergo Regulę quorundā religiosorum obligant ad pœnam, & non ad culpam? Respondeo, obligant non per modum legis, sed per modum conuentionis & pacti, vt leges purè pœnales. Nec illa est propriè pœna, sed pœnalis afflictio susceptа in auxilium spiritus.

Septimo & vltimo ex doctrina Apostolorum; nā Rom. 13. Paulus multis modis id asserit. Primo, cum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, nō enim est potestas nisi a Deo:* Secundo, cum ait: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Tertio, cum ait: *Qui aūt resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Id enim de ęterna damnatione exponunt Patres Græci & Latini in hūc locum. Quarto, cum ait: *Ideo necessitate subditi estote.* Quinto, cum ait: *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiā.* Sexto, cum ait: *Ministri enim Dei sunt.* 1. Pet. 2. *Subiecti estote propter Deum*, id est, non solum timore pœnæ. Ad argumenta in contrarium.

Ad Primvm, Secvndvm, & Tertivm respondeo, ex eo, quod potestas politica est tēporalis, & eius finis est pax exterior, & homo nō iudicat de internis, rectè colligi, eam non posse obligare, nisi ad actus tēporales & exteriores; non autem nō posse obligare in conscientia; nam etsi ista regula dirigat actus exteriores, tamē quia regula est, ab ipsa deuiare, peccare est.

Dices; quō pōt lex, vel potestas tēporalis pducere effectū spiritualē, ideſt, ligare cōsciētiā? Respondeo, licet potestas politica & eius lex dicantur tēporales ratione obiecti, quia versantur circa temporalia, & exteriora; tñ in se res sunt spirituales. Præterea, ligare conscientiam non est aliquid efficere in rem spiritualem, sed solum imperare alteri, & sic imperare, vt si is non obediat, peccet, & testimonio propriæ cōsciētiæ intelligat, vel intelligere possit, se peccare. Itaq; quicunque potest iubere, pōt ligare conscientiam, etiamsi is de interнis non iudicet, nec scrutetur conscientiam alterius.

Ad Qvartvm, & Qvintvm dico, Principē non posse inferre pœnam spiritualē & æternam, nec posse dimittere eiusmodi pœnā, & tñ posse obligare ad illā; quia id facit auctoritate Dei, q ei cōcessit vnum, & non alterum; sicut si Rex pmitteret Proregi obligare subditos ad pœnā capitis, & tñ non permitteret ei per se exercere iustitiam, vel condonare supplicium. Vel dicendum est, legem politicam obligare ad pœnā æternam, nō vt est lex hominis, sed vt est lex ministri Dei. Qui enim ministrum Dei offendit, simul ēt Deum ipsum offendit, quocirca si (per impossibile) Deus non esset in rerum natura, & tamen lex politica similiter p impossibile extaret aliqua, illa obligaret in conscientia & eius præuaricatio peccatum esset, sed nulla sequeretur præuaricatorē pœna spiritualis aut ęterna dānatio.

Ad Sextvm dico, non esse absurdum, idē peccatū puniri a plurib. & plurib. in locis, quādo plures offendit, sicut videmus homicidis sępe abscindi manus in eo loco, vbi cædem patrarunt, & deinde in loco publicæ iustitiæ abscindi caput.

Ad Septimvm dico, ex intentione legislatoris pē dere; an velit reuera imperare, & veram legem condere; an vero solum ostendere quid agendum sit, sine alio imperio: sed si velit seriò imperare, & veram legē condere, non est in eius potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, aut veniale, pro rei magnitudine.

Ad Vltimvm dico, quod legi diuinæ cedat humana, qñ simul seruari nequeunt, non esse causſam, quia humana non obliget ad peccatum, sed quia lex humana minus firmiter statuta est; in tali enim casu desinit esse lex, & proinde etiam obligare. Vide q̄ diximus in lib. 4. de Pontifice; & præterea Ioannē Driedonē in 3. li. de libertate Christiana; Adrianū quodlibeto 6. Frā ciscū Victoriā in relectione de potestate ciuili: Alphō sum a Castro, li. 1. de potestate legis pœnalis, cap. 4. & Dominicum a Soto, lib. 1. q. 6. ar. 4. de iustitia & iure.

CAPVT XII.

Tertia Propositio.

Iudicia *publica exercere nō est illicitum Christianis.* Probat Primo, qa ppriū ē Principis iudicare; Scriptura n. ferē cōiungere solet Regē & Iudicē, Ps. 2. *Et nūc Reges intelligite, erudimini, q̄ iudicatis terrā.* Isa. 33. *Dominus Rex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Iudex noster.* Hier. 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Si ergo licet Christianis habere Principem, cur non & Iudicem?

Secvndo, quia nihil prodessent leges, si nulla esse deberent iudicia: at leges tolli non debent, vt supra ostensum est, igitur nec iudicia.

Tertio, Scriptura vtriusq. Testamenti iudicia admittit; sic enim legimus Deut. 16. *Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iusto iudicio.* 1. Corinth. 6. *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum; sic non est sapiens quisquam in vobis, qui iudicare possit fratrem suum?* Vbi Apostolus monet Corinthios vt in ijs causſis, in quib. non tenebātur necessario adire tribunalia Gētilium, constituerent inter se iudicē.

Neq. difficile erit argumēta soluere, quę initio posita sunt. Ad illa igitur verba Matth. 5. *Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque illi & palliū.* Respondeo cum S. Augustino in epist. 5. ad Marcellinū, ea solum intelligi debere secundum animi præparationē: nam ibidem Dominus ait: *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* Et tamen idem ipse Dominus Ioan. 18. percussus in maxilla, non præbuit alteram, sed dixit: *Cur me cædis?* Quo exemplo docuit, quemadmodum ea præcepta intelligenda sint.

Ad

Ad verba Apostoli 1. Cor. 6. *Delictũ est in vobis, etc.* dico PRIMO, vocẽ *Delictum*, Græce esse ἥττημα, quod non peccatum, sed imperfectionem significat, & sic exponit Theodoretus. Dico SECVNDO, si delictum significet peccatum, ut exponũt Chrysostomus & Ambrosius in hunc locũ, & Aug. in Enchir. ca. 78. & li. 2. de serm. Domini in mõte, c. 15. & conc. 24. in Ps. 118. dico, inquam, vocari delictum, non quod in se peccatum sit, sed quia ut plurimum non caret peccato; vel ratione finis, vt quando litigatur ex auaritia; vel ratione medij, ut quando litigatur cum odio, rancore, iurgijs; vel ratione iniustitiæ, ut quando miscentur doli, & fraudes: vel ratione scandali, ut accidebat Corinthijs, qui cum offendiculo Gentilium litigabant. Dico TERTIO, non reprehendi iudicia ex parte iudicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset iudicare; iudicia enim finem imponunt litibus, quod est bonum.

CAPVT XIII.

Quarta Propositio.

LICET *Christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis.* Probatur PRIMO Scripturis: nam in lege naturæ, Mosis, & Euangelica habemus præcepta, & exempla huius rei. Nã Gen. 9. Deus ait: *Qui effuderit humanũ sanguinẽ, fundetur sanguis illius.* Quæ verba non possunt sonare prædictionẽ, quia prędictio huiusmodi sæpe esset falsa, sed ordinationẽ, & præceptum. Vnde Chaldaica paraphrasis vertit: *Qui effuderit sanguinem cum testibus, ex sententia iudicis fundetur sanguis illi9.* Gen. 38. dixit Iudas: *Producite eam, vt comburatur.* Vbi Iudas Patriarcha tanq̃ princeps familiæ adiudicauit adulteram ad ignis supplicium.

In lege Mosis plurima sunt præcepta, & exemplã. Exod. 21. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Et ipse Moses, Iosue, Samuel, Dauid, Helias, alijq̃; SS. viri plurimos occiderunt. Mat. 26. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quæ uerba non possunt recte intelligi, nisi hoc modo; Omnis, qui eędem iniustam fecerit, debet a magistratu pariter occidi. reprehendit enim Dominus Petrum, nõ quod iusta defensio sit illicita, sed quod non tam se aut Dominum defendere, quam iniuriam Domino factã ulcisci vellet, cum tamen ipse non haberet publicam auctoritatem, ut recte exponunt Aug. tract. 112. in Ioã. & Cyril. lib. 11. in Io. c. 35. præterea Rom. 13. *Si male egeris, time; non enim sine caussa gladium portat, minister enim Dei est.* Apostolus dicit datum gladium a Deo principibus cõtra facinorosos, ergo si in Ecclesia tales reperiantur, cur gladio feriri non poterunt?

SECVNDO probatur ex Patrum testimonijs. INNOCENTIVS I. in epist. 3. ad Exuperium, c. 3. interrogatus, an post Baptismũ liceret magistratui gladio animaduertere in sontes? Respondet, omnino licere. HILARIVS in can. 32. siue in c. 26. Matth. dicit licere occidere in duobus casibus, nimirum si quis iudicis fungatur officio, aut in sui defensionẽ utatur gladio. HIERONYMVS in c. 22. Hierem. *Homicidas*, inquit, *& sacrilegos, & uenenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* AVGVSTINVS lib. 1. de ciuit. Dei, c. 21. *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui personam gerentes publicæ potestatis sceleratos morte punierunt.*

VLTIMO probatur ratione: nam ad bonum principem, cui bonum commune tuendum cõmissum est, pertinet impedire, ne partes, quæ sunt propter totũ, illud corrumpant, & ideo si non potest omnes partes integras seruare, potius debet vnam partem amputare, q̃ sinere ut bonum cõe pereat: sicut agricolę amputant ramos & sarmenta, q̃ officiunt uiti, uel arbori, & medic9 amputat mẽbra, q̃ totũ corp9 inficere possẽt.

Ad rationem Anabaptistarum ex Matt. 5. *Oculum pro oculo, &c.* duæ sunt solutiones. VNA, q9 lex uetus, quia dabatur hominib. imperfectis, permiserit uindictæ appetitum, & solum præceperit ne maior expeteretur quam fuerit iniuria: nõ quod petere uindictam sit licitum, sed quod sit minus malum expetere moderatam, quam immoderatam: porro Christum qui perfectiores instruebat, hanc permissionem sustulisse. ita Aug. lib. 1. de serm. in monte, c. 35. & cõtra Adimantum, c. 8. & idẽ sentit Chrysostomus & Hilarius in hunc locum: sed quia in Leuit. c. 19. prohibetur uindicta: *Ne quæras vltionem*; & in Eccles. c. 28. legimus: *Qui uindicari vult, a Domino inueniet uindictam*: rectiꝰ fortasse respondebimus cum S. Tho. & S. Bonauent. & alijs nonnullis in 3. sen. dist. 30. Dominum, cũ ait: *Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, &c.* non reprehendere legem illam, nec prohibere magistratum infligentem pœnam talionis, sed reprehẽdere prauam Pharisæorum expositionem, & prohibere priuatis hominib. desiderium, & postulationem uindictę. Deus enim Exod. 21. & Leuit. 24. sanctam legẽ cõstituit, ut magistratus pęna talionis afficiat sceleratos; Pharisæi inde deducebant, licere priuatis hominibus appetere vindictã; sicut ex eo quod lex dicebat: *Diliges amicum tuum*, deducebant licere odisse inimicos: Christus autẽ docet istas esse legis corruptiones, & oportere diligere etiam inimicos, & non resistere malo, sed potius paratos nos esse debere, si opus sit, ad vertendam alteram maxillam ei, qui unam percusserit. & quod alloquatur Dominus priuatos homines, patet ex ijs, quæ sequũtur. sic enim Dominus ait: *Ego autem dico uobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in maxillam unam, &c.*

Est autẽ obseruandũ, cum dicitur, *non resistere malo*, non prohiberi iustam defensionem, sed repercussionem, iubet. n. Christus, ne ferias eum qui te percussit, vt Theophylactus recte docet. ille autem dicitur ferire, qui ferit vt noceat, non ille qui ferit ut se tueatur; ac breuiter nõ defensio sed uindicta prohibetur, iuxta illud Rom. 12. *Non uos defendentes carissimi*, idest, non uos vlciscentes. sic. n. est in Græco, ἐκδικοῦντες, vnde sequitur: *Sed date locum iræ, scriptum est enim; Mihi vindictam, & ego retribuam.* Sed nec ipsa uindicta simpliciter prohibetur, si petatur a legitimo iudice, & petatur ad bonũ finem, nimirũ, vel quia spes est emendandũ hac pęna malefactorem, uel quia non aliter posset reprimi, & impediri eius malitia, & pergeret nocere, si impunitus dimitteretur; solũ ergo prohibetur uindicta, q̃ priuati homines per se exercere volunt, & q̃ petunt a iudice ex desiderio nocendi inimico, & satisfaciendi propriæ iracundiæ, atque odio.

CAPVT XIV.

Licere Christianis aliquando bella gerere.

SEQVITVR quæstio QVARTA, quæ est de bello. Continet autem hæc disputatio partes tres. Primũ enim demonstrandum erit, licita esse aliquãdo Christianis bella. Secundo, explicandæ causse iusti belli. Tertio, propter Lutherum, probandũ erit recte Christianos aduersus Turcas arma sumere.

Ac vt à PRIMO incipiamus, antiqua hæresis fuit Manichæorum, qui bellum ex natura sua illicitum asserebant, & ideo Mosem, Iosue, Dauidem, & ceteros veteris instrumenti Patres, qui bella gesserunt, tanq̃ impios accusabant, ut B. Augustinus refert lib. 22. cõtra Faustum, c. 74. & seq. Eandem hæresim nostro seculo aliqui excitarunt: ac in primis Erasmus cum alibi, tum præcipue in annotationib. ad c. 3. & 22. Luc. plixa disputatione contẽdit bellũ esse unũ ex malis, quæ tolerantur, & ueterib. Iudęis a Deo permissum, Christianis autẽ a Christo & Apostolis interdictum.

Cornelius quoq; AGRIPPA in lib. de uanit. scient. c. 79. artem bellandi a Christo prohibitam esse affirmat. Idem etiam sequutus est Ioannes Ferus lib. 4. comment. in Matth. exponens illud 26. cap. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Idem docent Anabaptistę, vt testatur Melanchthon in locis Theologicis, capite de magistratu. Idem etiam tribuit Ioanni Oecolampadio Alphonsus a Castro, verbo bellum, quod mirum mihi videtur, cum Zvvinglius eius collega adeo probarit bellum, vt in prelio pugnans perierit, & similiter Caluinus lib. 4. institu. cap. 20. & Melanchthon, ubi supra, & ceteri hæretici huius temporis, verbo & opere doceant esse bellandum.

Nos autem, vt semper docuit Ecclesia tota & verbis & exemplis, dicimus bellum ex natura sua nō esse illicitum, & non solum Iudæis, sed etiam Christianis fas esse bellū gerere, modo cōditiones seruentur, de quib. postea dicemus. Id quod probatur Scripturę testimonio, Iudicum 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui nō nouerant bella Chananæorum, & postea discerent filij eorū certare cum hostib. & habere consuetudinem præliandi.* Hæc sane verba non permissionem, sed absolutā Dei voluntatem ostēdunt. ITEM 1. Reg. 15. *Hæc dicit Dominus exercituum, recensui quæcunq; fecit Amalech Israeli, nunc ergo vade & percute Amalech, & demolire vniuersa eius. non parcas ei, &c.* Hic etiā non permissionē, sed præceptum videmus, & similium plenum est Testamentū vetus. Item Luc. 3. *Interrogabant eum & milites, dicentes; Quid faciemus & nos? Et ait illis; Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Anabaptistæ apud Melanchthonē dicunt Ioannē permississe bellū Iudæis, vt imperfectis: Christum autē longe aliter docuisse.

AT CONTRA; nam Ioannes pparabat viā Dño, nō ergo debuit prēmittere id quod Christus mox ablaturus erat; nam nec illi potuissent uti ea concessione, cū eodem anno venerit Christus, & prohibuerit bellū, vt ipsi uolunt; & pterea poterāt suspicari hoies Christum & Ioannē nō conuenire inter se, quod absurdissimum fuisset. RESPONDET aliter Erasmus, hæc dici militib. non vt ea seruantes bene viuerent, sed vt minus male viuerēt, vt vē ēt explicare Theophylactus.

AT CONTRA: nam Ioannes prēmiserat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ, & omnis arbor non faciens fructū bonum, in ignem mittetur, &c.* Inde compuncti publicani & milites petierūt, qs esset fructus bonus, quem facere deberent: vel ergo Ioānes eos decepit, vel pōt milites saluari, si seruent quod Ioannes illis prēcepit.

Ad Theophylactū dico duo. PRIMO, cum nō dicere bellum esse malum, sed solū dicere Ioannem hortatum esse turbas, q̄ erant innocentes, ad opera bona. i. ac cōicanda bona sua cum alijs: Publicanos autem & milites, qui non erant capaces huius perfectionis, & non poterant facere bonum super erogationis, hortatum esse vt desisterent a malo. Putauit. n. Theophylactus dare tunicam non habenti, ei qui habet duas esse opus consilij, & supererogationis, alioqui nō uocaret turbas, quibus hoc dicitur, innocentes, nec distingueret hoc opus tanquam bonum a malo: nam si præceptum sit nō retinere duas tunicas, retinere erit malū.

Dico SECVNDO, Theophylactum non recte exponere hunc locum: nam uocat turbas innocētes, quib. Ioānes dicit: *Genimina uiperarū*: Et: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et præterea habere duas tunicas, est retinere superflua, ut Hieronymus dicit q. 1. ad Hedibiam, peccatum autē est retinere superflua. Præterea Matth. 22. Dominus docuit tributū Cesari esse soluēdum: at certum est tributum non deberi Regib. nisi vt possint alere milites in defensionem Reipub. quod exponit Apostol⁹ Rom. 13. *Ideo*, inquit, *& tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes*, mirum, vt gladio puniant perturbatores publicæ pacis. id enim præmiserat: *Non sine caussa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram.*

Probatur SECVNDO exemplis Sanctorum, qui bella gesserunt: nā si bellum esset malum, certe a Sanctis nō gereretur. In veteri Testamēto Abraham, Mosē, Iosue, Gedeonem, Sāsonem, Dauidem, Iosiam, Machabæos magna cum laude bella gessisse legimus. In nouo Testamento Matt. 8. Cēturio cū diceret Chro: *Habeo sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, &c.* eius fidem Dominus laudauit, non ut militiam desereret præcepit. Act. 10. Cornelius item Centurio dicitur; *Vir iustus, & timens Deum.* Ita vt etiam Angelū videre meruerit, nec postea cum a S. Petro uiam salutis doceretur, dictum est ei, ut militiam desereret.

DEINDE post Christi in cœlum ascensionem semper fuisse Christianos, aliquos uerè sāctos & Deo gratos in militia, ēt sub Ethnicis principib. docet Tertullianus in Apologet. c. 5. ubi refert miraculum insigne a Christianis militibus factum, cum sub M. Aurelio in Germania bellum gererent. qui certe vel non militassent, si hoc esset malum, uel si militassent non ita Deo grati fuissent, ut etiam miracula facere possent. Vide histor. Eusebij lib. 8. cap. 4. & lib. 9. cap. 10. Docet etiam Basilius in oratione de laudibus XL. militum Martyrum, fuisse multos Sanctorum in castris gentilium Imperatorum, & similiter Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum vltra medium. DENIQVE Constantinum, Theodosium, Valentinianum, Carolum Magnum, S. Ludouicum Regem Galliæ, S. Mauritium cum sua legione Thebæorum, alioſq; plurimos S. Christianos bella gessisse constat, quos S. Episcopi nunquam reprehenderunt, imò Theodosius consulebat de euentu belli Ioannem Abbatem, vt August. refert lib. 5. de ciuit. Dei, c. 26.

TERTIO probatur, quia Deus sæpe iusta bella adiuuat, quod nullo modo faceret, si bellum esset illicitū; nam mala permitti possunt, sed non etiam ad ea facienda auxilium dari. Gen. 14. Abrahę cum debellasset quatuor reges cum solis CCCXVIII. famulis suis, dictum est a Melchisedech: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Exo. 17. ad preces Mosis Deus dedit uictoriam Hebræis contra Amalech. Iosue 10. pugnāte Iosue, sol stetit, & Dominus pluebat de cœlo lapides magnos, & plures occidit Deus lapidibus grandinis, quam filij Israel hastis, & gladijs. 2. Machab. 10. Angeli in specie equitū pro Machabęis pugnabant, & cap. 15. legimus Deum non secundum armorum potentiā, sed prout ipsi placet, dare dignis uictoriam.

Constantinum Dei auxilio miraculis euidenter ostensis, uicisse in bellis testatur Eusebius in uita Cōstantini, & lib. 9. hist. c. 9. Cum Theodosio S. Ioannē, & S. Philippum Apostolos palam pugnasse cōtra hostes eius, testatur Theodoretus li. 5. hist. c. 24. pTheodosio iuniore pugnasse Angelos cōtra Saracenos scribit Socrates li. 7. c. 18. de Clodoueo vide Gregorium Turonicum, li. 2. hist. Francorum, c. 30. Honorij exercitum diuino miraculo uictoriā incredibilem de Gothis retulisse, scribit B. Augustinus li. 5. de ciuit. Dei, c. 23. innumerabilia exempla similia referri possent.

Probatur QVARTO ratione; Licet Reip. defendere ciues suos ab internis hostib. pacis, eos necādo uarijs generib. suppliciorum, ergo etiam licebit bello atque armis, qñ alia uia non potest defendere eosdem suos cives ab hostib. externis: qa ut possint conseruari Respub. necessarium est ut omnes hostes tam internos, quā externos arcere possint. & cū hoc sit ius naturæ, nullo modo credibile est, per Euangeliū esse sublatū.

Probatur VLTIMO testimonijs Patrum. TERTVLLIANVS in Apolog. cap. 42. *Nauigamus*, inquit, *& nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur.*

S. GRE-

S. GREGORIVS Nazianzenus orat. 3. de pace: *Licet, inquit, veriusq; tẽporis habenda sit ratio, quandoq; dẽ iuxta illius legem atq; auctoritatem præclare interdũ bellum suscipiatur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus, hoc enim sublimius est, & diuinius.*

S. Ioannes CHRYSOSTOMVS hom. in Euãg. de nuptijs, Ioan. 2. ex varijs: *Militiam, inquit, prætexis, & dicis, non possum esse pius: Centurio nonne miles erat, nihilque nocuit illum sua militia?*

B. AMBROSIVS serm. 7. *Non militare, delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est.* Et lib. 1. de offic. c. 40. & 41. numerat inter uirtutes, bellicam fortitudinem, & eam nostris non defuisse multis exemplis probat. Item in oratione de obitu Theodosij, vehementer Theodosium a laude bellica commendat.

B. AVGVSTINVS epist. 5. ad Marcellinum: *Nam si Christiana disciplina, inquit, omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seq; militiæ omnino subtraherent: dictum est autem, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Et epist. 205. alias 207. ad Bonifacium: *Noli, inquit, putare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat, &c.* Idem docet lib. 22. contra Faustum, c. 74. & seq. & lib. 6. quæstionum in Iosue quæst. 10.

B. GREGORIVS lib. 1. epist. c. 72. ad Gennadium: *Sicut, inquit, excellentiam vestram hostilib. bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ eius omni uiuacitate mentis, et corporis obuiare, &c.* Et c. 73. *Sinõ ex fidei merito, ex Christianæ religionis gratia, tanta excellentiæ vestræ bellicorũ actuum prosperitas eueniret, non sum mopere miranda fuerat, sed cum futuras (Deo largiente) victorias non carnali prouidentia, sed magis orationib. præuentus fit ut hoc in stuporem ueniat, quod gloria uestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat.*

GREGORIVS Turonicus, lib. 5. hist. c. 1. *Vtinam & vos ò Reges in his prælia, in quibus parentes uestri, exercere uetis, ut gentes vestra pace contentæ vestris uiribus præmerentur.*

B. BERNARDVS in serm. ad milites, c. 3. *At uero Christi milites, inquit, securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatũ, aut de sua nece periculum, quãdoquidem mors pro Christo uel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, et plurimum gloriæ mereatur.*

At contra obijciunt. PRIMO Scripturas, ac primũ Deut. 32. *Mea est ultio, & ego retribuam.* Et Rom. 12. *Non vos defendentes carissimi: scriptum est enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* RESPONDEO, vindictã, q̃ exercent publicæ personæ, recte vocari vindictam Dei, Dei. n. ministri sunt in hoc ipsum seruientes, vnde Paulus postquã dixerat in fine c. 12. ad Rom. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Subdit in principio c. 13. *Si male egeris, time, non enim sine caussa gladiũ portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui male agit.*

ADDVNT deinde illud Isa. 2. *Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebũtur vltra ad prælium.* quæ de tempore Christiano prædicta sunt. RESPONDEO, solum hoc loco prædicitur altissima pax futura, eo tpe quo nasceretur Christus, vt B. Hieron. exponit, & impletum esse scimus tempore Augusti Cæsaris. Illud enim (vltra) non significat, in æternum, sed in longum tempus. præterea etiamsi nõ esset hoc impletum, nihil inde concluderetur: nam non prohibet Isaias bellum, si sint hostes, qui nos infestent, sed præ dicit futurum, ut nulli sint hostes. Donec igitur sunt hostes, etiam bellum geri potest. Potest etiã dici prædictum esse regnum Christi fore regnum pacificum, quandoquidem non est de hoc mundo, nec temporalia curat, & i hoc distingui a regno Iudaico, quod bello, & cẽdibus firmandum, & conseruandum fuit.

DENIQVE obijciunt illa uerba Matth. 5. *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe ei & alteram: & diligite inimicos uestros: benefacite his, qui uos oderunt.* Et Matt. 26. *Qui acceperit gladiũ, gladio peribit.* Quib. similia sunt illa Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes, & non uosmetipsos uindicantes carissimi, &c.*

RESPONDEO, eadem argumenta obiecisse Iulianũ apostatam olim Christianis, ut Gregorius Nazianzenus refert oratione prima in Iulianum, procul a medio. Dicimus autẽ primo, hæc omnia, siue præcepta, siue consilia dari priuatis hominib. non enim Dominus vel Apostolus præcipit iudici, ut non puniat eũ, qui alteri fecit iniuriã, sed præcipit vnicuique, ut proprias iniurias æquo animo ferat: bellum autem ad publicam iustitiam, non ad priuatam uindictam pertinet: & sicut dilectio inimici, ad quam omnes tenentur, non impedit iudicem, aut carnificẽ ab officio suo; ita etiam non impedit milites & Imperatores a suo.

DICO præterea, ẽt priuatis hæc non semper esse p̃cepta, sed interdum p̃cepta, interdum cõsilia; p̃cepta sunt semper in animi p̃paratione, ita ut sit homo paratus p̃bere alteram maxillam, & auferenti tunicã dare ẽt pallium potius, q̃ Deum offendere, sed re ipsa hoc præstare præceptũ est, quando necessitas honoris Dei id exigit, alias solum est consiliũ, & aliquando ne consilium quidem, vt si ex eo quod prębeam alteram maxillam nulla sequitur utilitas, nisi quòd ille iterũ peccat. Ita respondent Gregorius Nazianzenus loco notato, & Augustinus epist. 5. ad Marcellinum.

SECVNDO obijci possunt tria decreta Ecclesiæ. PRIMVM est in Concilio Niceno, can. 11. ubi grauissima iniungitur pœnitentia ijs, qui militiam, cui renuncia uerant, repetierint. SECVNDVM est in epist. B. Leonis 90. ad Rusticum, & habetur etiam canon. Cõtrariũ, de pœnit. dist. 5. *Contrarium, inquit Leo, est Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem.* Et infra: *Non est liber a Diaboli laqueis, qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.* TERTIVM, est Gregorij, eadem distinct. canone, Falsas, ubi dicitur eos, qui exercent negotium quod sine peccato non potest exerceri, non esse capaces pœnitentiæ, nisi negotio eiusmodi renunciẽt, & ponit Gregorius exemplum de milite.

RESPONDEO ad PRIMVM, agi de ijs, qui ob confessionem fidei priuati fuerant cingulo militari a Diocletiano, vel a Licinio, & postea repetebant cingulũ, parati negare fidem. Vide Zonaram, & Balsamonem in eum canonem, & Russinum lib. 10. hist. c. 6. & quę nos scripsimus de hac re lib. 2. de Concilijs, c. 8.

AD SECVNDVM & TERTIVM dico, agi de ijs, qui occasione militiæ multa peccata commiserant, quiq; propterea pœnitentiam egerant. Isti. n. male faciunt, si ad militiã redeunt, in qua experti sunt, se sine peccato uiuere non posse, non ex uitio militiæ, sed ex proprio, & tunc præcipuè male faciunt, quando imperatum eis fuerat a sacerdote, ne ad militiam redirent. Et quod reuera isti canones non prohibeant absolute militiam, patet ex fine illius canonis, Falsas, vbi posteaquam dictum fuerat male facere eos, qui post pœnitentiam ad militiam redeunt, subditur, nisi cõsilio religiosorum Episcoporum pro defendenda iustitia.

TERTIO obijciunt ab Erasmo plura loca Patrũ, q̃bus addim⁹ duo, unũ Tertulliani, alterũ Hieronymi. Tertullianus lib. de corona militis, ultra mediũ, q̃rit, an Christiano militia cõueniat? & respõdet: *Credim⁹ ne, inqt, humanũ Sacramẽtũ diuino supinducilicere? & in aliũ Dominũ respondere post Christũ: licebit in gladio conuersari, Dño p̃nũciãte, gladio pituriũ, q̃ gladio fuerit usus? et p̃lio opabitur filius pacis, cui nec lungare cõuenit?*

RESPONDEO, Tertullianum non damnare militiã tanquam per se malam. Quod patet PRIMO, ex locis supra citatis, ex Apolog. c. 5. & 42.

SECVNDO, quia in hoc libro de corona militis fatetur eos, qui milites erant ante Baptismum, posse manere milites etiam post Baptismum, & solũ docet nõ debere ad militiam accedere post Baptismum eũ qui liber est: *Plane*, inquit, *si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia condutio est, vt eorum, quos Ioannes admittebat ad lauacrum, vt Centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus catechizat, dum tamen susceptа fide, atque signata, aut deserendum statim sit, vt multis actum, aut omnibus modis cauillandũ, ne quid aduersus Deum committatur.*

TERTIO patet, quia causæ præcipuæ, quas reddit, cur Christiani non debeant militare, sunt propter periculum idololatrię, tunc enim omnes fere principes Gentiles erant. Itaque per accidens iudicabat Tertullianus malum esse bellum eo tempore: *Excusabit*, inquit, *pro templis, quibus renunciauit? & cœnabit illic vbi Apostolo non placet? & quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit? vexillum quoque portabit æmulum Christo, &c.* Porro aliæ rationes eius supra positæ solum congruentiæ sunt, vt patet.

HIERONYMVS in epist. ad Ageruchiam de Monogamia: *Olim*, inquit, *bellatorib. dicebatur, accinge gladium tuum super femur tuum potentissime: nunc Petro dicitur, conuerte gladium tuum in vaginam, &c.* RESPONDEO, vult dicere, in Testamẽto veteri bella fuisse imperata a Deo, & necessaria ad terram promissionis capiendam, & conseruandam: in Testamento nouo non esse imperata bella, sed potius pacem, quia ad regnum cœlorum acquirendum non sunt arma necessaria: non tamen hinc sequitur, non posse Christianos, vt ciues temporalis Reipub. bella gerere cum ijs a quibus iniuriam acceperunt.

Præter hæc obijcit ERASMVS aliquot alios Patres, ac primum Origenem, qui lib. 2. contra Celsum paulo ante medium dicit, Christum omnia bella sustulisse. & tract. 7. in Matth. exponens obiter illud Luc. 22. *Qui non habet gladiũ vẽdat tunicam & emat gladium.* Dicit pernitiosum esse hunc locum ijs qui carnaliter eum intelligunt, qui reuera putant esse tunicam uendendam ad emendum gladium.

RESPONDEO, in priore loco nihil esse ꝓ Erasmo; cum. n. Origenes dicit, Christum sustulisse oĩa bella, non intelligit Christũ prohibuisse bella, sed ꝓuidentia sua generalem pacem mundo attulisse tpe natiuitatis suę, imò ibidem aliquid est contra Erasmũ: dicit. n. Origenes, ꝓpterea Dei prouidẽtia factum esse, ut veniente Christo oĩa Romano Imperatori subiecta essent, quia si multi fuissent Reges, necessaria ẽt fuissent bella, quib. alij aliorum iniurias propulsarẽt. In posteriore ẽt loco nihil dr̃ contra bellum; fatemur. n. non ita crasse uerba Dñi intelligenda, vt debeat unusquisq; necessario vendere tunicam, & emere gladiũ, sed solum modo illo loquendi Dominum explicare voluisse, i talib. angustijs, & necessitate Apostolos futuros tempore passionis, qualem patiuntur ij, qui vt se defendant, vendunt tunicam, & emunt gladium.

Sed quid hinc colligitur contra bellum? An quia Dominus hoc loco nõ iussit, ut Apostoli uere gladios emerent, ideo intelligetur prohibuisse bellum? quod item Origenes ait hom. 15. in Iosue, non esse Christianis carnalia bella peragenda, significat militiã Christianam sub Imperatore Christo non esse carnalẽ cõtra hoĩes, ut fuit militia Iudæorũ sub Iosue, sed spũalem contra Dęmones, non tñ hinc sequitur nõ licere Christianis, vt sunt ciues politicę Reip. bella gerere.

Ad eundem modum soluũtur quæ Erasmus affert ex Chrysostomo, Basilio, & Theophylacto ex cathena Beati Thomæ in capit. 22. Lucæ, solum enim docent non iussisse Apostolis, ut vere gladios emerent.

DEINDE obijcit Ambrosium, qui lib. 10. in Lucã exponẽs illud; Qui non habet, vendat tunicã, & emat gladium: *O Domine*, inquit, *cur emere me iubes gladiũ qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi forte vt sit parata defensio, nõ ultio necessaria, & uidear potuisse vindicari, sed noluisse: lex tamen referire non uetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicis, quasi licuerit vsq; ad Euangelium ut sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.*

RESPONDEO primo, nihil hoc loco dici de bello, quod publica auctoritate exercetur, sed de priuata defensione, vel ultione. Secũdo dico etiam priuatam defensionem, secundum Ambrosij sententiam, non pertinere ad prohibitionem præcepti, sed ad perfectionẽ consilij, vt illa uerba clare indicant, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.

ITEM obijcit Erasmus Augustinum, quẽ dicit non sibi constare, & si alicubi belli patrocinium susceperit, tñ alibi contra bellũ scripsisse: nã in Ps. 37. scribit: *Non orare debemus, ut non iniantur inimici, sed ut corrigantur.* Et epist. 5. ad Marcellinũ multa scribit cõtra bellũ, in epis. verò 158. & alibi supplicat eidẽ Marcellino, vt hæreticos Donatistas citra sanguinẽ puniat.

RESPONDEO, videtur Erasmus pueros putasse, cũ quib. agebat, quid. n. hęc ad propositum faciunt? nam in Psal. 37. reprehẽdit odium inimici, quo aliqui Deũ orant pro mortẽ inimicorum, quis autem negat esse malum optare mortẽ inimico ex odio, & cupiditate vindictæ? tñ optare mortem inimico, & etiam inferre secundum ordinem iustitiæ malum non est, si fiat non odio hominis, sed amore iustitiæ, & communis boni. In epist. vero 5. nihil est contra bellum, sed potius pro bello, ut supra citauimus, nec scio quid Erasmus somniauerit. In epist. 158. supplicat iudici ꝓ vita sceleratorum, qui iam tenebantur captiui, & crimẽ fatebantur, quod Epi etiam modo facere solent. sed quid hoc ad bellum? num quicunque supplicat, ne latro aliquis suspendatur, continuo bellum prohibet?

OBIICIT etiam exemplum S. Martini, qui vt Sulpitius in eius vita refert, Iuliano Imperatori dixit: *Donatiuum tuũ militaturus accipiat, ego Christianus sum, mihi pugnare non licet.* RESPONDEO, non satis fideliter verba S. Martini Erasmus retulit, non enim ait: *Ego Christianus sum, mihi pugnare non licet*, sed, *hactenus militaui tibi, nunc patere vt militem Deo, Christi ego miles sum, mihi pugnare non licet*, quib. verbis non significauit se tãtum esse Christianum, sed etiam uoto, & proposito Monachũ, id significat illud, patere vt militem Deo, &, Christi ego miles sum. vnde paulo ante Sulpitius scripserat, S. Martinum post baptismum susceptum adhuc duos annos militasse, non quod non cuperet statim seculo renunciare, sed quia tribunus militum, cui ipse contubernalis erat, promiserat se ẽt exacto tribunatu seculo valedicturum, ideſt, cum ipso Monachum futurum. Itaque non Christiano, sed Monacho bellum interdictum asseruit, cũ ipse Christianus existens duos iam annos militauisset.

POSTREMO sic Erasmus instat, arma Ecclesiæ sũt gladius verbi Dei, scutum fidei, galea salutis, lorica iustitiæ, iacula orationũ, ut Apostolus docet ad Eph. 6. non ergo ferro & armis Christiani pugnare debent.

Respondeo PRIMO, Apostolus non describit bellum contra homines, sed cõtra dęmones, vt patet ibidem: *Non est nobis colluctatio, &c.* SECVNDO dico, pręcipua Christianorum arma esse fidem & orationem, sed non propterea etiam arma ferrea non esse necessaria; nam Exodi 17. legimus Mose orante, & Iosue pugnante victoriam Israeli a Deo donatam contra Amalech; & Machabæos scimus orationibus, & armis pugnauisse, & Augustinus scribit ad Bonifacium, epistola 194. *Arripe manibus arma, oratio*

aures

aures pulset auctoris. Et eidem Bonifacio scribit epist. 205. alias 207. *Alij pro vobis orando pugnant contra inuisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.*

AT, inquiunt, bellum opponitur paci, sed pax est bona, & effectus caritatis, igitur malum est bellum. RESPONDEO, bellum sic paci opponi, vt sit etiam medium ad pacem, sed hoc interesse inter bellum iustū & iniustum, quod bellum iniustum opponitur paci bonæ, & ducit ad pacem malam, & ideo tale bellum vitiosum est: at bellum iustum opponitur paci malæ, & ducit ad pacem bonam, sicut vulnera Chirurgi contraria sunt sanitati malæ, & imperfectæ quam habent ægroti, sed ad bonam & perfectam sanitatem, tanquam ad finem perducunt.

CAPVT XV.

Quot sint, & quę iusti belli conditiones.

BELLI iusti cōditiones quatuor numerare solent, qui hęc tractant. Auctoritatem legitimā, causſam iustam, intentionem bonam, & modum conuenientem. Sed de singulis seorsim dicendum est.

PRIMA igitur conditio est auctoritas legitima. dicit enim S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, c. 75. *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes principem sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci, salutiq; communi.* Et ratio idem probat; nam priuati homines, et qui superiorem habent, si ab aliquo iniurias accipiant, possunt ad superiorem confugere, atque ab eo iudicium petere. at principes si ab alijs principibus aliquid patiantur, nō habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accuset, & ideo licet ei bello iniurias publicas ppulsare.

Residet autem hæc auctoritas indicendi belli, secūdum communem sententiam, in omnibus principib. & populis, qui in temporalibus superiorem non habent quales sunt Reges omnes; item Respub. Venetorum & similes &c. Item nonnulli Duces & Comites, qui nulli subsunt in corporalibus: non autem Duces & Comites, qui subsunt regibus immediate; qui enim subsunt alijs, non sunt per se capita Reipub. sed potius membra. NOTA tamen hanc auctoritatem nō requiri ad bellum defensiuum, sed solum ad offensiuum; nam defendere se vnicuique licet, non solum principi, sed etiam priuato, at indicere bellum, & inuadere hostem, solius est supremi capitis.

SECVNDA conditio est causſa iusta, non enim sine causſa bellum indici potest, nec etiam propter quodcunque peccatum, sed tantum propter iniuriam propulsandam. Ita B. Augustin, quæst. 10. in Iosue: *Iusta bella*, inquit, *definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* Ratio autem huius est, quia princeps non est iudex, nisi hominum sibi subditorum, ergo non potest quæcunque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cedunt in detrimentum populi sibi subiecti; nam etsi non est iudex ordinarius aliorum, est tamen defensor suorum, & ratione huius necessitatis efficitur etiam quodammodo iudex eorum, qui suis iniuriam fecerunt, ita vt possit eos gladio punire.

Est vero obseruandum causſam belli debere esse non leuem, neque dubiam, sed magnam & certam ne forte plus incommodi bellum afferat, quam sit vtilitas, quæ inde sperarur; si autem dubia sit, distinguendum est de principe, & militibus; nam princeps ipse sine dubio peccat; nam bellum est actus iustitiæ punitiuæ, iniustum est autem punire aliquem causſa nondum probata: milites autem non peccant nisi constaret certo bellum esse illicitum. debent enim subditi parere superiori nec debent discutere imperia eius, sed potius præsumere debent principem suum bonam causſam habere, nisi manifeste contrarium nouerint; sicut etiam cum dubia est culpa alicuius particularis, peccat iudex, qui eum damnat, non carnifex, qui damnatum occidit; non enim tenetur carnifex discutere sententiam iudicis, ita docet Bonifacius Papa in 6. de regulis iuris, regula 25. *Quod quis*, inquit, *mā dato facit iudicis; dolo facere non uidetur, cum habeat parere necesse.* Et B. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 75. *Hoc etiam*, inquit, *fit ut uir iustus, si forte sub rege sacrilego militet, recte possit illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem, seruans, cui quod iubetur. uel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.*

NOTA tamen hoc intelligi de militibus, qui sunt obligati ei principi, qui bellum gerit, quales sunt subditi eius, & etiam ij, qui ordinarium ab eo stipēdium habent etiam tempore pacis, non autem de alijs qui aliunde adueniunt cum est bellandum; qui enim non sunt obligati militare, non possunt tuta conscientia ad bellum accedere, nisi sciant bellum esse iustū: qui autem nihil cogitant, sed parati sunt militare, siue bellum sit iustum, siue non, modo stipendium habeant, ij in statu damnationis versantur.

TERTIA conditio est intentio bona. Nam cum finis belli sit pax & tranquillitas publica, non licet bellum suscipere propter alium finem. Vnde grauiter peccant tam reges, quam milites, qui vel vt noceant alicui, vel vt imperium dilatent, vel vt exerceant fortitudinem bellicam, vel alia de causſa bellum suscipiunt, quam propter commune bonum, etiamsi auctoritas legitima, & causſa iusta non desint. ita B. AVGVSTINVS in epistola ad Bonifacium comitem, quæ est 207. alias 5. *Pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellū necessitas, ut liberet Deus a necessitate, & conseruet in pace; non enim pax quæritur ut bellum geratur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis unitatem uincendo perducas.* Et lib. 22. contra Faustum, c. 74. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bello iure culpantur.*

Sunt autem duo notanda. PRIMO, quoniam bellum est medium quoddam ad pacem, sed valde graue & periculosum, ideo non esse mox inferendum bellum, cum causſa existit, sed esse prius procurandam pacem alijs rationibus facilioribus, nimirum pacifice petendo ab hostibus debitam satisfactionem. Deuteron. 20. *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem, &c.* Et B. Augustinus epistol. 207. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.*

SED quæret aliquis, quid si hostis nolit initio satisfacere, sed paulo post bello iam inchoato petat pacem, & satisfactionē offerat, an tenebitur alter a bello cessare? Caietanus verbo, Bellum, dicit, quod nō tenetur cessare, qñ bellum iā est inchoatum, quamquam teneretur antea quam inchoaretur, acceptare satisfactionē. Sed (meliori iudicio saluo) dicēdum videtur, quod ex iustitia nunquā tenetur, qui habet iustam causſam, acceptare satisfactionē nec ante bellum inchoatum, nec postea: tamen ex caritate vtroq; tempore tenetur, nisi per accidens aliud expediat. PRIORIS ratio est, quia princeps habens iustam causſam belli, gerit personā iudicis respectu alteri⁹ principis, q iniuriā fecit, iudex autē non tenetur ex iustitia condonare morte reo, etiamsi offerat satisfactionem, quamquam possit cōdonare ex misericordia, si sit suprem⁹ iudex. uerbi gratia, Rex non tenetur donare uitam furi, etiamsi

restituat, etsi ex misericordia potest. Ratio POSTERIORIS est, quia bellum est grauissimum supplicium, & quo non solum punitur qui peccauit, sed etiã per accidens multi innocentes inuoluuntur: ideo Christiana caritas semper id videtur exigere vt a bello cessetur, quando qui nocuit debitam satisfactionem offert, nisi forte per accidens aliud expediat, id est, nisi talis sit hostis contra quem pugnatur, vt bono communi expediat eum vel subiectum esse alteri, vel funditus interire, quales erant Amorrhæi, quos Deus iussit penitus deleri, Deuter. 20.

SECVNDO notandum, differre hanc tertiam conditionem a duabus primis, quod illæ si desint, faciũt bellum esse iniustum, hæc vero si desit, facit bellum esse malum, sed non iniustum proprie. qui enim sine auctoritate vel sine iusta causa bellum mouet, non solum contra caritatem, sed etiam contra iustitiam peccat, & non tam est miles, quam latro: qui vero auctoritatem, & causam iustam habet, & tamen amore vindictæ vel augendi imperij, vel propter alium finẽ malum bellat, non agit contra iustitiam, sed solum contra caritatem, nec est latro, sed malus miles.

Ex quo deducitur, quod cum solum deest hæc tertia conditio, non tenentur milites, nec reges ad vllam restitutionem, sed solum ad pœnitentiam: cum autem deest prima vel secunda, tenentur oẽs ad restitutionẽ damni illati, nisi excusentur ignorantia inuincibili: ignorantia enim crassa, et culpabilis sicut a peccato nõ excusat, ita nec a restitutione, vt habemus capite finali, de iniurijs & damno dato. qui aũt laborat ignorantia inuincibili, non tenet restituere donec ea ignorãtia laborat; at cum cognouerit bellum fuisse iniustũ, tenetur restituere, non damnum tempore belli illatum, sed si quid habet alienum ex illo bello: & si nihil habet in specie, sed tamen rebus venditis factus est ditior, tenetur restituere tantum, quantum est ditior factus; nam res aliena retineri non potest, etiamsi propter ignorantiam sine peccato acquisita sit, sed reddi debet vel Domino si scitur, vel pauperibus.

QVARTA conditio est, modus debitus, qui in eo pcipue consistit, vt nulli innocenti noceatur, quod explicuit Ioannes Baptista Luc. 3. *Neminem concutiatis, nulli calumniã faciatis, contenti estote stipendijs vestris.* Quibus verbis prohibet iniurias, quas milites inferre solent innocentibus aut vi, aut fraude, vel in persona, vel in bonis. Cum dicit: *Neminem concutiatis,* prohibet iniuriam, quæ aperta violentia infertur personæ, vt cum rusticos cędunt, nisi ad nutum obediãt. Cum dicit: *Nemini calumniam faciatis*, prohibet iniuriam quæ fraudibus, & calumnia infertur, vt cum dicũt aliquem esse proditorem vel hostem, etiamsi contrariũ nouerint esse verum, & eo nomine vel ipsi eum spoliant, aut occidunt, vel deferunt ad ducem, vel præfectos. cum vero addit: *Contenti estote stipendijs vestris.* prohibet iniuriam, quæ alicui non in persona, sed in bonis infertur, vt cum furantur, & rapiunt vndecunque possunt, vel etiam exigunt, & extorquent ab ijs a quibus non debent.

Est aũt obseruandum, tria esse genera personarum, quibus milites damnum inferre non possunt secũdũ regulam Ioannis Baptistæ. PRIMVM est eorum omnium, qui ad Rempub. hostiũ non pertinent: ex quo excusari non possunt milites, qui damnum inferũt ciuibus, aut rusticis amicis, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, neque excusantur si dicant, sibi stipendia non solui; nam non propterea illis obligata sunt bona priuatorum ciuium, neq; luere debet pœnam ciuis, aut rusticus, si rex aut dux peccat nõ soluendo stipendia militibus, nisi forte iusta de causa damnati sint homines alicuius loci ad hanc pœnam, vt milites alant, quod tamen rarius accidit.

SECVNDVM est quorundam, qui etsi aliquo modo ad Rempub. hostium pertinent, tamen excipiuntur capite Innouamus, de tregua, & pace, vbi sic dicitur; Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes, & animalia, quib. arant, & semina portant ad agrum, congrua securitate lętentur. vbi nomine mercatorum non uidentur intelligi ij, q in ciuitate hostium resident, & sunt pars quædam ciuitatis, sed solum ij, qui transeunt, uel ad nundinas ueniunt, qui non sunt pars ciuitatis.

TERTIVM genus est hominum ineptorum ad bellum, quales sunt pueri, senes, mulieres. tales. n. etsi capi & spoliari possunt, quia sunt pars ciuitatis, tamen occidi iuste non pñt, nisi forte casu & per accidens occidãtur: ut cum miles iaculatur in cuneum hostium, & forte occidit puerum, aut mulierem, aut ét sacerdotem, non peccat, sed tunc peccat, cum ex intentione occidit, & põt, si uelit, non occidere; nam & ratio naturalis hoc docet, & etiã Deus hoc iubebat Hebræis Deut. 20. nimirum ut parcerent paruulis & mulieribus, & Theodosius grauiter ab Ambrosio reprehensus fuit, quod cum punire uellet Thessalonicenses, sine delectu obuios quosq; necari iussit, ut refert Theodoretus li. 5. hist. c. 17. & 18. QVOD si Moses aliquando iussit etiam mulieres, & paruulos occidi, ut patet Deut. 2. & 3. & alibi, non propterea id etiam nostris militibus licet; nam ille Dei reuelatione clare cognoscebat Deũ sic uelle, cui nemo dicere põt, cur ita facis?

CAPVT XVI.

Licere bellum gerere Christianis contra Turcas.

IAM uero quæstio de bello contra Turcas omitti potuisset, nisi Lutherus inter alia sua paradoxa etiam hoc protulisset, ac defendere conatus esset, non licere Christianis contra Turcas bellum gerere, ut patet ex art. 34. in Bulla Leonis damnato. Luthero uidetur assentiri Theodorus Bibliander in Chronologia tabul. 13. ubi sic ait: *Vrbanus, seu potius turbo sæuissimus, a spiritu malo homicidijs gaudente impulsus, bellum pro recuperanda Iudæa commouit.*

Est aũt obseruandũ, Lutherum non negare bellum contra Turcas esse licitũ, quia putet in genere oẽ bellum esse illicitũ, nam in assertione eiusdẽ articuli suadet bellũ contra Pontificẽ, quem Turcissimũ Turcã esse dicit; neque quia existimet non habere Christianos iustã causam; constat. n. omnib. Turcas nullo iure occupasse regna Christianorum, & quotidie plura occupare uelle: cõstat ét eum extinguere cupere oẽm religionem, & dare oẽm operam, ut homines ex Christianis fiant Mahumetani. Deniq; constat & antiquos Pontifices, ut Vrbanũ II. Paschalem II. Eugeniũ III. & alios multos, necnon generalia Concilia, ut Lateranense, Lugdunense, Viennense, & alia, generale bellum indixisse Mahumetanis, & sanctum Bernardum, alioſque sanctos uiros concionibus publicis excitasse populos ad hoc bellum, & sermonem miraculis confirmasse, ut ipsemet beatus Bernardus modeste indicat initio lib. 2. de consideratione, nec aliquid horum Lutherus negat; sed sunt aliæ tres causſæ cur senserit non licere contra Turcas bellare.

PRIMA, quia uoluntas Dei esse uſ, ut a Turca, tanq̃ flagello quodam puniamur, neq; licet nobis Dei uolũtati resistere. qđ autem ista sit uoluntas Dei, probat in assertione ar. 34. ab experientia, quæ docuit hactenus nihil Christianis profuisse bellum contra Turcas.

Sed hæc prima causſa parum ualet; nam etsi uoluntas Dei sit ut peccata nostra per Turcam puniantur, tamen non est uoluntas Dei, ut Turcę nõ resistamus, immo uolũtas eius est ut resistamus. id quod ex fine probatur. non enim Deus permittit Turcam in

nos

nos sæuire vt pereamus, sed vt conuertamur, tunc autem ad conuersionem perducimur, cum Turcæ nos oppugnanti resistere conamur, resistẽdo laboramus, laborando nostram infirmitatem agnoscimus, atque inde ad Deum toto corde reuertimur, & eius auxiliũ imploramus. Itaq; ex fine, quo Deus permittit, Turcam in nos sæuire, sequitur manifeste, ipsum velle, vt Turcæ resistamus. PRÆTEREA, ita flagellum Dei est bellum Turcæ, sicut pestis, fames, hæresis, fomes, peccata, & similia, nemo autem tam est stultus, qui ideo putet, non esse quærenda medicamenta contra pestẽ, neque terram colendam, ne moriamur fame, neque hæresi & fomiti resistendum.

Neque verum est, quod Lutherus dicit, experientiam docere, nihil nobis prodesse bellum contra Turcas: nam vt omittam plurimas victorias de Turcis relatas, certe cum primum arma illata sunt in terrã promissionis, felicissimo euentu Hierusalem a nostris recuperata fuit, & regnauerunt Christiani annis LXXXVIII. & semper plura, & plura recuperabãt, donec oriri cęperunt inter ipsos Christianos Principes contentiones, quemadmodũ & nunc Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam sua virtute, & harum discordiarum potissima caussa fuit Lutherus ipse. Nam vt ex Ioãne Cochlæo patet in actis Lutheri anni MDXXVI. Hungaria perijt, quia Germani a rege Hungariæ vocati in auxilium, maluerũt Luthero parere tunc concionanti cõtra bellũ in Turcas, quam cogitare quid bonum commune postularet. saltem hoc boni habet bellum, quod impeditur Turca ne tantum noceat quantum vellet. nisi enim hactenus cum eo pugnatũ esset, iamdudum ille omnia obtineret.

SECVNDA caussa eius est, quia Ecclesiæ vtilior est tribulatio, & persequutio, quam victoria, & tranquillitas. vnde in sermone de matrimonio reprehẽdit Ecclesiæ consuetudinem, qua orat pro pace, & quiete, cũ potius pro tribulationibus orãdum esset. SED respondemus, tribulationem, & persequutionem esse quidẽ vtilem: sed periculosam. & ideo non expetendam, sed tolerandam, cum aliter fieri non potest. Vnde Matthæ. 6. iubemur orare: *Et ne nos inducas in tentationem*. Et 1. Timoth. 2. Apostolus iubet orare pro regibus, vt quietam, & tranquillam uitam agamus. Et B. Augustinus lib. 10. Confessionis, cap. 28. dicit, miserias tolerandas, non amandas, nec desiderandas, & petendas.

TERTIA caussa, eaq; præcipua fuisse videtur, odiũ Pontificis, tanto enim odio Põtificem aliquando Lutherus persequebatur, ut plane optaret uidere Turcã occupantem omnia regna Christianorum, vt saltem eo modo nomen Pontificis extingueretur. neq; hoc fuisse uotum, ac desiderium eius nos diuinamus, sed ex verbis eius colligimus: nam in libro ad nobilitatẽ Germaniæ, c. 25. dicit, nullum esse pulchrius regimẽ vsquam, quam apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur, nullum autem turpius, quam apud Christianos, qui iure canonico, & ciuili reguntur. & in assertione articuli 34. dicit, Pontificem, & Pontificios esse multo peiores, & truculentiores Turcis, & stultũ esse pugnare pro peioribus Turcis cõtra meliores, & in epistola quadam contra duo mandata Imperialia: *Oro*, inquit, *cunctos pios Christianos, ne vllo modo sequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid cõtra Turcas, quandoquidem Turca decies prudentior, probiorq; est, quam sunt Principes nostri.* Quibus verbis quid aliud suadere conatus est, quam esse iuuandos Turcas contra Christianos?

Sed hæc sententia tantam absurditatem, & impietatem continet, vt ipse idem Lutherus postea, cum illeardor nonnihil deferbuisset, plane contrarium scripserit. Sic enim ait in libro de visitatione Saxonica: *Clamant*, inquit, *aliqui prædicatores temerarie, non resistendum esse Turcæ: hic sermo seditiosus est, qui neque ferri, neque permitti debet: tenentur igitur potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt prouincias deuastare, vxores ac liberos uiolare, & interficere, uerum etiã iura prouinciæ, cultum Dei, omnemq; ordinationem bonam abrogare ac tollere. Idcirco debent Principes ob id præcipue belligerare, &c.* Et ibidem. *Multo*, inquit, *tolerabilius foret viro bono videre filiorum suorum interitum, quam Turcicis eos moribus imbui: Turcæ enim nullam prorsus honestatem vel sciunt, vel curant.* Hæc ille.

CAPVT XVII.

Ad magistratum non pertinere iudicium de Religione.

QVINTA sequitur quæstio de officio magistratus politici in caussa religionis. Tres ĩ hac parte sũt errores. PRIMVS eorum, qui nimis multum tribuũt magistratib. ut Brentij in Prolegomenis, Philippi in locis, capite de magistratu, & aliorum, qui reges esse uolunt non solum custodes & defensores religionis, sed etiam iudices & magistros. Dicunt enim ad eos, vt ad præcipua Ecclesiæ membra pertinere, iudicare controuersias fidei, præsidere Concilijs generalibus, constituere ministros, & pastores, & similia.

In quem errorem multa disputauimus in controuersijs de iudice controuersiarum, de summo Pontifice, & de Concilijs: vbi ostendimus reges habere primum locum inter Christianos, ut Christiani homines sunt, idest, vt sunt ciues terrenæ ciuitatis, non ut sunt ciues Sanctorum, & domestici Dei, ac ut Ecclesiæ membra sunt. Sic enim primum locũ habẽt Episcopi, & præcipue summus Pontifex, secundum presbyteri, tertium Diaconi, alijque ministri Ecclesiastici, vltimum Laici, inter quos etiam Reges & Principes numerantur.

Vnde CHRYSOSTOMVS homil. 83. in Matth. alloquens Diaconos: *Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is, qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe, & coerce, maiorem tu illo habes potestatẽ.* Et GELASIVS in epist. ad Anastasium Imperatorem; *Nosti*, inquit, *fili clemẽtissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atq; ab eis caussas tuæ salutis exspectas, inque sumendis cœlestib. Sacramentis, eisq; vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorũ te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse uoluntatem.*

Denique, Christus Ecclesiam regendam Petro, & Episcopis commisit, non Tiberio, & eius præfectis, & per annos CCC. sine vllis regibus Christianis, exceptis pauciss imis, qui vel breuissimo tempore imperarunt, ut Philippus Cæsar, uel solum in aliqua prouincia, ut Lucius Rex Britannorum, Ecclesia a solis Episcopis & Presbyteris optime gubernata est. vide cetera locis citatis.

CAPVT XVIII.

Ad magistratum pertinere defensionem Religionis.

SECVNDVS error est aliorum, qui ad alterum extremũ deflectentes docent Reges debere curare Rẽpub. suam, & pacem publicam; de religione autẽ non curare, sed permittere singulis ut sentiant prout uoluerint, & uiuant ut voluerint, modo non perturbẽt pacem publicam. In hoc errore fuerunt olim Ethnici, qui omnes religiones approbabant, & omniũ Philosophorum sectas admittebant, ut August. dicit libro 18. de ciuit. Dei, cap. 51. vnde Beatus Leo serm. i. de SS. Petro & Paulo. *Hæc autem ciuitas*, inquit, *ignorans*

rans suæ prouectionis auctorem, cum pene omnibus domi A
naretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus
& magnam sibi uidebatur assumpsisse religionem, quia
nullam respuebat falsitatem. Et Themistius Philoso-
phus, ut refert Socrates lib. 4. hist. c. 27. Valenti Impe
ratori persuadere conatus est, Deo gratam esse sectа-
rum varietatem, dum ita pluribus modis colitur, &
pluris fit, dum difficilius cognoscitur. Item hæresiar-
cha quidam nomine Rhetor apud August. lib. de hæ-
resib. c. 72. omnes sectas veras esse docuit.

Denique, hanc libertatem uoluerunt & obtinue-
runt Germani anno MDXXVI. quando Principes
Imperij Spiræ congregati fuerunt: & nunc idem fe-
runtur in Flandria petere. quorum argumenta qua-
tuor præcipue sunt. Vnum, quod fides sit libera. Alte
rum, quod sit donum Dei. Tertium, quod experien- B
tia doceat cogendo nihil profici. Quartũ, quod Chri-
stiani semper Iudæos tolerauerint, cum tamen Chri-
sti hostes sint.

At hic error perniciosissimus est, & sine dubio te-
nentur Principes Christiani non permittere subditis
suis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides
seruetur, quam Episcopi Catholici, & præcipue sum-
mus Pontifex docet esse tenẽdam. Probatur Primo
Scriptura, Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij,*
dissipat omne malum intuitu suo. Item: *Dissipat impios*
Rex sapiens. Porro impios esse hæreticos negari non
potest, Item Psal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimi-*
ni, qui iudicatis terram, seruite Domino in timore. C

Avgvstinvs epist. 50. *Aliter seruit*, inquit, *Rex*
Deo, quia homo est, aliter quia Rex est, quia homo est, ei
seruit viuendo fideliter, quia vero etiam Rex est, seruit, le
ges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, cõuenien
ti vigore sanciendo: sicut seruiuit Ezechias, lucos & tẽ-
pla idolorum destruendo: sicut seruiuit Rex Iosias, talia
& ipse faciendo: sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vni-
uersam ciuitatem ad placandum Dominum compellen-
do: sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in pote-
statem Danieli dando: sicut seruiuit Nabuchodonosor,
omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege ter-
ribili prohibendo. Et ibidem subiungit: *Quis mente so-*
brius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, a quo
teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini uestri: non ad
vos pertineat in regno vestro, quis uelit esse siue religio-
sus, siue sacrilegus: quibus non potest dici: Non ad vos
pertineat in regno vestro, quis velit esse pudicus, quis im- D
pudicus.

Præterea in testamento nouo Apoc. 2. reprehendi-
tur Angelus Pergami, quod haberet apud se aliquos
tenentes doctrinam Nicolaitarum, & Angelus Thia
tyræ, quod permitteret Iezabel seducere seruos Dei.
Ex quibus colligitur, noxiam esse Ecclesiæ mixtionẽ
hæreticorum cũ Catholicis. Rom. 16. iubentur Chri-
stiani declinare hæreticos. Gal. 5. *Vtinam*, inquit, *ab-*
scindantur, Tit. 1. *Increpa illos dure ut sani sint in fide.* er
go Reges, qui sunt Ecclesiæ nutritij Isaiæ 49. non de-
bent permittere istam confusionem.

Secvndo probatur testimonijs Pontificũ & Im-
peratorum. Leo epist. 75. ad Leonem Augustum: *De-*
bes, inquit, *Imperator inuictlanter aduertere regiam po-*
testatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime E
ad Ecclesiæ præsidium esse collatã, vt ausus nefarios com
primendo, & quæ bene sunt statuta, defendas, & veram
pacẽ his, quæ sunt turbata, restituas. Anastasivs II.
Papa in epist. ad Anastasium Imperatorem: *Hoc*, in-
quit, *præcipue insinuo Serenitati tuæ, ut cum causæ Alex-*
andrinorum patuerint piissimis auribus uestris, ad Ca-
tholicam & synceram fidem eos auctoritate, sapientia,
diuinisq; vestris mandatis redire faciatis. Similia ha-
bet Gregorius lib. 9. epist. 60. ad Regem Angliæ, lib.
11. epist. 44. ad Leontiam Augustam. Similia habet
Agatho in epistola ad Constantinum IV.

Porro Imperatores pij idem senserunt: nã Theo-
dosivs L. cunctos populos, C. de summa Trinitate,
& fide Catholica, radicitus euulsit libertatem credẽ-
di, quam aliqui Principes permiserãt, & iussit omnes
credere eo modo, quo Romanus Pontifex docet esse
credendum. Valentinianvm iuniorẽ laudat Am-
brosius in oratione funebri, quod Romæ repetẽti an-
tiquam libertatem in religione, ut colere posset sacri
ficijs Deos, fortissime restiterit. Similiter Martia-
nvs C. eodem, L. Nemo, seuerè prohibet, ne quis ea,
quæ sunt in Concilijs Episcoporum definita, reuol-
uat, aut de ijs publice disputare præsumat.

Constantinvs Magnus initio quidem imperij
permisit libertatem religionis omnibus, vt patet ex
historia Eusebij lib. 10. cap. 5. tamen postea iussit clau
di templa idolorum, & solam Christianam religionẽ B
vigere, ut Optatus refert lib. 2. contra Parmen. quem
filij sunt imitati, Constans & Constantinus, vt Augu
stinus refert epist. 166. & (apud Ruffinum lib. 10. c. 5.)
exilium minatus est Constantinus ijs omnibus qui
non acquiescerent Nicæni Concilij definitioni.

Qui libertatem credendi concesserunt, tres inue-
niuntur. Iovinianvs, qui tamẽ ne Catholicos cum
hæreticis misceret, grauiter admonitus est a Concilio
Antiocheno, vt scribit Socrates lib. 3. cap. 21. Valens
Imperator Arianus omnibus hæreticis & Ethnicis li
beram permisit religionem, ut scribit Theodoretus,
lib. 4. cap. 22. Denique Ivlianvs Apostata, qui ideo
permisit libertatem, quia sic sperabat posse interire
Christianismum; sic enim ait Augustinus epist. 166.
Iulianus, inquit, *desertor Christi & inimicus, hæreticis li-*
bertatem perditionis permisit, & tunc Basilicas hæreticis
reddidit, quando templa Dæmonijs: eo modo putans, Chri
stianum nomen posse perire de terris si vnitati Ecclesiæ,
de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones
liberas esse permitteret.

Probatur Tertio rationibus. Primo, potestas tẽ-
poralis & spiritualis in Ecclesia non sunt res disiun-
ctæ & separatæ, ut duo regna politica, sed sunt coniũ-
ctæ, ita ut unum corpus faciant; vel potius ita se ha-
bent, ut corpus & anima in uno homine, est enim po
testas spiritualis quasi anima, & temporalis quasi cor
pus, ut Nazianzenus docet in oratione ad populum
timore perculsum, ergo debet potestas tẽporalis spiri
tuali seruire, eamque ab hostib. suis protegere ac de-
fendere, ac (vt B. Gregorius ait, lib. 2. epist. 61.) terre-
num regnum cęlesti famulari: sed Ecclesiæ exitialis
est hæc libertas: nam vinculum Ecclesiæ est vnius fi-
dei confessio ad Ephes. 4. *Vna fides*, & ideo dissensio
in fide, Ecclesiæ est dissolutio. debent igitur Princi-
pes hanc libertatem nullo modo permitteret, si fun-
gi munere suo uolunt.

Secvndo, quando apud Iudæos uera religio flore
bat, non poterant Reges permittere libertatem reli-
gionis, ergo multo minus debent permittere Reges
Christiani; non enim minus ordinata debet esse Ec-
clesia, quam fuerit Synagoga. Antecedens patet Deu
teron. 17. ubi ex sententia iudicis politici iubentur oc
cidi, qui non obediunt Sacerdoti. Et cap. 18. Pseude-
prophetæ similiter exterminari; & iubentur, & idem
patet exemplis, quæ affert August. epist. 50. de Eze-
chia, Iosaphat, Iosia, & alijs pijs Regibus, qui destrue
bant lucos, & templa idolorum, & seuere puniebant
idololatras, & populum ad cultum veri Dei compel-
lebant. Quod autem paulo ante Christi tempora cœ-
perint permitti variæ hæreses, ac præcipue Saduceo-
rum, qui negabant resurrectionem, non est mirum,
quia Synagoga tunc ad interitum propinquabat, nec
habebat Regem uere Iudęũ, qui ista curaret, sed Idu-
mæum Herodem, Pontifices autem nihil poterant.

Tertio, libertas credendi pernitiosa est, etiam tẽ-
porali bono regnorum, & publicæ paci, vt patet pri-

mum

mum ex Greg. lib. 4. epist. 32. ubi dicit, Reipub. ciuilis incolumitatem, ex Ecclesiæ pace pendere. Deinde tatione: nam ubi seruatur fides & obediẽtia Deo, ibi etiam seruatur Principi: nam fides ipsa hoc docet & exigit. Item dissensio in fide parit animorũ & uoluntatum dissensiones: oẽ autem regnum in seipsum diuisum, desolabitur, & experientia nostri tpis adeo manifeste hoc ostẽdit, ut frustra id probare nitamur.

Quarto, libertas credendi pernicios̃a est illis ipsis, quib. conceditur: nam libertas credendi nihil est aliud, quam libertas errandi, & errãdi in re omnium periculosissima: nã fides uera non est nisi una, Eph. 4. *Vna fides*, ergo libertas ab ista una fide recedendi, est libertas in errorum barathrum ruendi. Sicut ergo salubriter non permittitur ouib. libertas uagandi per montes, & salubriter nõ liberatur gubernaculo, nec sinitur libere a quolibet uento circumferri nauis: ita quoq; salubriter non conceditur populis libertas credendi, posteaquam vni veræ fidei se adiunxerunt. argumenta soluentur in sequenti quæstione.

CAPVT XIX.

Non posse conciliari Catholicos cum hæreticis.

Tertius error est Georgij Cassandri in libro de officio pij viri, ubi docet, debere Principes inuenire rationem pacis inter Catholicos, Lutheranos, Caluinistas, &c. Sed interim dum non inueniunt, debere permittere vnicuique suam fidem, modo omnes recipiant Scripturam & Symbolum Apostolicum. Sic enim omnes sunt uera Ecclesiæ membra, licet in particularibus dogmatib. dissentiant. Similia docuerunt olim pacificantes, auctore Zenone Imperatore, de qua re vide Euagrium, lib. 3. cap. 14. & 30. Itẽ Apelles, qui apud Eusebium lib. 5. hist. ca. 13. dicebat, non esse discutiendam rationem fidei, sed sat esse credere in crucifixum. Hic est manifestus error, & cõtra eum scripsit ex Catholicis Doctoribus Ioãnes a Louanio, ex hæreticis Ioannes Caluinus.

Potest autem facile refelli hæc sententia primum enim, non possunt Catholici, Lutherani, & Caluinistæ eo modo conciliari: nam in ipso Symbolo nõ conuenimus, exempli gratia, per articulum; *Descendit ad inferos*, diuersissima intelligimus: nos enim credim⁹, Christi animam a corpore separatam, secundum substantiam suam descendisse ad limbum Patrum; hæreticorum alij, uolunt descẽdisse Christum ad inferos, nihil esse aliud, quam sepultum fuisse; alij passum dolores inferni. Similiter articulum: *Credo sanctã Ecclesiam*; diuersis modis intelligimus, Et illud etiam: *Sanctorum Communionem*; nam de singulis Sacramentis sunt controuersiæ. Denique de illo: *Remissionem peccatorum*, maxime dissentimus.

Dicet Cassander, sat est, quod omnes fateamur, Symbolum esse verum, & illud recipimus.

Contra; Primo, Symbolum vnum est, & non in verbis, sed in sensu est fides, nõ ergo habem⁹ idẽ Symbolum, si in explicatione dissidemus; præterea si sufficeret uerba Symboli recipere, nulli fere ueterum hæreticorum iure damnati fuissent. Nam Ariani, Nouatiani, Nestoriani, & alij fere omnes uerba Symboli Apostolici recipiebãt, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati, & ab Ecclesia Catholica eiecti fuerũt.

Secundo, fundamentũ Cassandri est falsum, non enim possunt uera membra Ecclesiæ uocari Lutherani & Caluinistæ, etiamsi in Symbolo nobiscum conuenirẽt: nam præter illam fidem requiritur subiectio ad legitimum caput Ecclesiæ a Christo constitutum, & communicatio cum alijs membris; Ecclesia enim est unum corpus uisibile, & proinde caput & membra habet uisibilia, nec potest dici membrum, quod a capite & corpore reliquo separatum est. Certe Aerius, etiam quoad sensum, in Symbolo conueniebat cũ Catholicis, tamen quia nolebat subesse Episcopo, & ceteris membris communicare, ab Epiphanio & Augustino in Catalogo hæreticorum ponitur, & Cyprianus lib. 4. epist. 2. dicit, Nouatianum esse extra ecclesiam, quia non uolebat subijci Pontifici Cornelio, etiamsi nullam aliam hæresim introduxisset.

Tertio, Cassander ita disputat, quasi inter Catholicos, Lutheranos, & Caluinistas solum dissensiones sint de ritibus & cęremonijs humanis: at multa dogmata sunt maximi momẽti, in quib. dissentimus, quæque non habentur expressè in Symbolo, & propter quæ nulla pax sperari potest inter Catholicos, & Lutheranos. Nam verbi gratia, nos dicimus, Missam esse diuinissimum cultum Dei; illi dicunt esse horrendam idololatriam: similiter inuocare Sanctos nobis est pietas, illis impietas, &c.

Quarto, sancti Patres docuerunt nos, ut non solum fidei Symbolum, sed etiam omnia alia dogmata fidei, licet minuta videantur, inuiolata seruemus, nec propter hæreticos ullo modo immutari patiamur, Galat. 2. Paulus dicit, se nec ad horam cedere voluisse falsis fratribus. Et cum olim Ariani peterent a Catholicis, ut saltem unam uocem omitterent, quæ non habetur in Scriptura, nec in Symbolo Apostolorum, vel unam literam immutarent, id est, non dicerent ὁμοούσιον, sed ὁμοιούσιον, & si hoc fuerit, pacem pollicerentur; Catholici noluerunt, & Imperatori scripserunt, nefarium esse de rebus iam definitis aliquid immutare; & si quid iustarum sanctionum fuerit immutatum, nõ propterea pacem futuram: nec enim apud eos pacẽ esse posse, qui pacis iura nescirent. vide Theodoretum lib. 2. hist. c. 18. & 19. vel Trip. lib. 5. cap. 21. & 33. & hoc uerum esse patuit in Concilio Ariminẽsi: nam cum simpliciores Catholici ab Arianis decepti, nomen ὁμοούσιον, tollendũ esse decreuissent, mox Ariani toto orbe terrarum prædicauerunt, se vicisse; & non contenti sustulisse uocem ὁμοούσιον, & pro ea substituisse ὁμοιούσιον, paulo post ipsum ὁμοιούσιον, in ἑτερούσιον, ideſt, dissimilis substantiæ, transformarunt, ut Theodoretus refert, lib. 2. hist. c. 21.

Hinc Basilius roganti Præfecto Valentis Imperatoris, ut tempori pareret, & non tot Ecclesias, propter paruam dogmatum subtilitatem, uexari pateretur, respõdit: *Qui diuinis innutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatib. ne vnam quidem syllabam patiuntur, sed pro his si cõtingat, omnes etiam mortis species ample ctuntur.* Vide Theodoretum lib. 4. c. 17. histor. Eccles. Eadem constantia prædicti fuerunt Eustathius & Syluanus. quibus cum Imperator exilium minaretur, nisi uocem ὁμοούσιον, abrogarent, responderunt, potestatem habes puniendi, non tamen nos Patrum statuta destruimus. vide hist. Trip. lib. 5. cap. 24.

Denique Gelasius in epist. ad Euphemianum, petenti hæretico, ut Papa eis condescẽderet, ideſt, aliquid remitteret de religione Catholica, pacis gratia, eleganter eius petitionem irrisit. *Cum autem*, inquit, *dicis, condescẽdere nos debere vobiscum: interim iam vos descendere, aut descendisse monstratis, vnde quæso, vel quo ista descensio est? vtique ex superiore quodam loco ad inferiora quæq; depositos, a Catholica, Apostolicaq; communione ad hæreticam, damnatamq; prolapsos videtis, cognoscitis, non negaris: sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli, condescendere nos vobiscum inuitatis ad ima de summis: nos coascendere vos nobiscum rogamus ad summa de imis.*

Quinto, non potest liberum esse credere in uno quolibet dogmate, quin eadem ratione liberum esse debeat in omnib. etiam in ijs, quæ in Symbolo Apostolico continentur: nam una est regula fidei indubitata, & certa in oĩb. quæ credũtur, nimirum verbum

Dei

Dei per Ecclesiam explicatum. Si ergo credo Ecclesiæ tradenti mihi Symbolum Apostolorum, quod nō scio aliunde esse Apostolorum, nisi quia Ecclesia dicit; eadē ratione credere debeo Sanctos inuocandos, quia eadem Ecclesia hoc dicit; vel si hoc possim non credere, eadem ratione possim non credere, Symbolum illud esse Apostolorum.

SEXTO, opinio ista Cassādri noua est, & ab ipso primum excogitata, vt ipse initio fatetur, suspecta igitur haberi debet. Vt enim pulchre docet Vincentius Lyrinensis in suo opusculo contra profanas nouitates, suspicione carere non potest, quod nouum est; cum vera fides vna sit, & antiquissima.

SEPTIMO, ista opinio facit veram Ecclesiam omnino occultam & inuisibilem; imò ex solis adulatoribus & simulatoribus conflatam: nam Cassander dicit, ad veram Ecclesiam requiri duo, fidem in Christum, & pacem cum hominibus, & inde deducit eos, qui hostiliter insectantur Catholicos, & Lutheranos, nō esse de Ecclesia, sed eos solum, qui cum oīb. pacē habent: ergo illi, qui sunt de Ecclesia, nō possunt esse nisi occulti, & qui cum Catholicis simulant se hostes Lutheranorum, & cum Lutheranis hostes Catholicorū: nam Catholici non patiunt in suo grege vllos, qui ostendāt vllo signo externo, se fauere Lutheranis: inter Lutheranos quoque, etsi permittuntur in ijsdem prouincijs omnes sectæ, tñ nulla secta in suo grege patitur amicos aliarum sectarum, vt notum est: ergo isti pij, & pacifici viri necessario sunt omnes ficti & simulati, aliud ore profitentes, aliud in corde celantes, & similes Herodi, qui cum Ethnicis erat Ethnicus, cum Iudæis Iudæus: nam & Cæsari tēpla erexit, & simul Deo vero, vt Iosephus refert li. 15. Antiq. c. 13. & 14.

Adde, quod fatetur Cassander, suos istos collegas esse paucos & occultos, sed hinc apparet, eos non posse Ecclesiam constituere: nam Ecclesia est manifesta & visibilis adeo, vt a Domino, Matth. 5. dicatur ciuitas supra montem posita. Denique, vera Ecclesia sine Pastoribus esse non potest, ad Ephesios 4. isti autem homines occulti nullos pastores habent, nec habere possunt, dum ita manent occulti; proinde nullam Ecclesiam habent.

CAP. XX.

Libros hæreticorum abolendos esse.

POSTREMA restat quæstio de pœnis hæreticorum, quas post Ecclesiæ iudicium & declarationē, Principes politici infligere possunt ac debent. Incipiemus autē a libris eorum, ac breuiter ostendemus, libros hæreticorum iure interdici, & exuri. Id igitur probatur PRIMO ex antiqua & perpetua consuetudine, nō solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum.

PRIMO, refert Valerius maximus, lib. 1. c. 1. quod cum Romæ reperti fuissent libri quidam, qui nonnihil videbantur soluere religionem, Prætor Vrbanus, ex auctoritate Senatus, in cōspectu populi eos cremauit. Marcus Tullius lib. 1. de natura Deorum refert, Protagoram Abderitem, quod libros noxios religioni scripsisset, Atheniensium iussu, vrbe atque agro exterminatum, libros que eius in cōcione combustos.

DEINDE, tēpore Apostolorū, refert Lucas Act. 19. multos ab Apostolis conuersos, libros curiosos & vanos cōtulisse, & combussisse coram omnibus, & Clemens lib. 1. constit. Apostol. c. 7. dicit, Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros Gentilium, & falsorū Prophetarum. Scribit etiam Eusebius lib. 7. hist. c. 6. Dionysium Episcopum Alexandrinum, qui floruit circa annum CCL. a fidelibus reprehensum, quod libros hæreticorum legeret.

CONSEQVENTE postea tempore creuit zelus fidelium contra libros hæreticorum: Nam Nicenū Concilium libros Arij ignī adiudicauit, vt Nicephorus refert lib. 8. c. 18. & Constātinus id exequutioni mandari iussit, proposita pœna capitis, si quis libros Arij occultasset, ut patet ex epist. eius apud Socratem, li. 1. c. 6. & Nicephorum lib. 8. c. 25. Scribit etiam Socrates lib. 1. c. 24. Marcellum Ancyranum damnatū fuisse, quod libros suorum errorum comburere noluisset; non enim recipiebantur ad pœnitentiam hæretici, nisi prius libros suos combussissent.

CIRCA eadem tēpora Epiphanius in Synodo Cypri coacta, vetuit libros Origenis legi, vt Socrates li. 6. ca. 9. hist. refert, & Concilium Carthaginense IIII. can. 16. permittit solis Epis, ut tempore necessitatis libros hæreticorum legant. Non diu postea cū Nestorij hæresis in Cōcilio Ephesino damnata fuisset, libri quoq; Nestorij in eodem Cōcilio interdicti fuere, & a Theodosio Imperatore exuri iussi, vt Liberatus refert ca. 10. Breuiarij, & exstat adhuc lex Theodosi, L. Damnato, C. de hæretic. Circa idem tempus prodijt lex Honorij & Theodosij, qua iubentur Mathematici omnes suos libros, in quib. aliquid est aduersum Catholicæ religioni, in oculis Epī cremare, L. Mathematicos, C. de Epali audientia. PARI rōne in Cōcilio Chalcedonensi dānantur libri Eutychetis, & ab Imperatorib. Valentiniano & Martiano seuera lege prohibetur, ne vllus eos legere, aut habere audeat, sed oēs diligentissime quæsiti crementur, vt patet ex Cōcilio Chalcedonensi, act. 3. & ex ipsa lege, q̄ adhuc exstat L. Quicunque, §. Nulli, & §. Oēs, C. de hæreticis.

EODEM tempore B. Leo in epist. 91. ad Turbium, cap. 15. & 16. interdixit lectionem librorum hæreticorum quorundam, & addidit eos Episcopos, qui eos in domibus fidelium haberi sinerent, hæreticos censendos; paulo post Gelasius in Concilio LXX. Episcoporum, ut habetur dist. 15. can. S. Romana, proposuit indicem hæreticorum, quorum libros a fidelibus vitandos esse dicit.

POSTMODUM in V. Synodo damnato Anthymo, damnantur etiam eius libri, & Iustinianus Imperator grauem pœnam statuit, nimirum amputationis manuum, in eos, qui eiusmodi libros describunt, ac iussit ubique comburi. habetur hæc constitutio in 1. act. Synodi V. & in Nouellis, cōstit. 42. B. Gregorius lib. 14. Moralium, c. 32. refert iussu Tyberij Imperatoris, crematum librum Eutychij, quem ipse Gregorius hæresis conuicerat. In VII. etiam Synodo, act. 5. interdicuntur, & comburi iubentur libri hæreticorum, & can. 9. excommunicantur, qui libros hæreticorum legunt. Concilium Constantiense sess. 8. confirmat decretum Concilij Romani, quo interdicta fuerat lectio librorum Ioannis Vvicleſi. Denique, Concilium Tridentinum indicem librorum hæreticorū fieri iussit, ut omnes sciant, qui libri cauendi & exurendi essent. Ex quo apparet, semper eandem fuisse consuetudinem in Ecclesia.

ACCEDIT etiam in argumētum huius rei, quod nulli fere exstent libri veterum hæreticorum, quomodo enim euanuerunt tot uolumina Valentini, Marcionis, Arij, Eunomij, Nestorij, Pelagij, & aliorum, quibus SS. Patres respondent?

PROBATUR SECVNDO ratione: nam colloquia hæreticorum sunt periculosissima, & ideo diligenter vitanda, ergo multo magis libri sunt noxij & pestilentes, ac vitandi. Ad Rom. 16. *Rogo autem vos, fratres, vt observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis: nā per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum.* 2. Timot. 3. *Hos deuita.* Titum 3. *Hæreticum deuita.* 2. epist. Ioannis. *Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.*

S. IRE-

S. IRENÆVS lib. 3. c. 3. *Tantum*, inquit, *Apostoli, & horũ discipuli habuerunt timorem, vt neq; uerbo tenus cõmunicarent alicui eorum, qui adulterauerãt veritatem.*

S. CYPRIANVS lib. 1. epist. 3. ad Cornelium: *Declinent*, inquit, *fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba, & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Et infra: *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur; simusq; ab eis tam separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi.*

S. ATHANASIVS de S. Antonio in eius vita: *Nunquam*, inquit, *Manichæis, aut alijs hæreticis saltem amicabilia uerba largitus est, denuncians talium amicitiam, atque sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, vt omnib. diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum.* Et ipse B. Ant. iam moriturus: *Hæreticorum* inquit, *& schismaticorũ uenena uitate, meumq; circa eos odium sectamini, scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem sermo cum eis unquam fuerit.*

S. AVGVSTINVS in epist. 62. *Hæreticum*, inquit, *sicut uitandum monemus, ne infirmos, & paruulos fallat, ita non abnuimus quibuscunque modis possumus corrigẽdũ, &c.* S. LEO serm. 18. de passioni Domini: *Viperea*, inquit, *hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.* Hæc ille.

IAM igitur, si tantopere vitanda sunt colloquia hæreticorum, quanto magis libri? nã oratio in libris scripta, est magis composita, & artificij plena, quam quæ in colloquijs usurpatur. DEINDE, est semper ad manus: nam conciones & colloquia sunt rara, & uerba ore prolata mox transeunt: at uerba in libris manent perpetuo, & semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent. PRÆTEREA libri magis sparguntur; potest enim aliquis per libros toti fere orbi terrarum simul loqui, & multorum domos & cubicula libri penetrant, quos auctor libri nunquam vidit, & ad quos forte nunquam admitteretur. DENIQVE, experientia idem docet: nam Ioannes VVicleffus viua voce paucissimos peruertit; docuit enim solum in Anglia, & ibi pene nullos reliquit sui erroris hæredes: at per libros totam Boemiam peruertit. vide Cochlæum in historia Hussitarum.

AT contra obijciunt. PRIMO, quia multa bona sũt in libris hæreticorum, & stultum videtur, propter aliqua mala priuare se etiam bonis: & cõfirmatur, quia alioqui multorum Patrũ scripta comburenda erunt. Item, quia Ecclesia tolerat libros Gentilium, Iudæorum, Turcarum, & ueterum etiam hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebij, Pelagij.

RESPONDEO, veritatem quidem non esse negandam, tamen nec legendam in libris hæreticorum: nã, vt ibi est, nocet, non prodest. Scribit B. Gregor. lib. 5. moral. c. 11. hoc esse proprium hæreticorum, ut veris falsa permisceant, & bonis mala: nam si sola falsa & mala dicerent, ab omnib. repellerẽtur; si sola vera & bona, hæretici non essent. Itaque omnia miscent, ut ex malis bona inficiant, & per bona mala sua abscondant, quæ etiam causa est, cur Christus & Apostoli prohiberent Dæmones vera dicere, ne uidelicet per ea vera fidem sibi acquirerent, & postea falsa etiam illis crederentur. Luc. 4. *Dominus non sinebat Dæmones dicere; Tu es Christus Filius Dei.* Et Act. 16. Paulus prohibuit Diabolo dicere: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.*

Præterea, etiam non decet, vt ueritas ab hæreticis suscipiatur, qui hostes sunt veritas: vt scribit Gellius lib. 18. c. 3. apud Lacedæmonios, cum de summa Reipublicæ ageretur, vir quidam disertus & doctus, sed improbus & impurus, optimam sniam dixit, quæ cũ placeret omnib. & iuxta eam decretum faciendum videretur, & tamen ferre non possent, ut optimũ consilium turpitudine actoris fœdaretur, electus est vir quidam grauissimus, qui omnium consensu eandem sententiam diceret, & nulla prioris habita mẽtione, huius sententia in decretum referretur.

Ad PRIMAM cõfirmationem de scriptis Patrum, respondeo in primis, Patres non esse hostes Ecclesiæ, & eorum errata non hæreses, sed humanos esse errores. Præterea, errores Patrum esse errores extinctos & mortuos, qui nocere non possunt: nam error nocet quandiu defenditur pertinaciter: Patrum autem errores non fuerunt detecti, dum Patres ipsi uiuerent, alioqui enim uel ipsi eos emendassent, uel ab Ecclesia eiecti fuissent: sed post mortem eorum detecti, notatiq; sunt, & ab omnibus improbati, sicut etiam ab ipsis improbarentur, si uiuerent.

Ad illud de Gẽtilib. dico eos tolerari, quia non nocent, cum sint errores mortui; nulli enim nunc sunt, qui non rideant dogmata Gentilium: nec unquam audimus Christianos depranatos libris Gentilium, deficere ad Gentilismum, ut quotidie deficiunt ad hæreticos: quia uero tempore Apostolorum multi erãt, qui propugnabant dogmata Gentiliũ, Clemens scribit interdictos fuisse Gentilium libros; lib. 1. Const. c. 7. & eadem de causa prohibentur libri Gentilium in Concilio Carthaginensi IIII. c. 16.

Ad illud de Iudæorum & Turcarum libris dico, libros Iudæorum & Turcarum melioris conditionis esse, quam hæreticorum: illi enim sunt aperti hostes Christianorum, nec fallunt sub nomine Christiano, vt hæretici faciunt. Itaque etiam simplicissimi quiq; norũ discernere dogmata Iudæorum & Turcarum a Christianis dogmatibus; discernere autem hæreses non possunt, nisi homines valde docti. Præterea etiã Iudæorum & Turcarum libri prohibentur, quando continent blasphemias in Christum, aut iudicantur pernitiosi Christianis, ut patet de Talmud Iudæorũ.

Ad illud de Origene, Tertulliano, Eusebio, Pelagio dico, eorum libros permitti, quia hæreses ille sunt extinctæ, & libri prosunt propter antiquitatem.

Argumentũ SECVNDVM. ex Paulo, qui 1. Thes. 5. dicit: *Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est, tenete.* est enim sensus; Si quis futura prædicat, vel scripturas interpretetur, aut uerbo, aut scripto, nolite reijcere, sed audite, uel legite, & quod Catholicæ fidei consonum est, accipite, reliquum omittite.

RESPONDEO, Apostolus loquitur de prophetia & scriptis, q̃ nondum constat, an sint bona uel mala; & talia non vult reijci, nisi prius examinata: sed qñ scriptum aliquod iam est examinatum, & cõstat esse malum, vult omnino reijci, & talia sunt scripta omnia, q̃ nobis prohibentur; sunt. n. probata, ideſt, examinata omnia, & ideo prohibita, quia mala reperta sunt.

Deinde licet Apostolus ad totam Ecclesiam scribat, tamen non vult omnia fieri ab omnibus, sed ab ijs, qui possunt, & quibus ex officio incumbit, sicut cũ ad Vniuersitatem aliquam mittuntur articuli aliqui suspecti examinandi, non ad omnes, qui sunt in Vniuersitate, pertinet eos examinare, sed solum ad Magistros, vel quos ipsi designauerint; ita igitur cum Apostolus iubet, in Ecclesia examinari prophetias & Scripturarum interpretationes, certe non vult hoc fieri a sartorib. & cœmẽtarijs, sed ab Episcopis, & alijs, quos Episcopi sibi adiungunt.

ALIVD argumentum sumunt ex testimonijs quatuor veterum Patrum, Dionysij Alexandrini, Theophili item Alexandrini, B. Hieronymi, & Gelasij, nã DIONYSIVS, vt scribit Eusebius lib. 7. histor. cap. 6. cum reprehenderetur, quod libros hæreticorum legeret, respondit, se uisionem habuisse, qua sibi dicebatur: *Lege omnia, quæ in manus tuas venient, ualebis enim omnia expendere, & probare.* THEOPHYLVS quoq; cum argueretur quod Origenem legeret, respondit, ut Socrates refert lib. 6. hist. cap. 15. se legere, ut quod bonũ est excerperet, quod malũ reſpueret. B. HIERONYMVS

NYMVS in epist. ad Alexandrum & Minerium, dicit, se legere libros hæreticorum, ut bona inde excerpat; etiamsi sciat, aliquos propterea de se murmurare.

GELASIVS in tomo de vinculo anathematis, probare uolens, posse Concilium Chalcedonēse partim recipi; partim non recipi, affert exemplum librorum hæreticorum, qui partim recipiuntur, partim reijciūtur, & allegat illud: omnia probate, quod bonum est, tenete.

Ad hoc vltimum respondeo, exemplum Gelasij in eo consistere, quod sicut in Concilio Chalcedonensi quædam erant bona, quædam mala; & qūædam recipienda, quædam reijcienda, ita & in libris hæreticorum: non tamen vult dicere, posse recipi libros ipsos hæreticorū propter uera admixta, sicut recipitur Cōcilium Chalcedonense, nā alia ratio est Concilij sanctorum Patrum, alia librorum hæreticorum, ut diximus, quanquam ueritas ipsa inserta libris hæreticorū bona sit, & recipienda, si tamen alibi reperiatur; uerba eius hæc sunt: *Nunquid nam in ipsorum hæreticorū libris non multa, quæ ad ueritatem pertineant, posita legūtur? Nunquid nam ideo ueritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur? Aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia ueritas, quæ illic inserta est, non negatur?*

Ad alia respondeo. PRIMVM; ex his locis colligi, semper in Ecclesia fuisse morem uitandi lectionem librorum hæreticorum, alioqui enim nemo istos Patres reprehendisset. Dico SECVNDO, semper concessū fuisse, & modo etiam concedi Episcopis, & aliis multis lectionem librorum hæreticorum, & ideo non mirū, si Dionysius & Theophilus, qui Patriarchæ erant, & S. Hieronymus, qui semper doctissimus est habitus, poterant suo iure omnes libros legere. Dico TERTIO, nullam tunc fortasse fuisse legem uniuersalis Ecclesiæ, sed solum consuetudinem de non legendis libris hæreticorum, exceptis libris Arii, at nunc lex est Ecclesiæ vniuersalis, cui parendum est.

CAPVT XXI.

Posse hæreticos ab Ecclesia damnatos, temporalib. pœnis, & etiam morte mulctari.

IOANNES Hus art. 14. in Concilio Constantiensi, sess. 15. recitato, asseruit, non licere hæreticum incorrigibilem tradere seculari potestati, & permittere comburendum. Idem Lutherus in art. 33. & in assertione eiusdem. Nec nouus est error, nam etiam Donatistæ olim idem docuerunt, vt Parmenianus, Petilianus, & Gaudentius, ut August. testatur lib. 1. contra epistolam Parmeniani, cap. 7. lib 2. contra litteras Petiliani, c. 10. Lib. 2. contra epist. Gaudentii, cap. 17. & 26. & epist. 50. ad Bonifacium.

Contrarium docent omnes Catholici, & aliqui ēt ex hæreticis. Nam Caluinus posteaquam Michaelem Seruetum tanquam hæreticum publice supplicio extremo affecisset, & ab aliis sectariis argueretur, libellum edidit, in quo demonstrat, licitum esse in hæreticos gladio animaduertere. Benedictus quoq; Aretius in historia de supplicio Valentini Gentilis, eundem Gentilem ob hæresim iure cesum a Bernensi Magistratu, contendit. Fusius vero idipsum docet Theodorus Beza in lib. de hæreticis a magistratu puniendis.

Nos igitur breuiter ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia reiici, & a secularibus potestatibus, temporalibus pœnis, atque ipsa etiam morte mulctari.

Probatur PRIMO Scripturis. Scriptura veteris Testamēti Deut. 13. seuerissime iubet falsos Prophetas, qui suadent colere Deos alienos, sine ulla misericordia occidi, & ca. 17. postquam dixerat, ut in rebus dubiis cōsuleretur summus Sacerdos, mox subdit: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex sententia iudicis moriatur.* Et rursum c. 18. Propheta falsus interfici iubetur. Et re ipsa legem hanc seruarunt Helias, Iosias, Iehu, & alij, qui falsos Prophetas plurimos occiderunt, ut patet 3. Reg. 18. & 4. Reg. 10. & 23. nullum est autem fere discrimen inter nostros hæreticos & falsos Prophetas illius temporis: nec solum sancti Reges & Prophetę blasphemos morte mulctarunt, sed etiam Nabuchodonosor (vt dicitur Dan. 3.) edictum constituit, ut quicunque blasphemaret Deū Danielis, ideſt, verum Deum, interficeretur, & dom⁹ eius vastaretur; in quo edicto Deo vero obsequiū iustissimum fecit, ut B. August. dicit in epist. 50. & alibi.

In nouo Testamento habemus in primis Mat. 18. posse Ecclesiam eos, qui obedire nolunt, a se reijcere, & habere vt Ethnicos & Publicanos, ac proinde permittere eos potestati seculari, tanquam non amplius Ecclesiæ filios. Habem⁹ deinde Rom. 13. secularē potestatem, posse sceleſtos homines gladio punire: *Non enim*, inquit, *sine causſa gladium portat, minister. n. Dei est, vindex in iram, &c.* Ex quib. duob. locis aperte colligitur, licitum esse hæreticos, qui omnium iudicio sūt rebelles Ecclesiæ & publicæ pacis perturbatores, ab ecclesia abscindi. & a seculari iudice morte mulctari.

PRÆTEREA Christus & Apostolus eius hæreticos ijs rebus comparauerunt, quæ sine controuersia ferro & igni repelluntur: nam Matth. 7. Dominus ait: *Attendite a falsis Prophetis, qui ueniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autē sunt lupi rapaces.* Act. 20. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessum meum lupi rapaces*; nomine luporum certum est hæreticos intelligi debere, vt pulchre explicat S. Ambrosius in commētario ad initium capitis decimi B. Lucæ; at lupi rapaces optimo iure occidūntur, si aliter abigi non possunt; pluris enim facienda est uita ouium, quam mors luporum. Item Ioā. 10. *Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* ubi nomine furis & latronis intelliguntur hęretici, & omnes seductores, ac sectarum inuentores, ut Chrysostomus, & Augustinus exponunt; fures autem & latrones, quomodo puniantur, notum, est. Item 2. Timoth. 2. hæresis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro exscindi debet, alioqui perpetuo serpit, & totum corpus corrumpit. DENIQVE Christus Ioan. 2. flagello coegit negotiatores egredi templum. Petrus Act. 5. Ananiam, & Saphiram, quia mentiri ausi fuerā t Spiritui sancto, occidit. & Paulus Act. 13. falsum Prophetam, qui proconsulem a fide impedire conabatur, cęcitate percussit.

Probatur SECVNDO sententijs, & legibus Imperatorum, quas Ecclesia semper probauit. Constantinus I. Imperator ad petitionem Nicęnæ Synodi Ariū cū aliquot socijs in exilium relegauit, ut auctor est Sozomenus lib. 1. cap. 20. hist. or. item Donatistas supplicio affecit, ut Aug. refert lib. 1. contra epist. Parmeniani, c. 7. & in epist. 166. ad Donatistas ubi enumerat multos Imperatores optimos, qui seuerissimas leges tulerunt contra hæreticos, & unum solum Iulianū Apostatam hæreticis fauisse.

Deinde Theodosius Valentinianus, Martianus, & alij religiosissimi Imperatores, leges tulerunt in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio & verberibus, interdum ultimo supplicio mulctari uoluerunt, vt patet C. de hæreticis L. Manicheos. L. Ariani. L. Quicunque, qua ultima lege, quæ est Valentiniani, & Martiani iubētur occidi omnes, qui praua docere tentant, qui uero eos docentes audiunt, aliquot libris auri mulctari. Iustinianus apud Paulū Diaconū lib. 16. lege edita omnes hæreticos de finibus totius Imperij eiecit, concessis trium mensium ad conuersionem indu-

inducijs, deinde Michael Imperator apud eundem Paulum Diaconum lib. 24. capitalem pœnam in hæreticos constituit.

Probatur TERTIO legibus Ecclesiæ, cap. Ad abolendam, & Cap. Excommunicamus, extra de hæreticis, & in Sexto de hæreticis, cap. super eo, definit Ecclesia, hæreticos incorrigibiles seculari potestati tradendos, vt ab eis debito modo puniantur. Item Constantiense Concilium sess. 15. damnauit sententiam Ioannis Huss: & ipsum Ioannem & Hieronymum de Praga tradidit seculari potestati, a qua ambo exusti fuerunt; denique Leo X. articulos Lutheri damnauit.

Probatur QVARTO testimonijs Patrum. CYPRIANus lib. de exhortatione martyrij, cap. 5. postquam retulerat ex Deutero. 13. necandos esse Pseudoprophetas, subdit. *Si hoc in Testamento veteri fiebat, nunc magis faciendum esse.*

HIERONYMVS in illud Galat. 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit; *Igitur*, inquit, *scintilla statim vt apparuerit extinguenda est, & fermentum à massæ vicina semouendum; secandæ putridæ carnes, et sca biosum animal a caulis ouium repellendũ, ne tota domus massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.*

AVGVSTINVS lib. 2. retract. c. 5. & in epist. 48. & 50. retractat quod aliquando senserat, non esse vi cogendos hæreticos ad fidem, & prolixè probat id vtilissimum; semper tamen excipit supplicium mortis, nó quòd illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum vlla exstabat lex Imperatorum, qua hæretici iuberentur occidi; illa enim Lex, Quicunque, C. de hæreticis, paulò post mortem Augustini lata est.

Quod autem Augustinus existimauerit, iustum esse, si hæretici occiderentur, perspicuum est; nam lib. 1. contra epistolam Parmeniani, cap. 7. ostendit, quod si punirentur morte Donatistæ, iustè punirentur. Et tract. 11. in Ioan. *Occidunt*, inquit, *animas, affligunt in corpore, sempiternas mortes faciunt, & temporales seperpeti conqueruntur, &c.* vbi dicit falsò illos conqueri,
» quod occiderentur ab Imperatoribus: tamen si etiam
» verum esset, adhuc iniustè conquererent. Denique in
» epi. 50. ad Bonifacium dicit; Ecclesiam quidem nolle
» vllum hæreticum occidi, tamen sicut domus Dauid
» non potuit habere pacẽ nisi Absalon extingueretur,
» & Dauid pace regni mœrorem mortis filij cõsolatus
» est: sic cum ex legibus Imperatorum contra hæreti-
» cos sequitur aliquorum mors, Ecclesiam dolorem ma
» terni cordis lenire ac sanare tantorum liberatione po
» pulorum.

S. Leo in epist. 91. ad Turbium, c. 1. *Merito*, inquit, *Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter agere, ut impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent; & profuit diu ista districtio Ecclesiastica lenitati, quæ etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium qui timent corporale supplicium.* OPTATVS Mileuitanus lib. 3. respondens calumniæ hæreticorum, qui ægerrimè ferebant duos ex suis à Machario præfecto interfectos: *Videtis*, inquit, *à Mose, & Phinee, & Helia, & Machario similia eẽ facta, quia ab omnib. vnius Dei vindicta pcessit.*

S. GREGORIVS lib. 1. epist. 72. ad Gennadiũ Exarchum Africæ, laudat eum, q̃ magno zelo hęreticos armis persequeretur, & hortatur, vt pergat.

S. BERNARDVS serm. 66. in Cãtica: *Melius*, inquit, A *procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causſa gladium portat, quam in suum errorem multos trahere permittantur: Dei enim minister ille est, vindex in iram ei, qui male agit: mirabantur aliqui, quod nõ modo patienter, sed etiam læti, vt videbantur ducerentur ad mortem: sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas Diaboli, non solum in corpora hominum, sed etiam in corda, q̃ semel permissus possederat. Nonne plus est sibimet hoẽm injcere manus, q̃ id libẽter ab alio sustinere?*

Probatur VLTIMO ratione naturali. PRIMO, hæretici excommunicari iure possunt, vt omnes fatentur, ergo & occidi. Probatur consequentia, quia excõmunicatio est maior pœna, quàm mors temporalis. Aug. lib. 1. contra aduers. Legis & Prophetarum, ca. 17. dicit, horribilius esse tradi Satanæ per excommunica- B tionem, quam gladio feriri, flammis absumi, ferisue subijci ad deuorandum.

SECVNDO, experientia docet, non esse aliud remedium: nam Ecclesia paulatim progressa est, & omnia remedia experta; primo solum excommunicabat; deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exilium; vltimo, coacta est ad mortem venire: nam excommunicationem contemnunt hæretici, ac dicunt esse fulmina frigida: si mineris mulctã pecuniariam, nec Deum timent, nec homines reuerentur, scientes non defuturos stultos, qui illis credant, & a quibus alantur; si in carcerem concludas, vel in exilium mittas, corrumpunt vicinos verbis, & longe positos libris, ergo solũ remedium est, mittere illos maturè in locum suum.

TERTIO, falsarij omnium iudicio merentur mor- C tem; at hæretici falsarij sunt uerbi Dei.

QVARTO, ex ratione Augustini epist. 50. grauius est non seruare fidem hominem Deo, quam fœminã viro, sed hoc morte punitur, cur non illud?

QVINTO, tres causſæ sunt propter quas ratio docet homines occidendos esse, quas pulchre scribit Galen. in libro cuius titulus est, quod mores animi corporis temperamentum sequantur, circa finem libri.

PRIMA causſa est, ne mali bonis noceant, neue innocentes a nocentibus opprimantur; atq; hinc iustissime omnium iudicio occiduntur homicidæ, adulteri, latrones. SECVNDA est, vt paucorũ supplicio multi corrigantur. & qui noluerunt prodesse Reip. viuendo, prosint moriendo: atque hinc videmus etiam iustissime omnium iudicio quædam horrenda flagitia D morte puniri, licet proximis non noceant, nisi exemplo, vt Necromantiã, quædam nefanda & contra naturam, ista ideo grauissimè puniuntur, vt ceteri intelligant, immania esse scelera, & non audeant similia perpetrare. TERTIA est, quia ipsis hominibus, qui occiduntur, sæpe vtile est occidi, quando videlicet semper fiunt peiores, & non est probabile, vnquam eos ad sanitatem mentis reuersuros.

Hæ autem rationes omnes suadent, hæreticos occidendos: nam primum nocent proximis magis, quam vllus pirata vel latro, quandoquidẽ animas occidunt, immo tollunt fundamentum omnis boni, & Rempub. tumultibus replent, qui necessario religionum diuersitatem sequuntur.

Deinde, plurimis prodest eorum supplicium; multi enim, quos impunitas faciebat torpentes, supplicia E proposita excitant, vt cogitent, qualis sit hæresis, quã sequuntur, & videant, ne forte vitam præsentem misere finiant, & ad futuram beatitudinem non perueniant. Itaque & B. Aug. in epist. 48. testatur, plurimos conuersos esse, postquam leges Imperatorum non sinebant hæreticos impunitos, & nos quotidie idem videmus fieri in locis, ubi viget inquisitio.

Denique, hæreticis obstinatis beneficiũ est, quod de hac vita tollantur: nam quo diutius viuunt, eo plures errores excogitant, plures peruertũt, & maiorem sibi damnationem acquirunt.

CA-

CAPVT XXII.

Soluuntur obiectiones.

SVPEREST, argumenta Lutheri atque aliorum hæreticorum diluere. PRIMVM, ab experientia totiꝰ Ecclesiæ: *Eccles.* 2. inquit Lutherus, *ab initio sui vsque hunc nullum combussit hæreticum*; ergo non videtur esse voluntas spiritus, vt comburantur.

RESPONDEO, argumentum hoc optime probat, nõ sententiam, sed imperitiam, vel impudentiam Lutheri; nam cum infiniti propemodum vel combusti, uel aliter necati fuerint, aut id ignorauit Lutherꝰ, & tũc imperitus est, aut non ignorauit, & impudens ac mẽdax esse conuincitur: nam quod hæretici sint sæpe ab Ecclesia combusti, ostendi potest, si adducamus pauca exempla de multis. Priscillianus hæresiarcha cum socijs, a Maximo Christiano Imperatore necatus est, vt S. Hieronymus in lib. de viris illustribus testatur, & de Donatistis occisis meminit Optatus lib. 3. contra Parmenianum.

Basilius quidam Magus, ac proinde hæreticus: nã vix vlli sunt vere Magi non hæretici, Romæ combustus est a Christiano, & Catholico populo, vt B. Gregorius testatur lib. 1. Dialogorum, c. 4.

Rursum alius Basilius auctor hæresis Bogomilorũ ab Alexio Comneno Imperatore publice exustus est, vt scribit Zonaras in vita Alexij.

Tempore etiam B. Bernardi, quod hæretici vltimo supplicio afficerentur, testatur ipse in Cantica ser. 66. Temporibus Innocentij III. fuerunt aliquãdo simul exusti CLXXX. hæretici Albigenses, cum antea & verbis, & miraculis eos S. Dominicus conuicisset, & multos eorum socios conuertisset. Scribit rem totam B. Antoninus 3. par. tit. 19. c. ũ. §. 4. historiæ.

Ac vt alios infinitos omittam, Ioãnes Hus, & Hieronymus de Praga in Constantiensi Concilio ab Imperatore Sigismundo exusti fuerunt.

Respondet Lutherus ad hoc vltimum exemplum; Ego de hęreticis loquor, Hus autem, & Pragensis nõ fuerunt hæretici. CONTRA. Saltem Priscillianus, & Bogomiles, & Albigenses fuerunt hæretici. Præterea Ioannes Hus, & nobis Catholicis, & ipsi Luthero hęreticus fuit: quod nobis, notum est, quod Luthero, probatur: nam Lutherus in lib. contra Regem Angliæ asserit impium esse, & blasphemum negare verũ panem in Eucharistia cum corpore Domini, & pium, atque Catholicum, negare conuersionẽ panis in corpus. At Ioannes Hus vsque ad mortem in contraria sententia fuit, & protestatus est, in ea fide se mori, credens firmissime panis conuersionem in corpus Christi, vt Ioannes Cochlæus refert lib. 2. de historia Husitarum, p. 76.

Argumentum SECVNDVM, experientia testatur, non profici terroribus. RESPONDEO, experientia est in contrarium: nam Donatistæ, Manichæi, & Albigenses armis profligati & extincti sunt. Item Augustinus testatur, plurimos conuersos suo tempore ob metum pœnæ, epist. 48.

Argumentũ TERTIVM, Ecclesia tolerat Iudæos, cur nõ hæreticos? Rñdeo PRIMO, Iudæi nunq̃ susceperunt fidẽ Christianam, hæretici susceperũt. SECVNDO, Iudæi religionẽ colunt, q̃ Deus instituit saltẽ pro tpe, hæretici eam, q̃ Diabolus inuenit. TERTIO, secta Iudæorũ Ecclesiæ utilis est, quia eorũ libri sunt prophetiæ nostrarũ rerum, & eorũ cęremoniæ figurę nostrorum mysteriorũ, & hinc probamus Gentilib. nos non finxisse hæc vaticinia, q̃nquidem seruantur a nostris inimicis, denique Iudæi non conantur peruertere Christianos, ut plurimũ, sicut faciunt hæretici. Vide Conc. Tolet. IV. can. 55. & 56. & August. in Psal. 59. Item Bernardum in epist. 322. ad Spirẽses, & 323. ad Episcopum Moguntinum.

Argumentum QVARTVM, ex Isa. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*. RESPONDEO, non est ad propositum, nam vt B. Hieronymus ponit, describit Propheta tempus aduentus Messiæ, ac dicit futurum tempus altissimæ pacis, ita vt homines conuertant instrumenta militiæ in instrumenta agricolturæ, & non exerceantur vltrà, id est, in longũ tempus ad prẽlium: hoc autem tempus impletum est in Christi natiuitate: nunquam enim fuit tam generalis, & tam diuturna pax in toto orbe, quam tempore Augusti. DEINDE, si verum est, nunquam futura in Ecclesia bella, ut Lutherus ex hoc loco deducit, manifestum erit apud Lutheranos non esse Ecclesiam, q̃ inter se, & contra Catholicos grauissima bella mouerunt, quale fuit illud cõtra Carolum V. in quo captus fuit Dux Saxoniæ & Landgrauius.

Argumentum QVINTVM, ex Isa. 11. *Non occident, & non nocebunt in omni monte sancto meo*. RESPONDEO, argumentum est contra ipsum Lutherum, nam non dicit Propheta quod Catholici non occident hæreticos, sed potius contra quod hæretici non occident, & non nocebũt Catholicis; loquitur enim Propheta de leonibus, & vrsis, & serpentibus, regulis, aliisq̃; venenatis bestijs, de quibus dixerat: *Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli mittet manum suam, &c.* his autem bestijs Diabolus, & hæretici eius ministri significantur, vt Hieronymus, & Cyrillus exponunt: ac dicit, quod non occident, neque nocebunt in omni Ecclesia; tametsi enim hæretici videntur Ecclesiæ nocere, tamen re vera non nocẽt sed eam exercent, & in sapientia, ac patientia proficere faciunt.

Argumentum SEXTVM, Matth. 18. Dominus constituit, vt hæretici haberentur pro Ethnicis & Publicanis, non ut comburerentur. Et Paulus ad Tit. 3. iubet hæreticum vitari, nõ occidi, ergo non licet eos occidere. RESPONDEO, Christum quidem, & Paulum hoc loco non præcepisse, sed nec prohibuisse, vt comburerentur hæretici: ac proinde nihil ex hoc loco deduci, & hęc est solutio, qua ipse etiam Lutherus vti cõsueuit, nam in lib. 2. contra Carolstadium, obijcienti Carolstadio, cur vocaret Sacramenta, quæ Christus non præceperat sic vocari; respondit Lutherus, & quare tu prohibes ea vocari Sacramenta, quæ Christus non prohibuit vocari? præterea Christus, & Paulus nusquam iubent adulteros, & falsarios occidi, suspendi fures, comburi latrones, & tamen id fieri, & rectè fieri, neque Lutherus negare auderet.

Argumentum SEPTIMVM, B. Martinus apud Sulpicium lib. 2. sacræ historiæ circa finem, vehementer redarguit Idacium, & Ithacium Episcopos, qui procurabant mortem Priscilliani hęretici apud Imperatorem; eosdem etiam tanquam ingentis criminis reos propter eandem causam ibidem Sulpitius accusat.

RESPONDEO, duabus de causis merito accusari illos Episcopos. PRIMO, quia causam Ecclesiasticã ad Imperatorem deferebant; nam Priscillianus accusatus apud Concilium, prouocauit à Concilio ad Imperatorem, & hoc Episcopi permiserunt, & de hac re ait B. Martinus, nouum, & inauditum nefas est, vt causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret. SECVNDO, quia Episcopi illi assumpserunt officiũ accusatoris in causa sanguinis; etsi. n. Episcoporum est hæreticos excõicare, & relinquere iudici seculari, & hortari ẽt iudices vt munere suo fungãtur, non tamen decet Episcopũ accusatorem agere. Quod autem Sulpitius putauerit iustè Priscillianum occisum cum socijs, patet ex illis verbis eius: *Hoc modo*, inquit, *homines luce indignissimi pessimo exemplo necati sunt.*

Argumentũ OCTAVVM. 1. Cor. 11. *Oportet hæreses*

ſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. ergo non debent extirpari. RESPONDEO, ſenſus illius ſententiæ eſt, poſita nequitia Diaboli, qui ſemper hæreſes ſeminat, & natura hominum corrupta, atq; ad malum propenſa, & poſtremo diuina permiſſione, neceſſe eſt in mũdo hæreſes inueniri, ſicut dicimus, oportet in horto eſſe aliquas malas herbas, & ſicut Dominus ait: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala*, Matt. 18. Itaque non iubet Apoſtolus vt hæreſes ſeminemus, vel vt eas pro viribus non extirpemus, ſed ſolum prædicit id quod ſemper in mundo erit, ſicut ſcandala tollere, & malas herbas de horto extirpare iuſtiſſimè conamur, licet ſciamus nunquam omnia ſcandala tollenda.

Argumentum NONVM. Lucæ 11. Diſcipulis cupiẽtibus comburi Samaritas, Dominus ait: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* RESPONDEO, Primo latiſſima differẽtia B eſt inter Samaritas illos, & hæreticos; illi enim nunquam promiſerant ſe Chriſti religionem ſeruaturos, ſed tunc primum eis offerebatur, & ideo compellendi non erant; at hæretici promiſerunt, profeſſiq; ſunt ſe Chriſti fidem ſeruaturos, ideo merito compelluntur. Deinde Iacobus & Ioannes non tam zelo ſalutis animarum, quam amore vindictæ cupiebant Samaritas comburi, & ideo merito arguuntur. Eccleſia vero zelo ſalutis animarum, quas hæretici peruertunt, eos perſequitur, quo zelo ipſe Chriſtus bis flagello eiecit ex templo vendentes oues & boues: *Et menſas nummulariorum ſubuertit*, Ioan. 2. & Matth. 21. Petrus occidit Ananiam & Saphiram, Actor. 5. Paulus tradidit C fornicarium *Satanæ in interitum carnis*. 2. Cor. 5. vt omittam Moſen, Phinees, Heliam, Mathathiam, & alios, qui zelo Dei plurimos occiderunt.

Argumentum DECIMVM. Matth. 13. *Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem.* Hic aperte Dominus de hæreticis loquitur, & prohibet eos occidi, vt Chryſoſtomꝰ hunc locum exponens ait, vt etiam Cyprianus li. 3. epiſt. 3. ad Maximum, & Vrbanum, vbi de hac parabola loquens dicit, ſoli Domino conceſſum eſſe, vel fictilia vaſa confringere, vel zizania euellere.

RESPONDEO, nomine zizaniorum non intelligi tur ſoli hæretici, ſed omnes homines mali, vt patet ex ipſa Domini explicatione, ait enim: *Bonum ſemen, filij ſunt regni, zizania filij nequam.* Et infrà: *Sicut ergo colligũtur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi: Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.* Cum autem D prohibet Dominus extirpari malos, non prohibet ne iſte, aut ille occidatur, ſed prohibet ne boni conentur omnes malos vbique extirpare, & nullum omnino permittere, id enim fieri non poſſet ſine ingenti clade bonorum, & hoc eſt quod Dominus ait, ne fortè cum eis eradicetis ſimul & triticum.

Itaque parabola generalis eſt, & ſolum docet nunquam futurum ante mundi cõſummationem, vt omnes mali eradicentur.

Cum autem in particulari quæſtio eſt vel de hæreticis, vel de furibus vel de alijs malis; An ſint extirpãdi; ſemper conſiderandum eſt, iuxta rationem Domini, an id poſſit fieri ſine detrimento bonorum; & ſi quidem poteſt fieri, ſunt procul dubio extirpandi: ſi au- E tem non poteſt, quia vel non ſunt ſatis noti, & periculum eſt ne plectantur innocentes pro nocentibus, vel ſunt fortiores nobis, & periculum eſt ne ſi eos bello aggrediamur, plures ex nobis cadãt quam ex illis, tũc quieſcendum eſt. Ita reſpondet Auguſt. lib. 3. contra epiſtolam Parmen. ca. 2. hunc locum explicans ſibi a Donatiſtis obiectum. Neque aliud Chryſoſtomus docet, vt patet ex his verbis: *Dominus*, inquit, *prohibet euelli zizania, ne forte ſimul cum zizaniis herbam etiam tritici euellant; nam ſi tunc trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur.* Porro Cypria- A nus non de hæreticis, ſed de malis Chriſtianis in ea epiſtola hanc parabolã intelligit, nec tñ prohibet occidi ſceleſtos, ſed dicit ſolius Domini eſſe diſcernere malos a bonis, & frumenta a zizanijs omnino purgare.

Argumentum VNDECIMVM. Ioan. 6. cum multi ex diſcipulis receſſiſſent, Dominus ait: *Vultis & vos abire?* Ergo ſic etiam Eccleſia facere debet.

RESPONDEO, negatur conſequentia; PRIMO, quia illi non obligauerant ſe ad manendũ, ſicut hæretici ſe per Baptiſmũ obligauerunt. SECVNDO, quia decebat vt Chriſtus, qui venerat iudicari non iudicare, non p ſe ſuas iniurias vlciſceretur, ſed eas vindicandas filijs ſuis ſpiritualib. relinqueret, cuius rei figurã habemus in Dauid, quouſque vixit, nunquam occidi voluit Semei, qui ſibi maledixerat, ſed tamen in morte præcepit Salomoni, vt ipſe peccatum illud non relinqueret inultum, 3. Reg. 2.

Argumentum DVODECIMVM. Fides eſt donum Dei, nemo igitur ad eam compelli poteſt. RESPONDEO, ſic eam eſſe donum Dei, vt etiam ſit actus liberi arbitrij, alioqui etiam caſtitas, & ceteræ virtutes ſunt dona Dei, & tamen rectè puniuntur adulteri, homicidæ, latrones, & coguntur caſtè, ac iuſtè viuere. Sapientia quoq; eſt donum Dei, & tamen ſcriptum eſt Prouerb. 29. uirga, & correptio tribuunt ſapientiam. Deniq; fides eſt donũ Dei, ſed Deus hoc donum conſeruat uarijs modis, quorum vnus correptio eſt.

Argumentũ DECIMVM TERTIVM. Dñs attribuit C Eccleſiæ gladiũ ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei, non aũt gladium ferri, immo Petro uolenti gladio ferreo ipſũ defendere, ait: *Mitte gladium tuum in vaginam*, Io. 18.

RESPONDEO, Eccleſia ſicut habet Principes Eccleſiaſticos, & ſeculares, qui ſunt quaſi duo Eccleſiæ brachia, ita duos habet gladios, ſpiritualem, et materialẽ, & ideo qñ manus dextera gladio ſpirituali nõ potuit hæreticum conuertere, inuocat auxilium brachij ſiniſtri, ut gladio ferreo hæreticos coerceat, & hoc fortaſſe ſignificauit Dñs, cum prohibuit Petrũ, qui erat futurus Princeps Eccleſiaſticorum, uti gladio ferreo.

S. BERNARDVS li. 4. de conſideratione: *Quid*, inquit, *tu denuo vſurpare gladium tentas, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negant, non ſatis mihi videntur attendere verbum Domini, dicentis ſic; Conuerte gladium tuum in vaginam: tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu euaginandus. alioquin ſi nullo modo ad te pertineret & is dicentibus Apoſtolis; Ecce duo gladij hic, non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt, vterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille uero & ab Eccleſia exercendus eſt: ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Hæc ille. Poſſet tamen breuius dici, ſolum prohibuiſſe Dominum uſum gladij priuata auctoritate; tunc. n. Petrus nondum Pontifex, ſed diſcipulus erat.

Argumentum DECIMVMQVARTVM. Eccleſia nõ parcit hæreticis niſi ſemel, Apoſtolus autem ad Tit. 3. iubet, ut bis minimum hæreticis parcatur.

RESPONDEO, etſi nunc tam Latini quam Græci codices conſtanter habeant: *Poſt vnam & alteram correptionem*. Tamen olim in Græcis & in Latinis penè omnibus, non habebatur, niſi: *Poſt vnam correptionem deuita.* ut patet ex Irenæo libr. 3. capit. 3. Tertulliano de præſcript. Cypriano libro 3. ad Quirinum, cap. 78. Ambroſio & Hieronymo in hunc locum Apoſtoli. Itaque incertum eſt quæ ſit uera lectio. Dico præterea, Apoſtolum non loqui de uenia danda hæretico conuerſo, ſed de admonitione, quæ præmittitur antequam hæreticus excommunicetur per ſententiam iudicis. hoc autem Eccleſia ſeruat non ſolum in hæreticis, ſed etiam in omnibus alijs, quos excommunicat, ſemper enim duas admonitiones ut minimum præmittit.

Argumentum DECIMVMQVINTVM. Hæretici sunt extra Ecclesiam. *At nihil ad nos de ijs, qui foris sunt*, 1. Cor. 6. RESPONDEO, sunt extra Ecclesiam, sed cum debito atque obligatione manẽdi intus, & ideo cogi possunt vt redeant, sicut cogimus oues, quando de grege fugerunt.

Argumentum DECIMVMSEXTVM. Contra mansuetudinem Ecclesiæ esse videtur velle mortem hæreticorum.

Respondeo PRIMO, non est contra mansuetudinẽ Ecclesiæ, quia tenetur misereri filiorum suorum, & tunc uerè immitis & crudelis esset, si mallet parcere lupis, quam ouibus. SECVNDO, quia Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad vltimum supplicium inferendum adduci posset: nam initio, ut supra diximus, solum excommunicabat, deinde uidens hoc non sufficere addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem omnium bonorum, postea exilium, tandem huc deuenit, ut satis patet ex uarijs legibus antiquiorum Imperatorum in C. tit. de hæreticis.

Argumentum DECIMVMSEPTIMVM. Fides est libera. RESPONDEO, liberum duobus modis accipitur. VNO modo ab obligatione, quomodo dicimus liberum est uouere castitatem, intrare religionem, & non est liberum frangere uotum, egredi religionem; & hoc modo fides in ijs, qui eam nunquam receperunt, libera est ab obligatione humani iuris, sed non diuini; & ideo homines non cogunt, Deus tamen punit. at in ijs, qui eam in Baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec iuris diuini, nec humani, & ideo cogunt homines, ut ea seruetur. ALTERO modo sumitur liberum, ut distinguitur contra necessarium, & hoc modo liberum est non credere, sicut liberum est alia peccata committere, sed hæc libertas non impedit, quin homines male agẽtes puniantur; immo potius exigit ut puniantur: nam si liberum est credere, & non credere, ergo potuit credere & manere in Ecclesia, sicut debuit: & quia non fecit, merito punitur. ita respondet S. August. in epist. 50. ad Bonifacium, & lib. 2. contra epist. Gaudentij, c. 11. *Datum est homini*, inquit, *liberum arbitrium, sed vt si esset male faciens, fieret mala patiens.*

Argumentum DECIMVMOCTAVVM. Nunquam Apostoli brachium seculare contra hæreticos inuocauerunt. RESPONDET S. Augustinus in epist. 50. & alibi, Apostolos id non fecisse, quia nullus tũc erat Christianus Princeps, quem inuocarent. tunc enim implebatur illud Psal. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in unum aduersum Dominum, & aduersus Christum eius.* At postquam tempore Constantini cepit illud impleri, quod sequitur in eodem Psalmo; *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite Domino, in timore.* Mox Ecclesia auxilium secularis brachij implorauit.

Finis Secundæ Controuersiæ generalis.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI MARIÆ.

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS, DE ECCLESIA QVAE EST IN PVRGATORIO: DVOBVS LIBRIS EXPLICATA.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De Purgatorio.

PRÆFATIO.

Cap. I. Denomine Purgatorij.
II. De erroribus circa Purgatorium.
III. Purgatorium esse probatur ex Scripturis Testamenti veteris.
IIII. V. VI. VII. VIII Purgatorium esse probatur ex Testamento nouo.
IX. Asseritur Purgatorium testimonijs Conciliorum.
X. Asseritur Purgatorium testimonijs Patrum Græcorum & Latinorum.
XI. Idem asseritur ratione.
XII. Soluuntur argumenta ex Scripturis.
XIII. Soluuntur obiectiones ex Patribus.
XIIII. Soluuntur obiectiones ex ratione depromptæ.
XV. Purgatorij confessionem ad fidem Catholicam pertinere.

LIBER SECVNDVS.

De circunstantijs Purgatorijs.

Cap. I. De personis quibus Purgatorium conuenit.
II. In Purgatorio non posse animas mereri vel peccare.
III. Soluuntur obiectiones.
IIII. Animas in Purgatorio certas esse de sua æterna salute.
V. Soluuntur obiectiones.
VI. De loco Purgatorij.
VII. Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animabus iustis præter Cœlum & Purgatorium.
VIII. Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.
IX. De tempore quo durat Purgatorium.
X. Qualis sit Purgatorij pœna.
XI. Ignem Purgatorij esse corporeum.
XII. Scirinon posse, quomodo ignis corporeus animas vrat.
XIII. An in Purgatorio torqueantur animæ à Dæmonibus.
XIIII. De grauitate pœnarum.
XV. Suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse.
XVI. Quot sint genera suffragiorum.
XVII. Quis possit animas iuuare.
XVIII. Quibus prosint suffragia.
XIX. De funere.

LIBER PRIMVS DE PVRGATORIO,

PRAEFATIO.

DISSERVIMVS *hactenus de ea parte Ecclesiæ, quæ est in terris: Nunc de ea disputandum est, quæ degit infra terram; disputaturi vltimò de illa, quæ regnat in cælis: & quoniam fideles iam defuncti, necdum beati, & corpore, & animo sunt infra terram, diuersis in locis, ideo primum de loco animarum dicemus; secundò de loco corporum id est, de sepultura.*

Sed antequam ad quæstiones veniamus, tria præmittenda sunt. PRIMO, *quid nomine Purgatorij hoc loco intelligamus.* SECVNDO, *qui fuerint errores de Purgatorio.* TERTIO, *quo ordine sit explicanda hæc disputatio.*

Scripserunt autem de Purgatorio Ioannes Roffensis contra articulos Lutheri; Ioannes Eckius lib. 4. de Purgatorio; Ioannes Bunderius in suo compendio, titulo 18. Ioannes Caretius libro de oratione pro defunctis; Iacobus Latomus in explicatione art. sexti Louanienſium; Iodocus Clichtouæus in libro de Purgatorio, Bernardus Lutzenburg. lib. vnico de Purgatorio; Alphonsus de Castro, verbo Purgatorium; Martinus Peresius Aiala de traditionibus; Claudius Cousford. contra VValdenses; Caietanus tomo 1. tract. 23. & 24. Franciscus Orantius lib. 5. de locis Catholicis; Hugo Etherianus de regressu animarum ab inferis; Catharinus libro de veritate Purgatorij.

CAPVT I.

De nomine purgatorij.

TRIA in Scripturis inueniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, & purgatoria dici pnt. PRIMO, Christus ipse, de quo dicitur Heb. 1. *Purgationem peccatorum faciens.* Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* Sed de hoc non loquimur, tum quod non soleat Christus vocari Purgatorium, tum quod sit extra controuersiam eum purgatorem peccatorum esse.

SECVNDO, tribulationes huius vitæ, de quibus ad literam videtur intelligendus Malachias, cap. 3. *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & quasi herba fullonũ, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argẽtum.* Nam vt recte exponit B. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, quæ præcedet diem iudicij ad purganda peccata fidelium. & Ioan. 15. *Omnem palmitẽ in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat.* De hoc purgatorio non loquimur, tum quod sit extra controuersiam, tum etiam quod nõ semper tribulatio huius vitæ sit purgatoria. Nam multi iusti afliguntur, non vt purgentur, sed vt exerceantur, & probẽtur iuxta illud Ecclesiast. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et multi iniusti afliguntur, non ut purgentur, sed vt incipiant damnationis suæ pœnas gustare.

Vocatur ergo TERTIO purgatorium, locus quidã, in quo tanq; in carcere post hanc uitam purgãtur animæ, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt; vt nimirum sic purgatæ in cælum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum. De hoc est tota controuersia.

CAPVT II.

De erroribus circa purgatorium.

MVLTI, & inter se contrarij errores fuerunt de purgatorio. PRIMVS omnium, qui aliquid sensit contra purgatorium, videtur fuisse Aerius, qui teste Epiphanio, hær. 75. & Augustino hær. 53. docuit, non esse pro defunctis orandum. Hinc enim sequitur, aut non egere precibus, aut non posse iuuari, quorum vtrumque purgatorio repugnat, saltẽ eo modo existenti, quo ab Ecclesia ponitur.

Disertè autem purgatorium negauerunt VValdẽses, ut Guido Carmelita in summa de hæreticis, & B. Antoninus 4. parte, tit. 11. cap. 7. §. 2. Summæ Theologiæ referunt.

Idem docuerunt Apostolici apud B. Bernardum serm. 66. in Cantica. & fortè VValdenses Proles sunt Apostolorum. nam in erroribus, qui eis tribuuntur, conueniunt, & tempore sunt vicini. Nam VValdensium secta exorta est circa annũ Dñi M.C.LX. iuxta Trithemij Chronicum, vel M.C.LXX. iuxta Guidonem in sua Summa, ca. 1. & Reynerium, qui floruit ante annos CCC. cuius testimonium vide in fine libri Claudij Cussordij contra VValdenses. Apostolici autem sunt paulò antiquiores, nam exorti sunt tempore B. Bernardi, qui obiit anno M.C.LIII. uocari autem voluisse Apostolicos, etiam ipsos VValdenses, q. Apostolorum paupertatem sectarentur, manifestum est ex historia ipsorum, apud Aemilium li. 6. de gestis Francorum, & Abbatem Vrspergensem in Chronico anni M.CC.XII.

Idẽ cum VValdẽsib. docuerunt eodẽ tpe Henricus & Petrus Bruis, cõtra quos scribit B. Bernardus epist. 240. & Petrus Cluniacẽsis in epist. ad oẽs Episcopos.

Idem postea docuerunt Albigenses, qui tamen nō A solum Purgatorium, sed etiam infernū tollebant, testis B. Anton. 4. p. tit. 11. c. 7. §. 5.

Idē tribuit Vviclefistis, & Hussitis Bernardus Lutzēburgensis in præfatione libri sui de Purgatorio, sed fortasse falsò, cum nihil tale eis tribuat Conciliū Cōstantiense, nec Thomas Vvaldensis: Æneas aūt Syluius, qui inter errores Hussitarum hunc etiam numerat libro de origine Boemorum, c. 35. vī confundere Hussitas cum Vvaldensibus.

Idē tribuitur Armenis & Græcis à Guidone Carmelita in summa de hæreticis: & quanq̄ Græci ipsi in Concil. Ferrariensi, sess. 1. affirmabant se non negare Purgatoriū, sed ignem tm̄, & existimare Purgatoriū esse locum tenebricosum, & laborum plenū, tm̄ credibile est Græcos de hac hæresi saltē suspectos fuisse; nā B. Thomas in opusculo contra Græcos refellit ēt hūc errorem, & probat, Purgatorium esse, & in Concilio Florent. sess. vlt. damnatus est idem error, cū tm̄ in eo Concilio solum damnati sint errores Græcorum, aut certè de quibus Græci suspecti erant.

Denique Lutherus, & omnes posteri eius, licet in varias sectas dissecti, in hoc tamen cōueniunt, vt Purgatorium tollant, quanquam Lutherus ipse valde varius fuit. Nam Primo, Purgatorium planè Catholicè admittebat; nā in disputatione Lipsica, quæ adhuc exstat: *Ego*, inquit, *qui credo fortiter, immò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.*

Deinde, Purgatorium admisit quidē, sed multis admistis erroribus. Primvs error fuit, Purgatorium C non posse probari ex Scripturis. Secvndvs, animas in Purgatorio non esse certas de salute consequenda. Tertivs, animas ī Purgatorio posse mereri, & demereri. Qvartvs, aīas in Purgatorio siue intermissione peccare, dum horrent pœnas, & requiem quærunt. Qvintvs, animas, quæ liberantur per suffragia Ecclesiæ, minus beari, q̄ si per se satisfecissent. Isti qnque habentur inter articulos à Leone damnatos in fine.

Vltimo, simpliciter sustulit Purgatorium, suffragia p̄ defunctis, & asseruit nullū esse Purgatoriū post hāc vitam, sed solū in vita, & in morte, horror. n. & pœna mortis purgat, si quid purgandum supereſt. Ita docuit in lib. de abroganda Missa priuata, vbi dicit melius esse in totum negare Purgatorium, quā credere B. Greg. referenti animarum apparitiones, suffrgia pe D tentium. & in lib. ad Vvaldenses de Eucharistia: *Cum* inquit, *negatis purgatorium, damnatis Missas, vigilias, canobia, monasteria, & quidquid per hanc impostūram erectum est, per omnia etiam probo.*

Hoc vltimum sequuti sunt omnes hæretici huius tpis. Lutherani rigidi, vt Centuriatores, cent. 1. li. 2. c. 4. col. 460. & cēt. 4. c. 4. col. 304. Lutherani molles, ut Philippus in locis c. de satisfactione, & Brētius in Cōfess. Vvirtemberg. c. de Purgatorio. Itē Zvvingliani apud Cochlēū in actis Lutheri anni M. D. XXVI. Itē Bernardinus Ochinus in Dialogo de Purgatorio. Calvinus li. 3. Instit. c. 5. §. 6. vbi dicit, Purgatoriū esse exitiale Satanæ cōmentum, q̄ Christi crucem euacuat, q̄ contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, q̄ fidē nostram labefacit, & euertit. Petrus Mar E tyr in c. 3. primæ ad Cor. duo dicit. Primo, siue sit, siue non sit Purgatorium, certè non esse dogma fidei. Secvndo, dicit nec esse probabile purgatorium existere. Denique Anabaptistæ Trinitarij li. 2. c. 1. ex ijs, quos nup ediderūt anno M. D. LXVII. dicunt Lutherū iecisse fundamētū reformationis Ecclesiæ, cū Purgatoriū, Missas, & similia sustulit; Fundamentū oīum Lutheranorum est, quia tollunt satisfactionem, & discrimen peccati mortalis à veniali; isto. n. fundamento posito, necessariò sequitur nullū esse Purgatorium.

Porro non defuerūt, qui adeo purgatorium probarint, vt nullas pœnas nisi purgatorias post hanc vitam agnouerint. Ita Origenes sensit, qui omnib. impijs hominibus, & dæmonibus tandem salutē pollicetur, vt refert Epihpanius in epist. ad Ioan. Hierosolymitanū & August. lib. 21. ciuit. Dei, c. 17. vbi addit aliorū opinionem, qui non quidem dæmonum, sed hominum tamen omnium pœnas solum purgatorias agnoscebant. & eodem lib. 21. c. 13. dicit eandem sententiam Platonicorum fuisse, nullam videlicet esse pœnā post hanc vitam, nisi purgatoriam, & probat ex illis Virgilij versibus in 6. Aeneidos:

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris,
B *Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum*
Supplicia expendunt, &c.

Quanquam in ipsius Platonis operib. aliud legim⁹ nam in Phædone, & in Gorgia. tria facit hominū genera eorum, qui ad iudicium euocantur post mortē. Vnvm eorum, qui piè iuste q; vixerunt, & hos statim ad insulas beatorum trāsmitti dicit. Altervm eorū, qui peccata curabilia perpetrarunt, & hos aſseri ad tps exerceri pœnis, donec scelus eluatur. Tertivm eorum, q̄ peccata incurabilia cōmiserunt, & hos dicit in tartarum deijci in æternum puniendos, quorū supplicia ipsis qdē nihil p̄sint, sed alijs tm̄ p̄sint ad exemplū. & Virgilius quoq; id non tacuit, vbi ait Æn. 6.

--Sedet, æternumq; sedebit
Infelix Theseus. Phlegiasq; miserrimus, omnes
C *Admonet, & magna testatur voce per vmbras,*
Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Ac de his satis.

Disputatio tota decē capitibus cōtinetur. Primo, ostendemus esse Purgatorium. Secvndo, id fide tenendum. Tertio, quibus personis conueniat, an iustis an peccatorib. omnib. an quibusdā tm̄. Qvarto, de statu eorum q̄ sunt in Purgatorio, an videlicet certi sint de salute. Qvinto, possint ne mereri ac demereri. Sexto, de loco purgatorij. Septimo, de tempore quo durat Octavo, de ipsa pœna, qualis sit, & à quibus infligatur. Nono, de remedio pœnæ. Decimo, de sepultura corporum.

CAPVT III.

Purgatorium esse probatur ex Scripturis Testamenti Veteris.

Primvm igitur Purgatorium esse, quinq; gñibus argumentorum p̄babimus. Afferemus. n. primò, Scripturas Testamenti veteris. Secundò, Scripturas Testi noui. Tertiò, Concilia. Quartò, Patres. Quintò rōnes, & tum demum soluemus argumēta. Primvs locus hr̄ 2. Mach. c. 12. vbi posteaquam Scriptura narrauit, Iudam Machabæum misisse in Hierusalem 12000. drachmarum argenti in sacrificia pro mortuis expendenda, subiungit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Hinc. n. sequitur, Primo, posse mortuos post hāc vitam à peccatis solui, & proinde esse Purgatorium. Secvndo, sacrificia, & orationes viuorum prodesse defunctis. Tertio, non expiari semper in morte oēs peccatorum reliquias, ut Lutherus dicit; nam isti pro quib. orari iussit, mortui erant morte violenta, & pro religione, tamen credebat Iudas adhuc illos non plenè esse purgatos. Qvarto, posse hominem sanctè & piè mori, & tm̄ habere debitum aliquod soluendum, vel propter venialia peccata non remissa in vita vel propter satisfactionem pro mortalib. remissis nō plenè expletam; nam Scriptura hoc loco dicit eos, pro quorum peccatis iussit orari Iudas, cum pietate dormitionem accepisse. Qvinto, hoc esse de fide.

Ad

Ad hunc locum respondent aduersarij. PRIMO, librum hunc non esse canonicum, cum auctor ipse in fine libri veniam petat, si qua in re errauerit: *Ergo* (inquit Brentius) *demus illi veniam quod errauerit, cū suffragia pro defunctis laudauit.*

SECVNDO, quia saltem hæc pars non potest esse canonica (*sanctè & piè de resurrectione cogitans, nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos sperasset, superfluum videretur, & vanum pro defunctis orare*) continet enim exploratum errorem quod nimirum animæ cum corporibus moriantur & resurgant, alioqui non esset superfluum & vanum orare pro mortuis, etiamsi non resurgerent. Addit Ochinus, ex hac ipsa particula tolli posse purgatorium, nam si purgatorium esset, etiāsi resurrectio mortuorum non esset, non tamen fuisset vanum orare pro mortuis, quia profuisset illis oratio ad liberationem a pœnis Purgatorijs.

TERTIO, quia illa conclusio. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, &c.* non videtur historico conuenire, & forte erat annotatio aliqua marginalis, & inde in textum violenter intrusa est.

QVARTO, quia non fit mētio in hac Scriptura purgatorij, sed solū resurrectionis; dr. n. Iudas iussisse orare p mortuis sanctè & piè de resurrectione cogitans.

QVINTO, quia sacrificia, & orationes iubētur fieri a Iuda Machabæo pro illis, quos constabat in peccato mortali decessisse: nā ibidem habemus reperta fuisse sub tunicis oīum illorum occisorum q̄dam de donarijs idolorū, quæ illi rapuerant contra expressam phibitionem Deut. 7. *Inuenerunt*, inquit, *sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos.* Oīb. ergo manifestū factum est, ob hanc causam eos corruisse, ergo vel superstitiosum fuit factum hoc Iudæ, vel non orarūt ut alias illas iuuarent, sed solum ut seipsos consolarētur.

SEXTO, quia non sequitur; oratum & sacrificatum est pro mortuis, ergo erant in Purgatorio, nam potuerunt, pro quib. orabatur, esse in inferno, & potuerunt qui orabāt, orare & sacrificare, ut pium erga eos affectū, & memoriā ostenderent, & seipsos cōsolarentur.

SEPTIMO, quia Scriptura ista non profert legē aliquam, aut decretum, sed solum vnius hominis exemplū, non tenemur autem imitari, imò nec possumus omnia exempla Scripturarum. Neque obstat q̄ laudatur hoc loco exemplum Iudæ: nam in eodem libro laudatur exēplū Raziæ, qui se occidit, 2. Machab. 14.

Ad PRIMVM dico, lib. Machabæorum non esse Canonicum apud Iudæos, sed apud Christianos esse. siq dem Ecclesia uniuersa legit hunc librum in Missa, & legebat iam olim, vt patet ex epist. Petri Cluniacensis contra Petrobrusianos, & tamen prohibitum fuerat in Cōcilio III. Carth. c. 47. ne vllus liber legeretur in Ecclesia sub nomine diuinorum librorum, nisi canonicus esset. Præterea eum numerat cū diuinis libris, ex Concilijs Carthag. III. can. 47. ex pontificib. Innocētius I. in epist. ad Exuperium, c. vlt. ex Patrib. Aug. li. 18. ciuit. Dei, c. 36. ubi sic ait: *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.*

Ex quib. testimonijs refellitur mendacium impudētissimum Ochini, qui in Dialogo de purgatorio sic ait. *Quod apocryphi sint, ex Laodicensi, & Africana Synodo manifestum est, imò ex omnib. sacris doctorib. qui sacrorum librorum catalogum percensentes, de Machabaicis nullam mentionem faciunt.* Hæc ille. Qui q̄ aperte mentiatur, facile cognoscet, qui legerit Carth. Cōc. III. quod Ochinus Africanū vocat, & pterea Innocētium loco citato, Aug. lib. 2. de doct. Christ. c. 8. Gelasiū in decreto de libris canonicis, quod edidit in Concilio LXX. Eporum, Isidorum lib. 6. etymolog. ca. 1. aliosq̄; Patres a nobis citatos li. 1. de verbo Dei, c. 15.

Respōdet Petrus Martyr in c. 3. primæ Cor. ab Augustino, & Ecclesia ipsa hunc librum receptū in Canonem, non eorum librorū, qui valent ad confirmanda dogmata, sed eorum qui valent ad morum ædificationem, & probat: quia Aug. lib. 2. contra epist. Gaudentij, c. 23. dicit hunc librum non esse paris auctoritatis cū lege, prophetis & Psalmis, sed tñ utilē esse si sobriè legatur. Itē quia Cyprianꝰ in expositione Symboli dicit, hos libros nō ualere ad probāda dogmata.

At perfidè agit Pseudomartyr, nā Aug. adeo putabat hunc librū ualere ad cōfirmāda dogmata, vt li. 1. de cura pro mortuis, c. 1. ex solo hoc libro argumēta petat ad probandū orādū esse p mortuis. & hoc esse dogma fidei idē Aug. docet, cū in li. de hæresib. c. 53. ponit Aeriū in numero hæreticorū, qa negauerat orationes p defunctis. In 2. aūt lib. contra Gaudentiū, c. 23. nō dicit eos libros non esse pares Psalmis, Legi, & Prophetis in Ecclesia, sed apud Iudæos: *Et hāc quidē Scripturam*, inquit, *quæ appellatur Machabæorū, nō habent Iudæi sicut Legem, & Prophetas, & Psalmos, sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur.* Ex quo apparet insignis fraus Martyris. Quod aut tem Aug. dicit, debere sobriè legi, non ideo dr, quia sint in hoc lib. aliq errores, sed pp exempla eorū, q se occiderūt, q̄ in hoc libro narrant, & imitanda nō sūt; qūo et Genesis sobriè legēda est, ne putemus imitandū factum Iudæ Patriarchæ, qui incestū perpetrauit.

Deceptus est aūt idē Martyr, cū Cyprianū p Ruffino adduxit: illa. n. Symboli explicatio, Ruffini est, nō Cypriani, vt patet ex pfatione, vbi auctor indicat, se esse Aquileiensem, & Aquileiæ baptizatum, & educatum; & ibidem meminit Photini hæretici, qui centū annis Cypriano posterior fuit; & vbi libros sacros enumerat, ibidē meminit Donati, Manichæi, Arij, Eunomij, aliorumq; hæreticorum, qui post Cypriani obitum exorti sunt. Neq; mirum esse debet, si Ruffinus hos libros non esse canonicos putauit; nam libri Machabæorū sunt ex eorum numero, de quib. aliqñ et inter Catholicos dubitatū est, & postea tñ ab vniuersa Ecclesia, tanquam uerè canonici, recepti sunt.

Ad probationem dico, auctorem non petere uenia errorum, sed elocutionis, quomodo etiā beatus Paulus excusat sermonis sui imperitiam.

Ad SECVNDVM dico, ideo videri ineptam sententia huius libri, quia nō obseruatur apud Iudæos olim fuisse usitatissimum, habere pro eadem quæstione illam de resurrectione & illam de animorum immortalitate, & si reuera distinctæ sunt. Nā apud Iudæos, qui negabant unum, negabant alterum, ut Sadducæi; & qui vnū fatebātur & alterum, ut Pharisæi, ut patet Act. 23. Nec immeritò; nam cum anima rationalis sit vera forma corporis, & pinde vera pars hominis, non est uerisimile, Deum voluisse animā perpetuo uiuere sine corpore. Hinc Dominus Matt. 22. probaturus Sadducæis resurrectionem, vtitur illo testimonio Scripturę: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*; & subiungit: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* ex quibus inferre intendit. ergo mortui resurgunt.

At hoc argumentum nihil concludit, nisi præsupponantur, quæstionem de immortalitate animorū, & de resurrectione corporum accipi p una & eadē; posset. n. alioqui negari consequētia. Nā Deus erit Deus viuentium, et si mortui non resurgāt, q̄nquidem animi ipsi viuūt. PARI rōne Apostolus cū ait 1. Cor. 15. *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? comedamus, & bibamus, cras enim moriemur:* nisi præsupponat animas esse mortales, si corpora non resurgunt, nihil cōcludit. Nā si animus est immortalis, etiamsi corpora non resurgant; multum proderit ieiunare, & bene viuere, quia proderit ad gloriam animę acquirendam. Scriptura ergo libri Machabæorum loquitur omnino eodem modo, quo hic B. Paulus, & idem præsupponit. Vult enim dicere; Si mortui non resurgunt, inde sequi, animas esse mortales, & proinde superfluū,

& vanũ orare pro mortuis, nisi speretur resurrectio.

Ad TERTIVM dico, in textu Græco nõ haberi particulam; Ergo, sic enim legimus: εἶτ' ἐμβλέπων τοῖς μετ' εὐσεβείαν κοιμωμένοις κάλλιστον ἀποκείμενον χάρισμα, ὅσια καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι, hoc est: *Deinde cõsiderans ijs, qui cum pietate obdormierant optimam repositam gratiam, quæ sancta, & pia consideratio fuit, ideo pro mortuis expiationem fecit, vt à peccato soluerentur.* Tamen sensus est omnino idem. Nec potest reijci Latina lectio, quin reijciatur etiam Græca. Neque est insolitum historicis, aliquid interdum colligere ex rebus gestis, quod ad imitationem, & bonos mores pertineat.

Ad QVARTVM dico, non esse necesse, fieri mentionem expressam Purgatorij, cum satis apertè colligatur ex ijs, quæ hic habentur. Non.n. de nomine, sed de reipsa contendimus. Neque vero cum dicitur, Iudas iussisse orare pro mortuis, bene & religiosè de resurrectione cogitans, sensus est, iussisse eum orare pro mortuis, vt resurgerent, sed est sensus, Iudam cum religiosè cogitaret resurrectionem futuram, & proinde animas esse immortales, & formidaret, ne aĩæ interfectorum militum suorum, pp peccatũ aliquod, in alio seculo punirentur, iussisse pro eis orari, & sacrificari, vt à peccatis soluerentur, ut in fine capitis exprimitur.

Ad QVINTVM dico, peccatum illorum aut fuisse veniale, qa fortè ignorabant legis prohibitionem, & non acceperunt ex donarijs illis in honorem idolorũ, sed solum ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest: aut certè si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, & quoad culpam remissũ illis fuisse, iuxta illud Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur:* aut saltem Iudam Machabæum ita existimasse, alioqui non diceret Scriptura, eum considerasse eos, qui cum pietate obdormiuerãt, optimam habere repositam gratiã. Adde vltimo, saltem incertum fuisse statum illorum, & propterea licuisse pro eis orare, etiamsi damnati fuissent.

Ad SEXTVM dico, nostram consequentiam non esse istam, orarunt pro illis, ergo erãt in Purgatorio; sed orarunt pro quibusdam defunctis, ergo existens posse fieri, vt illi essent in purgato; vel istam, laudatur in Scriptura oratio pro defunctorum peccatis, ergo Purgatorium est in alia vita; nam alioqui frustrà oraretur & Scriptura erraret laudando eiusmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum, & non pro humano affectu ostendendo patet, tũ ex eo, quod occasio huius orationis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inuenta sub vestibus eorum, vt historia dicit, tum ex eo quod expresse dicitur, Iudas misisse 12000. drachmas offerri sacrificium pro peccatis mortuorum. & infrà, vt a peccatis soluantur. ADDE, quod si nullum esset Purgatorium, liceret quidem fiere ad humanum affectum ostendendum, at orare non itẽ. quorsum.n. oratio pro illis, qui aut non egent, aut iuuari nõ possunt?

Ad SEPTIMVM dico, argumentũ non sumi ab exẽplo vnius hominis, sed partim ab antiquo & solenni ritu Ecclesiæ Testamẽti veteris: partim à testimonio infallibili scriptoris sacri: q.n. hic fuerit solennis ritus Ecclesiæ, patet, cũ hoc loco dicitur: *Omnes qui cũ Iuda erant ad preces conuersos.* & deinde: *Collatione facta:* i. singulis conferentibus aliquid, collectã esse multã pecuniam, & missam à Iuda, nomine oĩum in Hierusalem, ad sacrificia pro mortuis: & hoc quidẽ magnũ est argumentũ: sed maius est, ad fidem Catholicam faciens, q sumitur à verbis Scripturæ sacræ laudantis orationem pro peccatis mortuorum tanquam sanctã piam & & religiosam, DENIQVE non valet instantia de laude Raziæ, qui se occidit: nam, vt Augustinus ostendit lib. 2. contra epistolam Gaudentij, c. 23. Razias laudatur, quod fortiter & viriliter egerit, non q piè & sanctè. vel, si volunt probari hoc factum, ab auctore huius libri, potius dicẽdum est, habuisse Raziã peculiarẽ inspirationẽ, & p̃ceptũ Dei, vt hoc faceret sicut habuit Samson, teste Augustino lib. 1. de ciuitate Dei, c. 21. quã dicendũ esset, hũc auctorẽ potuisse errare. Præter hũc locũ sunt alia quædã, quæ solũ probabiliter suadent, & quibus tamen sancti Patres vsi sũt. Igitur ea quoque hic breuiter annotabimus.

SECVNDVS locus est Tob. 4. *Panem tuum & vinũ super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cũ peccatorib.* Huius loci nõ põt esse alius sensus, q̃ is, quẽ cõmuniter expositores tradũt, videlicet; Instrue conuiuiũ, & uoca fideles pauperes, vt ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti. Hinc enim nata est illa consuetudo, quę & olim in Ecclesia fuit, & nunc ẽt est, vt affines defuncti conuiuium faciant, & mittant ẽt cibũ & põtũ pauperib. & religiosis, ut orent pro anima defuncti. CHRYSOSTOMVS hom. 32. in Matt. *Cur, inquit, post mortẽ tuorũ pauperes conuocas? Cur Presbyteros, ut pro eis uelim orare, obsecras?* NEQVE valet quidquam commentũ Munsteri, qui interpretatur nomine sepulchri, ora pauperum iustorum, quia scriptum est Psal. 5. *Sepulchrum patẽs est guttur eorum*, ut sensus sit; Pone panẽ tuum in ore iustorum, ut non moriãtur fame. Hęc.n. falsa expositio est. PRIMO, quia nusquã Scriptura uocatur sepulchrũ os iusti, sed solum os peccatoris, unde exhalãt fætores uitiorũ. SECVNDO, quia Tobias in eodem capite multis uerbis commendauerat pauperes uiuos, & deinde transijt ad cõmẽdationẽ mortuorũ, ut in litera patet.

TERTIVS locus est 1. Reg. ultim. ubi legimus, qđ habitatores Iabes Galaad audita morte Saul, ieiunauerunt septem dies. Et 2. Reg. 1. Dauid fleuit, & ieiunauit pro Saule & Ionatha, & alijs occisis, qđ idem fecit p Abner, 2. Reg. 3. Quãuis.n. hæc uidebant fieri ĩ signũ doloris & tristitiæ, tñ credibile est, p̃cipuè facta esse ad iuuãdas animas defunctorũ, ut Beda exponit in fine cõmentarij in li. 1. Reg. id qđ ex duob. colligimus. PRIMO, ex eo, q irrationabile fuisset in signum doloris septẽ dies ieiunare. SECVNDO, ex eo, q Dauid 2. Reg. 12. ieiunauit, & orauit p filio suo infantulo, dũ ægrotaret; postea uero quando audiuit eum esse mortuum, non amplius ieiunauit, quo facto suo ostẽdit, se ieiunare solitum, ut aliquid a Deo impetraret; ideo.n. pro morte pueri non ieiunauit, quia sciebat, non esse puerum ad uitam rediturum, & præterea eum suffragijs non egere, quo etiam spectat illa sollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri, Gen. 47. & 50. nimirum ut essent participes precum & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.

QVARTVS locus est Psalm. 37. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.* Etsi.n. hæc uerba uariè exponi possint, tamen B. Augustinus ita exponit, ut in furore argui a Deo, sit in ęternũ damnari; in ira corripi, sit puniri seuerè post hanc uitam, ad correctionem tamen & emẽdationem. Vnde subdit: *In hac uita, inquit, purges me, talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, &c.* Eodem modo exponit Beda, Haymo, Dionysius Carthusianus, & alij.

QVINTVS locus est Ps. 65. *Transiuimus per ignẽ & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hic etiam locus potest habere uarios sensus, tamẽ Origenes hom. 25. in Num. & B. Ambrosius in Ps. 36. & ser. 3. in Ps. 118. exponit per aquam, Baptismum, per ignem, Purgatorium: *Hic, inquit, per aquam, illic per ignem; per aquã ut abluantur peccata, per ignem ut exurantur.*

SEXTVS locus est Isa. 4. *Purgabit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicij, & spiritu combustionis.* Hunc locum exponit de pęna Purgatorij B. Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 25.

SEPTI-

SEPTIMVS locus est Isa. 9. *Succensa est quasi ignis impietas, & spinas deuorabit:* Basilius in hunc locū dicit, p confessionem peccatū arefieri, vt igne purgatorio post hāc vitā absumi possit, & ex hoc loco probat.

OCTAVVS locus est Micheæ 7. *Ne lateris, inimica mea: nam si cecidi, resurgam, cum sedero in tenebris, ira Domini portabo, donec causſam meam iudicet. Adducet me in lucem, videbo iustitiam eius.* Hunc locum afferri solitum pro Purgatorio, docet Hieronymus in c. vlt. Isa. & Glossa ordinaria exponit; Iram Domini portabo hic, vel in Purgatorio.

NONVS locus est Zach. 9. *Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Etsi enim hunc locum adducunt passim pro liberatione Patrum ex limbo, tamen melius conuenit liberationi animarum ex Purgatorio, quas Christus eduxit, cum eò descendit post mortem suam. PRIMO, quia isti rectius dicuntur vincti. SECVNDO, quia in purgatorio non est aqua consolationis, quæ est in limbo: vt patet Luc. 16. de Lazaro: *Hic vero consolatur.* Vnde Aug. epist. 99. ad Euodium, & lib. 12. in Genes. c. 33. contendit, Christum cum descendit ad inferos, non solum Patres inuisisse, sed etiam eos, qui cruciabantur in inferno, id est, in Purgatorio, & multos eorum inde liberasse.

DECIMVS locus est Malac. 3. *Ipse sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos, &c.* Hunc locū exponunt de pœna purgatoria Origenes hom. 6. in Exod. S. Ambr. in Ps. 36. B. Aug. li. 20. de ciuit. Dei, c. 25. & B. Hieron. in hunc locum, & quanquam pœna illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus: nā illa purgabit uiuētes, nos aūt agimus de pœna mortuorum; tñ inde recte infertur purgatorium. Nam ideo tunc p̄cedet tribulatio grauissima, & postea ēt ignis descendet, & purgabit celerrimè omnes reliquias peccatorum in hominib. iustis, quia, vt Ireneus etiam notat in fine lib. 5. tunc repente Ecclesia, quæ est in terris, assumenda erit ad sponsum, nec erit tēpus purgationis vlterius, ut nunc est post mortem ante iudiciū.

CAPVT IV.

Purgatorium esse probatur ex Testamento nouo.

PRIMVS locus est Matt. 12. ubi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur, neq; in hoc seculo, neque in futuro. Hinc enim colligunt sancti Patres, quædam peccata remitti in futuro seculo per orationes, & suffragia Ecclesiæ. ita B. Aug. li. 21. de ciuit. Dei. c. 24. & lib. 6. in Iulianum, c. 5. B. Gregorius lib. 4. Dialogorū, c. 39. B. Beda in c. 3. Mar. B. Bernardus hom. 66. in Cant. qui hoc solo testimonio contentus fuit contra hanc hęresim. Item Petrus Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos. Rabanus li. 2. de Instit. Cleric. cap. 44. & omnes Glossæ, ut ordinaria, interlinearis, &c.

At contra hūc locum obijcit PRIMO, Petrus Martyr, hæc dicit per exaggerationem. RESPONDEO, hoc modo poterimus etiam tollere infernum, & dicere esse exaggerationem, cum dicitur: *Ite in ignem æternum.* Præterea exaggeratio nō debet esse inepta. qualis est, cum fit partitio, & vni membro nihil respondet.

SECVNDO, dicunt aliqui esse comminationem. RESPONDEO eodem modo.

TERTIO, obijciunt alij, Christus comparat peccatum in Spiritum sanctum cum grauissimis peccatis mortalibus, cum blasphemia in Patrem, & in Filiū; ergo si vellet dicere, aliqua peccata posse remitti in alio seculo, intelligeret maxime de ijs, quibuscum cōparabat tunc peccatum in Spiritum sanctum: at hoc est falsum, quia sola venialia dimittuntur, per nos, in alio seculo, &c. RESPONDEO, Christus loquitur de perfecta remissione, quæ complectitur remissionem culpæ & pœnæ, quomodo peccata grauissima remittuntur etiam in alio seculo, quia ibi completur eorum remissio.

QVARTO, inquiunt, Christ⁹ videretur significare, grauiora peccata remitti in futuro seculo, in hoc autē solum leuiora, si aliqua ibi remitti vellet, alioqui non diceret; Neq; in hoc seculo, neq; in futuro, sed è cōtrario dixisset; Non dimittetur, neq; in futuro, neque in hoc; vt oratio crescat. RESPONDEO, orationem crescere, quia in futuro maius spatium est diluendi peccata, quam hic; & præterea præponitur hoc seculū, qa hic inchoatur, ibi perficitur remissio delictorum.

QVINTO, obijcit Caluinus, Dominus loquitur de remissione culpæ, ergo male allegatis hūc locum pro remissione pœnæ purgatorij. RESPONDEO, in purgatorio remitti etiam culpas saltem veniales; præterea falsum est, loqui Christum de sola culpa. hic. n. est sensus; Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in hoc seculo, neque in futuro, neq; quantum ad culpam, neque quantū ad pœnam, cum alia peccata vel remittantur in hoc seculo, quoad culpam, & in alio interdum quoad pœnam, vt mortalia; vel & hic & ibi quoad culpam, & quoad pœnam, ut venialia.

SEXTO, inquit Caluinus, in hoc seculo, & in futuro, vult dicere; in hoc iudicio & in nouissimo non remittetur, & sic nulla fit mentio purgatorij. AT CONTRA; nam qui erunt illi, quibus non est remissum, & in iudicio remittetur? nonne illi, qui aut uenialium purgatione indigebunt, aut solius pœnæ debitores erunt? Qui enim hinc cum iniustitia decedunt, certè in iudicio non absoluentur.

SEPTIMO, obijcit Petrus Martyr, quia ex negatione non sequitur affirmatio in bona Dialectica. non licet inferre, peccatum in Spiritum sanctū non remittitur in futuro seculo, ergo quædam alia peccata in eo remitti possunt. sicut non bene sequitur; Rex Philippus non est Rex Venetorū, ergo aliquis alius est Rex Venetorum. Et confirmat Ochinus; Nā potuit Christus dicere; Hoc peccatum non remittetur in hoc seculo, neque in inferno: & tamen nō colligeremus inde, quædam peccata remitti in inferno.

RESPONDEO, non sequi secundum regulas Dialecticorum, id quod inferimus ex verbis Dñi, sed tamē sequi secundum regulam prudentiæ, quia alioqui faceremus Dñm ineptissimè loquutum. ineptè. n. diceres, Hoc peccatum non remittetur, neque in hoc seculo, neq; in futuro, si in futuro nullum remittitur: sicut ineptè loqueretur, qui diceret; Rex Philippus nō absoluet te neq; in aula Hispaniæ, neq; in aula Franciæ. Non autem loqueretur ineptè, si diceret, neq; in aula Hispaniæ, neq; in aula Brabantiæ. Vnde Ioā. 19. cum dixisset Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Intulit Pilatus: *Ergo Rex es tu?* nec respondit Christus, non bene sequi ex negatiuo affirmatiuum, sed approbauit. NEQVE valet similitudo allata ab Ochino; nā Christus non potuit dicere; Neq; in hoc seculo, neq; in inferno, nisi ineptè loqui voluisset, tū quia seculum tps est, infernus vero locus; proinde, nō opponuntur, sicut seculum presens, & futurum: tum ēt, quia in inferno constat nullam fieri remissionem.

OCTAVO, obijciunt illud: *Neque in hoc seculo, neque in futuro,* idem significare, quod nūquam, siue in æternum, vt exposuit Marcus, qui c. 3. ita ait: *Non habet remissionem in æternum,* Et sicut Petrus ait Ioan. 13. *Non lauabis mihi pedes in æternum.*

RESPONDEO, nō debere exponi Matthæū per Marcum, sed potius Marcū per Matthęū, cum Matthęus pluribus verbis vtatur, & constet Matthęum copiosius scripsisse, & Marcum feciſſe quasi compendium ex Euāgelio Matthęi. Neq; ita accepit Marcus vocē, In æternū, sicut Petrus apud Ioannem. Nā ineptè dixisset

xisset Petrus, non lauabis mihi pedes, neque in hoc se culo, neque in futuro, cum in futuro non lauentur pedes. Non autem ineptè dixit Dominus apud Matthæum: *Non remittetur neq; in hoc seculo, neque in futuro*, Itaque Petrus apud Ioannē accepit vocem: *In æternum*, impropriè pro solo tempore huius vitę, Marcus autem propriè pro toto spatio huius seculi & futuri. Præterea aut Christus dixit, vt habet Matthęus, vel, vt habet Marcus, vel vtroque modo, si primum vel tertium, habeo intentum; si secundum, quanquam hoc nō est probabile, tunc Matthæus, duce Spiritu sācto, exposuit verba Christi, & nisi ineptè exposuerit, indicauit, in alio seculo dimitti aliqua peccata.

NONO, dicunt esse phrasim Hebraicam. RESPONDEO, falsum esse, phrasis quidem Hebraica, est illa Petri: *In æternum*, dicūt enim passim haberi לְעוֹלָם etiam de rebus temporalibus: *At neq; in hoc seculo, neq; in futuro*, non est propria phrasis Hebræorum. Neq; Marcus phrasi Hebraica vtitur, sed propriè loquitur.

CAPVT V.

SECVNDVS locus 1. Corinth. 3. vbi Apostolus dicit: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Nota in primis, locum istum Apostoli 1. Cor. 3. esse vnū ex difficillimis, & vtilissimis totius Scripturæ: nam ex eo statuunt Catholici duo Ecclesiastica dogmata, Purgatorium; & venialia peccata contra hæreticos & hæreticorum fautores, qualis in primis fuit Erasmus, qui annotatione in hunc locum conatur ostendere, nec Purgatorium; nec peccata venialia ex hoc loco statui posse.

Quod sit difficillimus, testatur AVGVSTINVS lib. de fide & operibus, c. 15. *Diligenter*, inquit, *oportet attendere, quomodo accipienda sit Apostoli Pauli illa sententia planè ad intelligendum difficilis, vbi ait; Si quis autē superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, &c.* Et infra: *In his deputanda est, quæ Petrus dicit, esse in Scripturis eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium suum meritum.* Et c. 16. *Fateor*, inquit, *me malle audire intelligentiores atque doctiores*, Idem repetit q. 1. ad Dulcitium.

Nos igitur, vt locum istum diligenter explicemus, exponemus primum Metaphoram, qua Apostolus vsus est: deinde proponemus, & soluem⁹ difficultates, quæ circa hunc locum occurrunt. Quantum ad PRIMVM, hæc sunt Apostoli verba: *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui: Alius autem superædificat, vnusquisque autē videat, quomodo superædificet; fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus* IESVS. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vnius cuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Vtitur autem Apostolus in hac sententia similitudine duorum Architectorum, quorū unus super fundamentum lapidem, & solidum erigit domum ex pretiosa materia, & quæ ignem non timet, qualia sūt aurum, & argentum, lapides pretiosi vt Iaspis, Porphyreticus, Parius lapis. Nam ex auro & argento fiūt laminæ, & columnæ, vt de templo Salomonis legimus; ex lapide pario, & porphyretico etiam integri parietes erigi possunt. Alter uero super simile fundamentum, id est, lapideum & solidum, erigit domum more pauperum rusticorum ex alicribus & stipitibus, eamque tegit fœno & stipulis.

Hac posita similitudine, fingamus vtrique domui adhiberi ignem, videbimus priorem nihil penitus lædi, & si Architectus intus fortasse sit, similiter nihil pati. At posteriorem domum videbimus continuo ignē concipere, & breui tempore totam consumi, & si Architectus intus sit, & velit saluus egredi, videbimus eum exire non posse, nisi per ignem. In quo transitu non quidem morietur, sed tamen barba & capilli nō egredientur incolumes, nisi fortasse fiat miraculū triū puerorum, qui in fornace Babylonica non comburebantur. Hæc est similitudo, qua B. Paulus vtitur, cum ait: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Quantum ad SECVNDVM; quinq; sunt difficultates huius loci. Prima, quid intelligatur per ædificātes. Secunda, quid intelligatur per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulas. Tertia, quid intelligatur per diem Domini. Quarta, quid intelligatur per ignem, qui in die Domini uniuscuiusque op⁹ probabit. Quinta, quid intelligatur per ignem, de quo dicitur; Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. His explicatis, sententia erit perspicua.

PRIMA igitur difficultas est. Qui sint Architecti, qui superædificant. B. Augustinus libro de fide & operibus, cap. 16. & in Enchirid. c. 68. & alibi, censet omnes Christianos dici hic ab Apostolo Architectos, & omnes superædificare super fidei fundamentum, uel opera bona, uel mala. Idem mihi docere uidentur, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in hunc locum.

Alij permulti docent, Architectos hic ab Apostolo non uocari, nisi Doctores, & prædicatores Euangelij; ita Ambrosius & Sedulius in hunc locum. Idem insinuat Hieronymus lib. 2. in Iouinianum. Idem recipiunt B. Anselmus & B. Thomas in hunc locum, etiamsi priorem sententiam non reijciant. Idem multi recentiores, ut Dionysius Carthusianus, Lyranus, Caietanus, & alij in hunc locum.

Vtraque expositio est bona, & ex utraq; deducitur assertio Purgatorij & peccatorum uenialium, tamen magis literalis est posterior, id quod patet manifeste ex uerbis præcedentibus & sequentibus eius capitis; dixerat enim antea: *Ego plantauit, Apollo rigauit.* Deinde in eodem sensu statim subiungit: *Ego vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat.* Et ibidem: *Qui plantat & qui rigat vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis; Dei ædificatio estis.* Vbi apertissime comparat se & alios prædicatores Euangelij agricolis, & architectis; populos autem qui docentur, comparat agris & ædificijs. Item in uerbis sequentibus iterum loquitur de Doctoribus, cum ait; *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et rursum: *Nemo ita glorietur in hominibus; omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas*; id est, nolite gloriari in Doctoribus & Prædicatoribus uestris, & dicere: *Ego sum Pauli, ego vero Apollo.* Nam omnes sunt unum, & pro uobis omnes laborant. Itaque sicut dixerat, se plantasse, & Apollinem rigasse, ita nunc dicit; Ego fundamentum posui prædicans Christi fidē; alij autē superædificant docentes ea, quæ ad uitam & mores pertinent, & etiam explicantes latius fidei nostræ mysteria. Et in hac prima quæstione conueniunt nobiscum Caluinus, & Petrus Martyr, atque Ochinus.

ALTERA difficultas est paulo grauior, sunt. n. sex sēntiæ. Quidam nomine fundamenti intelligunt fidem ueram, sed informem. Nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, opera bona. Nomine ligni, fœni, stipulæ, peccata mortalia; ita Chrysostomus in hunc locum, quem sequitur Theophylactus.

At hoc defendi non potest. PRIMO, quia, ut Gregorius dicit lib. 4. Dialog. ca. 39. peccata mortalia potius comparantur ferro & plumbo. SECVNDO, qa sequeretur,

retur, verã esse hæresim Origenis, quod oẽs saluarentur, quia Apostolus dicit; Saluus erit quasi per ignem.

RESPONDENT Græci; saluus erit, id est, nunquã penitus consumetur, sed quasi per ignem, quia semper ardebit. Hæc solutio in primis est dura & coacta; deinde est contra omnem vsum loquendi Scripturarum. Nunquam.n. in Scripturis accipitur nomẽ Salutis in malam partem, sed semper in bonam, vt in Concilio Florentino ante sessionem primam Latini ostẽderũt. Præterea illud (*Per*) significat transitum, non mansionem. Non dicit Apostolus: *Saluus erit, sic tamen quasi in igne; sed: Saluus erit quasi per ignem*; id est, ad similitudinem eius, qui euadit mortem transiens per ignẽ. Denique ex communi consensu Doctorum. Nã summa consensione volunt alij omnes tam Græci, quam Latini hunc locum intelligi de venialibus peccatis, quorum sententias in quinta difficultate ꝓferemus. Neque vero hinc putet aliquis, Chrysostomum negasse Purgatorium, vel peccata venialia. Nam Purgatorium esse sæpissime docet, sed præcipuè homil. 3. in epist. ad Philipp. & homil. 69. ad populum Antiochenum. Item peccata venialia concedit hom. 24. in Matth. in hoc vero loco aliter exposuit, vt hæresim Origenis refelleret, quæ docet, pœnas Gehennæ non esse ętternas, vt patet ex ipsa homilia.

SECVNDA sententia est, nomine fundamenti intelligi Christum, siue fidei prædicationem: nomine auri, argenti, & lapidum preciosorum intelligi Catholicas expositiones: nomine ligni, fœni, & stipulæ intelligi hæretica dogmata. ita videtur docere commentarius Ambrosij, ita etiam Hieronymus exponens illud Isaiæ 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum*. Atq; huc propendet Caluinus, Martyr, & Ochinus, qui docẽt, per ligna, fœnum, stipulas, intelligi humanas traditiones & cõmenta, quæ pugnant cum verbo Dei.

Hæc sententia minus defendi potest, q̃ præcedẽs. PRIMO, quia hæretici non saluantur per ignẽ purgatoriũ, sed dãnantur ad ignẽ æternum. SECVNDO, quia hæretici non ædificant super fundamentũ, quod est Christus, nisi nomine tenus. Omnis.n. hæresis quantumcunque de Christo magnificè loquatur, tamẽ nõ verum Christum prædicat, sed alium, quem sibi finxit. Neque ista sententia, quã refellimus, est Ambrosij vel Hieronymi. Nã cõmentarius Ambrosij intelligit nomine ligni, fœni, & stipulæ, hæreses quidem, & falsa dogmata, sed per imprudentiam prolata, & sine pertinacia: dicit.n. eiusmodi Doctores saluos futuros per ignem purgatorium. Hieronymus vero apertè de hæreticis loquitur, sed ex mente aliorum, non sua. cum enim posuisset suam expositionem, subdit: *Quidam autem*, inquit, *hæc de hæreticis intelligunt, &c.*

TERTIA sententia, nomine fundamenti intelligit fidem viuã: nomine auri, argenti, & lapidum preciosorũ intelligit opera supererogationis: nomine ligni, fœni, & stipulæ intelligit omissionem consiliorum, & affectum quendam carnalẽ ad bona huius mundi, licitũ quidem, sed qui dolorem adfert, cum illa bona amittuntur. Ita B. Augustinus lib. de fide & operibus, ca. 16. quæ sententia uera quidem est, sed non conueniens huic loco, nisi cũ illo carnali affectu intelligam⁹ peccata saltẽ uenialia; nam non dantur opera media in particulari. aut ergo ille amor carnalis est bonus, aut malus; si bonus, quare ardebit more stipulæ? si malus, ergo saltem admixtum habuit peccatum ueniale.

QVARTA sententia est eorum, qui exponunt per aurum, argentum, &c. opera bona; per stipulam, fœnum, &c. peccata uenialia: ita B. Gregorius li. 4. Dialogorum, c. 39. & alij, quæ bona est, sed alia est melior.

QVINTA est eorum, qui intelligunt per aurum, argentum, &c. bonos auditores; per stipulas, malos auditores. Sunt.n. auditores opificium Doctoris, & quidem Doctor saluus erit; sed ex auditoribus alij sic, alij non, &c. Ita Theodoretus, & Oecumenius; at refellitur rectè a Chrysostomo; nam detrimentum tribuitur etiam Architecto, & ipse dicitur ædificare stipulam, ergo non est sola culpa & pœna auditorum.

SEXTA sententia, quã omnib. anteponimus, est vt noïe fundamẽti intelligatur Christus, a primis prædicatoribus annunciatus, quales erant Apostoli, qui fidẽ Christi & Euangeliũ detulerunt ad eos populos, qui nihil unquã de Christo audierant. Hinc.n. B. Paulus ait: *Ego plantaui, & ego vt sapiens architectus fundamentũ posui*. Hinc ẽt qui primi in aliqua regione fidẽ prædicant, dicuntur Apostoli eius regionis. Nomine uero auri, argenti, & lapidũ preciosorũ intelligat̃ doctrina utilis & salutaris aliorũ prędicatorũ, qui eos docẽt, qui iã fidẽ receperũt, & docent nõ solũ uerbo, sed ẽt exẽplo, ita ut uere auditores suos ędificẽt, & ꝓmoueãt in religione & pietate. Noïe aũt ligni, fœni, & stipulæ intelligatur doctrina, nõ quidẽ hæretica, uel mala, sed tñ curiosa, inutilis, superuacanea eorũ prædicatorum, qui ad Catholicum populũ Catholicè concionantur, sed absq; eo fructu & utilitate, quam Deus requirit, ita ut sicut priores cum magno merito concionantur, ita isti non solum sine magno merito, sed etiam non sine peccatis uenialibus concionentur.

Hæc expositio maxime ꝓbãt̃ pp tria. PRIMO, quia (ut ostẽdimus) noïe ædificatiũ intelligunt̃ soli Doctores, ergo noïe operis ipsorũ intelligi debet doctrina.

SECVNDO, quia ualde conuenit hæc similitudo sic explicata Doctoribus Corinthiorum. Erant.n. plus æquo diditi eloquentiæ & Philosophiæ, quæ licet ex se iuuent, tamen interdum impediunt fructum concionum; quocirca B. Paulus de utroque Corinthios in hac epistola reprehendit.

TERTIO, quia hoc totum caput optimè explanatur, siquidem B. Paulus in hoc capite tres similitudines posuit. PRIMAM, de agricolis plantantibus & rigantibus, qua solum bonos Doctores complexus est. SECVNDAM, de ædificantibus super bonum fundamentum, qua non solum bonos, sed etiam malos Doctores comprehendit. TERTIAM, de corruptoribus templi, qua solos malos contineri uoluit, & malos nõ quomodocunque, sed perfectè malos, ut hæreticos, errores pro ueritate, & uitia pro uirtutibus docentes, de quibus nõ dicit, quod salui erunt, quasi per ignem, sed quod disperdet illos Deus.

TERTIA difficultas est de die Domini. Aliqui intelligunt nomine diei prẽsentem uitam, siue tempus tribulationis, in quo discernuntur sæpè boni a malis. ita B. Augustinus libro de fide & operibus ca. 16. & Gregorius lib. 4. Dialog. c. 39.

Hæc sententia non uidetur ad mentem beati Pauli. PRIMO, quia Græcè est dies cum articulo, ἡ γὰρ ἡμέρα, ex quo apparet certum quendam & definitum diem significari, sicut 1. Tim. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die*. Et 1. Tim. 2. *Certus sum, quia potẽs est depositum meum seruare in illum diem*. Et paulo infra: *Det ei Dominus inuenire misericordiam in illa die*.

SECVNDO, quia præsens tempus nõ dicitur in Scripturis dies Domini, sed dies nostra, sicut contra, tempus alterius uitæ dicitur dies Domini, non nostra, ut Luc. 19. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*. Luc. 22. *Hæc est hora vestra*. Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Ps. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Sophoniæ 1. *Iuxta est dies Domini magnus*. Ioel 2. *Venet dies Dñi, dies tenebrarũ, & caliginis*.

TERTIO, tempore uitæ præsentis non declaratur opus uniuscuiusque quale sit. Tribulationes enim communes sunt bonis & malis, iustis & iniustis.

QVARTO, quia omnes Doctores intelligunt hanc diem esse diem iudicij; licet enim Augustinus & Gregorius docuerint posse diẽ illã referri ad hanc uitam, tamen in eisdem locis docent, etiam posse intelligi de tem-

tempore futuro post hãc vitam. Verum cum dies iudicij sit duplex, vna dies iudicij particularis, altera dies iudicij vniuersalis; quidam, vt Caietanus, & alij, volunt, Apostolum loqui de die iudicij particularis. PRIMO, quoniam post hunc diem, de quo Apostolus loquitur, aliqui purgandi sunt per ignem; id vero fieri non potest post diem vltimi iudicij.

SECVNDO, quia si hæc dies, de qua Apostolus loquitur, esset dies vltimi iudicij, sequeretur nullum Sãctorum ingredi posse in cœlum ante diem iudicij, qui est error damnatus in Concilio Florentino, sess. vlt. Consequentia probatur; Nam in hac die sunt examinanda omnia ædificia, & post examen aliqui statim coronandi, aliqui puniendi; præterea cum nihil inquinatum intret in regnum cęlorum, si purgatio a venialibus non fieret, nisi in die vltimi iudicij, omnes qui cũ venialib. hinc migrant, exspectare deberent eã diem, antequam in cœlum intrare possent.

TERTIO, quia Græcus textus non habet, reuelabitur, sed reuelatur: ὅτιεν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, quoniam in igne reuelatur. Dies autem vltimi iudicij nõ reuelatur, ergo de die iudicij particularis loquitur, q singulis diebus modo vni, modo alteri reuelatur. Omnes tamẽ veteres videntur accepisse per illam diem, diem vltimi iudicij, vt Theodoretus, Theophylactꝰ, Anselmus, & alij, quorum mihi videtur verissima sententia, quamuis neutra repugnet purgatorio.

PRIMO, quia vbique in Scripturis dies Domini, significat diem vltimi iudicij.

SECVNDO, quia dĩ in illa die, quo designatur vna quædã certa dies, qua oium hoium opera simul ꝓbatur; At dies iudicij particularis non est vna, sed multiplex, neq; in ea probantur omnium hominum opera.

TERTIO, quia dicit Apostolus: *Dies Domini declarabit*, quasi dicat, tunc erunt oĩa omnib. manifesta, vt capite sequenti dicit: *Donec ueniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium*: id autem non fiet, nisi in nouissimo iudicio.

QVARTO, quia sequitur, *Quia in igne reuelatur*. Dicitur enim dies iudicij reuelari in igne, quia vltimum signum, & omnium notissimum erit conflagratio totius mundi, & propterea semper fere dies iudicij describitur per ignem: vt Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet*. Ioel 2. *Ante faciem eius ignis uorax*. 2. Thessal. 1. *In reuelatione Domini nostri* IESV *Christi de cœlo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis*. 2. Pet. 3. *Elementa ignis ardore tabescent*. Quod si non placeat hic per ignem accipere ignem materialem, sed ipsum iudicium Dei, vt alij exponunt, adhuc non potest intelligi per hanc diem, nisi dies vltimi iudicij, Nam tunc sensus est, quia in igne reuelatur, id est, quia illa dies erit notissima ꝓpter iudicium acerrimum, & maximum, quod in illa exercebitur; At dies iudicij particularis non est notissima ꝓpter iudicium, sed magis ꝓpter mortem; Nã ipsum iudicium particulare paucis est notũ. Nec me mouent argumenta in contrarium.

Ad PRIMVM dico, post iudicium nouissimum nõ fore purgatorium, & ideo illa uerba: *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non significant: saluus erit, dummodo prius transeat per ignem, sed: saluus erit, dummodo prius transierit per ignem; siue: saluus erit, vt illi qui per ignem transierunt.

Ad SECVNDVM dico, si hoc concluderet, sequeretur, etiamsi purgatorium non esset, neminem beatificari, vel damnari, ante diem iudicij: nam Scriptura passim tribuit distributionem præmiorum & pœnarũ vltimo iudicio; immo & examen operum, ac sententiam iudicis, vt patet Matt. 25. & alibi. Sicut ergo sententia fertur in morte uniuscuiusque, & tũc incipiũt aliqui puniri, aliqui premiari; & tamen dicuntur hæc eadem fieri in nouissimo iudicio, quia tunc fient coram toto mundo manifestissimè, & cum summo honore iustorum; & ignominia impiorum, ita & examen fieri potest in morte vniuscuiusque priuatim, & iterum postea in vltimo iudicio publicè.

Ad TERTIVM dico, pro uno uerbo quod hic habetur in præsenti in græco, haberi tria in futuro, nimirũ φανερον γενήσεται, ἡμέρα δηλώσει, & πῦρ δοκιμάσει. & valde credibile est etiã illud vnũ ἀποκαλύπτεται in textib. correctioribus fuisse ĩ futuro ἀποκαλύψεται, quandoquidem noster interpres vertit reuelabitur. Adde, quod frequentissime tempus præsens non ponitur ad significandam actionem certi temporis, sed cõsuetudinem, opinionem, professionem, aut aliquid simile, vt: *Virum non cognosco*. Luc. 1. vt ait B. Virgo, & Sadducęi dicebant: *Mortui non surgunt*. Et Carthusiani dicunt: *Non uescimur carnibus*. In hac difficultate dissentimus a Caluino & Martyre: nam illi intelligunt Paulum de iudicio particulari; sed nihil hoc facit ad quæstionem de purgatorio.

QVARTA difficultas est, quis sit ignis, qui in die Domini vniuscuiusque opus probabit. Aliqui intelligũt tribulationes huius vitę, vt Augustinus & Gregorius locis notatis, sed hoc iam reiecimus: alij intelligunt ignem æternũ: verum id esse nõ potest, nam ille ignis non examinabit ædificium ex auro & argento, imò nec ædificium ex ligno & fœno, vt patet: alij videtur intelligere ignem conflagrationis mundi, qui iudiciũ vniuersale præcedet. Id quoque esse non potest, quia ille ignis nõ comburet nisi inimicos Dei, Ps. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Iste autem, de quo Apostolus loquitur, omnes tanget, etiam eos, qui aurum & argentum superædificauerunt. Præterea iste ignis non potest probare opera, cum sit ignis materialis, & opera non sint nisi in mente, quia transierunt.

Alij intelligunt de pœnis purgatorij, sed neq; id recte dici potest. PRIMO, quia ignis purgatorij non probat opera eorum, qui ædificant aurum & argentum. At iste ignis de quo loquimur: *Vniuscuiusque opus quale sit probabit*. SECVNDO, Apostolus aperte distinguit inter opera & operantes; & de isto igne dicit, quod comburet opera, non operãtes. ait enim: *Si cuius opus manserit*, &; *Si cuius opus arserit*. At ignis purgatorij, qui verus & realis est ignis, non potest opera comburere, quæ sunt actiones trãseuntes, & iam trãsierunt.

Denique sequeretur, omnes homines etiam sanctissimos transire per ignem purgatorij, & saluari per ignem: nam per hũc ignem, de quo loquimur, omnes transeunt. At omnes transire per ignem purgatorij, & saluari per ignem, est aperte falsum: nam Apostolus hic apertè dicit solum eos, qui ædificant ligna, & fœnum saluandos quasi per ignem; Ecclesia quoque perpetuo sensit sanctos Martyres & Infantes post Baptismum morientes, mox in cœlum recipi sine ullo transitu per ignem, vt Concilium Florentinum docet, sess. vlt. Idem etiam Sancti Patres docent. B. HIERONYMVS lib. 2. in Iouin. & B. AVGVSTINVS in Psal. 37. *Si ædificarent*, inquit, *aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt*.

Superest igitur, vt dicamus hic Apostolũ loqui de igne seuero & iusti iudicij Dei, qui non est ignis purgans vel affligens, sed probans & examinãs. Ita exponit AMBROSIVS in Psal. 118. cõcione 20. super illud: Vide humilitatẽ meam: *Omnes nos*, inquit, *fornax probabit, ergo quia examinandi sumus sic nos agamus, vt iudicio probari mereamur diuino, teneamus hic positi humilitatem, vt cum vnusquisque nostrum uenerit ad iudicium Dei, ad illos ignes, quos transituri sumus, dicat, unde humilitatem meam, &c.* Item SEDVLIVS in hunc locum: *Examinationem iudicij*, inquit, *igni uolunt comparare secundum consuetudinem Scripturarum*. eodem modo

do exponunt Dionysius Carthusianus, Lyranus, Cajetanus, & alij in hunc locum.

Quod hæc sententia verissima sit probatur PRIMO quia non aliter potest intelligi, quomodo ignis probet eos, qui aurum & argentum ædificarunt.

SECVNDO, quia hæc expositio optimè convenit verbis Apostoli, cum ait: *Vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit; si cuius opus manserit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* Licet n. opera transierint ab oculis hominum, & igne materiali examinari non possint, tamen non trãsierunt ab oculis Dei sed, ut dicitur Eccles. vlt. *cuncta quæ fiãt adducet Deus in iudicium*, & ea examinabit, & si cuius *opus manserit* id est, si cuius opus iudicium Dei sustinere potuerit, sicut aurum sustinet ignem, mercedem accipiet, probabitur, & coronabitur à Deo: si cuius opus arserit, id est, si cuius opus iudicium Dei non sustinuerit, sicut fœnum & stipula non sustinent ignem, detrimẽtum patietur, reprobabitur & reijcietur.

TERTIO, quia iudiciũ Dei rectissimè vocatur ignis cum sit purissimum, celerrimum, efficacissimũ, & maximè penetratiuum. vnde Dan. 7. *Fluuius igneus egredietur de ore eius.* Et quoniam Deus totus est iustitia, totus iudiciũ, inde etiam in Scripturis vocatur ignis, Malach. 3. *Ipse quasi ignis conflans.* Et Heb. 12. *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Et in hoc non dissentimus à Caluino & Martyre.

QVINTA & vltima difficultas est, quid per ignem intelligatur, cum ait. *Ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Aliqui intelligunt tribulationes huius vitæ. At hoc non potest conuenienter dici, quia tunc ẽt qui ædificant aurum & argentum, saluarentur quasi per ignem. Quocirca B. Augustinus & Gregorius, q sunt auctores huius sententiæ, cum in ea non acquiescerent, etiam aliam posuerũt, de qua infra dicemus. ALII intelligunt ignem æternum, vt Chrysostomus & Theophylactus, sed hoc iam refutauimus. ALII ignem conflagrationis mundi. Id quoque dici non potest, propter rationes antea positas; & præterea, quia sequeretur eos qui habent peccata venialia, non posse ad beatitudinem peruenire ante diem iudicij; nec. n. intrabit in cœlum aliquid coinquinatum.

Caluinus & Martyr, Ochinus & Lutherus art. 37. intelligunt per hunc ignem iudicium Dei, quod doctrinam veram approbat, falsam confutat, sicut ignis perficit aurum, consumit fœnum. Dicunt autem hoc iudicium fieri, dum quis conuertitur, & præcipuè in hora mortis, tunc enim illustrantur multi, & sic intelligunt se deceptos, & iacturam fecisse doctrinæ suæ, & confunduntur etiam, & erubescunt, & sic per ignẽ salui fiunt. Addit Martyr se nõ dubitare, quin B. Bernardus, B. Franciscus, B. Dominicus; & alij Patres hoc modo salui facti sint, quia nimirum in morte à Deo illustrati intellexerunt, & damnauerunt errores suos de Monachatu, de Missa, &c.

At contrà; PRIMO, quia istud iudicium fit solũ in morte, adhuc viuente homine, vel potest fieri etiam post mortẽ: si põt fieri ẽt post mortem, ergo post mortẽ fiet aliqua remissio & purgatio peccati, saltem per illam confusionem, & pœnitentiam, quod ipsi nullo modo admittunt; hoc. n. esset genus quoddam Purgatorij: si aũt solum in ipsa morte fit hoc iudicium, peto quomodo agetur cum illis, qui superædificarũt lignũ, fœnum, stipulas, & moriuntur repentè, ita vt non habuerint tempus pœnitentiæ? Isti enim non saluantur quasi per ignem, qui non habuerunt ignem istum iudicij, & refutationis suorũ errorum, nec tñ põt damnari ad Gehennam, quia habuerunt Christum in fundamento, & Paulus de oĩbus talibus pronunciat, qd saluentur: nec possunt ẽt saluari, nisi admittatur purgatorium, quia cum decesserint in peccato cum suis stipulis & fœno, non possunt saluari nisi per ignem.

SECVNDO, ignis iste, de quo Paulus loquitur, afficiet pœna propriè & verè, propter iacturam ipsorum operum, & confusionem, quæ inde oritur, ergo illud iudicium confutans errores, non est ignis de quo hic agitur. Probatur antecedens primò ex illo verbo, *ipsum detrimẽtum patietur*, Græcè ζημιωθήσεται mulctabitur, dabit pœnas. Nihil enim est apud Græcos frequentius quàm ζημιοῦσθαι θανάτῳ morte mulctari; Itẽ ex illo, *saluus erit quasi per ignem*, similitudo transeuntis per ignem significat pœnam ac dolorem; qui enim transiret per ignem sine vlla læsione, non diceretur transire per ignem, quasi per ignem, sed quasi per flores, vt de sancto Tiburtio legimus.

TERTIO, quia Apostolus opponit hunc transitum per ignem mercedi, sicut enim dixerat: *Si cuius opus manserit, mercedem accipiet*, ita non dicit, *si cuius opus arserit, detrimentum patietur*, &: *saluus erit quasi per ignem.* At illa merces significat aliquid præter ipsum bonum opus, & præter lætitiam, quam ex se affert bonum opus. non enim diceret, mercedem accipiet, si nihil aliud esset merces, quam id quod ex se habebat, q ædificauit aurum, &c. ergo etiam detrimentum, & transitus per ignem eius, qui superædificauit stipulã, est aliqua pœna præter iacturam operum, & præter confusionem, quam ex se affert.

QVARTO, quia illud iudicium confutans errores, non adfert detrimentum, sed lucrum; nam est illustratio quædam mentis, vt ipsi dicunt, & veritatis cognitio; & sicut qui habet aurichalcum putans esse aurum non existimat detrimentum, si quis ei aurichalcum illud auferat, & aurum verum donet, ita qui habebat errores in mẽte & per diuinam illustrationem discit veritatem, non detrimentum patitur, sed lucrũ acquirit. At Paulus dicit: *Detrimentum patietur*, ergo, &c.

QVINTO, quia sequeretur, omnes qui saluãtur, saluari quasi per ignem, contra Apostoli distinctionem; nam etsi Paulus hic solum agat de peccatis quæ committuntur in docendo, tamen eapem est ratio omniũ aliorum peccatorũ. Sicut. n. Deus iudicabit doctrinã, ita ẽt opera oĩa. At secundum Caluinum, & Lutheranos omnes, omnia opera nostra, quamuis iustissima videantur in oculis hominum, tñ peccata sunt in oculis Dei, nec ferre possunt iudicium diuinum, sed arguẽtur eo mõ planè, quo falsa doctrina, quare si ignis, de quo Paulus loquitur, est iudicium Dei, omnes saluabuntur quasi per ignem. NEC valet respõsio, quod iustorum opera non sint arguenda, quia, sunt tecta p non imputationem, impiorum autem qui non sunt per fidem iustificati, arguenda sunt; nam Paulus cum dicit: *Saluus erit quasi per ignem*, loquitur de iustis, qui ædificarunt stipulas, retento vero fundamento, id est, vera fide in Christum.

Quod autem Martyr ait de beatis, Bernardo, Dominico & Francisco, impudentissimum est mendacium. Illi enim vsque ad vltimum spiritum commendauerunt suis perseuerantiam in Monasterio, & obedientiam Romanæ Ecclesiæ. De S. Francisco scribit D. BONAVENTVRA, cap. 14. vitæ eius: *Hora*, inquit, *transitus sui propinquante, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, & consolatorijs verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad diuinum est hortatus amorẽ, de patientia, & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide seruandis sermonem protraxit, & insuper adiecit; valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo semper; quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices qui perseuerabunt in his, quæ caperunt, ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo.* Hæc est Palinodia scilicet, quam somniat Pseudomartyr Petrus.

Est igitur communis Theologorum sñia, nomine ignis hoc loco intelligi pœnam aliquam purgatoriam, & temporalem, ad quam post mortem adiudicantur,

qui

qui in iudicio particulari inueniũtur ædificasse lignũ, fœnum, aut stipulam. Hęc expositio præterquã q̃ optimè conuenit textui, satis probatur ex communi consensu Patrum. Latini oẽs hoc docent. CYPRIANVS li. 4. epi. 2. ad Antonianũ: *Aliud est*, inquit, *ad veniã stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire, donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim fidei, & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.* Hic B. Cyprianus non meminit apertè huius loci B. Pauli, sed tamen cum nusquam in Scriptura fiat mentio ignis, vbi apertè de Purgatorio agitur, nihil dubium est, q̃n B. Cyprianus ad hunc locum respexerit.

AMBROSIVS in hunc locum: *Sed cum*, inquit, *Paulus dicit (sic tamen quasi per ignem) ostendit quidem illũ saluum futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignẽ purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum vorquetur.* Idem habet serm. 20. in Psal. 118.

HIERONYMVS in 4. cap. Amos, exponens illud; Facti estis sicut torris raptus de incendio: *Iuxta illud*, inquit, *quod in Apostolo legimus ipse autem saluus erit quasi per ignem: qui ergo saluatur per ignem, quasi torris de incendio rapiatur.* Idem docuit in vltimis verbis vltimi libri super Isaiã, & li. 2. in Iouinianũ vltra mediũ.

AVGVSTINVS in Psal. 37. *In hac vita*, inquit, *purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit.* Et infrà explicans locum Apostoli: *Dicitur*, inquit, *saluus erit quasi per ignẽ, & q̃a dicitur, saluus erit, cõtemnitur ille ignis, ita plane q̃uis salui per ignẽ, grauior tamen est ille ignis, q̃ q̃quid põt homo pati in hac vita.* GREGORIVS lib. 4. Dialogorum, ca. 39. *Quamuis hoc* (inquit, explicans hunc locum 1. Cor. 3.) *de igne tribulationis in hac vita nobis adhibitæ possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicitè est, quia illum per ignem dixit saluari, non qui super hoc, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcirco duriora, atq; tunc iam insolubilia, sed lignum, fœnum, stipulam, id est, peccata minuta, atque leuissima, quæ ignis facilè consumit.* ALCVINIVS lib. 3. de de Trinitate. Rupertus in 3. c. Genes. exponens illud, quod ibi dicitur de gladio flammeo, & versatili. Magister in 4. d. 21. & eum eò B. Bonauentura, & alij Scholastici. Item B. Anselmus, Haymo, & Thomas in hũc locum. Denique Innocentius III. in Psalmum 37. & omnes Latini recentiores sic exponunt.

Ex Græcis habemus in primis ORIGENEM apertissimè hoc docentem, hom. 6. in Exo. & hom. 14. in Leuit. & hom. 12. in Hieremiam. Homil. 6. in Exod. sic habet: *Sed & illuc cum conuenitur, si quis multa opera bona & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resoluitur & purgatur, &c.* Præterea OECVMENIVM in hunc locum, qui etiam testatur Basilium hũc locũ intellexisse de igne purgatorio: Adducit et B. THOMAS in opusculo 1. contra Græcos, Theodoretum explicantẽ hunc locũ his verbis: *Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animæ, vt aurum in conflatorio.* GAGNEIVS vero eandẽ Theodoreti sententiam ex Græcorum scholijs Græcis verbis ita citat: τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίζονται, αἱ ψυχαὶ καθάπερ χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ.

At contra obijciunt, primò, absurdum esse, q̃ Apostolus in eadem sententia variè accipiat nomen ignis, semel pro iudicio, & semel pro vero igne purgatorio.

Respondeo PRIMÒ, nos cogi ab ipso textu ad æquiuocationem non vnam, sed duas admittendas: nã cũ dicit diem iudicij manifestari per ignem, vt omnino loqui de igne conflagrationis; cum addit, cuiusq; opus ignis probabit, nõ potest loqui de igne materiali, qui non potest probare opera quæ transierunt; rursum cũ secũdo isto igne dicat Apostolus omnia opera examinanda; tertiò verò, non opera, sed operarios, & eos nõ oẽs, sed eos solum, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam; necessariò diuersi ignes esse debent. Nec tñ p priè æquiuocatio, sed elegans allusio mihi vt esse in verbis Pauli. Hic enim est consensus totius huius loci; Dies Dñi per ignem conflagrationis declarabitur, & sicut ipsa dies per ignem declarabitur; ita eadẽ dies manifestabit per ignem, nimirum iudicij, vnicuiusq; opus, & sicut opera p ignẽ manifestabunt, ita ẽt operarij, q̃ purgatione egebunt, p quẽdã ignẽ purgabunt.

SECVNDO dico, non esse insuetum B. Paulo in eadẽ sententia vti variè aliquo nomine; varie enim accipit vocem peccati, cum ait 2. Corint. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et Rom. 8. *De peccato damnauit peccatum.*

TERTIO dico, quod si quis omnino nõ vellet significationum varietatem admittere, sed vbiq; acciperet ignem pro iudicio, adhuc non efficeret, quin ex hoc lõco Purgatorium statueremus. Tunc enim hic esset sẽsus. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem*: id est, si cuius opus iudicium Dei sustinere non poterit, opus quidẽ reprobabitur, ipse verò saluus erit, sed sic tamen quasi is, qui per ignem diuini iudicij transijt, q̃ iudicium cum sit iustissimum, omnino aliqua pœna eũ affecit.

Obiciunt SECVNDO particulam, *quasi*, quæ nõ veritatem, sed similitudinem significare solet. RESPONDEO, particulam, *quasi*, similitudinem significare nõ ignis, quasi ignis ille non sit verus, sed phantasticus, sed trãseuntis per ignem, ita vt sit sensus: Ad salutem perueniet, qui ædificauit fœnum, sed ad eum modum perueniet, quo peruenit ad aliquem locum is, qui trãsit per ignem, sicut dicitur Ioannis 1. *Vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre*; id est, vidimus eũ gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse Filium Patris vnigenitum.

CAPVT VI.

TERTIVS locus est, 1. cor. 15. *Quid faciẽt qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? vt quid baptizantur pro illis?* Hic locus apertè conuincit, quod volumus, si bene intelligatur, ideo breuiter eum expendamus. Sex inuenio huius loci expositiones.

PRIMA est, q̃ Apostolus probet futuram resurrectionem, ex errore quorundam, qui Baptismum suscipiebant nomine alicuius amici sui defuncti sine Baptismo; existimabant enim, quod sicut orationes & iustitia viuorum prosunt defunctis, ita & Baptismus p desset. Ita exponunt Tertullianus li. 5. in Marcionem & libro de resurrectione, Ambrosius, Anselmus, & Haymo. secundum quam expositionẽ colligitur oratio pro defunctis ex hoc loco, quia docent isti Patres, quod Apostolus, licet non probet errorem istorum, tamen probat intentionem, quam habebant iuuãdi defunctos, & ex ea argumentatur; si igitur Apostolus probat intentionem iuuandi mortuos, certè reprobari non potest, nec debet ab vllo Christiano; tamen nõ puto veram hanc expositionem.

PRIMO, quia Apostolus debuisset saltem insinuare hunc esse errorẽ, ne daret occasionẽ errandi. SECVNDO, quia non solidè argumẽtaretur Apostolus; posset enim rñderi, non bene probari resurrectionem ex eo, quod ita credant quidam errantes. Sicut enim errant in eo, quod baptizant vnum pro alio, sic possunt errare in eo, quod credunt futuram resurrectionem. TERTIO, quia nullus veterum historicorum tradit hunc errorem tempore Apostolorum fuisse; tribuit enim Phylaster hunc errorem Montanistis qui 100. annis post obitum S. Pauli exorti sunt, eandem tribuunt Chrysostomus & Theophylactus, vbi supra, Marcionistis, qui etiam post obitũ Pauli LXXX. annis incepe-

perunt

perunt;deniq; Epiphanius hæresi 28.hoc tribuit Cherinthianis,quorum secta XX.annis post obitum Pauli orta est. ADDE quod Chrysostomus & Epiphanius, nõ ipsi Marcioni & Cherinto,sed posteritati eorũ hũc errorem tribuunt,& meritò. Alioqui enim quomodo Irenæus & Tertullianus hunc errorem non refutassent,qui diligentissimè refutarunt omnes errores Cherinti,& Marcionis, dicit quidem Tertullianus, hunc errorem fuisse tempore Apostolorum, sed non habet nisi hinc. itaq; meritò Chrysostomus & Epiphanius & Theophylactus,hãc expositionẽ vt falsam reijciũt.

ALTERA expositio est, quod Apostolus nomine mortuorum intelligat peccata,cum dicit,qui baptizãtur pro mortuis,quasi dicat; Quid facient,qui baptizantur pro mortuis,id est,pro peccatis diluendis ? ita Sedulius,& B.Thomas in hunc locum Apostoli.

At contra;PRIMO,quia Apostolus subdit:*Si mortui nõ resurgunt.vt quid baptizantur pro illis* ? nimirum hominibus mortuis, qui non resurgunt; itaque clarè docet,se non de peccatis,sed de hominibus agere.Nõ enim vult probare,quod peccata resurgant, sed quod homines resurgant.SECVNDO,quia tota vis argumẽti perit,si dicatur,quid facient qui baptizãtur pro peccatis diluendis,si mortui non resurgunt? posset.n.responderi, multum prodesse diluere peccata, etiamsi mortui non resurgãt, quia bonum est in hac vita frui testimonio bonæ conscientiæ. TERTIA,quia peccata non dicuntur mortua,nisi quando sunt deleta, & extincta, non ergo Paulus nomine mortuorum intelligit peccata quæ adhuc delenda sunt.

TERTIA expositio est,baptizari pro mortuis, esse, baptizari simpliciter Baptismo Christi, sed ideò dici baptizari pro mortuis,qui baptismum suscipiũt,quia antequam baptizentur,recitant Symbolũ,in quo est vnus articulus,*Carnis resurrectionem*.ita illud *pro mortuis*, significet pro spe resurrectionis, vel pro corporibus mortuis,id est,in eum finem,vt corpora nostra q̃ moritura sunt, aliquando immortalia resurgant. ita Chrysostomus, Oecumenius & Theophylactus; sed certè dura & violentia expositio est.

PRIMO,quia non diceret Apostolus: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis*, sed, quid facimus qui baptizamur pro mortuis? Nõ enim quidam,sed omnes sic baptizantur;Apostolus autem de quibusdam tantum loquitur,vt patet tum ex forma verborum, tum ex eo quod sequitur, vt quid & nos periclitamur tota die? SECVNDO, quia inauditũ est,vt nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis,vel corpora mortua,cum in Græco sit νεκροὶ, in genere masculino, & corpora sint generis neutri σώματα. TERTIO,quia si ideò diceremur baptizari pro mortuis, quia recitam⁹ articulum de mortuorũ resurrectione, etiã possemus dici baptizari pro Deo Patre, & pro Christo, & pro Spiritu sancto,& pro Ecclesia,quia hæc omnia recitamus in Symbolo. QVARTO,quia Apostolus vĩ omnino nomine mortuorũ,homines mortuos intelligere, & nihil aliud,cum.n.ait:*Si mortui non resurgunt,vt q̃d baptizantur pro illis*? quid possumus intelligere per vocem,*illis*,nisi illis mortuis,qui non resurgunt ?

QVARTA expositio est,baptizari pro mortuis esse baptizari Baptismo Christi;dici autem Baptismum p mortuis.quia dum baptizamur;agimus & repræsentamus personam mortui, dum mergimur in aquam; & resurgentis,dum surgimus ab aquis, & sic profitemur resurrectionem,& ex hac professione Apostolus probat futuram resurrectionem.ita exponunt Theodoretus & Caietanus.

At contra; PRIMO, quia neq; Hebraicè,neq; Græcè,neq; Latinè,agere pro aliquo,significat eum repręsentare, sed agere loco eius, vel in eius vtilitatem. Quis vnquam dixit de agente in theatro personã Dauid.aut Pamphili,ille egit pro Dauo,aut pro Pãphilo?

SECVNDO,quia qui baptizantur,repręsentant mortem Christi,& simul mortem suam,vt patet ex Apostolo Rom.6. *Quotquot baptizati sumus in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus, consepulti.n. sumus cũ illo per Baptismum,&c.* Itaq; baptizari pro mortuis, erit baptizari pro se, & pro Christo, quod absurdissimum est; nec in Scripturis vnquam reperitur baptizari pro Christo, sed solum baptizari in Christo, vel in eius nomine,vt patet Rom.6.Gal.3.Act.10.& 19.

TERTIO,quia argumẽtum Apostoli nullum esset, nam ex eo quod qui baptizatur, agit personam mortui,non sequitur quod profiteatur resurrectionem.debuisset ergo Apostolus dicere: Quid facient qui baptizantur pro suscitatis,vel pro mortuis,& suscitatis? sed etiam si hoc dixisset. adhuc leue esset argumẽtũ eius, quia posset respõderi, in Baptismo repræsentari resurrectionem,non carnis a morte, sed animæ a peccato. Id.n.Apostolus significat Rom. 6. *Vt in nouitate vitæ ambulemus*.Et Colos.3.*Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.*

QVINTA expositio est Epiphanij,hæresi 28.quam adfert Petrus Martyr, quod Paulus loquat̃ de Baptismo eorum, qui baptizabantur in lecto, cum essent in extremis,qui olim dicebãtur Clinici, & quos Cyprianus festiuè opponit Peripateticis lib.4.epist.7. ad Magnum,quod nimirum Clinici non ambulent,sed hæreant lecto affixi;κλινὴ enim lectum significat.Volũt ergo quidam hunc esse Apostoli sensum; Quid faciẽt qui baptizantur pro mortuis? id est, qui baptizantur quando habentur magis pro mortuis, quam viuentibus, & quando certum est eos non baptizari pro vllo commodo huius vitæ,cum pro mortuis habeantur.

Hæc expositio refellitur,PRIMO,ex illis verbis, vt quid baptizantur pro illis ? nam dicere debuisset, vt quid baptizantur pro se,non pro illis.SECVNDO; quia illud,pro mortuo, non potest dici, nisi in ijs actionib. quæ fiunt circa mortuos.Verbi gratia,rectè dicimus, ille cecidit ex loco edito;& pro mortuo sublatus fuit, vel pro mortuo lotus sepultusque fuit, etiamsi viueret.At non rectè dicitur,ille ambulabat,vel comedebat,vel loquebatur pro mortuo.At baptizari est viuorum non mortuorum;non ergo rectè dicitur baptizari aliquem pro mortuo, etiamsi agat in extremis, sed potius deberet dici baptizari pro viuo,etiamsi ferè sit mortuus.

Est igitur SEXTA expositio vera & germana,quòd Apostolus loquatur de Baptismo lacrymarum & pœnitentiæ,qui suscipitur orando,ieiunando, eleemosynas faciendo,&c. Et sensus sit: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis,si mortui non resurgent* ? id est,quid facient qui orant, ieiunant, gemunt, affligunt se pro mortuis,si mortui non resurgunt?ita exponũt Ephrẽ in suo testamento, Petrus Cluniacensis in lib.contra Petrobrusianos, Dionysius, Hugo, Gagneius,& alij in hunc locum.

Hęc expositio verissima est.PRIMO,quia baptizari passim in Scriptura & Patrib.accipitur pro affligi, ut Marc.10.*Potestis bibere calicem quẽ ego bibiturus sum, & Baptismo quo ego baptizor baptizari*? Luc.12. *Baptismo habeo baptizari*. Patres passim vocant pœnitentiæ afflictionem Baptismum laboriosum,& secundam tabulã.Cyprianus in sermone de cœna Domini: *Lacrymis*,inquit,*se baptizat*.Et in Proœmio lib.de exhortatione martyrij, mori pro Christo, frequenter vocat Baptisma;& Gregorius Naziãzenus oratione de Epiphania:*Scio*,inquit,*quartũ Baptisma,qd̃ per martyriũ, & sanguinẽ fit, scio & quintũ, lacrymarũ & pœnitentiæ.*

SECVNDO,quia ipsa pœna Purgatorij a Scriptura & Patrib.uocatur Baptisma;nã qd̃ legimus Matt.3.*Ipse nos baptizabit in Spiritu sancto & igni*. B.Hieronymus exponit in Spiritu sancto, in hac uita,igne uerò,in futura;sicut ante eum exposuerat B.Basilius lib.de Spiritu

ritu sancto, c. 15. & post eos Beda in ca. 3. Lucæ. Item Gregorius Nazianzenus in fine orationis de epiphania, vocat ignem Purgatorij in alia vita, vltimum Baptisma. Itaque elegantissimè Apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes se oratione & ieiunio, sumunt in se partē illius Baptismi ignei, quo animæ baptizantur in Purgatorio.

TERTIO, quia hæc expositio maximè quadrat cū sequentibus: *Vt quid & nos periclitamur tota die*? quasi dicat; Cur quidam se affligunt orando pro mortuis, & ego affligo me prædicando Euangelium, si mortuorum resurrectio non est?

QVARTO, quia ista sententia eadem est cum illa; 2. Machab. 12. si mortui non resurgunt, superfluum est & vanum orare pro mortuis.

At contra hanc expositionem duo argumēta obijciuntur. PRIMVM, est, quia non debuisset Apostolus dicere, quid facient qui baptizantur pro mortuis, sed quid faciemus qui baptizamur pro mortuis? nam omnes Christiani orant pro mortuis. RESPONDEO, Apostolus argumentari voluit non à consuetudine Christianorum, quæ tanquam noua reijci potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Iudæorum, qui more veteri, & secundum scripturarum exempla orabant & ieiunabant pro mortuis, quasi dicat; Quid facient illi qui imitantes antiquos Patres ieiunant, & orant, ac se affligunt pro mortuis, si mortui non resurgunt?

SECVNDVM argumentum est, quia non videtur bene probari mortuorum resurrectio, ex eo, ꝙ oratur pro mortuis, quia oratur non vt resurgant, sed vt à pœnis illis liberentur, atq; ad requiem transeāt. RESPONDEO, quæstionem de resurrectione & de immortalitate animorum ita fuisse coniunctas tempore Apostolorum, vt pro vna haberentur, vt supra ostendimus, cum testimonium ex libris Machabæorum exponeremus. Siue igitur hanc expositionem sequamur, quæ nobis veriſſima videtur, siue primam, quæ melior est ceteris tribus, aperte colligitur oratio pro defunctis.

CAPVT VII.

QVARTVS locus est, Matt. 5. & Luc. 12. *Esto consentiens aduersario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. exponendum est quid sit uia, quid aduersarius, quid iudex, quid tortor, quid carcer, quid quadrans.

De PRIMO Chrysostomus in c. 5. Matth. docet, viā hic accipi propriè pro vera via, qua itur ad iudicem in hoc mundo; Chrysostomus enim existimat nullā hic esse parabolam, sed Dominum ad literam terrere diffidentes comminatione humani periculi, ita vt ēt iudex intelligatur homo, tortor, homo, carcer materialis huius vitæ, & quadrans verus nummus æreus. quo etiam modo contendit Ochinus esse hunc locum exponendum. de qua explicatione duo dico.

PRIMO, eam simpliciter nō esse probabilem, tum quod repugnet omnes alij expositores, Origenes, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Anselmus. & recentiores, Abulensis, Lyranus, Caietanus, Iansenius, & alij, qui omnes docent, hic viam significare vitam præsentē, vt cum dicitur: *Beati immaculati in via*, Psal. 118. & magna ex parte hunc sermonem esse metaphoricum. tum etiam ꝙ non soleat Dominus tam serio docere & instruere humanam prudentiam, cum ipse sæpe testatus sit, filios huius seculi prudentiores esse filijs lucis. Adde, quod non tam assertiuè Dominus diceret: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*. si loqueretur de humano iudicio, cum sæpe videamus contrarium accidere, vt rei liberentur fauore alicuius, vel per se fugiant, & nihil soluant.

Dico SECVNDO, si Chrysostomi sententia recipi debeat, vt probabilis, solum recipi posse pro ijs verbis quæ habentur Matthæi 5. quæ ipse exponit. pro ijs autem quæ habentur Lucæ 12. nullo modo recipi posse: vt enim Ambrosius rectè notauit, bis Dominus hæc verba loquutus est, diuersisque oblatis occasionibus; nam Matthæi 5. dixit hæc verba, cum loqueretur de amore inimicorum, & de iniurijs condonandis, & iō tolerari vtcumq; expositio Chrysostomi potest. at Lucæ 12. Dominus loquit̄ de iudicio futuro; dicit enim: *Sint lumbi vestri præcincti*. Et postea. *Vigilate quia qua hora non putatis, Dominus veniet*. Et in fine concludit: *Cum ergo vadis cum aduersario tuo ad Principem*. vbi apertè ostendit se loqui de futuro iudicio, qd erit post hanc vitam; quod ēt cōfirmatur ex verbis immediatè præcedentibus, ait enim: *Quid autem & a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Cum enim vadis cum aduersario, &c.* Vult enim eos admonere, parabolam hanc sumptam ex ijs quæ homines facere solent; nam debitores, dant omnem operam liberandi se à creditore antequam ad iudicium veniatur. Quocirca Theophylactus, & Euthymius qui in c. 5. Matth. sequūtur Chrysostomum, tamen in c. 12. Lucæ dicunt rectè intelligi per viam, vitam; per iudicem, Deum, &c.

De SECVNDO, etsi parum refert, quod attinet ad nostrum propositum de Purgatorio, quis sit aduersarius, quia tamen res est dignissima cognitione, explicemus breuiter; quidam per aduersarium intelligūt Diabolum, vt Origenes hom. 35. in Lucam; Ambrosius, Euthymius, & Theophylactus in c. 12. Lucæ, & Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadē. neq; Hieronymus hanc sententiam reprehendit in commentario Matt. 5. cum ait *Quidam coactius disserunt, &c.* Nā illud, *Coactius*, est error impressorum, & debet legi, *Cautius*.

Si petas quomodo debemus esse consentiētes Diabolo, cum è contrario iubeamur illi resistere? Respōdet Hieronymus, debere nos consentire illi, quatenus tenemur stare pactis cū ipso initis in Baptismo; tunc enim renunciauimus Diabolo, & pompis eius; si enim rursum appetamus & inuadamus pōpas eius quibus renunciauimus, meritò nos coram Domino accusabit. Hæc opinio nō est multū probabilis, & ab August. refellitur lib. 1. de sermone Dñi in monte, c. 22. nam Græca vox est εὔνοων, id est, Benuolus, & cōcors, at Diabolo non possumus esse benuoli; deinde cum ipse cupiat vt concupiscamus pompas eius, & ad hoc nos tentet, tunc essemus consentientes illi, si appeteremus eius pompas, & Deum offenderemus.

Alij exponunt per aduersarium, carnem, sed refelluntur meritò ab Augustino, cum non possit iuberi spiritui vt consentiat carni, cum hoc peccatū sit. ALII intelligunt spiritum per aduersarium, cui caro iubetur consentire. Refellit hoc Hieronymus, quia nō est credibile spiritum traditurum iudici suam carnem; neque ibit in carcerem caro sine spiritu, sed vel solus spiritus, vel spiritus, & caro. ALII per aduersarium, saltem apud Lucam, intelligunt peccatum; quia Lucas dicit: *Da operam liberari ab eo*. ita Ambrosius, sed non est probabile: nam liberari ab aduersario, nō est ab illo fugere, uel illum extinguere, sed componere cum illo, ut patet tum ex Matthæo, tum ex verbo ἀντίδικος, id est, litigator, siue actor. ALII intelligūt per aduersarium, alterum hominem, qui nimirum nos læsit, aut nos illū. ita Hilarius, Anselmus, & Hieronymus in caput Matthæi 5. Quæ sententia etsi probabilis est, quantum ad locum Matthei, tamen eam refellit Augustinus loco citato. PRIMO, quia videtur hic Dominus loqui de aduersario qui semper nobiscum est in via, & cum quo semper possumus concordare, dum via durat: at aduersarius homo sæpe

moritur ante suum aduersarium, & illum deserit in via. Nec tamen dicendum est, non posse iustum, qui est in via, per pœnitentiam saluari; licet non possit cũ aduersario consentire.

SECVNDO, quia non propriè vnus homo tradet alterum Deo iudici; vel saltem multa sunt alia: q̃ magis propriè dicãtur tradere, vt dicemus, pſertim quia vox Græca est ἀντίδικος, quæ non significat aduersarium ratione iniuriæ, sed ratione litis, id est, actorem, siue accusatorem.

EST ergo verissima expositio, aduersariũ esse Dei legem, siue Deũ ipsum, quatenus præcipit contraria carni, siue conscientiam, quæ Dei legẽ semper obijcit peccanti; hæc enim ferè in idẽ coincidunt. ita exponunt Ambrosius, Beda, & Bonauentura in c. 12. Lucæ. Item Anselmus, & Augustinus in cap. 5. Matthęi, necnon idem Augustin. homil. 1. de verbis Domini, hom. 50. in lib. homiliarum, & in lib. de decẽ chordis, c. 3. Gregorius hom. 39. & Bernard. ser. 85. in Cantica. Nam lex Dei & conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, semper aduersantur prauis desiderijs, ijsque vtilissimum est citò consentire, & ab eorum inimicitia liberari; deniq; accusatores & testes erunt contra nos in iudicio.

VNVM solum obstare videtur huic expositioni, qđ Matt. 5. immediatè ante hanc parabolã Dominus loquebatur de reconciliatione aduersarij hominis.

RESPONDEO, Dominum posteaquã docuit debere hominem homini reconciliari, monere voluisse hac parabola, vt etiam recordaretur recõciliari cum Deo siue cum eius lege. Præterea, etiamsi probabile sit propter eam rationẽ, Matthæi 5. per aduersarium intelligi hominẽ, tñ Lucę 12. nõ possumus intelligere nisi legẽ Dei, aut conscientiã; vnde Caiet. qui Matth. 5. exposuit de homine, Lucę 12. exposuit de cõsciẽtia.

De TERTIO, conueniunt omnes, iudicẽ esse Christum; nam Scripturæ passim hoc docent, & præcipuè Io. 5. *Pater omne iudicium dedit filio.*

DE QVARTO Ambrosius in c. 12. Lucę, & Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte, c. 21. intelligunt per ministros, Angelos bonos. Gregorius hom. 39. & Theophylactus in 12. Lucæ, intelligunt Dæmones, vtrumque est probabile.

De QVINTO, conueniunt similiter omnes carcerem esse infernum, in quo tñ multæ sunt mansiones, alię pro damnatis, alię pro his, qui purgantur; exstitit olim absurdissima hæresis Carpocratis, vt refert Irenæus lib. 1. c. 24 qui dicebat, debere vnumquemque exerceri in omni genere flagitiorum, & ideò animas à corpore, quasi à carcere abeuntes examinari à iudice; & nisi omnia flagitia patrassent, rursum remitti in aliud corpus tanquam in carcerem, & toties id fieri donec per omnia omnino flagitia trasissent, & hoc voluisse Dominum dicere cùm ait: *Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* sed absurdior est sententia, quàm vt refutari debeat.

De SEXTO conueniunt etiam ferè omnes, per nouissimum quadrantem intelligi minuta peccata, quadrans. n. est minima moneta; quod. n. Augustinus dicit, vltimum quadrãtem significare peccata terrena, quia terra est vltimum elementum, nimis durum, & coactum videtur, quia tamen nõ vult dicere Dñs, solùm quadrantem soluendum, sed totũ debitum vsq; ad vltimum quadrantẽ, dubium manet, an hæc solutio fiat in Gehenna, an in Purgatorio? Augustinus putat hic agi de pœnis æternis Gehennę, & ideò dicit, illud; *Donec reddas*, non significare certum tẽpus, sed æternitatem, sicut cùm dicitur Matt. 1. *Non cognouit eam donec pareret filiũ suum.* Et Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et 1. Corint. 15. *Oportet illum cœlum suscipere, donec omnia subijciantur pedibus eius.* Non enim licet colligere; ergo postquam Maria peperit, cognouit eã Ioseph, &c.

Alij, vt Albertus & Caietanus exponunt de Gehenna, & Purgatorio simul, vt sensus sit, si debitum erit insolubile, nunquã exibis, si erit solubile, exibis, cùm totum exactè solueris; alij intelligunt de solo Purgatorio, nempe ij, quos statim citabimus.

TERTIA hæc sententia est omnium verissima. Probatur PRIMO, quia hoc modo hunc locum intellexerunt vetustissimi Patres. TERTVLLIANVS libro de Anima, c 17. *Ille te in carcerem*, inquit, *mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Vbi nota, solùm esse manendum in carcere Purgatorij ad summum, vsque ad resurrectionem.

CYPRIANVS lib. 4. epist. 2. *Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam peruenire; aliud missum in carcerẽ non exire inde, donec soluat nouissimum quadrãtem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.*

ORIGENES homil. 35. in Lucam: *Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille, qui scribitur decem millia talenta debuisse, quanto tẽpore claudamur in carcere, non possum manifestè pronunciare: si. n. qui parũ debet non egreditur nisi exsoluat minutum quadrantẽ, vtiq; qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum secula numerabuntur.* Et in epist. ad Rom. *Quamuis*, inquit, *promittatur exeundum esse quandoque de carcere, tamen designatur non inde exiri posse, nisi reddat quisque nouissimum quadrantem.*

EVSEBIVS Emisenus homil. 3. de Epiphania: *Hi vero*, inquit, *qui temporalibus penis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde, donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuium igneum transibunt, &c.*

AMBROSIVS in c. 12. Luc. exponens hunc locum: *Quadrantẽ*, inquit, *in balneis dari solere reminiscimur, cuius oblatione, vt illic vnusquisque lauandi accipit facultatem; ita hic accipit eluendi. quia vnusquisque peccatum suprascriptæ generecondítionis eluitur, cum tamdiu exercetur noxius pœnis, vt commissi suppliciæ erroris expendat.*

HIERONIMVS in c. 5. Matth. *Hoc est*, inquit, *quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiã minuta peccata persoluas.* BERNARDVS serm. de obitu Huberti: *Illud*, inquit, *scitote, quia post hanc vitam in Purgatorijs locis centupliciter, quę fuerint hic neglecta, redduntur, vsque ad nouissimum quadrantem.*

Probatur SECVNDO, quia illud: *Donec soluas vltimum quadrantem*, non videtur rectè posse dici, nisi aliqñ fit futurus finis solutionis. neq; exempla beati Augustini satisfaciunt; nam cùm dr: *Non cognoscebat eam donec pareret*, non licet quidem inferre, ergo postea cognouit eam, sed inferre licet, ergo illa aliqñ paritura erat; similiter cùm dicitur: *Sede à dextris meis, donec ponam, &c.* rectè infertur, ergo aliqñ ponentur omnes inimici Christi sub pedibus eius; alioqui illud: *Donec*, ineptè diceretur; ita ergo cùm dicitur; *Non exies donec soluas vltimum quadrantem*, inferimus rectè, ergo aliquando soluet vltimum quadrantem, & consequenter exibit inde.

TERTIO probat ex fundamento & scopo ipsius parabolę; nã similitudo nõ est sumpta ab homicida, vel adultero, vel pditore, qui dãnantur ad mortẽ, vel ad perpetuos carceres, vel triremes, sed à debitore, qui non pp crimen, sed pp debitum pecuniarium conijcitur in carcerem donec soluat. solent autem huiusmodi homines ordinariè egredi post aliquod temp°, vt patet; itaque scopus parabolæ est, vt in hac vita componamus cum Deo, quando facilè impetramus remissionem pœnæ, peccatis nostris debitæ, nec

expectemus seculum futurũ,in quo seueriſſimè agetur.Atque hæc de iſto loco.

CAPVT VIII.

QVINTVS eſt Matth.5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio; q dixerit fratri ſuo racha,reus erit Concilio;qui dixerit fatue,reus,erit Gehennæ ignis.* NOTA, hic certum eſſe agi de pœna iniungenda in foro Dei,vt patet ex illo; *Reus erit Gehennæ ignis.* Vnde Auguſtinus lib.1.de ſerm.Dñi in mõte,c.19. exponit omnia tria de pœnis animarum poſt hanc vitam. Nota SECVNDO,certum etiam eſſe hic diſtingui tria genera peccatorum,& pœnarum,vt ibidem Auguſtinus exponit,& damnationem æternam ſolùm tribui tertio generi peccatorum,id eſt,criminibus:Alijs autem vtpotè leuioribus peccatis, pœnas leuiores, ac proinde temporales; ex quibus infertur, animas aliquas poſt hanc vitam puniri temporalibus pœnis.

DICES,at Chriſtus dixerat; Qui occiderit, reus erit iudicio: ergo reũ eſſe iudicio eſt damnari ad Gehenã; nam homicidium crimẽ lęthale eſt. RESPONDEO,cùm ait Dñs : *Dictum eſt antiquis;qui occiderit, reus erit iudicio,* loquitur de iudicio humano,& tẽporali,quo homicidia multantur morte temporali; nec enim lex vetus aliam mortem comminabatur homicidis, vt patet Exodi 21. Vult ergo Dominus dicere homicidiũ puniri morte in hoc mundo,at in alia vita commotionẽ iræ internam, etiamſi peccatum ſit veniale, puniri pęna quadam,tẽporali quidem, ſed quæ æquetur morti temporali; iram autẽ exterius prodeuntem puniri adhuc grauius; at verbum cõtumeliоſum,et multò magis homicidia,puniri morte ęterna.

DICES rurſum,eſto,hoc loco loquatur,Dominus de pœnis infligendis iudicio Dei, non tamen ſequitur in alia vita eſſe pœnas temporales; nam Deus in hac vita poteſt infligere huiuſmodi pœnas.

Reſpondeo PRIMO, ab Auguſtino alijsq; Patrib⁹ hunc locum intelligi de pœnis poſt hanc vitam. SECVNDO dico, ſaltem ex hoc loco poſſe deduci pœnas aliquas poſt hanc vitam purgatorias eſſe; nam hinc habemus quędam peccata non mereri niſi pœnam temporalem;ſed poteſt fieri,vt quis moriatur cum talibus peccatis,quia poteſt mori repentè,vel dormiẽs, ita vt nullum habeat ſpatium pœnitentiæ,ergo in alia vita purgabitur,alioqui vel ibit in cœlum aliquid coinquinatum, vel iniuſtè damnabitur ad pœnas æternas,qui non merebatur niſi temporales.

SEXTVS locus eſt Luc.16.*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt cum defecerittis,recipiãt, vos in ęterna tabernacula.* Per (*deficere*) intelligunt omnes mori, per (*amicos*) intelligunt ſanctos, qui cum Chriſto regnant, ex quibus ſequitur, homines poſt mortem iuuari precibus Sanctorum.

Sed qa poſſet aliquis dicere,hic agi de virtute eleemoſynæ,& ſenſum eſſe,eos qui eleemoſynas fecerũt, cùm moriuntur ſaluari pp opera illa bona quæ fecerunt; obſeruandum eſt, non hoc ſolùm velle Dominum, ſed ẽt velle poſt mortem iuuari animas precib. Sanctorum;nam PRIMO ad id cogunt verba illa:*Facite amicos, qui recipiant.* Nam eleemoſyna quę datur malis hominibus, bona tñ intentione, meritoria eſt,& tamen non facit amicos,qui poſſint recipere in æterna tabernacula; vnde Hieronymus libro contra Vigilantium in fine,dicit,hic Dominum hortari vt detur eleemoſyna potius bonis quàm malis,vt bonorum interceſſione ſaluentur qui eleemoſynas faciũt; ſimiliter Ambroſius in hunc locum, & Auguſtinus lib.21.de ciuit.Dei,cap.27. dicunt,hic per amicos intelligi ſanctos cum Chriſto regnantes,qui ſuis precibus nos iuuant, & iuuabunt cum mortui fuerimus.

SECVNDO,ad id nos cogit ipſa ſimilitudo;nam parabola ſumpta eſt à quodã œconomo, qui depoſitus ab officio, & egenus factus opem implorabat amicorum ſuorum: quod autẽ in appellatione parabolę deponi ab officio ſit mori,Dominus ipſe explicat.

Adde TERTIO, quod Auguſtinus lib.21. de ciuit. Dei,cap.27.ex hoc loco Purgatorium demonſtrat.dicit enim eſſe quoſdam tam ſanctos,qui rectà ad cęlũ euolant poſt mortem, & qui non ſolùm ipſi ſaluantur, ſed etiam alios iuuare poſſunt;rurſum quoſdam alios tam malos,qui nec ſeipſos iuuare poſſunt,nec ab alijs iuuari, ſed ad pœnas ęternas ſine remedio deſcẽdunt. Denique eſſe quoſdam medios,qui ita moriuntur, vt nec digni ſint morte æterna, nec tamen ſufficiant eis propria merita ad ſalutem, nimirum ſtatim recipiendam,& iſti ſunt,inquit, qui recipiuntur in ęterna tabernacula precibus amicorum.

Ad hunc locũ nihil rñdet Petrus Martyr,ſed obijcit ſibi noĩe Catholicorum ea quę ſequunt poſt hanc parabolam, aitq; nos aſſerere Epulonẽ fuiſſe in Purgatorio, cùm ab Abrahamo auxilium petijt, & hoc argm̃,quaſi noſter eſſet Achilles,operosè ſoluit,& ſimul inde deducit non poſſe animas iuuari à viuentibus;quandoquidem nec Abraham,nec Lazarus Epulonẽ iuuare potuerunt,& per locũ miratur,cur Epulo non petierit anniuerſaria & Miſſas pro ſe fieri.Sed Catholici ferè omnes Epulonem in Gehenna eſſe dicunt, proinde Petrus Martyr in ventum pugnat.

SEPTIMVS locus eſt Luc.23.*Memento mei dum veneris in regnum tuum;* Nunquã hoc diceret bonus ille vir à Spiritu ſancto edoctus,niſi crederet poſt hãc vitam poſſe remitti peccata,& auxilio animas indigere,& iuuari poſſe. Certè Auguſtinus lib.6.in Iulian. cap.5.hic probat aliqua peccata remitti poſt mortem.

OCTAVVS eſt Actor. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribꝰ. inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri eum ab illis.* Hunc locum ita intelligit B. Auguſtinus epiſt. 99.ad Euodium, & lib.12. Gen. cap.33.vt ſenſus ſit, Chriſtum cùm deſcendit ad inferos, multos liberaſſe à cruciatibus inferni, quod cũ non poſſit intelligi de damnatis,neceſſariò videtur accipiendum de ijs,qui purgabantur;quod etiam affirmat Epiphanius in hęreſi Tatiani,quę eſt vltima primi libri;dicit em Chriſtum, cùm deſcendit ad inferos, liberaſſe eos,qui per ignorantiam peccauerunt, nec tamen à Dei fide receſſerunt; & præter horum Patrum auctoritatem, probatur ex ipſis verbis Scripturę;nam illud: *Solutis doloribus inferni,* non poteſt intelligi de doloribus ipſius Chriſti,dolores enim Chriſti in cruce finiti ſunt, vt patet ex illis verbis Luc.23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Nec de doloribus damnatorum, vt patet, quia illi æternis ignibus addicti ſunt; nec de doloribus ſanctorum Patrum, illi enim nullos patiebantur dolores, vt Auguſtinus docet locis citatis.& Gregorius hom.22.Relinquitur igitur vt de doloribus animarum Purgatorij hoc loco agatur.

DICES;Græci nõ legunt ſolutis doloribus inferni, ſed ſolutis dolorib. mortis, τοῦ θανάτου non τοῦ ἅδου. RESPONDEO, nobiſcum facere PRIMO, vulgatam antiquam editionem Latinam. SECVNDO, Syriacã, quę ſimiliter legit: *Deus,* inquit, *excitauit illum,& ſoluit funes inferni.* TERTIO,antiquiſſimos Patres Græcos,& Latinos;nam B. Policarpus initio epiſtolę ſuę, citans hunc locum,ſcribit *ſolutis doloribus inferni.* Itẽ CYPRIANVS ſerm. de cœna Domini initio ad hunc locum reſpicies ait: *Sed volebat,* inquit, *pius Magiſter oſtendere impoſſibile eſſe ſuam animam ab inferno detineri.* EPIPHANIVS quoque & Auguſtinus ſine dubio ita legerunt. DENIQVE probatur ex verbis ſequentibus; nam probat Petrus id quod dixerat ex Pſal.15. *Non derelinques animam in inferno,nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*

NONVS locus eſt Philip.2.*Vt in nomine* IESV *omne*

genu

genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorũ. Vtitur hoc loco B. Augustinus lib. 12. de Gen. c. 33. quam per illud, infernorum, non improbabiliter accipiunt Dæmones. similis huic est locus Apoc. 5. *Quis dignus est aperire librum, & soluere septem signacula eius? & nemo inuentus est neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terrã.* Per eos qui sunt in cœlo intelliguntur Angeli, per eos qui in terra, hoïes iusti, per eos qui sub terra, non possunt intelligi nisi animę Purgatorij, nec enim id damnatis tribueretur; Patres autem qui fuerant in Lymbo iam liberati erant.

Vtuntur nostri hoc loco, sed tamen non vĩ multũ vrgere; nam probabile est intelligi per eos, qui sunt infra terram, Patres qui erant in lymbo, etsi enim quando Ioannes hæc scripsit Patres exierant ex lymbo, non tamen exierant eo tempore, quo loquitur; loquitur enim de tempore; quod præcessit Christi mortem; ideo enim subiungitur, *Vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, &c.* Christus enim morte sua aperuit mysteria libri vsque ad illam diem clausa; similiter quod affertur ex hoc eodem cap. 5. Apoc. vbi dicuntur creaturę quę sunt in cœlo, & in terra, & quæ subtus terram dedisse laudem Deo, non conuincit; nam possunt hic per creaturas intelligi res inanimæ, vt: *Ignis, grando, &c.* Quę in Psal. 148. ad Deum laudandum inuitantur, præsertim cùm Ioãnes addat etiam ea quę sunt in mari.

CAPVT IX.

Asseritur Purgatorium testimonijs Conciliorum.

SECVNDVM argm̃ sumitur ex Concilijs, & Ecclesiæ consuetudine; nam in primis quid Ecclesia Africana senserit, patet ex Concilio III. Carthaginensi, cap. 29. *Et Sacramenta altaris*, inquit, *non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, si autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat*; similia habes in Concilio IIII. Carthaginensi, cap. 79.

Idem sensit Ecclesia Hispanica, vt patet ex Concilio Bracarensi I. cap. 34. vbi iubet non orari pro illis, qui seipsos interimunt, & c. 39. vbi iubet diuidi inter Clericos oblationes factas, vt oraretur pro defunctis.

Idẽ Ecclesia Gallica, vt patet ex Concilio Cabilonensi, & habet de consecr. dist. 1. Canone Visum est: *Visum est*, inquit, *præterea, ut in omnibus Missarum solennibus pro spiritibus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprecetur.* Vide etiam Concilium Aurelianense II. cap. 14.

Idem sensit Ecclesia Germanica, vt patet ex Cõcilio VVormatiensi, cap. 10. vbi definitur, etiam pro suspensis in patibulo esse orandum, & sacrificandum.

Idem Ecclesia Italica, vt patet ex Concilio VI sub Symmacho, vbi dicitur sacrilegium, fraudare animas defunctorum orationibus, &c.

Idẽ Ecclesia Græca, vt patet ex Græcorũ Synodis à Martino Bracarẽsi Episcopo collectis, can. 69. Imò videntur aliqui Græci ẽt nimium voluisse iuuare animas defunctorũ, nã in Concilio VI. can. 83. reprehenduntur illi qui ijs, qui sine cõmunione sacra obierãt, sacram Eucharistiam in os ingerere conabantur.

Accedãt Cõcilia totius Ecclesiæ gñalia, Lateranense sub Innocentio III. c. 66. Florentinũ sess. vlt. in decreto de Purgatorio, & Tridentinũ sess. 25. in initio & oẽs Liturgiæ, Iacobi, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, &c. Nam in omnibus fit oratio pro defunctis.

Rñdet Petrus Martyr tripliciter loco notato. PRIMO: *Solet*, inquit, *nobis obiici, Ecclesiam semper pro defunctis orasse, quod quidẽ non inficior, sed asserο, istius facti neque uerbi Dei, neque exempli, quod desumitur ex sacris literis, auctoritatẽ habere. Facilè mouentur hoïes naturali quadam caritate impulsi, & amore in defunctos, ut illis bene cupiũt, & in aliquas preces pro eis erũpant, sed affectio hęc uehementior, uidendum est, ne fidei, & iustæ pietati aduersetur.* His verbis arguit totam Ecclesiam Martyr, quod sine testimonio Scripturę oret pro defunctis, & qđ id faciat ex vehemẽtiore affectu erga mortuos, quæ affectio fidei, & pietati repugnat.

PRIMAE parti accusationis satisfacit AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis, c. 1. *Adiungis*, inquit, *ua care non posse, q̃ uniuersa pro defunctis Ecclesia supplicare consueuerit.* Et infrà, approbãs hanc sniam B. Paulini, ad quẽ scribit: *In Machabæorũ*, inquit, *libris legimus oblatũ pro mortuis sacrificiũ, sed & si nusquam in Scripturis ueteribus omnino legeretur, nõ parua est uniuersa Ecclesię, q̃ in hac consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Deo ad eius altare funduntur, locũ suum habet ẽt commendatio defunctorum.*

SECVNDAE parti accusationis facilè respondetur; Nam quòd ex naturali affectu prorumpatur in preces pro caris defunctis, etiãsi quis putet, nihil eis prodesse, potest cõtingere in precibus priuatis, & quę ex tempore recitantur; at in solennibus precibus Ecclesiæ, quæ leguntur ex libro, & maturo iudicio compositæ sunt, & à Concilio Episcoporum approbatæ, quomodo potest id fieri?

TERTIAE parti satisfecit B. Paulus, cùm dicit: *Ecclesiam esse columnã & firmamentum ueritatis.* 1. Timoth. 3. nec non Augustinus, qui epist. 118. dicit, insolentissimæ insanię esse disputare contra id, qđ vniuersa Ecclesia facit. Denique ipsa rõ; nam si vniuersa Ecclesia potest verę fidei & iustę pietati aduersari, vt Martyr dicit, põt ergo tota Ecclesia ruere cõtra Christi prędictionem, Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vtrũ aũt credibilius sit, Ecclesiam vniuersam posse ruere, & Chrm, ac Paulum mentiri, an Petrũ Martyrem insolentissima insania laborare, cuiuslibet hominis, modò sani, appello iudicium.

SECVNDA solutio Martyris est, q̃ Ecclesia non oret pro defunctis, vt eos liberet à Purgatorio, sed vt memoriã eorum se habere testetur, & conseruet etiã quàm diutissimè potest. *Et alia causa*, inquit, *citra Purgatoriũ esse potuit, vt pro defunctis in Ecclesia preces fierent. Noluerunt enim defunctorum nomen, & memoriã facilè interire.* At AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis, c. 1. tractat quæstionem; An prosint animabus defunctorum preces Ecclesię, & dicit, prodesse illis, qui in hac vita non fuerunt valde mali, & qui meruerunt, vt sibi prodessent; nõ autem illis, qui fuerunt valde mali, & proinde nihil tale meruerũt: Proinde commentitia Petri Martyris solutio est.

TERTIA solo est, Ecclesiã fungi munere suo erga mortuos, ac si adhuc viuerẽt, & ideo precari illis id, qđ putat iã eos consequutos, qũo Chrs orauit pro Lazari excitatione, ẽtsi sciret, iã se accepisse qđ petebat; & Ambrosius in oratione de obitu Theodosij gratulat illi, q̃ iã cum Christo regnaret, & tñ ibidem orat pro illo, vt optatam requiẽ Deus illi concedat; & Epiphanius hęresi 75. dicit, orari etiam pro sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Martyribus.

RESPONDEO, si ita esset, Ecclesia oraret pro omnibus æqualiter, etiam pro Martyribus; At non ita facit; nam vt Augustinus dicit tract. 84. in Ioan. *Ideo in ipsam mensam non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, vt orent ipsi pro nobis.*

Neque videtur vllo modo conuenire, vt quis petat quod iam habet; & Christus cùm orauit pro Lazato, nondum acceperat qđ petebat, neque enim Lazarus adhuc resurrexerat. Aliud aũt est petere id, qđ scimus nos accepturos, aliud petere id, quod iam accepimus. Porrò AMBROSIVS sperabat, Theodosium iã esse in

cœlo,& ideo gratulabatur ei,& simul,quia non certò A scibat,an ita esset,pro illo orabat. EPIPHANIVS verò nusquã dicit, in Ecclesia orari pro sanctis, sed dicit, memoriã fieri in Ecclesia omnium defunctorũ fidelium tàm peccatorum,q̃ iustorum,& addit: *Peccatorum* quidẽ,vt illis à Deo misericordiam imploremus: *Iustorum* autem,vt eos à Christo separemus.

Separamus autem sanctos à Christo, nõ, vt Martyr dicit,quia pro sanctis oramus,nõ pro Christo,sed quia pro sanctis offerimus sacrificium gratiarũ actionis; Pro Christo aũt non offerimus, sed ipsi potiùs Christo cum Patre,& spiritu Sancto offerimus.quod intelligi potest ex Liturgia Græcorũ,de qua Epiphanius loquit,& quæ extat in 5. tomo Chrysostomi. ibi .n.fit commemoratio oĩum Sãctorũ,& dr: *Offerimus tibi Domine, sacrificium pro Patriarchis, Apostolis,* B *Prophetis,Martyribus,& præcipuè pro beatissima Deipara*; quòd autem hoc sacrificium non offeratur pro peccatis,sed pro gloria eorũ, patet: Nam statim subiungit Liturgia: *Quorum supplicationibus respice nos Deus.* & deinde oratio subiũgitur pro alijs defunctis: *Et memento*, inquit, *omnium fidelium defunctorum, qui dormierũt in spe resurrectionis,& quiescere eos facito, ubi uidetur lumen vultus tui*. Idẽ potest cognosci ex Augustino trac.84.ĩ Io. & ex Cyrillo Catechesi 5. Mystagogica, & ex nr̃a Liturgia, q̃ omnino talis est, qualem Cyrillus,Epiphanius,& August.describunt.

CAPVT X.

Asseritur Purgatorium testimonijs Patrum C *Græcorum & Latinorum.*

PRIMVS ex Patribus,CLEMENS lib.48.longam orationem describit pro defunctis fieri solitã. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia,c.7.par.3. *Accedẽs*, inquit, *deinde venerandus Antistes,precem sacram super mortuum peragit, precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto,eumq̃ in luce statuat,et regione viuorum.* ATHANASIVS q.34. ad Antiochũ,q̃rit, num animæ sentiant vtilitatem ex orationibus viuorũ. Respõdet,sentire omnino. BASILIVS in Liturgia instituit orationem pro mortuis.

GREGORIVS Nazianzenus in oratione in Cæsariũ D circa finẽ: inquit,*& nostras & eorum, qui quasi in uia paratiores prius ad hospitium peruenerunt, animas cõmendemus.* Ibidem orat pro anima eiusdem Cæsarij. EPHREM in suo testamento: *Assiduè*, inquit, *in uestris orationibus mei memoriam faciatis; etenim in vanitate,& iniquitate vitam peregi meam.*

CYRILLVS Catechesi 5. Mystagogica: *Deinque pro omnibus oramus,qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur.* OBSECRATIO *sancti illius,& tremẽdi sacrificij.* EVSEBIVS lib.4.de vita Constantini,dicit,eum voluisse sepeliri in celebri templo, vt fieret particeps multarum orationum. EPIPHANIVS in fine operis cõtra hæreses,numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem E pro defunctis,& hæresi 75. Aerium hæreticum facit, quia hoc negabat.

CHRYSOSTOMVS homil.41.in priorem ad Corinthios: *Iuuetur*,inquit,*mortuus non lachrymis,sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.* Et infrà: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* Hom.69. ad populum: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt,vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim inde multum illi contingere lucrum,utilitatem multam.* Idem hom. 32.in Mart.& 84.in Ioan.hom.3. in epist. ad Philip. & 21.in Acta Apostolor,ũ& alibi. THEODORETVS. lib.5. histor.c.26.scribit, Theodosium iuniorem procubuisse ad reliquias S.Ioãnis Chrysostomi, & orasse pro animabus parentum suorum Arcadij,& Eudoxiæ iam defunctorum.

THEOPHYLACTVS in cap.12.Luc. *Hoc autem dico,* inquit,*propter oblationes & distributiones,quæ fiunt defunctis,quæ non parum conducunt etiam ijs, qui in grauibus delictis mortui sunt.* Damascenus in libro de ijs, q̃ in fide migrarunt, probat hanc veritatem testimonijs multis Dionysij, Athanasij,Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, & aliorum. vide etiam Palladium in historia Lausiaca,c.41.

Veniamus ad Latinos. TERTVLIANVS in li.de corona militis,inter traditiones Apostolicas numerat suffragia ꝓ defũctis, & lib.de Monogamia vltra mediũ: *Pro anima*,inquit,*eius cõiugis defuncti,oret,& refrigerium interim adpostulet ei,* B *& in prima resurrectione cõsortiũ,& offerat annuis diebus dormitionis eius, nã hæc nisi fecerit, verè repudiauit quantum in ipsa est.* Idem lib.de exhortatione castitatis procul à medio.

B.CYPRIANVS lib.j.epi.9.*Episcopi*,inq t,*antecessores nostri cẽsuerãt, ne quis fratres excedẽs ad tutelã uel curã Clericorum nominaret,ac si quis hoc feciſſet, nõ offerretur pro eo, nec sacrificiũ pro dormitione eius celebraretur.* Et infrà: *Et ideo Victor cũ contrà formã nuper in cõcilio à sacerdotibus datã Geminiũ Faustinũ Presbyterũ ausus sit actorem constituere, nõ est,quod pro dormitione eius apud uos fiat oblatio,aut deprecatio aliqua.*

B. AMBROSIVS lib.2.epist.8. ad Faustinũ de obitu sororis: *Itaq;*,inquit,*non tàm deplorandã,quàm sequendam orationibus reor,nec mœstificãdam lachrymis tuis,* C *sed magis oblationibus animam eius Deo commendandam.* Vide etiam orationes de obitu Theodosij, de obitu Valentiniani, & de obitu Satyri, in quibus omnibus pro animabus prædictorũ Deo supplicat,& sacrificia se oblaturum pollicetur.

B.HIERONYMVS in epist.ac Pammachium de obitu Paulinę vxoris ante mediũ:*Ceteri mariti*,inquit,*sic per tumulos coniugum spargunt violas,rosas, lilia, flores q̃, purpureos, Pammachius noster sanctam fauillã, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, his pigmentis,atque odorib. fouet cineres quiescentes,sciens scriptũ:sicut aqua extinguit ignem,ita eleemosina peccatũ.*

B.PAVLINVS Nolanus in epistola ad eũdẽ Pãmachiũ laudat eũ,q̃ & corpori,& animæ vxoris defunctæ satisfecerit,corpori lachrymis, animæ eleemosy- D nis.Idẽ in epist.5. ad Delphinũ episcopũ cõmendans illi animam fratris sui: *Fac*, inquit,*vt orationibus tuis condonetur tibi, & vt illius animã de minimo sanctitatis tuæ digito destillans refrigerij gutta respergat.* Et in epist.sequenti,quæ est prima ad Amandũ, similia dicit, cõmendans eandem animã Amando Episcopo.

B.AVGVSTINVS de cura pro mortuis,c.2. *In Machabæorum*,inquit, *libro legimus oblatiũ pro mortuis sacrificiũ,sed & si nusquam in Scripturis veteribus legeretur,non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac cõsuetudine claret auctoritas,vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare fundũtur, locum suũ habet etiã commendatio mortuorum.* Et cap.4. *Cùm itaque re-* E *colit animus vbi sepultũ sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris uenerabilis, eidem Martyr animã dilectã commendat,recordantis & precantis affectus:qui cũ defunctis à fidelibus exhibetur,eum prodesse non dubium est.* Et infrà: *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum,quas faciendas pro omnibus in Christiana,& Catholica societate defunctis,etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia,ut quibus adista desunt parentes, aut filij,aut quicunque cognati,uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.* Vide eundem in Enchirid. capit. 110. libro 9. Confess. capit. 13. serm. de verbis Apostoli 17. & 34. lib.21.ciuitat. cap.24.tract.84. in Ioan.quæst.2.ad Dulcitiũ,ac demum

mum lib. de hæresibus, cap. 53. vbi propterea hæreticum facit Aerium, quòd negasset pro defunctis sacrificia offerenda.

B. Gregorius lib. 4. Dial. c. 55. *Multum*, inquit, *solet animas ēt post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare, ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorū aīæ expetere videantur.* Et c. 50. *Quos grauia*, inquit, *peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca conueniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt.*

Isidorus lib. 1. de officijs diuinis c. 18. *Nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibꝰ defunctis dimitti peccata, nō pro eorū spiritibus, vel eleemosynā faceret, vel Deo sacrificiū offerret.* Victor lib. 2. de perseq. Vandal. *Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes?*

Deniq; beatus Bernardus ser. 66. in Cantica, & Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, directè in hunc errorem scripserūt. Malachias apud Bern. *Nec parum spei mihi repositū*, inquit, *in illa die, qua defunctis tanta à viuis beneficia impenduntur.*

Sed operæ pretiū est audire quid ad hæc Caluinus, & Petrus Martyr rīdeant. Petrus Martyr rīdet, fe rè oēs patres in aliqua re erraſſe, & enumerat eorum errores. At errarūt in priuatis opinionib. quas alij refutarūt, ac simul omnes in vno errore conuenire non possunt, quin Ecclesia vniuersa erret, & pereat.

Calvinus aūt quatuor dicit, lib. 3. Instit. c. 4. § 10. Primo sic ait: *Ante mille & CCC. annos vsu receptū fuit, vt precationes fierent pro defunctis.* Et aliquot interpositis: *Sed oēs, fateor, in errorem abrepti fuerunt.* Certè ista Cōfessio sufficit ad Caluinum damnandū. Quō n. credibile est, Ecclesiam per annos mille trecentos in tàm crasso errore versatā, & nullum fuisse ex antiquis, qui restiterit, excepto Aerio, quē & nos, & Caluinistæ pro hæretico habemus?

Secvndo dicit, vetereſ oraſſe ꝓ mortuis, non vt eos iuuarent, sed vt oñderent erga eos piū affectū, & vt seipsos cōsolarent. At hoc mendaciū est; apertè. n. prēs citati dñt iuuari aīas, & distinguūt solatia viuorū ab auxilijs mortuorū, ac præsertim Augustinus in Enchirid c. 110. & lib. de cura pro mortuis, passim.

Tertio dicit, vulgus Christianorum cœpisse orare pro mortuis ex imitatione gentilium, Patres autē accommodasse opinioni se vulgariū, vt patet ex Augustino, qui in libro de cura pro mortuis, vbi præcipuè de hac re agit. *Ita dubiè, hæsitāter & frigidè disputat, vt suo frigore zelū extinguere possit pugnantiū pro Purgatorio; Qđ autē orauit pro matre, id fecit*, inquit Caluinus, *q.a anile votū matris nō examinauit ad Scripturas, & priuato quodam affectu oībus probari voluit.*

At hoc ēt mendaciū est; nā in primis nunquā fuerunt Patres diligentiores in Ethnicorū ritibus prohibendis, q̄ qñ multi Ethnici conuertebantur. Certè Tertullianus & Cyprianus seueriſſimi fuerunt castigatores oīs Ethnicæ superstitionis, adeò vt Tertullianus acerrimè reprehenderit Christianos milites, qui coronam gestarēt more militum Ethnicorum; & tñ ipſi ipſi ad orationem pro defunctis hortātur. Praeterea Patres non solùm non reprehendunt hunc vsum, sed ēt statuunt in suis Concilijs sic esse faciendum, hortantur vt sic fiat, ipſi exemplo suo præcedūt, ac demum multi eorum dicunt, hanc esse Apostolicam traditionem, & inter hæreticos numerāt Aerium contrarium sentiētem; quid amplius dicere poterāt? B. Avgvstinvs autem in libro de cura pro mortuis, c. 4. disertè dicit, non dubium esse quin iuuentur animæ, & in toto libro non est vna syllaba, quæ dubium vel insinuet, de quo Caluinus loquitur; quod verò vocat anile votum S. Monicæ, & B. Augustinum arguit, quod illud implere curauerit, nō est mirum; est n. familiare Caluino reprehēdere, & ridere sanctos.

Qvarto dicit, de Purgatorio autem adeò nihil asseruisse Patres, vt illud pro re incertā haberent. At hæc ēt est intoleranda impudentia, vel imperitia; nā in primis, ētsi nusquā nominassent Purgatorium, tñ satis intelligi poterat, q̄d Patres de eo sentirent ex eo, q̄ tàm perspicuē docent, animas quorondam fideliū egere refrigerio, & iuuari orationibus viuentium.

Deinde sunt apertissima loca in Patribus, vbi asserunt Purgatorium, quorum pauca quædam afferam. Gregorius Nyssenvs in oratione pro mortuis procul à medio: *Vel*, inquit, *in præsenti vita precibus sapientiæ q̄. studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatē.* Et infrà: *Non poterit*, inquit, *à corpore egressus diuinitatis particeps fieri, nisi maculas aīo immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Et infrà: *Alijs*, inquit, *post hāc vitā purgatorio igne materiæ labes abstergētib. &c.*

Ambrosivs in illud Psal. 36. Gladium euaginauerunt peccatores: *Etsi saluos faciet*, inquit, *Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamen salui quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen vremur. quomodo tamen alij remaneant in igne, alij pertranseant, alio loco uos doceat Scriptura diuina, nempe in mare ruhrū demersus populus est Aegyptiorum, transiuit autem populus Hebræorum, Moyses pertranſiuit, præcipitatus est Pharao, quoniam grauia eum peccata merserunt, ſeo modo præcipitabuntur sacrilegi in lacū ignis ardentis, &c.* Vide etiam eundem serm. 20. in Psal. 118.

B. Avgvstinvs lib. 21. ciuit. Dei, cap. 16. loquens de infantibus baptizatis morientibus: *Nō tantum pœnis*, inquit, *non præparatur æternis, sēd nec vlla post mortem purgatoria tormenta patitur.* Et cap. 24 loquens de adultis fidelibus, qui tamen cum leuibus peccatis decedunt: *Tales*, inquit, *constat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, æterni ignis supplicijs non tradendos.* Idem hom. 16. ex lib. 50. homiliarum: *Qui temporalibus pœnis, inquit, digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt; de quo Apostolus inquit, saluus erit sic tamē quasi per ignem.* Et lib. 2. de Genes. contra Manich. c. 20. *Qui forte ægrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionē terræ suę in omnibus operibus suis. & post hāc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Denique in Psal. 37. *Quia dicitur*, inquit, *saluus erit, ille ignis contemnitur, ita plane quamuis saluus per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.*

Quare cùm D. Augustinus lib. 21. ciuit. Dei, c. 26. & in Enchirid. c. 69. dicit posse dubitari, & quęri, an post hanc vitam animæ torqueātur purgatorio igne: non dubitat de pęna animarum, sed de modo & qualitate; nā in priore loco solùm dubitat, an ignis purgatorius sit idem in substantia cum igne Gehennæ, de quo dī Matth. 25 *Ite in ignem æternum.* In posteriore aūt dubitat, an post hanc vitam vrentur animę igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic vri solent, cùm rebus valde dilectis carere coguntur.

B Hieronymvs in fine commentarij in Isaiam: *Sicut*, inquit, *Diaboli, & omnium negatorum, atq; impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementia sententiam iudicis.*

B. Gregorius lib. 4 Dialogorum, c. 39. *De quibusdam*, inquit, *leuibus culpis esse ante iudicium, purgatorius ignis credendus est.* Et in Psalmum tertium pœnitentialem in ipso initio. *Scio*, inquit, *futurum esse, ut post huius uitę exitum, alij flammis expientur purgatorijs, alij sententiam æternę subeant damnationis.*

Origenes homil. 6. in Exodum: *Qui saluus*

fit inquit, *per ignem saluus fit, vt si quid fortè de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat, vt efficiantur omnes aurum purum.*

Greg. NAZIANZENVS oratione in sancta lumina, circa finem: *In altero suo*, inquit, *igni baptizabuntur, qui postremus est Baptismus, nec solum acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur, viuiq; leuitatem assumit.*

BASILIVS in c. 9. Isaiæ: *Si igitur per cõfessionẽ*, inqt, *detexerimus peccatũ, iã succrescẽs gramen arefecimus, dignũ planè qđ depascatur ac deuoret purgatorius ignis.* Et infrà: *Non omnimodã*, inquit, *internecionẽ, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, iuxta Apostoli sniam. ipse autem saluus erit quasi per ignem.*

EVSEBIVS Emyssenus hom. 3. de Epiphania: *Hæc pœna*, inquit, *infernalis illos manebit, qui amisso, & non seruato Baptismo in æternum peribunt; hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per fluuium igneum, per vada feruentibus globis horrenda transibunt.*

THEODORETVS in scholijs Græcis in 1. Corint. 3. *Hunc ipsum ignem purgatorium credimus, in quo aiæ defunctorum probantur, & repurgantur, sicut aurum in constatorio.* OECVMENIVS in eundem locũ: *Saluabitur & ipse quoque, non tamen citra dolorẽ, vt par est, eum, qui transit per ignem, & à concretis leuioribus maculis expiatur.* TERTVLLIANVS lib. de anima, cap. 17. *In carcerem te mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* CYPRIANVS lib. 4. epist. 2. *Aliud est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, & emẽdari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.*

HIERONYMVS lib. 1. contra Pelagianos vltra medium: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dixit non esse perdendas, & Diabolo tribuit pœnitentiã: quid ad nos, qui Diabolũ, satellites eius, omnesq; impios & ꝓuaricatores dicimus perire ꝑpetuò, & Christianos, si in peccato prœuenti fuerint, saluandos esse post pœnas?* PAVLINVS epist. 1. ad Amandũ: *Ob hoc impensè rogamus, vt quasi frater orandi labores conspires, vt misericors Deus refrigeret animã eius stillicidijs misericordiæ suæ per orationes vestras, &c.* BOETIVS lib. 4. Prosa 4. *Nulla ne supplicia animarum post defunctum morte corpus relinquis? & magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clemẽtia exerceri puto.* ISIDORVS lib. 1. de diuinis officijs, c. 18. *Nam & cùm Dominus dicit: Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro, demonstrat quibusdam illic dimittenda esse peccata, & quodam purgatorio igne purganda.*

BEDA in Psal. 37. *Quidam*, inquit, *committũt quædam peccata venialia grauiora & leuiora, & ideo necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne; nũc interim ante diem iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandẽ idonei esse cum his, qui in dextra coronandi sunt, inueniantur.* Ibidem dicit, hunc ignem grauiorem esse pœnis latronum, martyrum, &c.

Petrus DAMIANVS in serm. 2. de S. Andrea: *Non tibi blandiaris si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.*

ANSELMVS in 1. Cor. 3. *Nã de quibusdam leuibus culpis esse ante corporũ resurrectionẽ, purgatorius ignis credẽdus est.* Et ibidẽ asserit esse grauissimam pœnam.

BERNARDVS serm. de obitu Humberti: *Volat fratres irreuocabile tẽpus, & dum creditis vos cauere istam pœnam minimam, incurritis ampliorem: Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgatorijs locis centuplicitèr, quę fuerint hic neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem. scio ego quàm durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentiũ pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, & multò durius erit futuras molestias tolerare.*

LACTANTIVS lib. 7. c. 21. *Quorũ peccata põdere aut numero ꝑualuerit, ꝑstrigẽtur igne atq; amburẽtur, etc.*

HILARIVS in Psal. 118. in illud: Concupiuit anima desiderare iudicia iustitiæ tuæ: *Nobis*, inquit, *est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia.*

CAPVT XI.

Idem asseritur ratione.

ARGVMENTVM QVARTVM ex rationibus. PRIMA ratio; Quędam peccata sunt venialia, solaq; temporali pœna digna. At fieri potest, vt cum solis talibus homo decedat ex hac vita, igitur necesse est, in alia vita posse purgari.

Esse aũt quædã peccata venialia, probatur ex Iacobo, qui sic ait, Iacobi 1. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua; concupiscentia cũ cõceperit, parit peccatum; peccatũ cũ consummatũ fuerit, generat mortẽ.* Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neq; locum hic habet distinctio hæreticorũ de imputatione; nam Iacobus explicat processum peccati ſm se, ac docet post tentationẽ concupiscentiæ, quæ sine pctõ esse põt, continuò sequi peccatũ, si quis nõ caueat; nã ex concupiscentia oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatũ est, non tñ mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus, ideo. n. subiungit: *Peccatum verò si consummatũ fuerit accedente nimirum pleno consensu, generat mortem.*

Præterea 1. Cor. 3. *Qui superædificat ligna, fœnum, stipulas, saluus erit quasi per ignem.* Hic describit̃ veniale ex leuitate materiæ, & qũocunq; intelligamus verba Apostoli siue de hac vita, siue de alia, siue de doctrina, siue de oĩbus operibus necessariò cogit̃ exponere per ligna, fœnum, stipulas, peccata venialia, qñquidem qui ista habet, saluatur quasi per ignem.

AVGVSTINVS lib. 83. q. 26. *Alia*, inquit, *sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ; infirmitas cõtraria est virtuti; imperitia sapientiæ; malitia bonitati; quisquis igitur nouit, quid sit virtus, & sapientia Dei, potest existimare, quę sint venialia peccata; & quisquis nouit, quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic et in futuro seculo, quibus bene tractatis, probabiliter iudicari potest, qui non sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam & lamentabilẽ, quamuis peccata fateantur, & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo. spiritum contribulatum per pœnitentiam.*

Probatur VLTIMO ratione; nã intelligibile nõ est, qũo verbũ ociosum ex natura sua dignum sit perpetuo odio Dei, & sempiternis flammis: hic. n. in terris stultissimus haberet̃, qui ob leuissimã offensionẽ amici, nec malo aĩo factã, nollet amplius esse amicus, imò vsq; ad mortẽ persequeretur eum, quẽ amicum paulò antè habuerat; maneat igitur, quædã esse peccata venialia, ac sola pœna temporali digna. Quod aũt cum eiusmodi peccatis aliqui interdũ de hac vita migrẽt, ac proinde in alia vita purgatione temporali egeant, probatur hoc mõ. Potest quis dũ moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte nõ põt: præterea cũ *septies in die cadat iustus:* vt dr̃ Prou. 24. & multi moriãtur repentè, quomodo credibile est non mori aliquos cũ peccato veniali? Hæc est igitur prima ratio.

SECVNDA rõ, Cùm reconciliant̃ Deo peccatores, non dimittit̃ semper cũ pctõ tota pœna tpalis: at põt fieri, & sæpè fit, vtĩ tota vita aliqs nõ satisfecerit plenè ꝑ tpali illa pęna: ergo necessariò statui dẽt Purgatoriũ. ꝓbaf̃ maior ꝓpositio breuiter: nã alibi ex professo probabit̃ 2. Reg. 12. cùm Dauid dixisset: *Peccaui Domi-*

Domino ait Propheta: *Deus quoque transtulit à te iniquitatem, sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi morte morietur.* Nu. 12. Cùm Maria murmurasset contra Dominum, punita est morbo leprę: orante autem pro ea Moyse, dimissa est ei culpa, & tamen pœnam voluit Deus vt illa lueret per vnam hebdomadam.

Ad hæc & similia respondet Caluinus lib. 3. Inst. cap. 4. §. 31. duo esse genera flagellorum Dei; quædã enim sunt propriè pœnæ, & infligntur à Deo vt iudice in vindictam peccatorum præteritorum, vt iustitię satisfiat; quædã autẽ sunt castigationes, quæ infliguntur à Deo vt patre, non in vindictam peccatorũ præteritorum, sed ad futurorum remedium, nimirum vt homo admoneatur flagello, ne iterũ facilis sit ad peccandum. Primum genus, inquit Caluinus, ad solos inimicos pertinere, secundũ ad solos amicos; & proinde cùm non sint istæ pœnæ ex iustitia luendæ, non esse opus vt maneat earum debitum post mortem, quando non est periculum recidendi in peccatum.

A T frustrà laborat Caluinus; nã etsi fatendum est flagella iustorũ esse ẽt paternas castigationes, & remedia contra peccata futura, tñ simul est agnoscenda vera pœna & satisfactio debita culpæ præteritæ ex iustitia. q̃ sic probatur; nam inprimis 2. Reg. 12. exprimitur caussa cur puniretur Dauid, & non dr̃: ne iterũ pecces, sed: *Quia blasphemare fecisti nomẽ Domini.*

Deinde mors est vera pœna peccati originalis, & eam luunt homines iusti, non vt abstineant à peccato, sed vt satisfaciant iustitiæ diuinæ: q̃ patet, quia nõ est inflicta à Deo post peccatũ, vt sunt castigationes paternæ, sed est lege statuta ante peccatum tanquam pœna peccati, & eadem perseuerat post peccatum & peccati remissionem, vt patet Genes. 2. *Quacunq; die comederis, morte morieris.* Et Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt.* Et Rom. 6. *Stipẽdium peccati mors.* Et Caluinus ipse lib. 2 Instit. c. 1. §. 8. apertè confitetur, mortem veram esse peccati pœnam; denique quomodo potest esse mors flagellum paternum ad peccatum cauendum institutum? Qui enim moritur, non potest amplius emendari.

Præter mortem istam communem, quæ est pœna peccati originalis, habemus alia exẽpla in Scriptura eorum, qui puniti sunt morte violenta, cùm eis remissum esset peccatum, cùm tamen mors non possit esse paterna castigatio in remedium peccati futuri; nam Exod. 32. Deus pepercerat populo orante Moyse, & tamen Moyses in vindictam peccati iussit occidi multa millia de populo sine vllo delectu. & similiter Nu. 14. Cùm populus murmurasset, & Deus placatus à Moyse fuisset, plurimi tamen in deserto perierunt. Incredibile est autem ex tot millibus nullum fuisse quem delicti pœnituerit. 3. Reg. 13. Propheta Domini quia inobediens fuit voci Domini, à leone extinguitur, iuxta quod ei ab altero Propheta prædictum fuerat, & tñ vt intelligeremus ei culpam antea remissam fuisse, & sanctè illum obijsse, neq; eius cadauer, neque iumentum, quo vectus fuerat leo tetigit, sed vtrumque potiùs custodiuit, donec venerunt qui eũ sepelirent; Denique 1. Cor. 11. dicitur: *Ideò inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi.* vbi, vt exponunt Ambrosius & alij, Apostolus indicat in primitiua Ecclesia multos eorũ qui indignè cõmunicabant, morte à Deo punitos fuisse, quibus tñ culpam antea remissam patet ex eo quod Apostolus subiungit: *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

His accedant duo clarissima B. AVGVSTINI testimonia. Primum est tract. 124. in Ioan. *Cogitur homo tolerare ẽt remissis peccatis, quamuis, vt in eam veniret miseriã, primum fuerit causa peccatũ, productior est. n. pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa si cũ illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationẽ debitæ miserię, vel ad emendationẽ labilis vitæ ad exercitationẽ necessariæ patientiæ, tẽporaliter hoẽm detinet pœna ẽt quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Secundum est in Psal. 50. *Veritatẽ*, inquit, *dilexisti. hoc est, impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis dimisisti, sic prærogasti misericordiam vt seruares & veritatem, ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti, sic seruatur misericordia, & veritas.*

Probatur iam assumptio huius argumenti; nã multi qui plurima peccata commiserunt, in articulo mortis conuertuntur, qñ nullam possunt agere pœnitentiam; ex quo certè illud sequitur, vt post hanc vitam satisfacere debeant. Respondent in morte deleri omnia. CONTRA: nã mors est pœna peccati originalis, & ideò communis omnibus etiam infantibus, ergo pro actualibus debet inueniri alia pœna. Præterea Deus iniustè ageret, nec videret habere prouidentiã rerum nostrarum, si vna & eadem pœna, id est, naturali morte puniret peccata magna & parua, multa, & pauca.

TERTIA ratio sumitur à communi opinione omnium Gentium: id enim confitent Hebræi, Mahumetani, Gẽtiles, ijque tam Philosophi, quàm Poetæ. De HEBRAEIS patet ex lib. 2. Machabæorũ, c. 12. nã saltem fides adhibẽda est ei libro quæ adhibetur Liuio: præterea Iosephus filius Gorionis in libro de bello Iudaico, cap. 19. indicat Iudæos consueuisse orare pro mortuis; non tamen pro illis qui se interimunt.

De MAHVMETANIS patet ex Alcorano, vbi Purgatorium disertè confitentur. De ETHNICIS patet ex Platone in Gorgia, & Phædone: ex Cicerone in somnio Scipionis in fine: & Virg. 6. Æneid. *Ergo exercentur pœnis, veterumq. malorum supplicia expendunt.* & ex Claudiano lib. 2. in Ruffinum circa finem:

Quos vbi per varios amnes, per mille figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, &c.

Neq. dicat aliquis hos potiùs argumentum esse erroris, & fabularum, quandoquidẽ id sentiunt Ethnici, & Mahumetani: nã illa in quibus omnes ferè nationes conueniunt, vix possunt aliunde prouenire, q̃ à naturali lumine omnibus hominibus cõmuni. quæ enim sunt excogitata & conficta ab hominibus, varia sunt, & diuersa pro Gentiũ varietate. sicut ergo Deũ esse, in quo oẽs nationes conueniunt, dicimus verissimũ esse, nec tñ recipimus in particulari Deos varios & multiplices, quos sibi quælibet natio fabricauit: & sicut post hanc vitam esse pœnas, & præmia, in quo ẽt conueniunt omnes, recipimus, vt verum, nec tñ recipimus varias fabulas, quibus hoc explicant (nam esse pœnas, & præmia post hanc vitã docuit omnes hoẽs cognitio diuinæ prouidentiæ, fabulas autẽ ex se finxerunt) ita ẽt Purgatorij confessionem, in qua omnes ferè Gentes conueniunt, oportet dicere esse confessionem luminis naturalis; eiusdem enim prouidẽtiæ diuinæ cognitio docuit Purgatoriũ, quæ docuit infernum, & paradisum, saltem generali & confuso quodammodo, quia nimirum videmus pœnas, & præmia ita distribui in hac vita, vt plura bona habeant mali, & plura mala boni, vt plurimum: inde iudicamus diuinã prouidentiam in aliam vitã distuliss iudicium, & veram distributionem præmiorum & pœnarum.

Rursum videmus ex ijs, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos; alios valde malos, alios mediocriter bonos, & mediocriter malos: quocirca iudicamus naturali lumine esse post hãc vitam pœnas æternas pro valde malis, præmia ęterna pro valde bonis, ac pœnas temporarias, & per eas transitum ad præmia pro ijs qui sunt mediocriter mali, vel boni. hanc rationem sequutus est Plato, & alij, qui solo lumine naturali præditi Purgatorium esse confessi sunt.

QVARTA ratio sumitur ab apparitionibus animarum, quæ se in Purgatorio esse renunciauerunt, atque opem à viuis implorauerunt, quas apparitiones cùm viri grauissimi retulerint, non immeritò veras fuisse credimus, rideat licet Lutherus, & Magdeburgenses. S. GREGORIVS lib. 4. Dialog. cap. 40. scribit de anima Paschasij, quæ in Thermis Puteolanis apparuit S. Germano Episcopo, & eius precibus liberata est. & cap. 55. scribit aliud simile exemplum; & præterea de quodã Monacho suo, pro quo triginta Missas ipsemet Gregorius dici iussit, & ex eius apparitione didicit liberatum.

Gregor. TVRONICVS lib. de gloria Confess. cap. 5. scribit, B. Martino S. virginem quandã nomine Vitalinam, iam defunctã significasse, sed adhuc in purgatorio degere ob leue quoddam peccatum, ac paulò pòst precibus eiusdem sancti Martini liberatam.

Petrus DAMIANI in epistol. ad Desideriũ scribit, B. Seuerinum Coloniẽsem Episcopum apparuisse cuidam Presbytero eiusdẽ Ecclesiæ, eique significasse, se adhuc in Purgatorio grauiter torqueri, quòd horas canonicas nõ distinctis temporibus persoluisset, sed mane omnes horas simul coaceruasset, vt tota die negotijs Imperialibus liberius vacare posset.

BEDA lib. 3. hist. Anglorum, cap. 19. scribit, beatum Fursæum à mortuis resurgentem narrasse multa, quæ vidit de purgatorijs pœnis, & lib. 5. cap. 13. refert mirabilem visionem cuiusdam Diethelmi, qui similiter mortuus, & postea reuiuiscens, mira narrauit de inferno, purgatorio & paradiso, & vita eius sequens, ac fructus spiritualis, quem in alijs multis operatus est, testabatur, veram fuisse visionem.

S. BERNARDVS in vita B. Malachiæ refert, beato Malachiæ sororem eius defunctam non semel apparuisse, cùm adhuc in purgatorijs pœnis degeret, & tandem frequenti Eucharistiæ ad Deum oblatione liberatam, & lib. 1. vitæ beati Bernardi, cap. 10. refert Guglielmus Abbas, qui vitam sancti Bernardi scripsit, ipso adhuc viuente, apparuisse aliquando beato Bernardo vnum ex defunctis Monachis, in Purgatorio laborantem, & precibus, ac sacrificijs viri sancti paulò pòst liberatum. quod exemplum ipsum beatum Bernardum narrare solitum scribit auctor eius vitæ.

Libro primo vitæ B. Anselmi similiter legimus, B. Anselmum annum integrum institisse sacrificijs quotidianis, & tandem apparente sibi amico defuncto, pro quo tamdiu orauerat, didicisse eum de Purgatorio liberatum. plura similia legi possunt apud Vincentium lib. 23. speculi historialis, in reuelationibus B. Brigittæ, & in vita Christinæ mirabilis: sed quæ attulimus, sunt magis authentica.

Respondent Magdeburgenses, esse fabulas. At nec est credibile, tàm sanctos viros decipere voluisse, neque etiam ipsos deceptos fuisse, cùm haberent spiritum discretionis, & essent amici Dei.

VLTIMA ratio esse potest, quia ista opinio, quæ tollit purgatorium, nõ solùm est falsa, sed etiam pernicios: siquidem homines socordes facit in peccatis cauendis, & bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum esse purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in ijs, qui moriuntur cum fide, facilè dicet apud se; Quorsum ego laboro in ieiunijs, precibus, continentia, eleemosynis? Cur fraudo cor meum delicijs & voluptatibus? quandoquidem in morte siue pauca, siue multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat, remanere præter Gehennam, ignem acerrimum Purgatorij, & quidquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera ibi diluendum, certè diligentior, cautiorque euadit.

CAPVT XII.

Soluuntur argumenta ex scripturis.

SVPEREST argumenta aduersariorum soluere, quæ partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex naturali ratione sumuntur.

PRIMA obiectio, Psal. 126. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini;* non igitur Purgatorium intercedit inter mortem fidelium, & cœlestis hæreditatis consequutionem.

RESPONDEO, tractat Psalmus de generali resurrectione, vt S. Augustinus rectè exponit: & hic est sensus eorum verborum; Cùm dederit dilectis suis somnum, id est, cùm dormierint per corporalẽ mortem omnes electi, ecce hæreditas Domini, id est, continuò tunc apparebit hæreditas Christi, resurgẽtibus in gloria omnibus eius electis, quæ hæreditas est etiã merces eiusdẽ Christi, qui passione & morte sua nos acquisiuit. Itaque idem est hæreditas & merces, idẽ filij, & fructus ventris; filij enim Dei per adoptionẽ sunt hæreditas Domini; & ijdem filij, qui & fructus ventris appellantur, sunt eiusdem Domini merces. Adde quod in textu Hebraico, quem aduersarij Latino præferunt, non habetur, cùm dederit, sed, sic dabit יִתֵּן Proinde ruit vis tota argumenti, non enim exprimitur, quando aduenier hæreditas Domini.

SECVNDA obiectio, Ecclesiastæ 9. *Quodcunq; facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Videtur enim Sapiens his verbis significare voluisse, nullum esse remedium in alio seculo.

RESPONDENT aliqui, hæc dici à Salomone in persona impiorum, qui nõ modò Purgatorium, sed etiã Gehennam tollunt, & nihil omnino esse credũt præter hanc vitam. Alij docent, Salomonẽ ad eos loqui, qui otiosè & flagitiosè viuunt, & ad Gehennam recta proficiscuntur: quo in loco verissimum est, nullũ esse remedium vel solatium. vtramque expositionem attingit S. Hieronymus in commentario. At sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. accõmodat hæc omnia satis aptè ad eos etiam, qui ad Purgatorium deducuntur; nam soli illi purgari possunt, & precibus viuẽtium iuuari, qui dum hic viuerent, id meruerunt bonis suis operibus, vt in alia vita iuuari possent; quare omnes debẽt in hac vita quidquid possunt boni peragere, quia in alia vita non iuuabuntur, nisi per ea, quæ hic gesserunt, meruerint, vt iuuari possent.

TERTIA obiectio, Ecclesiastæ 11. *Si ceciderit lignum ad Austrũ, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Non igitur, inquiunt, datur tertius locus, id est, Purgatorium, vnde aliquãdo exeundũ sit.

RESPONDEO, ad literam Sapientem loqui de morte corporali, ac velle dicere, ita homines necessariò morituros, & cùm mortui fuerint, per se nunquam surrecturos, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit, & ibi manet, ac putrescit, vbi cecidit. si tamen velimus hæc ad statum animæ accommodare, tum dicendum erit, eos qui ad Purgatorium pertinent, ad Austrum cecidisse, id est, ad statum salutis æternæ, & in eo statu salutis perpetuò permansuros: vel certè dici potest, per Austrum gloriam cœlestem, per Aquilonẽ Gehennam intelligi, sed nõ omnes cadere ad Austrum, aut ad Aquilonem. PORRO hunc locum nihil officere assertioni Purgatorij, ex eo etiam intelligi potest, quod si Purgatorij assertioni officeret, officeret etiam assertioni eius loci, ad quem sancti Patres ante Christi aduentum descendebant, siue is locus sinus Abrahæ, siue limbus Patrum, siue infernus nominetur; cõstat enim Patres in eo loco non mansisse perpetuò. Vide Hieronymum

in

in commentario, & Bernardum serm. 49. ex paruis.

QVARTA obiectio, Ezechielis 18. *Cùm auersus fuerit impius ab impietate suæ, omnium iniquitatum eius non recordabor.* At quomodo, inquit Petrus Martyr, non recordatur Deus iniquitatum amicorũ suorum, si eas tàm seuerè in purgatorio punit?

RESPONDEO dupliciter. Primo, nõ recordari iniquitatum, nihil aliud esse, q̃ non seruare inimicitiam cum eo, qui peccauit; nam si recordari iniquitatum, esset punire mala merita, recordari iustitiarum esset remunerari bona merita. At non concedunt aduersarij, recordari iustitiarum, esse remunerari bona merita, ne videlicet merita iustorum admittere cogantur, igitur neque debent concedere, recordari iniquitatum, esse punire iniquitates; nam Ezechiel eodem modo de iustitia & de iniquitate loquitur.

SECVNDO responderi potest, recordari iniquitatũ esse quidem punire, sed punire in æternum; nã cùm ibidem legimus, si iustus auertit se à iustitia, omnes iustitię eius non recordabuntur: cogimur ita exponere, vt dicantur iustitię tradi obliuioni, non q̃ non remunerentur temporali aliquo præmio, sed quòd non liberent hominem à Gehenna, nec remunerẽtur præmio sempiterno; nã alioqui opera bona impiorũ nõ fraudari temporali mercede, docent Patres, Chrysostomus homi. 67. ad populum Antiochenum, Hieronymus in c. 29. Ezechielis, Augustinus lib. 5. de Ciu. Dei, c. 15. & Gregor. hom. 40. in Euangelia, & colligitur ex illis verbis Luc. 16. *Recepisti bona in vita tua.*

QVINTA obiectio Matth. 25. Duo solùm ordines hominum inueniuntur. alijs. n. dicitur: *Venite benedicti.* Alijs. *Ite maledicti* Item Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Deniq; Ioan. 3. *Qui credit, non iudicatur; qui non credit, iam iudicatus est. Non igitur*, inquit *Brentius, locus vllus remanet Purgatorio, cùm duo solum sint loca post hanc vitam.*

RESPONDEO, in extremo iudicio, de quo agitur Matt. 25. rectè duos tm̃ fieri ordines, quia tunc Purgatorium finem accipiet, ac deinceps duo tantùm loca remanebunt. Paradisus, & Gehenna. Porrò, qui credit, saluus erit, & non iudicatur, i. non condemnatur, modò etiã addat cetera quæ requiruntur; fides. n. ex se iustificat, & saluat, si aliunde non sit impedimẽtum, quẽadmodum dicere solemus, ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet, nó desint calor solis, humor aquarum, & si qua alia requiruntur; neq; continuò quasi saluus erit per fidẽ, sine Purgatorio saluus erit, multi enim saluantur, si tamen quasi, per ignem, vt supra ex Apostolo demonstrauimus.

SEXTA obiectio, Lucæ 23. Latroni in extrema hora conuerso dicitur à Christo: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Non ergo, inquiunt Petrus Martyr, & Bernardinus Ochinus, remanebit Purgatorium pro ijs, qui in hac vita non egerunt pœnitentiam. RESPONDEO, mortem illam durissimam patientissimo animo toleratam, & confessionẽ tàm admirandam eo tempore, quo Christum Apostoli ipsi negabant, potuisse iustè in plenam satisfactionem reputari. Adde q̃ priuilegia paucorum legem non faciunt.

SEPTIMA obiectio, Rom. 8. Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.

RESPONDEO, Paulum eo loco disputare de concupiscentia, ac velle dicere, ij, qui sunt in Christo Iesu, & eius gratia muniti, non consentiunt motibus carnis suę, nihil peccati contrahere ex eiusmodi motib⁹. Itaque hic locus non Purgatorium oppugnat, sed hæresim aduersariorum, qui vera peccata esse volunt, eos etiam motus, quos interdum iustus sentit, licet eis non consentiat.

OCTAVO obiecto 2. Cor. 5. *Si domus terrenæ nostræ habitationis dissoluitur, habemus domum non manu factam, æternam in cœlis*; rectè igitur post mortem sine vllo Purgatorio pij homines transferuntur in cœlum.

RESPONDEO, B. Paulum id solùm asserere, patere domum cœlestem post mortẽ, non patere ante mortem: q̃ autem continuò omnes pij transferantur ad cœlum post mortẽ ipsum non dicere, sed contrarium potiùs indicare, cùm ait: *Si tamen vestiti & non nudi inueniamur.* Significat enim his verbis, eos, q̃ meritis & virtutibus vestiti sunt, ac proinde perfectã pœnitentiam in hac vita egerunt, mox in domum cœlestem deduci; alios autem saluari quidem, sed sic tamen, quasi per ignem, vt ipse idem ait, 1. ad Corin. 3.

NONA obiectio, 2. Cor. 5. *Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* At si post hanc vitam peccata remitterentur, & locus esset purgationi, certè non reciperet vnusquisque prout gessit in corpore.

RESPONDEO, verissimam esse beati Pauli sententiam; nam etiã illi, qui remissionis & purgationis locum inueniunt in futuro seculo, nihil recipiunt, nisi quod gesserunt in corpore; id. n. meruerunt perseuerando in fide & caritate vsque ad mortem, vt ẽt post mortem purgari & iuuari possent; qua ratione etiam sancti viri post mortem, etsi nihil propriè mereantur, tm̃ impetrant à Domino quicquid postulant, qm̃ id meruerunt in hac vita rectè viuendo, vt etiam post hanc vitam à Domino exaudirẽtur. Vide hoc ipsum, quod nos docemus, apud Dionysium libro de Ecclesiastica hierarchia, c. vlti. parte 3. apud Augustinum libri Enchiridij, c. 110. & libro de cura pro mortuis, c. 1. & apud Gregorium lib. 4. Dialogorum, cap. 39. Atque ad eundem modum intelligenda sunt illa: *Reddet vnicuique secundum opera sua*, Roman. 2. Et illa: *Vnusquisque onus suum portabit.* Et: *Quæ seminauerit homo, & hæc metet*, Gal. 6.

DECIMA obiectio, Apocalypsis 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* At pij omnes in Domino moriuntur, omnes igitur pij post mortem requiescunt, neque vllus est, qui in Purgatorio torqueatur.

RESPONDEO cum sancto Anselmo, in commentario huius loci, illud, *amodo*, non significare à morte vniuscuiusque, sed ab extremo iudicio, de quo in toto eo capite S. Ioãnes loquitur. Itaque hic erit sensus, Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo. n. id est, à fine huius iudicij, de quo nunc loquor, in æternum requiescent à laboribus suis; vel si id minus alicui probetur: respõdere possumus cum Richardo de S. Victore, & Haymone in hunc locum, loqui B. Ioannẽ de viris perfectis, ac præsertim de sanctis Martyribus, (eos. n. eo loco cõsolari volebat) qui simpliciter moriuntur in Dño, neq; aliquid purgandũ secũ ferunt; nã qui decedunt cũ peccatis venialibus, aut cũ debito pœnæ alicuius tẽporalis, ij non simpliciter moriuntur in Dño, sed partim in Dño rõne caritatis, quã secũ ferunt, partim non in Dño rõne peccatorũ, quæ nihilominus secum ferunt. Neq; mirum videbitur, q̃ aliquos dicamus mori partim in Domino, partim non in Domino, si legatur S. Augu. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 3. vbi eosdem homines in hac vita partim esse dicit filios Dei, partim filios huius seculi. Atque hæc de Scripturis.

CAPVT XIII.

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

EX PATRIBVS profert Brentius primo Cyprianum, qui tract. 1. contra Demetrianum, ait in fine: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.*

RE-

RESPONDEO, loqui eũ de satisfactione pro culpa, quæ præcedit iustificationẽ; Patres enim disertè duplicem ponunt satisfactionem. VNAM ante iustificationem, qua Deus placatur de congruo: & inclinatur ad culpæ remissionem, de qua Daniel 4. *Peccata tua eleemosinis redime*. ALTERAM post iustificationem, qua Deo ex condigno satisfit pro pœna. Quod hic CYPRIANVS de priore loquatur, patet ex præcedentibus, vbi ait: *Hortamur*, inquit, *dum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere, & ad veræ religionis cãdidã lucẽ de profundo tenebrosæ superstitionis emergere.* Item ex sequẽtibus; nã post verba citata à Brẽtio, immediatè sequitur: *Hic vita aut amittitur, aut tenetur.*

SECVNDO, profert Chrysostomum hom. 2. de Lazaro, vbi sic dicit: *Cùm hinc discesserimus, nõ est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere.* Et rursum: *Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inuenturi sunt.*

RESPONDEO, loqui eũ de remissione mortaliũ; nã exẽplo Epulonis, q̃ in Gehenna cruciabat, monet, ne differamus cõuersionẽ in aliã vitã. Nemo aũt Catholicorum docet, culpas lęthales remitti in Purgatorio.

TERTIO, proferunt Ambrosiũ libro de bono mortis, c. 2. *Qui enim*, inquit, *hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria beatorum.*

RESPONDEO, loqui Ambrosiũ de remissione mortalium; nam subiungit explicãs: *Non erit autem, quia ad vitam æternã non potuerit peruenire, quia vitæ æternæ remissio peccatorum est*; vbi vitam æternam vocat gratiam iustificationis, quæ est vita quædam æterna inchoata; nisi enim hic vitam æternam inchoemus, nunquam ad gloriam beatorum veniemus.

QVARTO, obijcit Petrus Martyr eundem Ambrosium, qui in caput 23. Lucæ, & sermone 46. ait: *Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego.*

RESPONDEO, appellari satisfactionem eo loco excusationem. solemus enim vulgo dicere; Ego satisfaciam illi, id est, purgabo verbis crimen obiectum, & ostendã me iniustè accusari, laudat igitur ibi Ambrosius Petrum, quod non excusauerit peccatum suum, quomodo Adam fecit, sed lachrymis potius cõfessus fuerit, & accusauerit. sic enim subiungit: *Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit, quia quod deflere solet, non solet excusari, & quod defendi non potest, ablui potest.* Et suprà dixerat, *Inuenio quod fleuerit, nõ inuenio quid dixerit, quia nimirũ nihil Petrus dixerat in sui purgationẽ.*

QVINTO obijcit Caluinus Augustinum, tractatu 49. in Ioannem: *Habent*, inquit, *omnes animæ, cùm de seculo exierint, diuersas receptiones suas, habent gaudiũ boni, & mali tormenta, sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudiũ amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur.* Et infrà de gaudio bonorum loquens. *Requiem*, inquit, *quę continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur.*

RESPONDEO, gaudium & requiem dari statim à morte omnibus, qui in caritate decedunt; nam mox omnes certi fiunt suæ æternæ salutis, quod ingens gaudium affert; tamen nõ eodem modo datur istud gaudium, sed diuersimodè, pro meritorum diuersitate; quibusdam enim datur sine admixtione doloris, quibusdam non sine temporalium admixtione pœnarum, vt idem B. Augustinus sæpissimè docet.

SEXTO, obijciunt Aug. lib. Hypognostici vltra medium: *Primum* inquit, *locum fides Catholicorum diuina auctoritate credit, regnum esse cœlorum; secundum, Gehennam, vbi omnis apostata, vel à fide Christi alienus, æterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis sanctis inuenimus.* Idẽ habet sermone 14. de verbis Apost. & lib. 1. cap. 28. de peccatorum meritis & remissione.

RESPONDEO, loquit̃ de locis ęternis, Scribit enim contra Pelagiũ, qui inuenerat tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebat fore beatos quadã naturali beatitudine extra infernũ, & extra regnum cœlorum. Quòd aũt non negauerit Aug. aut quicunque fuit auctor Hypognostici, tertium locũ temporarium post hanc vitam; ex eo potest intelligi, q̃ fides Catholica docet præter cœlum & infernum fuisse ante Christi passionem sinum Abrahæ, vbi degebãt animæ sanctorũ Patrum, Luc. 16. ineptè igitur Erasmus ponit in margine ad illa verba: tertium penitùs ignoramus Purgatorium, quasi dicat, Purgatorium est locus tertius, quem ignorat fides Catholica.

SEPTIMO, Petrus Martyr obijcit eũdem Augustinum exponentem illud Psal. 31. Beati, quorum tecta sunt peccata, vbi sic ait: *Si texit peccata, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.* RESPONDEO, loqui eum de pœna æterna; nam de temporali, quod etiã requirat Deus, patet ex locis suprà citatis ex eodem Augustino, tractatu 124. in Ioannem, & in Psal. 50.

OCTAVO, proferunt Augustinũ in epistola 54. ad Macedonium, vbi dicit, post hanc vitam non esse locum morum corrigendorum.

RESPONDEO, nihil hoc facit ad rem; nam etsi nõ erit post hãc vitã locus, vbi flagitiosi cõuertant̃, & mores suos corrigant; erit tñ, vbi peccata leuia iustorum, quæ flagitia dici nõ possunt, purgentur, & pro criminibus iam dimissis pœna temporalis lui possit.

NONO obijciunt eundem Augustinum in epistola 80. ad Heschium: *In quo*, inquit, *quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies, quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* RESPONDEO, significat Augustinus post hanc vitam nõ crescere merita vel demerita, & ideò iudicandos omnes ad gloriam, vel ad Gehennam, & ad maiora vel minora præmia vel tormenta, prout erunt opera facta ante mortem.

Obijciunt DECIMO Theophylactum, qui in c. 8. Matth. sic ait: *Anima egressa, in mundo non errat: iustorum enim animæ in manu Dei sunt, peccatorum verò & ipsæ hinc adducuntur, vt anima dimittis.*

RESPONDEO, indicat Theophylactus, non vagari liberè animas per mundum, vt dęmones faciunt, sed clausas esse in suis receptaculis, & quanquã non meminit nisi duorum locorum, tamen nõ excludit alia. Possumus autem animas, quæ ad Purgatorium deducuntur, reuocare ad quodlibet eorum duorum, quæ ipse ponit; nam quia iustæ sunt, rectè possunt dici, esse in manu Dei, licet non sint in regno, & similiter dici possunt esse in inferno, quia Purgatoriũ pars est inferni, vel certè locus vicinus.

VNDECIMO, Hieronymum obijciunt, qui sic in c. 9. Amos loquitur: *Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quò velit, siue quò ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est; In inferno quis confitebitur tibi? aut certè ad cœlestia subleuabitur.*

RESPONDEO non loqui Hieronymũ de morte naturali, sed de solutione animæ à corpore per speculationẽ; nã disputat eo loco de aĩa impia, q̃ quocunq; se verterit cogitatione, ibi Deũ vltorẽ inuenier. itaq; cũ dixisset: *Aut certè ad cœlestia subleuabitur*, subiungit: *vbi sũt spiritualia nequitiæ in cœlestibus, et si sibi verè circumcisionis scientiam voluerit vendicare, et humilitate concepta habitare in mõtibus, et ibi scrutantẽ manũ Dei euadere non valebit; quod si desperans salutẽ oculos Domini vitare tentauerit, et in vltimos salsorũ fluctuũ terminos peruenire, et ibi mãdabit Dominus serpenti tortuoso, et antiquo, qui est inimicus, et vltor, et mordebit eam. Caput quoq; vitijs atque peccatis gladio Domini percutietur, vt per crucciatus, atque supplicia ad Dominum reuertatur.*

CA-

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones ex ratione deprompta.

VLTIMO, argumenta sumunt à rõnibus. PRIMA rõ; Post remissam culpam nulla remanet pœna; nam remissio culpæ fit per meritum Passionis Christi, quod est infinitum & sufficientissimũ ad tollendum omnem culpam & pœnam, nihil agitur purgandum supereſt post iustificationem.

RESPONDEO, primùm retorquendo argumẽtum, nam si Christus satisfecit pro omni culpa, & pœna nostra, cur post remissam culpã adhuc tàm multa patimur, & tandem ét morimur; & ne dicant esse paternas castigationes in remediũ futuri peccati, cur infantes baptizati ægrotãt, q nõ sunt capaces peccati actualis? Dico igitur Christi meritum sufficere ad omnẽ culpam, & pœnam tollendam, sed debere applicari, vt sit efficax, alioqui omnes homines saluarentur.

Porrò applicatio fit per actus nostros & Sacramenta. Voluit aũt Deus, vt post Baptismum per cõtritionem & confessionem, cũ absolutione Sacerdotis, applicetur meritũ Christi ad tollendã culpã, per opera autẽ satisfactoria applicatur ad tollendã pœnã tẽporalẽ; nam pœna æterna cõmutatur in temporalem, qñ remittitur culpa; quia cùm remittitur culpa, redditur amicitia, & datur consequenter ius ad gloriã, ac proinde nõ debet puniri in æternum, quia eo modo nunquã ad gloriã perueniret, & tñ iustitia exigit: vt peccatum puniatur aliquo modo, ideo mutatur pœna æterna in tẽporalem, de qua re dictum est aliquid suprà, & plura dicentur ĩ disputatione de satisfactione.

SECVNDA ratio; In Baptismo remittitur omnis culpa & pœna; sed Pœnitentia est quædã Baptismi commemoratio, imò est Baptismus quidam; nihil igitur post pœnitentiam remanet purgandum.

RESPONDEO, si Sacramentum pœnitentiæ accipiatur Catholicè, & integrè, vt comprehendit cõtritionem, confessionẽ, & satisfactionẽ, plenã & iam perfectam, põt admitti totum argumentũ; si autem accipiatur pro sola absolutione, in qua præcipuè Sacramentum consistit, negatur consequentia: Nam maximum discrimen est inter Sacramentum ablutionis, & Sacramentum absolutionis, cuius ignoratio causſa est omnium errorum de satisfactione, de clauibus, de indulgentijs, de Purgatorio.

Dicimus ergo, in Sacramento Baptismi, Deum liberalissimè agere, & applicare Christi meritum per vnã illã actionẽ ablutionis, ad tollendã omnem culpã & pœnã futuri ſeculi, i. tàm Gehennæ, quàm Purgatorij; nã pœnas temporales huius vitæ, ne Baptismus quidem aufert, vt patet in pueris baptizatis ęgrotantibus, & morientibus. At in Sacramento absolutionis Deum cõtrahere nonnihil manum, & applicare Christi meritũ ad tollendã culpam, & pœnã æternã; tñ adhuc requirere opera pœnitentię, quibus redimamus tẽporales pœnas; id quod patet ex cap. 6. ad Hebræos, vbi dicit Apost. *Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati*, i. baptizati, *iterum renouari ad pœnitentiã*, nimirum baptismalem, quia Deus semel tantùm vtitur ea liberalitate. Et c. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptã notitiam veritatis*, i. post illuminationem Baptismi, *non relinquitur hostia pro peccato*, id est, non relinquitur alius Christus patiens, & moriens, cui possimus rursum commori per Baptismum; Sic enim exponunt hęc duo loca omnes veteres Grę ci, & Latini.

Ex quo habetur argumentum insigne pro Purgatorio; Nam statim ponitur aduersatiua particula, sed *terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios*. Si enim iste significaret solum ignem Gehennæ, sequeretur, omnes, qui peccãt post Baptismum necessariò damnãdos, vel certè Paulum ineptè loqui. Nec enim rectè dicimus, peccanti post Baptismum non relinquitur alius Baptismus; sed Gehenna, si præter Baptismum sunt alia remedia, vt reuera sunt.

Oportet ergo dicere, beatum Paulum per ignem intelligere ignem in genere, siue Gehennæ, siue Purgatorij, ita vt hic sit sensus; Peccanti post Baptismum non relinquitur alius Baptismus, neque aliquod remedium æquiualens, i. æ què facile, quod mox liberet ab omni pœna; sed relinquitur ignis necessariò, aut perpetuus, si homo non conuertatur, aut temporalis, si conuertatur, qui tamen ignis temporalis Purgatorij erit in alio seculo, nisi afflictionis ignis voluntariè assumptus purgauerit hominẽ in hac vita, & hęc est, quam vocamus satisfactionem. IDEM patet ex Patribus, qui propterea Baptismum aquæ vocant Baptismum facilem, & comparant naui, qua facile traijciuntur flumina; At pœnitentiam vocant Baptismum laboriosum, lacrymarum, ignis, & secundam tabulam post naufragium. Denique ratio idem suader; nam post primam reconciliationem qui peccat, tantò grauius peccat, quanto est magis ingratus, & maius lumen, & auxilium habuit. Vide Gregorium Nazianzenum oratione in sancta lumina, & Theodoretum in Epitome diuinorum decretorum capite penul. & Damascenum lib. 4. c. 10.

TERTIA ratio; Christi honor debet illibatus manere, ipse enim solus est liberator, & redemptor noster. At si nos satisfacimus, iam diuidimus cũ Christo honorem; sumus enim & nos ex parte aliqua redemptores nostri, nec totam salutem nostram, sed solùm partem Christo debebimus.

RESPONDEO, si de verbis agitur Scriptura apertè dicit Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Et Phil. 4. *Cum metu & tremore salutem vestram operemini*. Vbi homo subijpsius redemptor & saluator appellatur; nec propterea vlla fit Christo iniuria, siquidem tota virtus operum & satisfactionis nostrę à Christi sanguine pendet, & si redimimus peccata, vel operamur salutem, id facimus per eius spiritum nobis donatum, vel potiùs ipse Christi spiritus in nobis ista operatur. sicut nihil detrahitur Deo, quod per secundas causſas operetur. imò potiùs additur ad gloriam eius, quia hinc apparet magis potentia & efficacitas Dei, cùm non solùm operari possit, sed etiam dare alijs rebus vim operandi.

QVARTA ratio; Si applicatur nobis per nostra opera Christi satisfactio, vel sunt duæ satisfactiones simul iunctæ, vna Christi, altera nostra, vel vna tantùm; si duæ, ergo bis punitur eadem culpa, & duæ pœnæ respondent vni culpę, si vna tantùm, vel illa est Christi, & tunc nos non satisfacimus; vel nostra, & tũc excluditur Christus, aut verè diuidemus cũ Christo honorẽ; nam ille soluet pro culpa, nos pro pœna.

RESPONDEO, tres esse modos dicendi. Primus quorundam est, qui asserunt, esse vnam tantùm, & illam Christi esse, ac nos propriè non satisfacere, sed solùm facere aliquid, cuius intuitu Deus applicat nobis Christi satisfactionem, quod est dicere, nostra opera non esse nisi conditiones. sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio, vel ad summum, esse dispositiones, Ita Michael Baius libro de Indulgentijs, capite vltimo, quæ sententia erronea mihi videtur, nam Scriptura & patres passim vocant nostra opera satisfactiones, & peccatorum redemptiones. Deinde si potest homo iustus suis operibus mereri de condigno vitam æternam, cur non satisfacere pro pœna temporali, quod est minus?

SECVNDVS est aliorum, quòd sint duæ, sed vna ab altera pẽdens, qui modus nõ videtur mihi improbabilis;

babilis; nam etiamsi vna sufficeret, tamen ad maiorem gloriam Dei, cui satisfit, & maiorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo cõiungere nostram suę. quomodo vna gutta sanguinis Christi sufficiebat redimere mundum, & tamen voluit totum sanguinem effundere, vt esset copiosissima redemptio; quomodo etiam homo iustus adultus, duplici titulo ius habet ad eandem gloriam, vno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis proprijs.

TERTIVS tamen modus videtur probabilior, quòd vna tantùm fit actualis satisfactio, & ea sit nostra; neque hinc excluditur Christus, vel satisfactio eius; nam per eius satisfactionem habemus gratiam, vnde satisfacimus, & hoc modo dicitur applicari nobis Christi satisfactio, non quòd immediatè ipsa eius satisfactio tollat pœnam temporalem nobis debitã, sed quòd mediatè eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nihil valeret nostra satisfactio.

Præter has hæreticorum obiectiones discutiemus etiam duas alias obiectiones, quas Theologi proponere solent, vt rei veritas clarius elucescat. Sit igitur

QVINTA ratio; In Purgatorio non est meritum, ergo nec satisfactio; nam idem requiritur ad merendum, & satisfaciendum, & omnis satisfactio est meritoria.

RESPONDEO, negandam esse cõsequentiam; nam requiruntur quidem communia quædam ad meritũ, & satisfactionem, sed etiam quędam propria, ex quorum defectu aliquod est meritum sine satisfactione, & è contrario. Requiritur ad vtrumque gratia inhabitans, sed hoc non sufficit. Nam ad satisfactionem requiritur, vt opus, quod fit, sit pœnale, quod non requiritur ad meritum. Ad meritũ requiritur libertas, quam sequitur laus; id quod non requiritur ad satisfactionem; qui enim à iudice cogitur soluere debitum, verè satisfacit, etiamsi coactus; requiritur præterea ad merẽdum status vię. Deus enim Agonotheta noster stadij tempus, præsentem vitam esse voluit; hinc igitur animę, quę degũt in Purgatorio, quia medię sunt, quo ad statum inter viatores & beatos, vel damnatos; nam sunt confirmatę in bono, & tamen adhuc retardantur à consequutione summi boni; ideò possunt satisfacere, non mereri, cùm nos vtrumque possimus; beati & damnati neutrum.

SEXTA ratio; Purgatorium constituitur partim ad remissionem culpę venialis, partim ad satisfaciendum pro pœna, sed neutrum habet locum post hanc vitam; nam eius est à culpa resurgere, cuius est in culpam incidere, sed post hanc vitam non possunt animę committere venialia peccata. Præterea peccata omnia remittuntur per pœnitentiam, sed post hanc vitam non est pœnitentia; nam idem est hominibus mors, quod Angelis casus, vt Damascenus dicit lib. 2. cap. 4. Sed Angeli per casum facti sunt immobiles in malo. Denique in hac vita, sicut potest homo iustus mereri gratię augmentum, ita etiam remissionem venialium offensarum. At post hanc vitam nullum est meritum. De pœna autem probatur sic: Pœna est propter culpam, & crescente culpa, crescit pœna; decrescente culpa, decrescit pœna: ergo remota culpa, remouetur pœna.

RESPONDEO, non defuerunt, qui propter hęc argumenta negarent peccatum veniale post hanc vitam posse remitti, vt B. Thomas refert in 4. dist. 21. quęst. 1. art. 2. Sed dicebant remitti omnia venialia in ipsa morte per gratiam finalem; At errabãt, quia Scripturę & Patres disertè docent, post hanc vitam remitti peccata leuia, neque fundamentum eorum est solidum; nam gratia finalis non potest remittere peccatum, quod actu placet, immò quod non displicet aliquo modo; At potest quis mori in complacentia peccati venialis, vel certè sine vllo actu, vt si moriatur repentè, vel phreneticus, vel dormiens.

ALII, vt Scotus in 4. dist. 21. quęst. 1. dicunt, peccatum relinquere solùm in homine, postquam actus transijt, reatum pœnę, & ideò peccatum veniale dici remitti in Purgatorio, quia totaliter ibi punitur. mortale autem non dici remitti post hanc vitam, quia nõ punitur vnquam ibi totaliter; nisi enim in hoc mundo mutetur reatus pœnę ęternę, in reatum pœnę temporalis, & sic incipiat hic remissio, nõ poterit ibi purgari. Hæc sententia falsa est, tum quia sine vllo dubio peccatum relinquit in homine præter reatum pœnæ, etiam maculam, aut aliquid simile, per quod dicatur homo formaliter peccator, & dignus pœna, tum etiã, quia hoc modo reuera peccata venialia non possent dici remitti in Purgatorio, non enim remittitur, quod totaliter punitur; remissio enim sonat condonationem.

ALIA est opinio eiusdem Scoti ibidem, peccata venialia remitti in primo instanti separationis animę à corpore, remitti autem per merita præcedentia. Dicit enim ipse, omne opus bonum quod magis placet Deo, quàm displiceat ueniale peccatum, remittere uenialia peccata; ceterùm dum homo uiuit, non remitti omnia uenialia per huiusmodi opera bona, quia est impedimentum ipsius complacentię peccati, quo impedimento sublato, quod fit in primo instanti post mortem, mox remitti peccatum. NON placet, quia non est probabile per omne opus bonum remitti venialia, nisi adsit displicentia saltem virtualis illorum peccatorum. DEINDE, quia sequeretur post hanc vitam nunquam remitti nisi vnum peccatum, nimirũ illud, cuius actus continuatur vsque ad mortem, id quod ipse admittit, sed est cõtra Scripturas & Patres; vt ex dictis patet. TERTIO, quia non esset opus orare pro defunctis, vt à culpis venialibus soluerentur, vt Ecclesia orat, vt patet apud Dionysium cap. vlt. Eccles. hierarch. & ex orationibus Ecclesiæ, quibus petimus, vt dimittantur eis, quæ humana fragilitate contraxerunt.

Est ergo opinio vera B. Thomæ in 4. dist. 21. q. 1. art 2. dimitti in Purgatorio culpas veniales, per actũ dilectionis & patientiæ; illa enim acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cum ex caritate prodeat dici potest virtualis quædam pœnitentia, & licet, non sit propriè meritoria, quia nõ meretur gloriæ vel gratiæ augmentum, tamen est remissoria peccati.

Ad PRIMVM negatur maior vniuersaliter; nã habet locum solùm in mortalibus peccatis; quod enim ad venialia attinet, potest in Purgatorio anima liberari à veniali, quia habet media conuenientia, id est, actum dilectionis peccato contrarium, non tamen potest cadere in peccatum veniale, quia caret fomite, & præterea quia est in bono confirmata.

Ad SECVNDVM dico, post hanc vitam non esse pœnitentiam de mortalibus, quia damnati sunt obfirmati in malo, & hoc sibi vult Damascenus, tamẽ in animabus Purgatorij bene potest esse displicentia peccati, eaque ex caritate, & proinde vtilis.

Ad TERTIVM dico, animas purgatorij non esse omnino in via, & propterea non posse mereri augumentum gratiæ: tamen neque esse omnino in termino, & ideo posse aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remissionem.

Ad alteram partem argumenti respondeo, pœnam pendere à culpa in fieri, non in esse, & ideo illud (decrescente culpa, descrescit pœna) si intelligatur quòd quò minor est culpa, eò minorem generat pœnam, verum est, alioqui est falsum, nam etiam ob culpam præteritam debetur pœna.

CA-

CAPVT XV.

Purgatorij confessionem ad fidem Catholicam pertinere.

SVPEREST nunc, vt Petri Martyris sententiam discutiamus, qui in commentario cap. 3. prioris ad Corinthios contendit, Purgatorium esse, non posse ad dogma fidei vllo modo pertinere; quæ fuit prima Lutheri opinio, siue primus eius error. Rationes eius sunt quinque.

PRIMA, quia scriptura tacuit Purgatorium in ijs locis, vbi maxima fuit occasio de eo loquendi. Nam in Genesi c. 49. describuntur funera Abraham, Isaac, Iacob, Sarę, Rachelis, diligentissimè, & tamè ne verbum quidem de Purgatorio. Item in Leuitico instituuntur sacrificia plurimorum generum pro varijs rebus, & nullum ibi instituitur pro defunctis. Denique Paulus in priori epist ad Thessal. c. 4. cùm ex professo de mortuis agat, nihil dicit de Purgatorio, sed solùm asserit eos resurrecturos, & concludit: *Consolamini inuicem in verbis istis.*

SECVNDA ratio est, quia Ecclesia Græca, quæ est altera pars Ecclesiæ, diu restitit huic dogmati in Concilio Florentino, ergo si vsque ad nostra ferè tempora media pars Ecclesiæ nõ credidit Purgatorium, quomodo est articulus fidei?

TERTIA, ratio est, quia Dionysius capite vltimo Ecclesiasticæ hierarchiæ, quæstionem proponit; Cur Antistes in sepultura fidelium oret pro defunctis, & Purgatorij non meminit, sed anxiè laborat, vt quæstionem soluat. At si Purgatorium esset dogma fidei, potuisset statim facillimè respondere; orare pro defunctis, vt à Purgatorio liberentur.

QVARTA ratio est, quia beatus Augustinus diserris verbis asserit, se habere opinione tantùm incerta, non certa fide Purgatorium esse, in Enchiridio, c. 69. *Tale*, inquit, *aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrum ita sit, quęri potest, & aut inueniri, aut latere nonnullos fideles, per ignem quendã purgatorium, quanto magis minusve bona peremuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve saluari.* In libro de octo quæstionibus Dulcitij, q. 1. *Siue ergo*, inquit, *in hac vita tantùm homines ista patiuntur, siue etiam post hanc vitam talia quædam iudicia subsequuntur, non abhorret quantum arbitror à ratione veritatis iste intellectus huius sententię.* Idè habet libro de fide & operibus, c. 16. Denique, lib. 21 de ciuitate Dei, cap. 26. ait: *Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum veniatur: qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis, & remunerationis vltimus dies, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna, fœnum, & stipula consumatur; alij verò sentiant, qui eiusmodi secum edificia portauerunt, siue ibi tantùm siue hic, & ibi, siue ideò hic, vt non ibi, secularia, quamuis à damnatione venialia, concremantem ignem transitorię tribulationis inueniant, non redarguo, quia forsitan verum est.*

QVINTA ratio est, quia Scriptura apertè repugnat, Ioan. 5. Lucæ. 13. Apocal. 14. vt suprà attulimus, & refutauimus.

Hæc sunt ipsius firmamenta, quæ adeò nos nihil mouent, vt constanter iterum asseramus, dogma esse fidei Purgatorium, adeò, vt qui non credit Purgatorium esse, ad illud nunquam sit peruenturus, sed in Gehenna sempiterno incendio cruciandus. Nam dogmata fidei quatuor modis probari solent.

PRIMO, ex testimonio expresso Scripturæ cum Ecclesiæ declaratione, quomodo probamus, Christũ esse ὁμοούσιον Patri, ex illo Ioan. 10. *Ego & Pater vnũ sumus*, addita Nicæni Concilij declaratione; nã alioqui nunquam lis cum Arianis finiri potuisset, cùm eum locum, & omnia illa, quæ afferri solent, ipsi aliter exponerent.

SECVNDO, per euidẽtem deductionem ex ijs, quæ habẽtur expresè in Scriptura; quomodo probamus, Christum habere duas voluntates, diuinam & humanam, quia secundum Scripturas Deus & homo est, addita Concilij sexti declaratione.

TERTIO, ex verbo Dei per Apostolos nõ scripto, sed tradito, quomodo probamus Euangelia & Epistolas Pauli esse diuinas Scripturas.

QVARTO, per euidentem deductionem ex verbo Dei tradito; quomodo B. Augustinus passim probat, peccatum originale esse in pueris necessariò credendum, etiamsi in Scripturis non haberetur, quia deducitur euidẽter ex traditione Apostolica de Baptismo paruulorum. Sufficientia horum quatuor modorum inde patet, quia id solum est de fide, quod est à Deo reuelatum mediatè, vel immediatè; reuelationes autem diuinæ partim scriptæ sunt, partim non scriptæ. Itaque decreta Conciliorum, & Pontificum, & Doctorum consensus, & alia omnia ad ista quatuor reducuntur, tunc enim solùm faciunt rem de fide, cùm explicant verbum Dei, aut inde aliquid deducunt.

Iam verò his omnibus modis probatur Purgatorium. Nam de PRIMO modo patet ex viginti locis Scripturæ, quæ attulimus, quorum aliqua à tota Ecclesia exponuntur de Purgatorio, vt patet ex Concilijs & Patribus, quos citauimus.

De SECVNDO modo patet ex duabus primis rationibus, quas fecimus.

De TERTIO modo perspicuum est ex eo, quòd nõ inuenimus initium huius dogmatis, sed omnes vetes Græci & Latini ab ipso tempore Apostolorũ constanter docuerunt Purgatorium esse. Talia enim ad Apostolicam traditionẽ referẽda esse, B. Augustinus affirmat lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 24.

De QVARTO modo patet ex Clemente, Tertulliano, Epiphanio, & Chrysostomo suprà citatis; quia asserunt, orationem pro defunctis esse Apostolicam traditionem; & nulli vnquam veterum contrarium dixerunt. Hinc enim euidenter colligitur Purgatorium esse. Nam si traditio est Apostolica, orandum esse pro defunctis, quis non aduertat, continuò inde sequi, vt animæ post hanc vitam egeant auxilio, & proinde sint in pœnis non sempiternis, sed temporalibus? Neque argumenta Petri Martyris difficulter solui possunt.

Ad PRIMVM ergo respondeo, primò non esse necesse, vt Scriptura vbique omnia dicat.

Dico SECVNDO ad illud de Genesi, in Genesi nõ fuisse occasionem ponendi doctrinam de Purgatorio. Nam Genesis non est liber dogmatum, sed historia quædam Patriarcharum. Porrò doctrina eo tempore nõ Scriptura, sed traditione conseruabatur. Nã alioqui dicemus, ante Abrahæ tempora neminẽ fuisse iustificatum, quia Scriptura non tradit, quomodo iustificarentur homines tẽpore Adæ, Henoch, Noe.

Dico VLTIMO, implicitè saltem contineri in Genesi mentionem Purgatorij; quando enim dicitur Gen. 23. *Et surrexit Abraam ab officio funeris*. Quis prohibet per illud, *Officium*, intelligere non solùm lachrymas, sed etiam orationẽ & ieiunium? Et cur, quæso, Iacob, & Ioseph, in Ægypto morientes, cupierunt ossa sua deferri in terram promissionis, nisi quia ibi solùm sacrificia pro defunctis facienda esse nouerant?

Ad illud de Leuitico, nego non fuisse in Leuitico instituta sacrificia pro defunctis, quandoquidem illa, quæ instituta sunt pro peccatis, intelligebãtur pro

peccatis

peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, vt patet ex lib. 2. Machab. cap. 12.

Ad illud ex Paulo dico, Paulum in eo loco solùm voluisse dicere, nõ esse mortuos immoderatè deflendos, quomodo Ethnici faciebãt. Ad hoc autem propositum non solùm non proderat, sed etiam oberat mentio purgatorij. Dicere enim, animas propinquorum grauissimè torqueri in Purgatorio, non est adferre materiã consolationis, sed maioris luctus; Paulus autem consolari volebat eos, vt patet, & ideo meminit resurrectionis & gloriæ; & concludit; *Itaque consolamini inuicem in uerbis istis*. In alijs autem locis, vt in priori epist. ad Corin. cap. 3. & 15. & ad Heb. 10. disertè Paulus ponit ignem Purgatorij, & Baptismum laboriosum pro mortuis susceptum.

Ad Secvndvm dico, Ecclesiam Græcam nunquam dubitasse de Purgatorio, vt patet ex Patribus citatis; Dionysio Areopagita, Origene, Athanasio, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Ephrem, Chrysostomo, Cyrillo, Epiphanio, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Damasceno, & ex ipso Concilio Florentino. Nam quod Petrus Martyr dicit, in eo Concilio Patres Græcos diu restitisse, mẽdacium est; siquidem in prima sessione, & rursum in vltima, affirmant, se perpetuò Purgatoriũ credidisse, & orationem pro defunctis, sed solùm ambigere de qualitate pœnæ; An sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergo de Græcis iactatur, quòd purgatorium negent, de particularibus hominibus intelligendum est.

In Tertio argumento miror Petrum Martyrem; nam etsi Dionysius non nominat Purgatorium, tamen expresse dicit, orari pro defunctis, vt à peccatis liberentur. Sic enim ait cap. 7. par. 3. *Precibus*, inquit, *à diuina benignitate contendit, ut omnia peccata, quæ humana fragilitate admissa sunt, ei, qui excessit è uita, remittat.* Deinde quærit, cur oretur pro defunctis, vt eis peccata remittantur, cum scriptum sit omnes accepturos, prout in corpore gesserint? Et respondet, ideo orari, quia illi per merita huius vitæ digni facti sunt, quibus preces viuentium prodessent. Nisi ergo sanctus Dionysius secum ipse pugnauerit, non potuit Purgatorium ignorare, aut negare, cùm tam apertè orationem asserat pro defunctorum peccatis.

Ad Qvartvm, opponimus alia loca S. Augustini. Nam in eodem Enchiridio, c. 110. asserit, orationes & sacrificia prodesse animabus, & similiter q. 2. ad Dulcitium, & lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24. dicit, constare animas purgari post hanc vitam, & cap. 1. de cura pro mortuis agenda, dicit: *Non dubium, est prodesse orationem defunctis.*

Respondet Petrus Martyr, debere hæc loca exponi per illa, in quibus dubitat. At quomodo, quæso, exponemus; constat, & non dubium est, per illa; Incredibile non est, &; Forsan verum est? Necesse est igitur dicere, Augustinum aliquid de Purgatorio certa fide tenuisse, & de aliqua re dubitasse. quid sit de quo dubitauit, nos facilè exponemus. At non ita potest ille exponere, quid sit, de quo non dubitauit; nihil enim minus dari potest, quàm eum dubitasse de Purgatorio in genere, id est, quòd sit aliquod Purgatorium post hanc vitam. Cum qua fide certa, potest cõsistere dubitatio de qualitate pœnæ, quæ infligitur; de qualitate peccati, quod punitur; de loco, tempore, &c. At cum dubitatione de Purgatorio in genere, non potest consistere vlla certa fides circa Purgatorium, quam tamen Augustinus habere se dicit.

Dico igitur, Augustinum in illis quatuor locis dubitare solùm de genere peccati, quod punitur; An videlicet, sicut in hac vita immoderatus amor erga tẽporalia purgatur à Deo varijs afflictionibus, vt mortibus vxoris, liberorum, &c. ita etiam credibile sit, post hanc vitam adhuc remanere in anima separata aliquas reliquias talium affectionum actualium, quæ purgari debeant tribulationibus, & molestijs. Etsi enim animæ corpore vacantes, non videntur posse tangi eiusmodi affectionibus corporalibus, tamen cùm sint formæ corporum, & in corpore diu fuerint, & rursum appetant coniungi corpori, non est incredibile, eas recordari adhuc voluptatum, quas per instrumenta corporea perceperunt, & earum desiderio aliquo teneri. Quia verò res ista difficillima est, ideò rectè Augustinus dicit, posse quæri, & nũquam fortè inueniri, &c.

Ad Qvintvm suprà responsum est.

LIBER SECVNDVS.

DE CIRCVMSTANTIIS PVRGATORII.

CAPVT I.

De personis, quibus Purgatorium conuenit.

DEMONSTRAVIMVS hactenus Purgatorium esse; nunc de circumstantijs Purgatorij, id est, de personis, loco, tempore, pœnis, suffragijs, alijsque id genus differendum est.

PRIMA igitur illa quæstio occurrit: *Quibus personis purgatio post hanc vitã conueniat?* Multi autẽ extiterunt errores de eiusmodi personis.

PRIMVS fuit, purgari debere post hanc vitam, tàm bonos, quàm malos, vno Christo excepto. Hæc sententia solet tribui Alcuino, sed videtur esse non eius solùm, sed multorũ Patrum. ORIGENES enim hom. 14. in Lucam: *Ego*, inquit *puto, quia & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atq; purgante; nemo enim absq; sordibus resurgere potuerit, nec vllam posse animam reperiri, quæ vniuersis statim vitijs careat.* Et in Psal. 36. *Omnes nos venire necesse est ad illũ ignẽ, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus.*

AMBROSIVS in Psalm. 36. *Igne ergo*, inquit, *purgãtur filij Leui, igne Ezechiel, igne Daniel.* Et in Psal. 118. serm. 20. adducens illud Genes. 4. *Posuit ante Paradisum flammeum gladium*, dicit, illum gladium igneum, esse ignem purgatorium, per quem necessariò transit, quicunque in paradisum intrat. *Omnes*, inquit, *oportet transire per flammas, siue ille Ioannes sit, siue Petrus, &c.* Et infrà; *Vnus ignem illum sentire non potuit, qui est iustitia Dei, Christus.*

Idẽ videtur sensisse Hilarius in illa verba Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iudicia iustitiæ tuæ.* Vbi insinuat etiam B. MARIAM trãsire debuisse per illum ignem. Idem LACTANTIVS lib. 7. cap. 21. diuin. instit. & Hieronymus in c. 7. Amos in illa verba: *Ecce vocabit ignem ad iudicium.* Deniq; Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 32. explicans flammeum gladium.

Hæc sententia accepta, vt sonat, manifestum errorem continet. Nam in Concilio Florentino sess. vlt. definitum est, aliquas in infernum, aliquas in purgatorium, aliquas in cœlum mox recipi, deinde Ecclesia semper credidit eos, qui mox à Baptismo moriuntur, nullam Purgatorij pœnam sentire posse, vt constanter Augustinus docet lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 16. & similiter eos, qui baptizantur in sanguine suo, vt Cyprianus libro 4. epist. 2. dicit, omnia enim peccata passione purgari affirmat, & ideò Martyres statim ad præmium peruenire.

Adde, quòd Patres adducti (Origene excepto, cuius verba in hom. 14. in Lucam, non patiuntur commodam expositionem) videntur sano modo intelligi posse: Nam aliqui eorum per ignem non intelligunt, ignem purgatorij, sed ignem diuini iudicij, quomodo loquitur Paulus in priori epistola ad Corinthios, cap. 3. cùm ait: *Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.* Et hoc modo fatendum est, omnes Sanctos, Christo excepto, per ignem transire. ita videntur de igne loqui Hilarius & Hieronymus, & in loco posteriore Ambrosius.

Aliqui verò videtur intelligere per ignem verum ignem Purgatorij, per quem tamen dicunt transire Sanctos sine vlla læsione, ita vt transeant per Purgatorium materialiter, non formaliter. Ita videntur loqui Lactantius, Ambrosius & Rupertus. LACTANTIVS enim sic ait; *Sed & iustos cùm iudicauerit Deus, etiam igne eos examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero præualuerint, perstringentur igni atque amburentur: quos autem plena iustitia & maturitas virtutis decoxerit, ignem illum non sentient, habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat.* Sic etiam Ambrosius in Psalm. 36. vbi dixerat, omnes transituros per ignem, subiungit, quosdam mansuros in illo igne perpetuo, quosdam vrendos, non tamen exurendos, quibusdam, id est, Sanctis instar oris futurum, vt quondam tribus pueris in Babylonis fornace.

Conformis est huic sententiæ visio B. Fursæi, quã describit Beda lib. 3. historiæ, cap. 19. Ille enim vidit in via ad cœlum maximos ignes, per quos necessariò transeundum erat, sed vidit simul eos, qui nihil haberent combustibile, id est, nullũ culpæ aut pœnæ reatum, illæsos transire; alios verò magis minusve exuri, prout plus minusve materiæ combustibilis afferebant. Sanè hanc sententiam, quæ docet omnes transituros per ignem, licet non omnes lædendi sint ab igne, nec auderem pro vera asserere, nec vt errorem improbare.

SECVNDVS error, est, omnes malos, tàm dæmones, quàm homines, tandem inferno penitus euacuato saluandos, & proinde omnes pœnas post hanc vitam esse purgatorias. Hic error Origenis fuit, vt referunt & refellunt Epiphanius epist. ad Ioannem Hierosolymitanum, Augustinus libro 21. de ciuit. Dei, cap. 17. & 23. Hieronymus in cap. 3. Ionæ. & Gregorius lib. 9. moral. cap. 45. & 46. & lib. 34. cap. 12. & 13. Nam Matth. 25. dicitur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Et ne forte responderent, ignem esse æternum, sed non mansionem in igne, concludit Dominus: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et Apocal. 20. *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.*

Errorem eundem tribuit S. Hieronymo Ruffinus lib. 1. inuectio. in Hieronymum, sed iniuria; nam B. Hieronymus huius erroris hostis acerrimus fuit, vt præter locum citatũ, patet ex Apolog. 2. contra Ruffinum, ex lib. 1. cõtra Pelagianos, ex epistola ad Pammachium, de erroribus Ioannis Hierosolymitani, & ex commentario in vltima verba Isaiæ. Quæ autem citat pro hoc errore Ruffinus ex commentarijs Hieronymi in epistolam ad Ephesios, sunt dicta in persona Origenis, vt idem Hieronymus docet de similibus erroribus, in Apologia 1. contra Ruffinum. Dicitur exstare liber cuiusdam Stanislai Anabaptistæ pro hoc errore Origenis, qui inscribitur de diuina philanthropia; sed eum librum nondum videre potui.

TERTIVS error est eorum, qui non quidem Diaboli, sed tamen omnium hominum peccatorum pœnas, post hanc vitam dicebant esse temporales & purgatorias, vt Augustinus refert & refellit lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 18. & 24.

QVARTVS, error est eorum, qui id sentiebant solum de omnibus Christianis, siue Hæretici, siue Catholici essent; refert Augustinus ibidem, cap. 19. & 25.

QVIN-

QVINTVS eorum, qui id sentiebant de solis & omnibus illis, qui aliquando fuissent Catholici. Augustinus ibidem refert, cap. 20. & 25. Hi errores refelluntur, tum ex Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* Et Apocalypsis 20. *Cruciabuntur in secula seculorum;* tum etiã ex Isaiæ vltimo: *Ignis eorum non extinguetur.* Et Galat. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Nã in his locis nõ soli Dæmones, nec soli homines Ethnici, aut hæretici, sed etiam flagitiosi Catholici puniendi esse dicuntur sine vllo fine.

Fundamenta errorum istorum erãt quatuor PRIMVM, quia Psal. 76. dicitur: *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut cõtinebit in ira sua misericordias suas?* SECVNDVM, quia Rom. 11. dicitur: *Conclusit Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur.* TERTIVM, quia si Sancti orabant pro inimicis, & exaudiebantur in hoc mundo, multo magis orabunt & exaudiẽtur in die iudicij. QVARTVM, quia videmus in Scriptura supplicia à Deo absolutè intentari, & tamen postea non inferri, vt patet Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Vnde intelligimus, inquiunt, cùm Deus minatur supplicia, non significari ea re vera inferenda, sed tantum eos, quibus intentantur, dignos esse, qui ita punirentur.

Sed ad PRIMVM respondet Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24. intelligi illa verba solùm respectu bonorũ, vel si extendantur ad damnatos, sensum esse; Damnatos puniendos quidem in æternum, sed tamen citra condignum. Posset etiam dici, intelligi illa verba, in hac vita, de qua dicitur: *Ecce nunc tempus aceeptabile;* nam de iudicio futuro dicitur Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

Ad SECVNDVM respondet Augustinus ibidem, illud: *Vt omnium misereatur*, non significare omnium hominum, sed omnium nationum, id est, tam Gentilium, quam Iudæorum, ita vt aliqui ex Gentibus, aliqui ex Iudæis saluentur: sicut illud: *Conclusit omnes in infidelitate*, significat tã Gentes, quàm Iudæos, id est, aliquos ex Gentibus, aliquos ex Iudæis; Deus enim ante Christi aduẽtum permisit Gentes ingredi vias suas in infidelitate & idololatria, vt postea cõfusi me dicum requirerent, & inuenirent, vt factum est. Deinde Gentibus conuersis, permisit in infidelitatem ruere Iudæos, vt & ipsi circa finem mundi confusi & humiliati, similiter conuertantur.

Ad TERTIVM respondet, Sanctos in hoc mundo orasse, quia sciebant in hac vita tempus esse fructuosæ pœnitentiæ, at in iudicio non oraturos pro damnatis, sicut nec nunc oramus pro Diabolo, aliisque damnatis.

Ad QVARTVM respondet Augustinus, Niniuem verè fuisse euersam, vt prædictum fuerat; nam omnes de malis facti sunt boni, quæ est euersio optima, & Deo gratissima. Potest etiam responderi, supplicia à Deo intentata in hac vita, esse cõminatoria, quia intelliguntur sub conditione, nisi quis egerit pœnitentiam, at post hanc vitam non est pœnitentia, saltem fructuosa; nam Ioan. cap. 9. dicitur: *Operamini dum dies est, venit nox, in qua nemo potest operari.* Et Eccles. 9. *Apud inferos non est opus, nec ratio, &c.*

SEXTVS error est aliorum, qui volebant, omnes, & solos Catholicos in fide perseuerãtes ad Purgatoriũ descendere, quamuis alioqui pessimè vixissent. refert & refellit hunc errorẽ Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 25. & 26. Enchirid. cap. 68. de fide & operib. capitu. 14. 15. & 16. & quæst. 1. ad Dulcitium. Nam Matth. 3. de fidelibus malis dicitur: *Paleas autẽ comburet igni inextinguibili.* Et Matt. 25. fidelibus immisericordibus dicetur: *Ite in ignem æternum.* Et 1. Corint 6. scribitur fidelibus à Paulo: *Neque ebriosi, neque auari, neque adulteri, neque molles, neque maledici, regnum Dei possidebunt.* Et similia habentur ad Galat. 5. & ad Ephes. 5.

Fundamentum huius erroris erat locus ille 1. Cor. 3. *Ipse autẽ saluus erit quasi per ignem;* Putabant enim illi per fundamentum intelligi fidem Catholicam, per argẽtum & aurum omnia opera bona, per ligna, fenum, & stipulas, omnia peccata; sed hoc suprà sufficienter refutatum est.

Est autem obseruandum, esse aliquos, qui arbitrentur B. HIERONYMVM in hoc errore fuisse, quia in vltima verba Isaiæ dicit: *Sicut Diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo; Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis.* Item lib. 1. contra Pelagianos: *Si Origenes*, inquit, *omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, quid ad nos? qui & Diabolum & satellites eius, omnes q; impios dicimus perire perpetuò; Christianos verò si in peccato præuenti fuerint, saluandos esse post pœnas.*

Videtur tñ Hieronymus in hoc errore non fuisse, quandoquidem in c. 25. Matt. vbi manifestè agitur de damnatione æterna fidelium peccatorum, ita scribit: *Prudens lector attende, q; & supplicia æterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* Et in cap. 5. ad Galatas: *Putamus*, inquit, *nos regnum Dei consequi, si à fornicatione, idolatria, veneficijs, immunes simus? Ecce inimicitia, contentio, ira, rixa, dissensio, ebrietas quoque, & cetera, quæ parua arbitramur, excludunt nos à regno Dei.*

In locis ergo citatis in contrarium, nõ vult B. Hieronymus dicere, omnes Christianos saluandos post pœnas, sed nullos saluandos post pœnas, nisi Christianos. Vnde in priore loco dicit quidem Christianos impios saluandos, sed addit conditionem restringentem, cùm dicit: *Quorum opera in igne probandæ & purganda sunt;* id est, illi Christiani impij saluabũtur, quorum opera mala iam purgata, quoad culpam, purganda erunt quo ad reatũ pœnæ. In posteriore loco opponit impijs Christianos, qui in peccato preueniunt morte, vt iudicet se loq; solũ de pijs Christianis.

SEPTIMVS error eorum est, qui existimabant, omnes illos saluãdos per ignem Purgatorij, qui eleemosynas fecissent, etiam si alioqui in sceleribus perseuerassent vsque ad mortem.

Refellit hunc errorem S. Augustinus in Enchir. cap. 75. & 76: & lib. 21. de Ciuit. Dei, c. 22. & 27. nam Scriptura manifestissimis verbis multa requirit ad iustificationem impij præter eleemosynam, & Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis omnes, similiter peribitis.* 1. Cor. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qualem autem, quæso, charitatem habet, qui Deum offendere non timet, aut postquam eum offendit, non quærit reconciliationem?

AT inquiunt, in die iudicij examen fieri videmus solum dẽ eleemosyna, Matt. 25. qui enim fecerũt eleemosynam, mittuntur in regnum, qui non fecerunt, mittuntur in Gehennam.

RESPONDEO, Dominum minora posuisse, vt inde colligeremus maiora; qui enim minatur Gehennam ijs, qui non dederunt sua, multò magis puniet eos, qui rapuerunt aliena; & qui promisit regnũ ijs, qui fecerunt eleemosynam ex pecunijs suis, multo magis coronabit eos, qui vitam pro fide ponunt. Vide, si placet, plura in disputatione nostra de Eleemosyna.

His ergo erroribus confutatis, manet vltima sententia vera, & Catholica: Purgatorium pro ijs tantùm esse, qui cũ venialibus culpis moriuntur, de quibus agitur 1. Corin. cap. 3. Illi enim sunt, qui ædificãt super fundamentum ligna & stipulas, & salui erunt

quasi

quasi per ignem. Et rursum pro illis, qui decedunt cũ reatu pœnæ, culpis iam remissis, de quibus agitur Lucæ 12. *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* & alijs locis supra citatis.

CAPVT II.

In Purgatorio non posse animas mereri vel peccare.

SEQVITVR altera quæstio: *An in Purgatorio sit locus merito, & peccatis.* LVTHERVS. n. qñ Purgatoriũ confitebatur, ita confitebatur, vt illud partim cum huius vitæ statu, partim cum inferno confunderet. Dicebat animas Purgatorij posse mereri, quod est vitę huius, & rursum eas peccare continuò, ac desperare salutem, quæ sunt propria damnatorum. Radix horũ fuit, quia existimauit eas animas ad Purgatorium mitti, quę nõ sunt perfectæ in charitate; quæ. n. nullam habent charitatem mittuntur in gehennam, quæ habent perfectam ascendunt in cœlum. Quia verò imperfecta charitas debet augeri, & non potest augeri sine nouis meritis, ideò merẽdi statum posuit in Purgatorio; rursum quia perfecta charitas foras mittit timorem, & proinde imperfecta habet admixtum timorem, seruum scilicet, & hunc timorem Lutherus peccatum esse existimat, inde deduxit animas peccare continuò, quia continuò timent, horrent, ac refugiunt pœnas, quærunt quæ sua sunt, &c. Vide librum Lutheri de Purgatorio, quẽ Ioannes Eckius refellit.

Et quidem hanc Lutheri sententiã manifestè hæreticam esse, probatur testimonijs Scripturarum & Patrum. PRIMVS locus Eccles. 9. *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem.* HIERONYMVS in hunc locũ: *Donec viuunt*, inquit, *homines possunt fieri iusti, post mortem verò nulla datur boni operis occasio.* Et infrà: *Viuentes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui verò nihil ualent ad id adijcere, quod semel secum tulere de uita.* Et infrà: *Nec iustè quippe possunt agere, nec peccare, nec uirtutes adijcere, nec uitia.*

SECVNDVS ibidem, ait Scriptura; *Quodcunque põt agere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, est apud inferos, quò tu properas.* Non possumus dicere in alia vita nihil agi, aut sciri, cũ Luc. 16. de Epulone legamus, eũ & vidisse Lazarũ in sinu Abrahæ, & primũ pro se, deinde pro fratrib opẽ Abrahę implorauisse; quare loq tur de opere meritorio, vt exponit Hierony. Neq. loq tur de inferno inferiore, sed de inferno in genere, vt cõplectitur omnia loca, ad quæ descendebant oẽs homines ante Christi resurrectionem, vt idem Hierony. exponit.

TERTIVS locus est, Eccles. 11. *Si ceciderit lignũ siue ad austrũ, siue ad aquilonẽ, vbicũq. ceciderit, ibi erit.* Hieronymus in hũc locũ, & Bernardus serm. 49. ex paruis, exponunt de immutabilitate aiæ post hanc uitã, q̃ non põt de bona fieri mala, nec bona de mala.

QVARTVS est, Eccles. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum.*

QVINTVS est, Eccles. 18. *Ne verearis vsq. ad mortẽ iustificari.* Quare vsque ad mortẽ, nisi quia post mortem non erit amplius tempus?

SEXTVS, Ioã. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Origenes Psal. 36. Chrysostomus, Augustinus, Euthymius, & Theophylactus in hunc locum, Hieronymus in c. 9. Eccle. & Gregor. lib. 4. Dialog. c. 39. exponunt summo cõsensu per noctem, tempus alterius vitæ, per operari, facere opera meritoria significari.

SEPTIMVS est, 2. Corin. 5. *Oẽs nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq. ꝓpria corporis, sicut gessit, siue bonũ, siue malũ.* Quẽ locum exponẽs August. in lib. de prædest. Sãctorum, c. 12. monet propria corporis nõ vocari opera corporalia, quasi spiritualia iudicãda nõ sint, sed vocari oĩa opera, q̃ fiunt dum sumus in corpore, quia post hanc vitã non superest tẽpus operandi, sed præmium aut pœnas recipiẽdi.

OCTAVVS est, Gal. 6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Et infrà: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes, ergo dũ tempus habemus, operemur bonum.* Hieronym⁹ in hunc locum docet, tempus sementis non extendi vltra hanc vitam, serere autem esse bene operari.

NONVS est, Luc. 16. *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare, &c.* Exponunt Ambrosius & Theophylactus in hunc locum, Hieronymus q. 6 ad Algasiam, Augustinus li. 21. de ciu. Dei, c. 27. & alij omnes, per depositionem à villicatione, mortem, per non posse amplius villicare, nõ posse amplius mereri & lucrari.

DECIMVS est, Apoc. 10. Angelus habens vnum pedẽ super mare, & alterũ super terrã, iurat p viuentẽ in secula seculorũ, quia tps nõ erit amplius, nimirum bene operandi. Deniq. Scripturæ hoc passim testantur, & nec ulla syllaba inuenietur pro Lutheri errore.

Probatur SECVNDO ex Patribus. CYPRIANVS ser. 4. qui est de mortalitate, ad hoc plurimum prodesse mortẽ dicit, vt eripiamur à periculis peccandi. Dum enim sumus in hac vita, in stadio pugnamus, pugnę finẽ obitus affert. quẽ locum Cypriani adducẽs AVGVSTINVS lib. de p̃dest. Sanctorum, c. 14. inquit: *His, atq. huiusmodi Doctor ille sñis in Catholicæ fidei luce clarissima satis aperte q̃, testatur vsq. ad huius corporis depositionem peccãdi pericula, tẽtationes q̃, metuendas, deinceps nulla talia quẽquã esse passurũ, qđ etsi nõ testaretur, quando de hac re Christianus qualisçunque dubitaret?*

NOTA, Lutherum non posse vocari Christiãnum qualemcunque, ex sentẽtia Augustini, sed planè Ethnicum, cum de re dubitet, de qua dicit Augustinus, nullum Christianum dubitare posse. Idẽ Augustinus in Enchir. c. 110. *Quocirca*, inquit, *hìc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari: nemo autem se speret, quod hìc neglexerit, cùm obierit apud Deum promereri.*

CHRYSOSTOMVS hom. 2. de Lazaro multa dicit in hanc sententiã, & hom. 37. in Matth. *Præsens*, inquit, *hec uita tam rectè, quàm contra tibi viuendi tribuit potestatem; postquam verò diem tuum obieris, iudicium & pœna consequetur.* HIERONYMVS in ca. 9. Eccles. *Mortui*, inquit, *nec iustè possunt agere, nec peccare.* DAMASCENVS lib. 2. de fide Orrhodoxa, c. 4. *Quod est Angelis casus, idem hominibus mors.*

TERTIO ꝓbatur ratione: Nã Lutheri sñia secum ipsa pugnat; dicit n. Lutherus aĩas illas dẽre, & posse mereri, qa imperfectę sunt in caritate, vt nimirum p noua merita augeatur, & pficiatur caritas. Ipse idem dicit aĩas illas, qa imperfectæ sunt, timere pœnas; & timẽdo peccare, & qa semper timẽt dum imperfectæ sunt, proinde ẽt semper peccare dum impfectæ sunt.

At ista pugnãt inter se; nã q peccat pręsertim mortaliter, nõ põt mereri dum peccat: Aĩæ autẽ illæ semper peccãt, dum sunt in Purgatorio, quia semper sunt impfectę, ergo nunq̃ mereri possunt, dũ sunt in Purgatorio. Pręterea secũdò, qa sequitur impossibile esse liberari animas de Purgatorio; nã semp peccabunt, dũ timebunt; sẽper timebũt, dũ erũt impfectæ, semper erunt impfectæ, donec accesserit noua caritas: noua caritas nõ põt accedere, nisi per merita, nõ possunt illi mereri, dum peccẽt; igitur numquam liberabũtur.

CAPVT III.

Soluuntur obiectiones.

SVPEREST argumẽta soluere, argumẽtũ PRIMVM; Animę quę in Purgatorio degunt sunt impfectæ

in caritate,igitur proficere debent & mereri vt perficiantur. Quod sint imperfectę probatur. PRIMO, quia si illę animæ essent perfectæ,certè non punirentur; quorsum enim puniantur spiritus perfecti? Si dices,vt satisfacient Deo. Contrà,quia Deo maximè satisfit per caritatẽ: *Caritas* enim *operit multitudinem peccatorum*,inquit Petrus,1.Pet.4.

SECVNDO,quia si is qui moritur,debitor sit adhuc decem dierum ieiunij,& tamensummè diligat Deũ, incredibile est Deum non condonare illi decem illos dies,cùm soleat Deus libenter acceptare voluntatem,vbi nõ inuenit facultatẽ,ergo si illi nõ condonatur debitum,signũ est nõ fuisse perfectũ in caritate.

TERTO,quia si essent perfectæ, nõ timerent pœnis; nam perfecta caritas foras mittit timorẽ;si non tamerent pœnas,non punirentur, quia non est pœna id quod amatur,& libenter recipitur,ergo non essent in Purgatorio,nisi essent imperfectæ.

QVARTO, quia nihil esse potest perfectum extra Deum,iuxta illud 1.Cor.13. *Cum venerit quod perfectum est euacuabitur quod ex parte est*; ergo animæ Purgatorij,q̃ beatæ non sunt,necessariò imperfectæ sunt. Deinde probatur consequẽtia primi argumẽti.

PRIMO,impossibile est in via stare; semper.n.oportet progredi, aut regredi, vt Bernardus dicit, animæ autem Purgatorij sunt in via, nondum enim peruenerunt. SECVNDO, *Virtus in infirmitate perficitur*,2. Cor.12.& aurum in fornace fit lucidius. TERTIO, impossibile est creaturam aliquam cõseruari,nisi accipiatsemper amplius & amplius,donec absorbeatur in suum principiũ,vt patet in fluuijs, qui semper accipiũt nouam aquam donec in mare ingrediantur,vnde conseruatio dici solet continua quædam creatio. QVARTO, caritas post hanc vitam erit maior, ergo augebitur,ergo per merita.

RESPONDEO ad antecedens, animas Purgatorij posse dici imperfectas respectu earum quæ sunt in gloria;& etiam vnam in Purgatorio posse dici imperfectam respectu alterius, siue in Purgatorio, siue in hoc mundo existentis. Tamen absolutè omnem animam in Purgatorio existentem esse perfectam in caritate. Nulla est caritas simpliciter imperfecta; dicitur enim 1.Ioã.2. *Qui seruat verbum eius,vere in hoc caritas Dei perfecta est* Sufficit autem quilibet gradus caritatis, vt quis seruet verbum,i.præcepta Domini.

Ad consequentiam dico,animas Purgatorij, quatenus sint imperfectæ respectu earum, quæ sunt in cælo,debere perfici in caritate,sed illud augmentum non requirere noua merita; nam erit præmium omnium meritorum præteritorum. Dupliciter enim augetur caritas; vno modo in genere gratiæ, vt fiat homo aptior ad magis merendum, & hoc augmentum non datur post hanc vitam; altero modo in genere gloriæ,vt remunerentur omnia merita præterita,& hoc fiet in ipsa beatitudine, pars enim præmij erit,vt August. dicit,li.2. de correp.& gratia, c.10.tãta copia caritatis,vt nunquam excidere possit a beatitudine,& à iustitia, qui ea copia caritatis p̃ditus erit.

Ac vt ordine respondeamus ad singula capita huius obiectionis. Ad PRIMVM dico, quãquam potest fieri,vt dolor internus sit tãtus,& à tãta caritate procedens,vt plenè satisfaciat pro omni reatu, tñ pót ét fieri,vt nõ sit tantus dolor,& ppea remaneat aliquid in Purgatorio luendum; nõ.n.repugnat perfectioni caritatis,quæ habetur extra regnum cęlorum, reatus pœnæ,pro quo satisfaciendũ sit. AD verba B. Petri dico,caritatẽ operire multitudinẽ peccatorum,sed non eodẽ modo quoad culpam,& quoad pœnam; nam culpam totam semper delet per actum suum proprium, pœnam autẽ tollit non semper totã per actum suum, sed per opera satisfactoria,quæ ipsa caritas imperat.

AD SECVDVM dico similiter,si is qui moritur,sũmo amore doleat de peccatis,posse cum eo modo satisfacere pro omni pœna; si autem non sit tantus dolor debere satisfacere postea in Purgatorio. Neq. obstat, quod ille cuperet ieiunare, si supereſſet vita,& Deus acceptat voluntatem vbi non inuenit facultatem; nam in isto inuenitur facultas satisfaciendi, si non ieiunando,certè patiendo in Purgatorio.

Ad TERTIVM dico, animam Purgatorij non timere,sed pati reipsa pœnas; timor enim est futurorum, non præsentium dico præterea,non repugnare perfectæ caritati timorẽ pœnę,alioqui Christus qui timuit pœnas,& ex eo timore sanguinẽ sudauit,Luc.22.non fuisset perfectus in caritate. Quod autem Ioãnes dicit: *Perfecta caritas foras mittit timorem*,nõ intelligitur de timore pœnæ, sed de timore culpæ, præcipuè propter pœnam; qui enim perfectè diligit,metuit offendere Deum,præcipuè propter ipsum Deum,non propter pœnam,quæ sequitur offendentes Deum; atque ita perfecta caritas libera est ab illo metu seruili, quo quis non audet peccare,ne damnetur, peccaturus si non timeret damnari.

Ad QVARTVM dico,extra Deum non posse inueniri aliquid ita perfectum, quod non debeat dici imperfectum respectu perfectionis gloriæ, tamen illud ipsum erit simpliciter perfectũ. unde Paulus Philip.3 dicit: *Non quod iam perfectus sim; sequor autem si quo modo apprehendam*. Et infrà: *Quicunque ergo perfecti sumus*. vbi se perfectum dicit absolutè,& tamen imperfectum,comparatione facta ad beatos.

Iam ad PRIMVM in confirmationem consequentiæ,dico animas Purgatorij non esse in via,sed in termino,quantum ad gratiæ augmentum; qui.n.ad vrbem aliquam tendit, & puenit ad eius portas nocturno tempore,dicitur iam peruenisse,& totam viã cõfecisse,licet portas inueniat clausas, & non possit ingredi,donec Sol oriatur. Præterea quod Bernardus ait: *In via Dei non progredi esse retrogredi*, non debet accipi mathematicè,sed moraliter;nõ.vult dicere in quolibet opere nos mereri augmẽtũ gratię,aut pdere aliquid gratiæ, sed eos qui nõ dãt operã, vt proficiãt, facilè impelli posse a diabolo et mũdo ad cãsum,etc.

Ad SECVNDVM dico, inprimis Paulũ ad literã loqui de virtute Dei, q̃ dr̃ pfici in infirmitate, quia tũc magis apparet Dei potẽtia,quò plura ei resistunt; habetur.n.in Græco δύναμίς μου,i. virtus mea. Dico p̃terea,virtutẽ ét nostrã perfici in tribulationibus,sed in hac vita tantùm quoad verum augmentum virtutis,quia in hac vita tãtùm est locus merẽdi; at in futura dici posse pfici in Purgatorio,nõ qd ei aliq̃d addatur,sed qd auferatur rubigo peccatorũ:qũo aurum in fornace fit lucidius, non quia illi aliquid additur, sed quia separatur a terra,& plumbo,& similibus.

Ad TERTIVM dico,falsissimum esse illud principium Lutheri in rebus permanentib. solumq. hẽre locũ in successiuis,alioqui res p̃manentes nunquã essent eædẽ,& sic Deus nũc nõ puniret in inferno Iudã illũ qui peccauit,sed alium quẽ postea creauit, nec remuneraret Petrum,qui meruit, sed alium quendã postea creatum. Quod autem dicitur,conseruationẽ esse continuam creationem, est verum,sed intelligitur creari illud idem,non augeri vel fieri aliud nouũ.

Ad QVARTVM iam esse responsum.

SECVNDVM argumentũ Lutheri; Animæ in Purgatorio continuò peccant; ergo sunt in statu merendi,& demerendi. Probat antecedens; Animæ illæ horrent pœnas,ac refugiunt,& requiẽ quærunt, ergo peccant.antecedens probat,tũ qa alioqui nõ punirẽtur,pœna.n.inuoluntaria esse dẽt,& amara,tum etiã, quia non deberemus precari illis requiem,& liberationem a Purgatorio,si amarent ipsæ eas pœnas.

Probat deinde consequentiam. PRIMO, qa verè amanti omnes pœnæ dulcescunt, ergo animæ illæ

dum

dum refugiunt pœnas non perfectè amant, proinde peccant. SECVNDO, quia dum refugiunt pœnas, quęrunt q̃ sua sunt, non honorē Dei. TERTIO, quia Deũ amant amore concupiscentiæ, dũ cupiunt ab eo liberari. QVARTO, quia Christus dicit, qui nō accipit crucem suam, non est me dignus, i. qui non accipit sponte & libenter. At crux animarum Purgatorium est; peccant igitur dum eam crucem refugiunt.

RESPONDEO, animas in Purgatorio horrere ac refugere pœnas, & requiem quærere, quatenus eas considerant vt malas, & naturæ contrarias, & tñ simul eas libenter admittere, & tolerare, quatenus considerant vt instrumenta, per quæ purgantur; qũo ægrotus horret medicinam amarã, & tamen libenter sumit, quia per eam curari sperat, neq; in hoc vllũ peccatum esse potest. Nam Dominus qui peccare nō potuit, horruit tamen pœnas, & dixit: *Pater transfer calicem hunc à me.* Matt. 26. & Dauid clamat: *Quoniam tribulor, velociter exaudi me*, Ps. 68. Et de Petro Christus ait, Ioan. vlt. *Cùm senueris alius cinget te, & ducet quo tu non vis.*

Denique S. Cyprianus ait lib. de mortalitate; *Quis non tristitia carere optet? quis non ad lætitiam venire festinet?* Et B. Augustl. lib. 10 Confessionum, ca. 28. de pœnis loquens: *Tolerare eas iubes non amare, nemo autem quod tolerat amat, quamuis tolerare amat.*

Ad PRIMVM ergo, quo probatur consequentia, dico, verè amanti non sic dulcescere pœnas, vt eas non sentiat, sed sic, vt licet amaras, toleret tñ alacriter pp amatum, vt patet tum ex dictis, tum ex verbis S. Eleazari 2. Mach. 6. *Tu scis*, inquit, *Domine, quia cũ à morte possem liberari, duros corporis sustineo labores; secundum animum verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Et hic fuit cõis affectus martyrum, qui reuera sentiebãt acerbissimos dolores, & tñ libenter eos ferebant, licet quibusdam Deus priuilegio quodam sensum doloris abstulerit per affluentiam consolationis, vt scribit Ruffinus lib. 10. hist. c. 36. de Theodoro.

Ad SECVNDVM dico, eas nō quærere quę sua sunt, sed honorem Dei; cupiunt enim citò liberari, vt possint magis, & melius Deum laudare.

Ad TERTIVM dico, eas amare Deum amore amicitiæ, quia bonum suum referunt in Deum.

Ad QVARTVM dico, eas accipere crucem suã, quia libenter patiuntur, nec petunt liberari, nisi fm Dei voluntatem, & per media, quæ Deus instituit, & certè si essent vera quæ dicit Lutherus, id est, animę illę si quærerent quæ sua sunt, & amarent Deum amore concupiscentiæ, nec vellent accipere crucem, non iã imperfectam caritatem, sed nullam haberent, & non in Purgatorio, sed in inferno essent.

Argumentum TERTIVM quorundam Catholicorum. Animæ Purgatorij habent oĩa necessaria ad meritum; nã habent gratiã, fidẽ, spem, caritatẽ, & liberũ arbitrium, saltem quoad exercitium; cur igitur non merentur? DEINDE beati mereri possunt, vt patet de Christo qui semper fuit beatus, & tamen merebatur, ergo multò magis animæ Purgatorij mereri poterũt. Item diues in inferno orauit pro se, & suis Lucæ 16. ergo etiã animę Purgatorij orare possunt, at ista oratio procedit sine dubio ex caritate, meretur igitur exaudiri. DENIQVE idẽ confirmant auctoritate S. Thomæ, qui in 4 dist. 21. q. 1. art. 3. ad 4. dicit, post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu præmij essentialis, sed tantùm respectu accidentalis.

RESPONDEO ad argumentum, deesse ad meritum animabus Purgatorij statũ viæ; Deus. n. vt ex Scripturis manifestè probatur, solùm pro tempore huius vitę constituit acceptare bona opera ad meritum, vel demeritum. Post hanc vitam verò bona opera erunt effectus gloriæ, & mala effectus damnationis.

Ad PRIMAM confirmationem dico, Christum simul fuisse comprehensorem, & viatorem, & ideò qua parte viator erat, mereri poterat, vnde post mortem suã, quia desijt esse viator, nihil amplius meruit.

Ad SECVNDAM dico, si animæ Purgatorij orent pro se vel nobis, de quo inferiùs in quæstione de suffragijs disseremus, non mereri, sed solùm impetrare ex meritis ꝓteritis, quomodo nunc sancti orando pro nobis impetrant, licet non mereantur.

Ad TERTIAM confirmationem dico, S. Thomam mutasse sententiam; nam in q. 7. de malo, art. 11. diserte docet, in Purgatorio nullum posse esse meritum nec essentialis, nec accidentalis præmij; quod idem docent Bonauentura, Scotus, Durandus, & alij. fortasse etiam B. Thomas in 4. nomine meriti non propriè vti voluit, sed impropriè; vocauit enim actum dilectionis in Purgatorio meritorium remissionis culpę venialis, quia est remissorius, licet nō per modum meriti propriè dicti, sed per modum contrarij tollentis suum contrarium.

CAPVT IV.

Animas in Purgatorio certas esse de suæ æterna salute.

TERTIA quæstio nunc tractanda est. *Sintne in Purgatorio animæ certæ de sua salute, an incertę.* Lutherus art. 38. docet, non esse certas. Idem docent quidam Catholici, qui existimant varias esse in Purgatorio pœnas, & vnam esse omnium maximam, incertitudinem salutis, qua dicunt quasdam solùm animas multari, quę licet reuera certò saluandę sint, tamen ipsas hoc ignorare. ita videtur sentire Dionysius Cartusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert libro de quattuor nouissimis. art. 47. IDEM docet Michael Baif libro secundo de merit. operum, cap. octauo. vbi probare volens peccatum veniale mereri ex natura sua mortem ęternam, adducit in argumentum, quia alioqui sequeretur animas in Purgatorio certas esse de sua salute, quod absurdum ei esse videtur.

Denique idem videtur deduci ex sententia Gersonis lectione prima de vita spirituali, & Ioannis Roffensis contra articul. 32. Lutheri, qui admittunt, veniale peccatum non esse tale, nisi ex misericordia Dei, ac proinde iustè posse puniri in ęternum, si Deus velit. Hinc enim sequitur, animas, quę habent venialia peccata, non posse certò scire an non punientur in ęternum, quanquam Roffensis in articul. 38. Lutheri contendit, animas Purgatorij esse certas de sua salute, quod non video quomodo cohęreat cum priore sententia.

At communis Theologorum sententia est, omnes animas quę in Purgatorio sunt, habere certitudinem suæ salutis. Vt autem intelligatur quantam habeant certitudinẽ, notãdũ est, tres esse gradus certitudinis.

PRIMVS est ille, qui excludit omnem spem, & omnem timorem, & talis est beatorum, quibus beatitudo non est futura, sed præsens.

SECVNDVS est ille, qui excludit omnem timorem, sed non omnem spem, & talis est in Purgatorio; nam beatitudo est illis futura, non præsens, & ideò nō tollit expectationem; & rursum est ardua, quia per pœnas ad eam perueniunt, & ideò illorum expectatio potest vocari spes, tamen non est contingens, sed necessaria, quia non possunt amplius ab ea excidere, & ideò tollit omnem timorem.

TERTIVS est ille, qui neque spem, neque timorem excludit, & dici potest coniecturalis certitudinis gradus, & talis est noster; nobis enim beatitudo est bonũ futurũ non ꝓsens, arduum non facile, contingens nō necessarium vel impossibile, & ideò proprijssimè

speramus, & timemus, sumus enim adhuc in prælio, A in stadio, in agone.

Nunc ostendamus rem ita esse; Si animę non haberent certi tudinem salutis, id necessariò fieret propter vnam ex quatuor caussis, vel quia adhuc possũt mereri, & demereri, vel quia nondum sunt iudicatæ, vel quia ignorant sententiam iudicis, licet lata sit, vel quia propter magnitudinem dolorum ita absorbetur, & obscuratur earum iudicium, vt non possint cogitare, & videre hanc certitudinem: sed nihil horum habet locum; non primum, vt patuit; non secundum, quia licet iudicium vniuersale nondum sit factũ, tamen præter illud est particulare, quo iudicantur animæ statim a morte, vt Theologi in quarto dist. 47. & B. Thomas 3. parte q. 59. art. 5. docent.

Adduci solent ad hoc iudicium particulare probãdum loca duo: Vnus ex illo Ioan. 5. *Pater omne iudicium dedit filio*, cùm enim dicit, *omne iudicium*, videtur plura iudicia significare, vnum videlicet particulare, & aliud vniuersale. Alter ex illo Heb. 9. *Statutũ est hominibus semel mori & post hoc iudicium*. Sed illa loca non concludunt, vterque enim potest intelligi de iudicio vniuersali; nam Ioan. 5. illud *(omne)* non necessariò refertur ad duo iudicia, particulare, & generale, sed ad varios homines iudicãdos, & ad varia opera, de quibus iudicãdum erit, certè August exponit de vltimo iudicio. Alterius autem loci ex ca. 9. ad Hebr. sensus est, cum fuerint mortui omnes homines, tunc fiet iudicium, vt Oecumenius exponit.

Efficaciter tamen probatur iudicium particulare ex illis verbis Eccles. 11. *Facilè est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*. Item: *In fine hominis denudatio operum illius*. Et præterea idem colligitur euidenter ex alia veritate; nam de fide est, mox à morte impios descendere ad æterna supplicia, vt patet Luc. 16. de diuite, & iustos ad æterna gaudia, vt patet Luc. 23. de latrone: *Hodie mecum eris in Paradiso*. At non est vllo modo credibile prius distribui pœnas, & præmia, quàm fiat iudicium.

Deinde Patres idem docent. Cyprianvs sermone de mortalitate, *Gratulari* inquit, *oportet, & temporis munus amplecti, quòd dum nostram fidem firmiter promittimus, & labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ & fidei ipso iudicante capiamus*. Chrisostomvs hom. 37. in Matth. *Postquam*, inquit, *diem tuum obieris, iudicium, & pœna consequetur. In inferno enim, Psalmista dicit, quis confitebitur tibi?* Vbi etiamsi nõ additur statim, tamen necessariò subintelligitur. Nam refellit Chrysostomus illorum errorem, qui putabant Christum post mortem prædicaturum, & ad pœnitentiam adducturum defunctos.

Vtitur autem hoc argumento; Post mortem sequitur iudicium, & post iudicium pœna inferni, in inferno autem nemo potest confiteri Domino: igitur post mortẽ non est locus pœnitentiæ; quod si Chrysostomus non vellet dicere, statim à morte impios iudicari, & trudi in infernum, sed differri hæc oia in diem nouissimũ, nihil valeret argumentum eius. Responderetur enim, hoc medio tpe prædicari posse defunctis, dum iudicium vniuersale differtur. Avgvstinvs lib. 2. de origine animæ, cap. 4. *Iam illud*, inquit, *rectissimè, & valde salubriter credit, iudicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud iudiciũ quo eas oportet iã redditis corporib. iudicari*.

His accedãt exempla eorũ, qui se iudicatos testati sunt, Scribit B. Gregorivs lib. 4. Dialogorum, c. 36. de quodam Stephano, qui cũ esset mortuus, & iudici oblatus, audiuit iudicẽ dicentẽ, non hũc, sed Stephanũ Ferrarium vocari iussi, atq. ita ille reuixit, & simul Stephanus Ferrarius, qui in uicinia morabatur, obijt, cui simile narrat S. August. lib. de cura pro mortuis, B c. 12. de quodã Curma. Addit autem Gregorius hæc non fieri vero errore, sed ut per istum quasi errorẽ, qui mortuus fuerat, reuiuisceret, & narraret viuentibus tormẽta, & iudicium quod manet impios post hanc vitã. Ibidem ca. 38. narrat exemplum de quodã Chrisorio, qui in articulo mortis positus, adhuc viuẽs vidit sententiam suæ damnationis.

Duo similia narrat Beda lib. 5. hist. ca. 14. & 15. de duobus, qui desperantes mortui sunt, quia iã viderãt iudicium suum peractum, & sententiam latam. Simile narrat Ioannes Climacus in sua scala, gra. 7. de quodam eremita, qui in articulo mortis audiebatur quasi in iudicio positus rñdere accusationibus, & interdũ dicere, falsum est, nõ feci; interdũ feci, sed pœnitẽtiã egi: interdum, verum dicitis, nec habeo quod rñdeã.

Denique exstat memorabile exemplũ in vita S. Brunonis, de quodam Parisiensi Doctore, qui in ipsa Ecclesia, dum exequiæ fierent, sublato capite ex feretro clamauit; Iusto Dei iudicio accusatus sum, & sequenti die iterum clamauit, iusto Dei iudicio iudicatus sum, & tertio die, iusto Dei iudicio dãnatus sum. Est autem notandum circa hæc exempla, tàm iudicium illorum, quod ante mortẽ peractum est, quàm istius Parisiensis, quod in triduum post mortem dilatum fuit, pertinere ad particularem quandam, & extraordinariam prouidentiam, qua Deus vtitur ad nos siue instruendos, siue terrendos, alioqui regulariter credendum est iudicium fieri statim a morte; nam ordinariè tps pœnitentiæ vtile durat usque ad extremum spiritũ, ut apertè docet Leo epist. 90. ad Rusticũ; nec est ratio cur post mortẽ retardetur iudicium, cùm Deus non egeat testibus, nec allegationibus, sed in instãti possit iudicare. Dici posset etiam, & fortasse probabilius, in exemplis a Beda allatis, iudicium ante mortẽ nõ pactũ, sed postensum tãtũ fuisse: in exẽplo autem illius Doctoris Parisiensis, iudicium non dilatum in alterum diẽ, sed solùm altero die manifestatũ.

Est ẽt obseruandũ; nõ posse certò definiri, an animæ deferãtur ad iudicẽ, an ibi iudicentur ubi corpus relinquũt, & similiter an iudicent immediatè à Christo in forma humana sñiam proferente, an solùm diuina uirtute, quæ ubiq. pñsens est, an uerò p Angelos sentẽtia manifestetur. Quod enim Scripturæ passim dicunt, Christũ hominem esse iudicem uiuorum & mortuorũ, intelligũt de nouissimo generali iudicio; nã etiã ante Christi incarnationẽ iudiciũ particulare exercebat; vnde nõ solùm nõ est certũ, sed nec admodũ probabile, quod Innocẽtius III. affirmat li. 2. c. vlt. de cõtemptu mundi, Christũ in forma crucifixi apparere omnibus moriẽtibus, tàm bonis quàm malis.

Quantum ad Tertivm. quòd sententia iudicis lateat animas q̃ iudicãtur, & falsum est, & impertinẽs; falsum quidẽ, quia iudiciũ particulare pcipuè fit ad hoc, ut innotescat sentẽtia ei qui iudicatur; nam pp alios erit generale iudicium; pp Deum nõ est necessariũ iudiciũ, ipse enim omnia nouit, ergo solùm fit, vt innotescat ipsi aiæ, q̃ iudicat, & idẽ colligitur ex visionibus sup. citatis. Est ẽt impertinens, nam etiamsi nõ eis innotesceret sñia iudicis, tñ facilè possent per se cognoscere, qualis sit, ab effectu, quia videbunt se E statim in inferno, aut in cœlo, aut in Purgatorio.

At poterũt, inquies, dubitare, an sint in inferno, aut in purgatorio. Nõ ita est; nã in inferno blasphematur Deus; in purgatorio laudat; in inferno nõ est fides infusa, neq. ulla spes, aut caritas Dei: in purgatorio hęc oia repiũtur; ergo aia, q̃ uidebit se sperare in Deo, laudare, & diligere Deũ, euidẽter cognoscet, se in inferno non esse.

At poterit, inquiunt, metuere, ne in infernũ mittatur, licet ibi adhuc non sit: sed neq. hoc dici potest; nam eadem fides manet in illa, quam hic habuit; hic autem credidit secũdum clarissima Scripturarũ testimonia,

ſtimonia, poſt mortem non poſſe fieri vllos de bonis malos, nec de malis bonos, & nullum niſi malum in infernum eſſe mittendum; cùm ergo videat, ſe diligere Deum, & proinde ſe eſſe bonam, non metuet damnationem.

DICES; Nos hic videmus, nos diligere Deũ, & tñ non ſumus certi, an ſimus iuſti, ergo ẽt animæ illæ non certò colligent ex dilectione ſua iuſtitiam ſuam.

RESPONDEO; Nos non videmus habitum caritatis infuſum, quo iuſtificamur, ſed ex coniecturis fallibilibus colligimus, eum in nobis eſſe, at animæ ſeparatæ ſicut ſeipſas perſpicuè intuentur, nec enim pendent ibi à phantaſmatibus, ita etiam vident omnia, quæ in ſe habent, ac proinde vident, an habeant verũ habitum caritatis, an non; præterea ſciunt, animas eſſe immobiles tàm in bono, quàm in malo, ergo etiãſi non viderent habitum ſuum infuſum caritatis, tamẽ ſcirent, nunquam ſe Deum blaſphematuras, nec odio habituras, ac proinde nunquam in infernum mittendas. Denique ex fide nouerunt animas impiorum mox à morte corporis detrudi in infernum, nec differri vlterius eorum ſupplicia, id enim omnes Catholici credunt ex cap. 16. Lucæ, ergo animæ, quæ ſe vident extra infernum, credunt firmiter, ſe in eum nunquam mittendas.

Quantum ad QVARTVM, ꝙ animę illę pp nimios dolores impedientur à cognitione ſui ſtatus, & proinde putent, ſe eſſe in inferno, & in quadam turbatione & deſperatione vt Lutherus dicit, falſiſſimum eſt. Nam PRIMO, anima diuitis in inferno, Lucæ 16. non impediebatur à cognitione ſui ſtatus, quantò minùs ergo impedientur animæ, quæ ſunt in Purgatorio.

SECVNDO, ꝙ in hoc mundo impediantur homines à recto iudicio ex intenſione dolorum, prouenit ex læſione organi corporei, at ibi eſt pura mens ſpiritualis, & incorrupribilis.

TERTIO, quia Eccleſia in canone Miſſæ dicit, *Memento Domine famulorum, famularumq́, tuarum, quæ nos præcesſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.* Vbi Eccleſia orat pro animabus Purgatorij; nã ſubdit, ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur. At certè quæ dormire dicuntur in ſomno pacis, non ſunt anxiæ, nec deſperant, ſed potiùs habẽt admixtam cum ſummis cruciatibus incredibilem cõſolationem propter certam ſpem ſalutis.

QVARTO, quia ſi crederent ſe damnatas, non peterent ſuffragia viuorum, nec dicerent, ſe breui liberandas ſi pro eis oretur, vt patet apud Gregor. lib. 4. Dialog. c. 40. & exemplis allatis in 1. q.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones.

OBICIVNT in primò teſtimonia quædam Scripturarum, quibus vtitur Eccleſia in officio defunctorum, dũ pro animabus, quæ degunt in Purgatorio, orare cupit. Pſal. 6. *Anima mea turbata eſt valde.* Et ibidem. *Sana animam meam, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Et Pſal. 114. *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* Certè iſta tanta perturbatio & anxietas nõ põt naſci ex ſolis pœnis, ſed ex incertitudine, & metu æternæ dãnationis; nã ſi animę illę perfectæ eſſent in caritate, & certę eſſent de ſua ſalute, non ita timerent, cũ ſcriptũ ſit Prou. 12. nõ cõtriſtabit iuſtum quidquid acciderit ei.

RESPONDEO, ſtultum eſſe, ex eo quod Eccleſia vtitur aliquo Pſalmo in officio defunctorum, velle omnia verba eius Pſalmi intelligere ad literam de defunctis; quomodo enim intelligemus de defunctis illa verba eiuſdem 6. Pſalmi. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo?* Itaque Eccleſia propter vnã aut alteram ſniam, q̃ ad rẽ pſentem facit, totum aliquem locũ Scripturæ legere ſolet, etiamſi maior pars illius loci ad rem pręſentem non faciat. Sic in dedicatione Eccleſię legitur Euangelium de Zachęo, quia vltima verba: *Hodie ſalus huic domui facta eſt*, conueniunt aliquo modo dedicationi, & conſecrationi Eccleſię. ſic in aſſumptione B. Virginis legitur Euangelium de Martha, & Magdalena propter illa verba: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sic denique (vt omittam cetera) in officio defunctorum propter illa verba Pſal. 6. *Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum.* Et propter illa Pſal. 114. *Placebo domino in regione viuorum*, leguntur integri illi Pſalmi.

Adde, quod falſum etiam eſt, quod in argumento aſſumitur, turbationem, & triſtitiam non naſci ex dolore, ſed ex incertitudine, aut deſperatione ſalutis; nam Dominus ipſe Ioan. 12. cap. de ſe ait: *Nunc anima mea turbata eſt.* Et Matth. 26. cœpit contriſtari & mœſtus eſſe; & tñ nec incertitudo, nec deſperatio in Dominum cadere poterat. locus autem Prouerbiorum non debet accipi de quauis triſtitia, ſed de triſtitia deijciente, ac deprimente, quę mortem operatur, quam B. Paulus 2. Cor. 7. vocat triſtitiam huius ſeculi.

Altera obiectio ſumitur ex illa oratione, quę poſt Euangelium in Miſſa de mortuis recitatur. *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum, &c.*

RESPONDENT aliqui, Eccleſiam orare pro agonizantibus, ne damnentur ad inferos, ſed repugnat illud; Libera animas omnium fideliũ defunctorũ, nõ enim agonizantes dicuntur animę defunctorũ. Deinde vſus Eccleſię habet, vt hęc oratio dicatur etiam in anniuerſarijs defunctorum pro ijs animabus, quę ante multos annos migrarunt à corpore. ALII dicũt, hanc orationem fundi pro ijs, qui ſunt in Gehenna, quas interdum liberari contingit, vt fertur de Troiano: ſed, vt omittam improbabilem eſſe illã Traiani hiſtoriã, qui in Gehenna ſunt, iã ceciderunt in obſcurum, atq; abſorpti ſunt à tartaro? Deinde Eccleſia pro fidelibus tñ orat: *Libera*, inquit, *animas fideliũ defunctorũ.* Nõ autẽ ſunt fideles, qui dãnati ſunt ad inferos.

Duę igitur ſolutiones alię dari poſſunt. VNA eſt, ꝙ Eccleſia orat pro animabus, quę in Purgatorio degunt, ne damnentur ad pęnas Gehennę ſempiternas, non quidẽ ꝙ certum non ſit, eas non damnandas ad eas pœnas, ſed quia vult Deus, nos orare etiam pro ijs rebus, quas certò accepturi ſumus.

Sed aduerſus hanc reſponſionem obijci põt, quia etſi Eccleſia interdum oret pro ijs rebus, quas certò eſt acceptura, non tñ orat pro ijs rebus, quas iã accepit: porrò iam accepit, ne animę illę damnentur, cũ certam ſentẽtiam illę habuerint, & ſecuriſſimę ſint, deinde mens fidelium, qui pro defunctis orant vel orari cupiunt, certè eò fertur, vt animas illas iuuent, & expediant à pręſentibus pœnis Purgatorij.

Verùm iſtę obiectiones facilè diluuntur; nam etſi animę Purgatorij iam acceperint primã ſniam in iudicio particulari, eaq; ſnia liberę ſint à Gehenna: tñ adhuc ſupereſt iudicium generale, in quo ſecundam ſniam accepturę ſunt. Quocirca Eccleſia orans, ne in iudicio extremo animę illę cadant in obſcurum, neue abſorbeantur à tartaro, non orat pro ea ſe, quam accepit, ſed pro ea, quam acceptura eſt.

Ad illud verò de intentione fidelium, reſpondeo, etiam illi intentioni ſatisfieri; nam in illa oratione vtrunque petitur, nimirum, vt liberentur animę illę de pęnis inferni, id eſt, Purgatorij, quas in pręſenti patiuntur, & poſtea liberẽtur à ſententia damnationis in extremo iudicio ferenda.

ALTERA solutio est, quod Ecclesia verè orat quantum ad intentionē suā, vt animæ liberentur à pœnis Purgatorij, tñ vtitur eo modo loquendi, quasi animæ tunc migrarēt à corpore, & in periculo essent æternę salutis, qa cōmemorat, & repræsentat diē depositionis siue obitus; vt enim in celebritatibus festorū Incarnationis, Natalis, Apparitionis, Passionis, Resurrectionis, & Ascēsionis Dñi Ecclesia ita orat, ac si tunc deberet Chrs, vel incarnari, vel nasci, &c. quia repræsentat illa mysteria vt præsentia, & tñ non intendit ad literā precari, vt verbum carnē assumat, aut nascat de virgine, &c. sed vt nobis applicetur fructus eorū mysteriorum: ita quoque in sacrificio pro defunctis, quia commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia ita pro illis orat, ac si tunc morerentur: & tamen intēdit orare, vt liberentur ab inferno eo modo, quo liberari possunt, id est, vt non detineantur diutius in illis pœnis, vel vt refrigerium aliquod doloribus misceatur. Denique quomodo non est absurdum, nunc post mille & sexcentos annos in aduentu Domini dicere: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* & alia multa id genus, ita non est absurdum pro defunctis dicere: *Libera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum, &c.*

CAPVT VI.

De loco Purgatorij.

SEQVITVR quæstio quarta: *Vbi sit Purgatorium?* De qua quæstione nihil Ecclesia definiuit; sunt autem multæ opiniones.

PRIMA quorundam qui putant ibi animas purgari, vbi peccauerūt, id est, varijs in locis. & quidē quod varijs in locis animæ purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio lib. 4. Dialogorum, c. 40. & c. 55. qui refert animam Paschasij, & cuiusdam alterius in balneis quibusdam purgatas. Nec non ex epist. Petri Damiani de miraculis sui temporis, vbi describit visionem de purgatione animæ S. Seuerini in quodam flumine. At quod omnes ibi puniantur, vbi peccauerunt, non est probabile; nam contingit aliquē in multis locis peccasse, nec est verisimile in omnibus illis purgandum. Præterea visiones prædictę contrarium ostendūt; nam Paschasius Diaconus peccauerat Romæ in electione Pontificis, purgabatur autē in thermis Puteolanis, & S. Seuerinus peccauerat in Palatio Imperatoris, & purgabatur in flumine.

SECVNDA opinio, loca animarum non esse corporalia. ita Augustinus lib. 12. de Gen. cap 33. sed retractauit lib. 2. retract. cap. 24.

TERTIA, loca pęnalia animarum esse hunc mundum, in quo animæ manent in corpore tanquam in carcere. Hāc refert, & resellit Irenęus in fine libri 5. nam Scriptura dicit, animas post hanc vitam descendere in infernum, vt patet Luc. 16. & alibi.

QVARTA, infernum & purgatorium animę, nihil esse aliud præter cōscientiam accusantem & punientem peccata. ita Philo in libro de congressu quærendæ eruditionis gratia, & Origenes, vt refert Hieronymus in epist. ad Auitum. Hæc refellitur; nā si ista opinio esset vera, non minus essemus nunc in inferno vel purgatorio, quàm post mortem.

QVINTA est, infernū, & proinde purgatoriū (sunt n. loca vicina) fore ī valle Iosaphat. ita refert Chrysostom⁹ sēsisse veteres aliquos hom. de pmijs beatorū, tomo 3. similē sententiā refert Gregorius lib. 4. Dialogorū, c. 42. fortè argm̄ istorum fuit, quia Chrs passim infernum vocat Gehennam, Gehenna autem est vallis quædam adeò coniuncta cum valle Iosaphat, vt pars eius esse videat, de quo nomine infrà dicemus.

SEXTA opinio est, infernum esse statum animæ extra corpus; nā dum est in corpore in luce versatur. vt ex operibus apparet: cùm de corpore exit, nihil amplius videre potest nisi beata sit, & istæ sunt tenebræ exteriores, ita refert Theophylactus in cap. 16. Luc.

SEPTIMA est, locum pœnalem animarum nō esse terram, sed aerem istum caliginosum vbi Dæmones versantur. ita Gregorius Nyssenus in lib. de anima, & resurrectione, & Chrysostomus homilia de pręmijs beatorū, & Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 53. cui sententię fauet historia S. Fursei apud Bedam lib. 3. historiæ Anglorum, cap. 19. illo enim defuncto cùm ab Angelis in cœlum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aerem, qui seruabantur (vt Angelus dicebat) ad mundi cōflagrationem, & interim examinabantur ibi hominum opera.

OCTAVA est cōmunis Scholasticorū, Purgatoriū esse intra viscera terræ, inferno ipsi vicinū. Cōstituūt n. scholastici cōmuni cōsensu intra terrā quatuor sinus, siue vnum in quatuor partes diuisum, vnum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine Baptismo abeuntibus, quartum pro iustis, qui moriebantur ante Christi passionē, qui nunc vacuus remanet. quorum sufficientia sumitur penes genera pęnarum, sunt. n. hęc omnia loca pœnalia; omnis autem pœna, aut est tantùm damni, aut etiam sensus? & rursus aut ęterna, aut temporalis: pro pœna ergo solius damni ęterna, est limbus puerorum; pro pœna solius damni temporali, erat limbus Patrum; pro pœna damni, & sensus æterna, est infernus; pro pœna damni & sensus temporali, est Purgatorium.

Quia verò hęc omnia fabulas esse Caluinus dicit lib. 2. Instit. c. 16 §. 9. & similiter discipulus eius Beza in c. 2. Actor. & Magister eius Bucerus in c. 27. Matt. de singulis probandum est. Ac PRIMVM, quod intra viscera terrę sit locus aliquis animarum, qui generali vocabulo vocatur infernus, demonstratum est à nobis lib. 4. de Christo, cap. 9. inde petat Lector si velit plenè cognoscere, quę ad hunc locum pertinent.

PORRO ad argumēta, q̄ tunc attulimus, accedāt varię eruptiones ignis, q̄ in terra apparēt, quas nō temerè B. Gregorius putat esse indicia q̄dā inferni, intra viscera terrę exittētis, lib. 4. Dialogorū, c. 35. nā in eodē lib. c. 30. scribit se certa relatione cognouisse, eadē ipsa hora, qua obijt Rex Theodoricus Arianus, viam fuisse animā eius iactari in foueā Vulcani, q̄ est ī Sicilia, & Laurētio Surius ī historia anni MDXXXVII. scribit circa mōtē Heclā insulę Islandię, vnde erumpunt flammę, & audiuntur quędam quasi tonitrua horribilia, sępe apparere animas, quę dicant se mitti ad illum montem. Hęc de inferis in genere.

Nunc de singulis locis. Ac primùm q̄ infernus dānatorum sit in profundissimis terrę partibus, probat⁹ PRIMO, quia intra viscera terrę est infernus, vt iam probauimus, sed Lucę 16. anima diuitis epulonis dē fuisse in inferno, & nō solùm in inferno, sed ēt in loco profundissimo, quādoquidē vt videret Lazarum, q ēt tūc erat in locis subterraneis, sursum versus aspicere debuit. PRAETEREA rō ipsa dictat vt si locus beatorū est in summo cęlo, locus dānatorū sit in loco remotissimo à cœlo, nihil autē remotius cētro terrę.

DEINDE, quòd Purgatorium sit etiam sub terra, & inferno damnatorum vicinum, probatur PRIMO ex illis verbis Actor. 2. *Solutis doloribus inferni*, quę intelliguntur ab Augustino epist. 99. de pœnis Purgatorij, vnde etiam Ecclesia in Missa de defunctis dicit: *Libera animas defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* SECVNDO, id confirmatur ex visione, quam refert Beda lib. 5. cap. 13. historię, vbi apertè visum est Purgatorium inferno damnatorum contiguum. DENIQVE, Theologi ferè omnes docent eodem in loco esse, & eodem igne torqueri damnatos, & animas Purgatorij.

Quòd

Quòd aũt limbus puerorũ sit in inferno, probat̃; A nã Concilium Florentinũ sessione vltima disertè definit tàm eos, qui moriunt̃ cũ peccato mortali, q̃ eos, qui cũ solo originali, mox in infernũ descẽdere, pẽnis tñ disparibus puniẽdos; & B. Augustinus lib. 1. de Baptismo paruulorũ, c. 28. & lib. 5. Hypognostici dicit, fidem Catholicã nõ nosse nisi duo loca, vbi homines sint futuri perpetuò; cęlũ beatorum, & infernũ damnatorum. Est tñ communis opinio Scholasticorum, limbum puerorum esse in loco inferni altiore, quàm sit Purgatorium, ita vt ad eum ignis non perueniat; quam sequutus est Innocentius III. cap. Maiores, extra, de Baptismo. sed de hac re alibi disputandum est.

Quòd denique limbus Patrum sit in inferno, sed in parte suprema, probatũ est satis accuratè in lib. 4. de Christo, cap. 10. vnum solum argumentum repetemus, quod in eo loco nimis breuiter tractatũ fuit. Igitur lib. 1. Reg. c. 28. anima Samuelis de locis subterraneis ascẽdere visa est: *Vidi*, inquit Pythonissa, *Deos ascendentes de terra.* B

Respondebunt aduersarij, illum non fuisse verè Samuelem, sed Diabolum in forma eius, vt docent Tertullianus lib. de anima, prope finem. Auctor quæstionum apud Iustinum, q. 52. & Auctor quæstionũ veteris Testamenti q. 27. apud Augustinum, & Auctor librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 2. cap. 11. Procopius & Eucherius in hunc locum libri Regum, & Isidorus lib. 8. etimologiar. cap. 9. qui his rationibus mouentur.

Primo, quia non est credibile, Samuelem subiectum fuisse Pythonissæ, nec etiam spontè venisse; C quia artem magicam confirmasset. Secvndo, quia Samuel non se adorari passus fuisset, vt illa vmbra fecit. Tertio, quia non dixisset Sauli: *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Nec enim Saulis anima ad limbum Patrum, sed ad Gehennam descensura erat. Qvarto, quia Deus negauit Sauli responsum per Prophetas, per oracula & per somnia, vt in eo capire dicitur, ergo non est credibile, responsurum postea fuisse per Pythonissam.

At his nõ obstantibus, tenendũ est, verè Samuelis animã fuisse eã, quæ apparuit, & proinde vehemẽter cõfirmari sententiã nostrã de loco subterraneo animarum. Nã inprimis auctores citati sunt oẽs aut incerti, aut obscuri; at qui cõtrarium docẽt, certi & clarissimi sunt, nimirũ Iosephus lib. 6. antiq. c. 15. Iustinus in Dialogo cũ Triphone vltra medium, Basilius epist. 80. ad Eustathiũ medicũ. Ambrosius in c. 1. Luc̃. Hieronymus in c. 7. Isaiæ, & Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 15. Neque obstat quod Augustinus lib. 2. ad Simplicianũ q. 3. dubitauerit, an fuerit illa anima, nec ne; nã librũ de cura pro mortuis] scripsit posterius, & re diligentius cõsiderata. Præter hos veteres idem docent recentiores in hunc locũ, Lyranus, Abulensis, Dionysius Cartusianus, & Caietanus.

Sunt etiam pro hac sentẽtia fortissimæ rationes: Prima, quia Scriptura perpetuò vocat Samuelem, eum, qui apparuit: *Cùm vidisset*, inquit, *mulier Samuelem.* Et rursum: *Dixit Samuel ad Saul; &, intellexit ergo Saul quòd Samuel esset.* At certè nõ diceret, intelexit, sed cogitauit, vel putauit, si id non esset verum. E

Secvnda, qa Eccles. 46. ponit̃ in laudibus Samuelis qd mortuus prophetauerit, & annũciauerit regi q̃ vẽtura erãt. At quęnam laus est qd Diabolus alicuius speciẽ assumat, & decipiat? & hoc est argumẽtũ propter qd Augustinus lib. de cura pro mortuis asserit, verè fuisse Samuelẽ illum, qui apparuit, cuius testimonij non meminerat cùm scriberet ad Simplicianum.

Tertia, quia prædixit Sauli futura, quæ Diabolus scire non poterat, nimirum sequenti die eum cum filijs periturum, exercitum dissipandum, Dauidem regnaturum, &c.

Vltimo, quia rationes contrariæ nihil concludũt.

Ad Primvm dico, Samuelem nõ venisse iussu Pythonissæ, sed iussu Dei, & potiùs impediuisse quàm confirmasse artem magicam; præuenit enim Samuel aduentu suo effectũ incantationis; & cõtrario modo ascendit atq; alij soleant, qui per incantationem excitantur & hæc est caussa cur Pythonissa turbata fuerit, & sibi impositũ diceret. Si enim verum est, quod Rabbini scribunt, vmbræ mortuorum, quę vi magicę artis euocantur, capite deorsum verso ascendunt: Samuel aũt recta figura ascẽdit, ita vt primũ caput, dein de pectus, postremò pedes è terra emergere visi sint.

Ad Secvndvm dico, illam adorationem nõ fuisse latriam, sed reuerentiam debitam animæ Samuelis.

Ad Tertivm dico, illud: *Mecum eritis*, non significare, in sinu Abrahæ eritis, sed mecum eritis sub terra, id est, mortui eritis; nam cùm inter filios Saulis esset etiam Ionathas iustus, non erant descensuri ad eundem locũ Saul & Ionathas, & tamen Samuel dicit in genere: *Mecum eritis.*

Ad Qvartvm dico, Deũ se iratum Sauli ostẽdere voluisse, idq; fecisse tàm non rñdendo, qñ interrogabatur, quàm respondendo, qñ non interrogabatur; vtrumq; enim est signum iræ. Adde, quòd cùm Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum, & pœnam sibi à Deo paratã; at cùm interrogauit Pythonissam, iam erant omnia parata, & acies instructæ, & in conspectu positæ, vt nullo modo prælium detrectari posset; tunc ergo Deus, vt magis puniret Saulem, prædixit ei per Prophetã interitum suum, & filiorũ, & totius exercitus.

Habemus igitur, Purgatorium, Infernum, ac Limbos Patrum & puerorum, loca subterranea esse.

CAPVT VII.

Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animabus iustis præter Cœlum & Purgatorium.

De prædictis receptaculis subterraneis animarum, duo quædam à Theologis tractari solent, quæ hic breuiter inferre placuit, plenioris doctrinæ caussa. Primo, quærunt, an præter hæc loca sit aliquis alius locus, vbi retineantur animæ antequam ad regnum cœlorum perueniant. Secvndo, an ex his D locis egredi possint.

Quantum ad Primvm, difficultas est satis magna, quia ex vna parte omnes Theologi docent, non esse alia receptacula præter quatuor numerata, & Concilium Florentinum sess. vlt. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in cœlum. Ex altera parte narrat Beda lib. 5. hist. cap. 13. visionem valde probabilem, cui ipse fidem adhibere non dubitauit. fuit autem in illa ostensum cuidam animæ, quæ ad corpus postea redijt, præter infernum & purgatorium, & regnum cęlorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ. cui reuelationi multas alias conformes adducit Dionysius Cartusianus in Dialogo de iudicio particulari, art. 31. & Ludouicus Blosius Monili spirituali, cap. 13.

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile, talem aliquem locum reperiri, ceterùm eiusmodi locũ ad Purgatorium pertinere; etsi enim ibi nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni: pœna autem non conuenit nisi animæ, quæ nondum plenè purgata est, itaque erit locus ille mitissimũ Purgatorium, & quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus.

Hoc tamen addendum est, animas, quæ in eo loco morantur, non solùm carere beatitudine, sed etiam

affligi, ac torqueri ex illa dilatione beatitudinis, dixi autem, mihi non videri improbabile, talem aliquem locum reperiri, quia S. Thom. in 4. sent. dist. 21. art. 1. scribit, in ijs, quę de Purgatorio determinata nō sunt ab Ecclesia, standum esse ijs, quæ sunt magis conformia dictis & reuelationibus Sanctorum. mouit me etiam auctoritas Io. de Turrecremata doctissimi, atque optimi Cardinalis, qui in prologo, qui præmittitur Reuelationibus S. Brigittæ, cùm diligenter expēdisset eas reuelationes, affirmare non dubitauit S. Brigittæ conuenire id, quod dicitur Iudith 8. omnia quę loquuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehēsio. Scribit autem S. Brigitta lib. 4. cap. 124. animam quandam in Purgatorio nullam aliam pœnā habuisse, nisi dolorē ex desiderio dilatę felicitatis.

CAPVT VIII.

Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.

ALTERIVS autem quæstionis triplex esse potest sensus. PRIMVS, an possint exire nunquam redituræ, quia nimirum transferantur de vno receptaculo ad aliud. SECVNDVS, an possint exire, vt rursum redeant ad suum locum. TERTIVS, an possint ita egredi, vt hic nobiscum iterum viuant.

Quantum ad PRIMVM sensum, facilè responderi pōt, ex inferno damnatorum, limboq; puerorū non dari regressum; ex Purgatorio, limboque Patrum dari; sunt enim animæ impiorum damnatæ ad perpetuos carceres & ignes Gehennæ, & similiter animæ puerorum ad perpetuum exilium, & tenebras. Animæ autem sanctorum Patrum damnatæ erāt ad exilium temporale, & animę Purgatorij ad carceres temporales. Ratio est: quia causa carceris, vel exilij damnatorum est culpa mortalis actualis, vel originalis, quę nunquam remittetur; causa autem exilij Patrum fuit debitum temporale contractum ex peccato primi parentis; ille enim suo peccato cœlum clauserat, quod aperiri non potuit, nisi Christi sanguine reipsa effuso; causa verò Purgatorij est reatus temporalis pœnę, quæ necessariò finem habet.

CONTRA hoc tamen est auctoritas Ioannis Damasceni, qui in oratione de mortuis dicit, orationibus S. Theclæ liberatam de inferno animam Falconillæ cuiusdam fœminæ paganæ, & orationibus S. Gregorij Papę animam Traiani Imperatoris.

RESPONDEO, si hæc historia defendi debeat oportere dicere, Traianum non fuisse damnatum absolutè ad inferos, sed solùm punitum in inferno secundum præsentia eius demerita, & suspensam sententiam propter præuisas B. Gregorij preces; & præterea non immediatè ex inferno ad cœlum transisse, sed prius corpori vnitum, & tunc baptizatum, & pœnitentiam in hac vita egisse; ista enim est communis solutio B. Thomæ, Durandi, Richardi, & aliorum in 4. dist. 45. Qui tamen Traianum resurrexisse, sine teste dicitur, nec enim vllus veterum huius rei meminit, & repugnat hoc sententiæ Damasceni, qui satis apertè docet de inferno ad cœlum transisse, non autem ad hanc vitam redijsse Traianum, & si pœnitentiam egit, in inferno illam egisse: Cùm tñ soliùs Damasceni auctoritate nitantur auctores citati, ideo magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. 11. de Locis, c. 2. simpliciter improbat hāc historiā vt confictam, & Dominici à Soto, qui in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. dicit, hanc historiam sibi creditu durissimam esse, non obstante Apologia Alphonsi Ciaconis, pro hac historia ante hoc triennium edita. Rationes autem, quibus moueor, sunt quatuor.

PRIMA, quia quotquot hanc historiam admiserunt, id fecerunt propter Damasceni auctoritatem; at librū illū nō esse Damasceni, facilè probari pōt; nā in eo libro auctor nō solū dicit Traianum, & Falconillā ab inferno dānatorum ad regnū cęlorū trāsiuisse, sed ēt multos alios, qui in infernum descēderāt, qa fide diuina caruerint, à Christo cōuersos, & saluatos, qñ ad inferos descendit: qđ & per se erroneum, & cō trarium verbis Damasceni lib. 2. de fide, c. 4. vbi dicit hominibus id esse mortem, quod fuit Angelis casus.

SECVNDA ratio, quia nullus auctor Latinus historiæ eius memint, vt Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac ne ipse quidē Beda, qui Beati Gregorij studiosissimus fuit, imò in ipsa Rom. Ecclesia, & eius archiuis nulla huius rei memoria exstabat, quando Ioannes Diaconus vitam B. Gregorij scripsit; ipse enim vitam B. Gregorij ex archiuis Romanis diligentissimè collegit, & tāmen lib. 2. c. 44. dicit, hanc historiam de Traiano repertam in Ecclesia quadam Anglorum, nec fidem certam illi habitam à Romanis.

TERTIA, quia B. Grego. lib. 34. mor. cap. 13. al. 16. disertè docet, non posse orari pro infidelibus defunctis, quēadmodū nec pro Diabolo, qñquidē in eadē ęterna, & irreuocabili dānatione sunt; quō ergo credibile est, eū id fecisse? Rñdet Abul. q. 57. in 4. lib. Reg. iō Gregorium peccasse mortaliter orādo p Traiano; sed absurdissimū est & ferè blasphemum, cùm cōstet Grego. virum fuisse nō mō sanctissimum, verū ēt prudentissimum. Deinde si peccauit mortaliter orādo, quō fuit exauditus? Num Deus placat, qñ offenditur? Rñdet Ciaconus, non peccasse Gregor. orando, sed meruisse potiùs, quia licet ordinariè non liceat orare pro dānatis, tamē licet ex peculiari instinctu diuino.

AT CONTRA. Eadem historia refert, Gregorium pp hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi, & pedum. Respondet ipse; hunc dolorē non datum Gregorio in pœnam, sed ne elatio illi subreperet. AT contrà; nam Petrus Diaconus, quē ipse citat ex libro quodam bibliothecæ Vaticanę, dicit, Gregorio ab Angelo dictū fuisse, q̄ quia p̄sumpserat hoc pētere, laboraret vsque ad mortem dolore, &c. ergo in pœnam peccati, nam præsumptio peccatum est.

QVARTA ratio est, quia argumenta Ciaconis non cōcludunt; ipse n. nititur pręcipuè his testib. PRIMO, testimonio Petri & Ioānis Diaconorū Gregorij, qđ exstare dicit in bibliotheca Vaticana, SECVNDO, testimonio innominati auctoris, q̄ scripsit vitā B. Gregorij, q̄ præponit operibus eius impressis Basileæ anno MDLXIV. qui auctor vī vixisse tempore ipsius Gregorij. TERTIO, testimonio Damasceni. QVARTO, testimonio Ioan. Diaconi. lib. 2. c. 44. vitæ B. Gregorij. QVINTO, testimonio B. Thomæ. SEXTO, testimonio S. Brigittę. SEPTIMO, testimonio Mechtildis.

PRIMVM testimonium mihi valde suspectū est; nā si illud esset verè Petri Diaconi, non diceret Ioannes Diaconus, historiā hāc non exstare in Romana Ecclesia, sed solū apud Anglos, p̄terea iste Petrus dicit, Gregoriū à Deo petiuisse, vt quotquot sepelirent in Ecclesia S. Andreæ in cliuo Scauri, nō possent dānari, dummodo fidem tenuerint Christianā, & impetrauisse. At certè Gregorius vir prudētissimus nunq̄ ita orasset; nā vel intelligit de fide informi, vel de formata; si de informi. ergo voluisset saluari homines moriētes sine charitate, qđ q̄s credat? si de formata, nō erat opus id petere, nā vbicunq; sepeliat, qui moritur cū charitate, dānari nō potest. ADDE, q̄ totū illud fragmentū redolet nouitatē, & proinde suppositiū videtur: vocat. n. Gregorium Diuum, quod nomen eo tempore erat inusitatū. Item anteponit Cardinales Episcopis; quod repugnat Ioanni Diacono, qui in vita S. Gregorij scribit, ex Cardinalib. consueuisse promoueri à Gregorio multos ad Episcopatum,

vt

vt ad gradum altiorem, alia quoque habet non pauca signa nouitatis.

SECVNDVM testimoniũ nihil noui adfert. auctor enim ille sine nomine non vixit tempore S. Gregorij, sed posteriore tempore. redegit enim in compendium vitam S. Gregorij, quam scripserat fusissimè Ioannes Diaconus.

TERTIVM testimonium iam est reiectum.

QVARTVM est contra ipsum Ciaconum; nam Ioannes Diaconus dicit, animam Traiani non esse liberatam de inferno, sed solùm id obtinuisse, vt in inferno existens non pateretur pœnam ignis, Ciaconus autem vult eam in cœlo beatam.

QVINTVM est etiam contra ipsum, nam beatus Thomas, vbi ex professo hoc tractat, nimirum in 4. dist. 45. q. 2. probabilissimum putat animam Traiani liberatam solùm à pœnis inferni vsque ad diem iudicij, ac deinceps cruciandam cum ceteris.

SEXTVM est valde obscurum; nam S. Brigitta non dicit Traianum esse saluum, sed solùm eleuatum ad gradum altiorem, vbi indicat in inferno aliquid saluris recepisse.

SEPTIMVM est expresè contra ipsum; nã Mechtildis dicit, se petiuisse à Dño quid egerit cum aiabus Sãpsonis, Salomonis, Origenis & Traiani. & rñsum esse, Deum velle esse oĩbus incognitũ, quid sua liberalitas cum illis egerit si ergo Deus vult esse incognitũ; non est credendum auctoribus, qui asserunt, Traianum esse in cęlo. Adde, q, Deus in hac reuelatione coniungit Traianum cum Origene: At in prato spirituali, qđ citatur à VII. Synodo, & à Ioanne Diacono lib. 2. c. 45. vitæ B. Gregorij, narratur alia reuelatio, qa Origenes visus est in Gehenna ignis cum Ario & Nestorio, & V. Synodus cap. 11. dicit anathema Origeni sicut Ario, Nestorio, & cæteris hæreticis.

Quantum ad SECVNDVM, quidam existimant, animas non posse vnquam de suis receptaculis egredi, sed oĩs appatitiones esse Dæmonum, qui fingunt se esse animas de Purgatorio exeuntes, & suffragia postulantes. ita Tertullianus lib. de anima circa finẽ, & auctor qõnum ad Antiochum q. 11. & 13. idem vñr dicere Chrysostomus hom. 29. in Matth. & homil. 2. & 4. de Lazaro, & Theophylactus in c. 8. Matthæi, quanquam hi duo, si bene legantur, non dicunt, nullo modo posse animas egredi ad nos, sed non posse egredi pro arbitrio suo, nec verti in Dæmones; nec vagari inter nos more Dæmonum. Hæretici huius temporis oĩs apparitiones animarum rident, tanquã Dæmonum illusiones, præcipuè Magdeburgenses.

Verissima tamẽ est Augustini sñia, lib. de cura pro mortuis, cap. 15. & 16. nimiæ impudentiæ esse negare animas interdum ad nos redire Deo iubente vel permittente; habemus enim testimonia grauissimorum auctorem, de regressu animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex Lymbo puerorum. Nam q, ex cœlo animæ beatæ ad nos aliqñ veniant, sunt exẽpla certissima apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 5. Augustinum de cura pro mortuis, cap. 16. Sulpitium in vita Martini, Paulinum in vita Ambrosij, Theodoretũ lib. 5. hist. cap. 24. Gregorium lib. 3. Dialogorum, cap. 24. & 25. & in VII. Synodo, act. 4.

Quòd ex Lymbo Patrũ apparuerint animæ, probat Augustinus libro de cura pro mortuis, c. 15. & 16. ex lib. 1. Regum, c. 28. vbi Samuelis anima apparuit Sauli, & ex Matth. 17. vbi Moses apparuit cum Helia in monte Thabor; quamuis enim Hilarius in hunc locum, & Ambrosius lib. 1. de Cain, cap. 2. dicunt, Mosem adhuc viuere, tamen contrarium expresè habetur Deuter. vlt. & Iosue 1.

Quòd ex Purgatorio apparuerint, sunt exempla apud Gregorium lib. 4. Dialog. c. 40. & 55. & alios auctores suprà citatos. Quòd denique ex inferno, probat multis exemplis auctor librorum de proprietatibus apum, & idem apparet ex illa apparitione Doctoris Parisiensis in vita B. Brunonis, qui post triduum à morte, dixit se condemnatum. Credibile est, aiam illam mox à morte in infernum descendisse, sed tamen ter apparuisse; & PRIMO, manifestasse suam accusationem. SECVNDO, suum iudicium. TERTIO, suam damnationem, vt hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum.

Quantum ad TERTIVM, quod aliqui ex Purgatorio vel Lymbo Patrum fuerint ad vitam reuocati, nulli dubium esse potest. Nam mortui, quos excitarunt Helias, Heliseus, Dominus Christus & Petrus, & Paulus, cũ fideles fuerint, creduntur fuisse in Purgatorio, aut in Limbo, neq; vllum sequitur inconueniens, si ex his locis aliqui resurgant, siquidẽ hoc nihil aliud est, quàm mutare illis exilium vel carcerem.

DICES; at iam erant certi de sua salute, & per resurrectionẽ fient incerti. RESPONDET bene Abulensis q. 57. in 4. Regum, omnes eos, qui ex Purgatorio aut Limbo Patrum in vitam reuocati fuerunt, sine dubio confirmatos fuisse in gratia, vt nullo modo perire potuerint, quia alioqui iniuria illis facta fuisset.

Quòd aũt ex cęlo, aut inferno damnatorum reuocari possent ad vitam, videretur incredibile, nisi exstarent exempla, q̃ negari nõ pñt: Nam B. Greg. lib. 1. Dialog. c. 9. scribit, à S. Fortunato excitatũ fuisse Marcellũ quendã virum sanctũ, qui ab Angelis in optimũ locũ ductus fuerat. Et c. 12. scribit, à S. Seuero excitatum quendã virum pessimũ, qui à Dæmonibus in infernũ deducebat. Ægesippus scribit lib. 3. c. 2. B. Petrũ excitasse affinẽ quendã Cæsaris Ethnicũ à morte. Nec dubitari põt, quin Apli aliquos Ethnicos excitarint. Maximus ser. 2. de S. Agnete, dicit, ab ea excitatũ filiũ pfecti, q in pctõ mortali obierat. Et Euodius lib. 1. de miraculis S. Stephani, dicit, puerulũ mortuũ ante Baptismum, ad reliquias S. Stephani excitatum.

Dico igitur, beatos iam existentes non posse reuocari ad vitã; siquidem beatitudo includit certitudinẽ de non amittenda vnquã felicitate, vt B. Augustinus docet de corrept. & gratiã, c. 10. & rõ est manifesta, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; non habet autem oĩa bona, qui non habet illam certitudinem. Si igitur aliqui sancti viri redierunt ad corpus, nõ fuerunt beati, sed Deus pręuidens eorũ excitationẽ, distulit eorum beatificationem, & interim detinuit eos in optimo aliquo loco, vt accidit Marcello illi, de quo Gregorius loquitur.

De damnatis simr dico, damnatum absolutè ad pœnas ętternas, non posse reuocari ad vitam, qm alioqui fieret incerta impiorum damnatio; & sane B. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, c. 24. nimię pręsumptionis esse dicit asserere, eos non mansuros perpetuò in igne, quibus Veritas dicit. *Ite in ignem ętternum* dicit aũt hoc Veritas oĩbus, quos damnat tàm in particulari, quàm in vniuersali iudicio. Præterea nullus esset damnatorũ, qui non posset sperare salutem, & pro quo nõ possemus orare. nunc. n. non oramus pro infidelibus damnatis, qua fm fidem credimus, eos non posse saluari; at si possunt saltem ex priuilegio saluari, certè pro illis orandum esset, sicut in hoc mundo oramus pro obstinatis in malo, vt Deus det illis gratiam efficacem, quę certè non datur, nisi ex priuilegio.

SED obijcit Abulensis quęst. 57. in 4. librum Regum, ei, qui excitatur ab inferno damnatorum, non remittitur neque culpa, neque pęna, per ipsam excitationẽ, neq; aliud miraculum hic necessarium est, quã simplex mortui resuscitatio, ergo fieri põt, vt tales redeant. RESPONDEO, non remitti culpam, neq; pęnã, sed dari beneficium æquiualens, quia ponitur in statu, in quo poterit à culpa & pœna liberari: ex quo sequuntur oĩa absurda suprà dicta, quòd non erit certa

ta impiorum damnatio: quòd illi sperare poterunt: quòd licebit eis orare.

Ad illa exempla, quæ adferuntur; respondet Sotus in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. omnes Ethnicos, quos Apostoli excitarunt, laborasse ignorantia inuincibili fidei, & proinde in Purgatorio fuisse.

At quid respõdebit Sotus Ambrosio, qui serm. 90. & Maximo, qui serm. 2. dicunt, beatam Agnetem excitasse filium Præfecti, quem Diabolus necauerat, cũ voluisset ipsam virginem sanctam stuprare? Igitur dico, eos, qui sunt excitati, cùm merentur pœnas æternas non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & interim punitos secundum præsentem iniustitiam, vt B. Thomas docet in 4. sent. dist. 45. q. 2. artic. 2. quomodo etiam respondet Richardus, Durandus, & alij ibidem.

CAPVT IX.

De tempore, quo durat Purgatorium.

IAM VERO de tempore; quo Purgatorium permanebit, duo sunt errores extremi. PRIMVS error est Origenis, qui extendit tempora Purgatorij vltra diem resurrectionis, ita enim habet hom. 14. in Lucã: *Ego puto*, inquit, *quòd & post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Hic tamen est error exploratus; nam B. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, c. 16. *Purgatorias pœnas*, inquit, *nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumq; iudicium.* Et ratio est, quia Dominus Matth. 25. in iudicio solùm duos ordines hominum dicit futuros, vnum beatorum, alterum damnatorum.

DICES; Anima non peccauit sola, sed simul cũ corpore, igitur simul cum corpore purgari debet; proinde post resurrectionem homines purgabuntur. RESPONDEO, si argumentum concluderet, probaret etiam, animam separatam non posse puniri in inferno, nec voluptatibus in cœlo frui, contra Euangeliũ Lucæ 16. *Crucior in hac flamma.* Et Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso.*

Dico igitur, meritò puniri animam etiam solam; quia ipsa est subiectum & causa efficiens peccati; nã sunt quædam operã hominum, quæ non possunt fieri, nisi à toto composito, nec recipi, nisi in totum cõpositum, vt illa omnia, quæ fiunt à potentijs organicis, vt loqui, videre, audire, &c. & talia dissoluto compositio non inueniuntur ampliùs; & si quidem tale esset peccatum, argumentum planè concluderet. at nõ ita est; peccatũ enim est actus liberi arbitrij, & ideo à sola voluntate propriè fieri dicitur, & in sola voluntate formaliter inuenitur; dissoluto ergo homine, peccatum integrè, & solum reperitur in voluntate, & per illam in anima, non autem in carne mortua: ibi autem puniri vel purgari debet, vbi inuenitur.

Adde etiam, quòd caro suo modo quoque punitur; nam, vt anima separata punitur pœna damni, quia caret visione Dei, & pœna sensus, quia torquetur igne; ita caro punitur pœna damni, quia caret vita, & pœna sensus, licet impropriè, quia paulatim putrefit, & in cineres redigitur: tamen prior solutio est melior; nam etiam corpora Sanctorum hæc patiuntur; qui tamen purgatione non egent.

ALTER error est Lutheti, qui è contrario nimis breue efficit Purgatorium. Vult enim, omnes peccati reliquias dolore mortis purgari in ijs, qui in fide moriuntur, & ideo nullum aliud esse Purgatorium præter mortem. Hic error facilè refelli potest; nam per reliquias peccatorum, vel intelligitur fomes, vel mali habitus contracti, vel reatus pœnæ temporalis, vt peccata venialia; hæc enim sola & omnia remanere A possunt in homine iustificato ex ijs, quæ ad peccatũ pertinent, & proinde reliquiæ peccatorum dici possunt. Ac primùm, fomes tollitur quidem in morte, quia tunc extinguitur sensualitas; sed non propter fomitem nos Purgatorium constituimus, alioqui etiam pueri baptizati morientes, deberent purgatorias pœnas pati, cùm Baptismus eis non absstulerit fomitem. At Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 16. disertè docet, eiusmodi pueros nullas pati purgatorias pœnas. Mali autem habitus, qui in voluntate existunt, non necessariò extinguuntur per mortem, quandoquidem sunt in potentijs, quæ organo non sunt alligatæ, vt patet. Nec tamen propter huiusmodi habitus constituimus Purgatorium; nam alioqui sequeretur, adultos, qui post multos malos habitus contractos ba B ptizantur, & statim moriuntur, vel certè pro Christo occiduntur, non posse saluari, nisi per Purgatorium, quia nec Baptismus, nec Martyrum dissoluit eiusmodi habitus. Videmus enim baptizatos adhuc habere easdem malas propensiones, quas antea habebant, & oportere eos paulatim actibus contrarijs eiusmodi habitus tollere.

Credibile igitur est, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animæ separatæ, quem statim à separatione elicit. Etsi enim hic non possit vno actu destrui habitus cõtractus per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille multò vehementior erit; cum anima tunc sit potentior, quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium & resistentem, vt hic habet.

C Restat ergo reatus pœnæ, & peccata venialia, quæ propriè dici possunt reliquiæ peccatorem, ob quas est Purgatorium. Has autem reliquias aliquando certum est in morte purgari, aliquando certum est non purgari, aliquando dubium est quid fiat, & probabilissimum est, partim purgari, partim non purgari.

Probo singula. Ac PRIMVM quidem, quia mors violẽta pro Christo susceptа, quę dicitur martyrium sine dubio purgat omnes huiusmodi reliquias. Cyprianus enim lib. 4. epist. 2. clarè dicit, peccata omnia passione purgari: & quòd nõ loquatur de culpis mortalibus, patet, quia ibidem dicit, sine caritate nec martyrium quidquam prodesse; quod ante Cyprianum docuerat B. Paulus in priori epist. ad Corinth. cap. 13. Itaque Ecclesia nunquam orat pro Martyribus, quia, D vt Augustinus dicit, serm. 17. de verbis Apostoli: *Iniuria est orare pro Martyre, cuius nos debemus potius orationibus commendari.*

SECVNDVM probo; nam qui moriuntur inuiti, vel sine vsu rationis, vt amentes & dormiẽtes, & quos repentini casus opprimunt, non possunt ea morte vllo modo purgari, nam vel ipsa mors per se absolutè purgat, vel ratione alicuius voluntarij actus ipsam concomitantis. Non primum, quia mors secundum se est quid naturale, saltem post primi parentis peccatũ; vnde communis est bonis & malis, imò hominibus & iumentis; at per naturalia, quæ necessariò eueniũt, non meremur, nec demeremur, nec possumus dissoluere debita voluntariè contracta; igitur si mors purgat, id fit ratione voluntarij actus concomitantis; at E nos loquimur hoc loco de illis, qui sine vllo eiusmodi actu moriuntur. Præterea, videmus sæpe optimos viros pati mortem durissimam, & minus bonos leuissimam. at si in morte deberent purgari reliquiæ peccatorum, necessariò contrarium fieri deberet.

TERTIVM probo: nam multi sunt, qui æquo animo mortem tolerant propter sua peccata, quorũ patientia sine dubio iuuat ad satisfaciẽdum, sed vtrũ æquiualeant debita contracta per peccata, nemo certò scire potest.

Præter hos errores fuit opinio Dominici à Soto, in 4. sent. dist. 19. quæst. 3. artic. 2. neminem in Purgatorio ma-

rio manere ad decem annos; & ratio eius est, quia si hic in terris aliquibus pœnis breui tempore liberari possumus ab omni pœna, quare non multò citiùs in Purgatorio, cùm illæ pœnæ in infinitũ sint grauiores, & intensiores istis? Præterea hic sunt prolixæ pœnæ, quia non possunt esse multùm intensæ, nam subiectũ destruerent; at post hanc vitam possunt esse intensissimæ, quia subiectum est incorruptibile: ergo credibile est, Deum illas animas ad gloriam anhelantes breuissimo tempore per intensissimas pœnas purgare. sed istæ rationes non concludunt.

Ad PRIMVM dici potest, hic esse tempus misericordiæ, illic iustitiæ.

Ad SECVNDVM dico, Deum posse compensare extensionem intensione, sed nolle, alioqui sequeretur, animas non manere in Purgatorio ad vnam horam, quia potest Deus augendo intensionem redigere pœnas decem annorum ad vnam horam.

Præterea, repugnant huic sententiæ probatissimæ visiones Sanctorum. Scribit enim Beda lib. 5. hist. cap. 13. cuidam ostensas fuisse Purgatorij pœnas, dictumque illi esse, animas, quæ in Purgatorio degunt, saluandas omnes in die iudicij, licet aliquæ orationibus & eleemosynis viuentium, & præcipuè altaris sacrificio iuuentur, vt etiam ante diem iudicij liberentur; vbi clarè indicat, aliquos iam defunctos vsq; ad diem iudicij mãsuros in Purgatorio. Similes visiones multas afferre possemus ex Dionysio Cartusiano, & ex alijs.

Repugnat etiam Ecclesiæ consuetudo, quæ anniuersaria sacra celebrat pro defunctis; etiamsi constet, eos ante centum vel ducentos annos esse mortuos, quod certè non fieret, si Ecclesia crederet, non puniri animas vltra decem annos. Res igitur est incertissima, & non nisi temerè definiri potest.

CAPVT X.

Qualis sit Purgatorij pœna.

DE POENA Purgatorij quędam sunt certa, & quædam dubia. PRIMO, certum est, Purgatorij pœnam nõ esse desperationem & metum Gehennæ, vt Lutherus sentit; id. n. iam refutatum est.

SECVNDO, certum est etiam, vnam Purgatorij pœnam esse carentiam diuinæ visionis; non enim possunt animæ illæ non dolere, quòd videant se propter suas culpas impediri à fruitione Summi Boni; quæ vocatur pœna damni.

Certum est TERTIO, præter hanc pœnam esse etiam aliquam aliam pœnam, quam Theologi vocant pœnam sensus, quę consistit in aliquo dolore prouenientè aliunde, quàm ex carentia visionis Dei; vt enim qui peccat auertit se à Summo Bono, & conuertit inordinatè ad creaturas, ita postea puniri debet non solùm carentia Summi Boni, sed etiam afflictione inflicta ab aliquo alio creato.

Certum est QVARTO, in Purgatorio, sicut etiam in inferno, esse pœnam ignis, siue iste ignis accipiatur propriè, siue metaphoricè, & siue significet pœnam sensus, siue damni, vt quidam volunt. Quòd. n. aliquis ignis sit in Purgatorio & Inferno, patet tum ex illis verbis B. Pauli, 1. Cor. 3. *Saluus erit quasi per ignem.* Et Matt. 25. *Ite in ignem æternum.* tum ex testimonijs Patrum citatis in 1. libro, omnes enim ignem appellabant Purgatorij pœnam.

His certis positis, & in quibus omnes conueniũt, dubium est. PRIMO; An ille ignis sit propriè dictus ignis, an metaphoricè? SECVNDO, si propriè dictus, quo possit agere in animas separatas? TERTIO, à quibus ministrentur istæ pœnæ, à Dæmonibus ne, an ab Angelis bonis, an per se agant? QVARTO, an ista pœna sit maior omnibus pœnis huius vitæ?

CAPVT XI.

Ignem Purgatorij esse corporeum.

QVANTVM ad PRIMVM, communis sententia Theologorũ est, verum & proprium esse ignẽ & eiusdem speciei cum nostro elementari. Quę sententia nõ est quidem de fide, quia nusquã ab Ecclesia definita est, imò in Concil. Florentino Græci apertè professi fuerant, se non ponere ignẽ in Purgatorio, & tamẽ in definitione facta sessione vltima, definitur Purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilissima.

PRIMO, propter consensum Scholasticorum, qui non potest nisi temerè contemni.

SECVNDO, propter Gregorij auctoritatem, lib. 4. Dialogorum, c. 29. vbi disertè asserit, ignem, quo puniuntur animę, esse corporeum. Neque obstat, quod lib. 15. c. 14. moralium dicit, ignem Gehennę esse incorporeum; est enim mendum scriptorum, qui posuerunt (incorporeum) pro (corporeum) vt patet ex sequentibus, dicit. n. statim corporaliter vrere.

TERTIO, propter August. qui in eandem sententiam propendet, lib. 21. c. 10. de Ciuitate Dei.

QVARTO, quia in Scriptura passim pœna impiorum vocatur ignis; & regula Theologorum est, vt verba Scripturarum accipiantur propriè, quando nihil absurdi sequitur.

QVINTO, quia corpora damnatorum punientur igne post resurrectionem, vt patet Matth. 25. *Ite in ignem æternum*; at corpora non possunt vri, nisi igne corporeo. Est autem idem ignis corporum damnatorum, & spirituum corpore vacantium; nam ibidem dicitur: *Qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

SEXTO, quia Sapient. 11. dicitur; Per quę peccat qs, per hæc & torquetur, sed homines peccant sępe sensibilia oblectamenta inordinatè cupiendo, ergo puniri debent sentibilibus obiectis; ignis igitur quo puniuntur, sensibilis est.

SEPTIMO, id confirmatur ex eruptionibus ignis in monte Aehtna, aliisque locis, de quibus diximus, cap. 6.

CAPVT XII.

Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas vrat.

DE SECVNDO verissima sententia est, non posse in hac vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream; id enim ingenuè confitetur Durandus in 4. dist. 44. quæst. vlti. & ante Durandum B. August lib. 21. de Ciui. Dei, c. 10. vbi dicit, animas torqueri ab igne miris, sed veris modis, & B. Gregorius, cùm lib 4. Dialogorum, cap. 29. dicit, ex igne visibili inuisibilem pœnam, quia occulta & incognita est nobis. Sed licet non sciamus, quomodo id fiat, posse tamen fieri, docet Augustinus ex alio simili; videmus enim animam incorpoream vniri corpori humano, & ei vitam dare, & cum illo simul gaudere & pati, cùm tamen modus huius vnionis sit planè ineffabilis. Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis cùm inter corpus & spiritum nulla sit proportio? Sicut ergo potuit vniri spiritus carni, vt illi vitam communicaret, ita potest vniri spiritus igni, vt ab illo pœnam trahat, licet modus vtriusque vnionis sit prorsus incognitus.

CA-

CAPVT XIII.

An in Purgatorio torqueantur animæ à Dæmonibus.

DE TERTIO dubio res est omnino incerta; nam quòd nõ torqueantur à Dæmonibus, nec ab Angelis, sed à solo igne, docent Scholastici, vt S. Thomas in 4. dist. 20. art. 5. & rationem reddũt, quia omnes animæ Purgatorij in vltimo conflictu Diabolum superarunt, ideo non decet iustitiam diuinam, vt sinat eas ab hoste deuicto vexari. Deinde, hic in terris etiam perfectos viros Dæmones vexãt, qui sperant se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas Purgatorij sciunt in gratia confirmatas, non posse cadere, & vexationem illis necessariò profuturam ad celeriorem purgationem; non igitur credibile est, Dæmonum opera animas illas cruciari.

Ex altera parte, quod à Dæmonibus torqueantur animæ Purgatorij, docent multæ reuelationes, vt illa B. Fursæi apud Bedam lib. 3. histor. c. 19. & apud Dionysium Cartusianum libro de quattuor nouissimis, & lib. 1. vitæ B. Bernardi, c. 10. Maneat igitur & hoc inter secreta, quæ suo tempore nobis aperientur.

CAPVT XIV.

De grauitate pœnarum.

DE QVARTO, pœnas Purgatorij esse atrocissimas, & cum illis nullas pœnas huius vitæ comparandas docent constanter Patres. AVGVSTINVS in Psal. 37. *Quamuis*, inquit, *salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* GREGORIVS in Psal. 3. pœnitentialem: *Illum*, inquit, *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* BEDA in eundẽ Psalmum dicit, nulla esse supplicia martyrum, vel latronum cum illis purgatorijs pœnis conferenda. Idem habet B. Anselmus in 1. Cor. 3. & B. Bernardus serm. de obitu Humberti.

Idem probant omnes reuelationes, quę apud Bedam lib. 3. & 5. historię, apud S. Brigittam, apud Dionysium Cartusianum, in vita Cristinæ mirabilis habentur.

Idem probat ratio, saltem de pœna sensus. nã tàm ad dolorem, quàm ad gaudium tria concurrunt, potentia, obiectum, & coniunctio vnius cum altero. Iã quantum ad potentiam, sine comparatione capacior est doloris potentia rationalis, quàm animalis; nam quantum ad apprehensionem, intellectus est veluti fons, sensus veluti riuulus; quantum ad appetitum, voluntas est veluti fons appetitus inferior est veluti riuulus. cùm ergo anima ipsa nuda immediatè torqueatur, maximus debet esse ille dolor ex parte patientis; nunc. n. non tàm anima, quàm corpus torquetur, & per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit.

Quantum ad obiectum, si ibi est verus ignis, erit oĩno accerrimus, cùm ad hoc solùm sit institutus, vt sit instrm̃ iustitiæ diuinæ; si non sit ignis verus, erit aliquid multò horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam suam in hoc ostendere voluit.

Quantum ad coniunctionem, maxima erit; nã hic vbi sunt omnia corporalia, non fit coniunctio, nisi per contactum extremitatum, & superficierum, at ibi animam ipsam intimè pœna illa penetrabit.

Quamuis aũt aliquo modo omnes admittant, pœnas Purgatorij esse maiores pœnis huius vitæ, tamen dubium est, quo hoc intelligatur, nam B. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. artic. 2. docet duo. PRIMO, pœnam damni esse maximam pœnarum, tàm quæ in Purgatorio, quàm quæ in hac vita reperiri possint. SECVNDO, dicit minimam pœnam Purgatorij esse maiorem maxima pœna huius vitæ.

PRIMVM probat, quia sicut possessio desiderati boni gignit dolorem: Sed bonum, quod animæ Purgatorij desiderant, est summum, et desiderium etiam est maximum, intellectus enim clariùs cognoscit, q̃ magnum bonum sit videre Deum, & appetitus tum naturalis, tum etiam infusæ caritatis exerit vires, & intensissimus est, nec impeditur à mole corporea, & sensibilibus delectationibus; vt in hac vita exempla dari possunt, vt si quis vehementissima fame vexaretur, vel arderet siti intolerabili, & videret ante se mensam instructam optimis cibis, dulcissimoque vino, nec posset quidquam attingere, & tamen sciret alioqui sibi parata illa omnia fuisse.

Probat deinde SECVNDVM S. Thomas, quia oĩs, q̃ in purgatorio degit, cruciat saltẽ hac pœna dãni, quæ est omnium maxima, ergo minima pœna Purgatorij est maior, quàm sit maxima pœna huius vitæ.

At S. Bonauẽtura in 4. dist. 20. art. 1. quæst. 2. docet PRIMO, pœnam damni in Purgatorio non esse maiorem omni pœna, siue Purgatorij, siue huius vitæ. SECVNDO docet, Purgatorij pœnas esse maiores pœnis huius vitæ, solùm in hoc sensu, quia maxima pœna Purgatorij est maior, quàm sit maxima pœna huius vitæ, licet aliqua pœna Purgatorij reperiatur minor aliqua pœna huius vitæ. Quæ sententia mihi placet; nam licet absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in Purgatorio mitigatur hęc tristitia, & leuatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi; ista enim certissima spes affert incredibile gaudium, & quò magis propinquat finis illius exilij, tantò magis gaudiũ crescit. Itaque solùm in inferno pœna damni est summa, quia est annexa desperationi certissimæ, & de hac loquitur Chrysostomus hom. 24. in Matth. cùm mille Gehennas dicit nihil esse, si conferantur cum amissione diuini cõspectus; & Augustinus, qui in Enchir. cap. 112. dicit, minimã pœnam damni, si tamen ęterna sit, maiorem esse omnibus pœnis huius vitæ.

DICES; At damnati non diligunt Deum, ergo non cupiunt videre. RESPONDEO, non diligunt Deum propter Deum; sed tamen propter seipsos coguntur conspectum eius ardentissimè diligere, quia intelligunt in visione Dei consistere suum summum bonum.

Confirmatur hoc argumentum. PRIMO, quia si pœna damni esset grauissima etiam in Purgatorio, sequeretur, Patres in Limbo passos fuisse grauissimã pœnam: quod adeò falsum est, vt Lucæ 16. dicat Abraham diuiti damnato de Lazaro: *Tu cruciaris, hic verò consolatur.* Et B. Augustinus epist. 99. negat, posse intelligi de sanctis Patribus illud Act. 2. *Solutis doloribus inferni*, quia nimirum non in doloribus, sed in requie illos Christus inuenerit. Et B. Gregorius lib. 13. moralium, cap. 22. dicit, Patres in inferno non tormenta vlla, sed requiem habuisse.

Confirmatur SECVNDO, quia Augustinus, Gregorius, Beda, Anselmus, & Bernardus, cùm dicunt, pœnam Purgatorij esse maiorem omni pœna huius vitæ, diserte loquuntur de pœna ignis, per quam intelligunt omnes pœnam sensus, non damni.

Alterum dictum Bonauenturæ probatur PRIMO, quia ex certis reuelationibus constat, aliquorum pœnam esse tàm exiguam, vt nihil pati videantur, quales sunt illi, qui albis vestibus induti, visi sunt in locis amœnis & lucidis, apud Bedam, lib. 5. hist. cap. 13.

SECVNDO probatur, quia potest fieri, vt quis moriatur, nullum debitum secum ferens, nisi vnius verbi ociosi: at incredibile videretur, propter vnum solum ociosum verbum pati debere aliquem supplicia grauiora omnibus pœnis huius vitæ.

TERTIO

TERTIO, quia licet sit quæstio; An pœnæ Purgatorij semp crucient æquè grauiter, ab initio vsq; ad finẽ purgationis; an verò paulatim minuant, donec finẽ accipiant; tñ probabilior sententia est, paulatim remitti; hinc aũt sequitur, nõ quamlibet Purgatorij pœnã esse maiorẽ maxima pœna huius vitæ; nã pœna illa Purgatorij, quæ est prope finẽ, debet esse adeò remissa, vt amplius remitti non possit, hic autẽ pœnæ inueniuntur intẽtissimæ, quæ plurimùm remitti possent.

Quòd aũt pœna Purgatorij paulatim remittatur, probatur: nam S. Bernardus in vita S. Malachiæ scribit, orãti Malachię pro sorore defuncta, ipsam defunctã ter apparuisse. Primò, in veste nigra, & extra Ecclesiã. Secundò, in veste subfusca, & intra limen Ecclesiæ, Tertiò, in veste alba, & ad ipsum altare cũ ceteris Sanctis. Ex quibus ipse intellexit, animã sororis paulatim remittentibus se pœnis ad finẽ purgationis veniisse. Et similes multæ visiones adferri possent.

CAPVT XV.

Suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse.

QVATVOR explicanda sunt de suffragijs defunctorum. PRIMVM an suffragia viuorum prosint defunctis. SECVNDVM, quot sint genera suffragiorum. TERTIVM, à quibus fieri possint. QVARTVM, quibus prosint.

De PRIMO, hæretici huius tẽporis omnes & alij veteres, quos citauimus initiò huius disputationis, negant, prodesse defunctis viuorum suffragia. Quòd autẽ prosint, probari potest Scripturis, Concilijs, Patribus, & apparitionibus animarum, quæ omnia peti debent ex prima quæstione. Quibus addenda est ratio, quam tunc non attulimus, quia præsupponebant Purgatorium esse, quod nondum erat demonstratũ.

Ratio est Petri Cluniacensis in epistola contra Petrobrusianos: Ecclesia tota est vnum corpus, cuius caput est Christus, ergo debet habere cõicationem tam capitis cum membris, quàm membrorum inter se; nã, vt dicitur 1. Corinth. 12. pro inuicẽ sollicita sunt membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiũtur omnia membra. Sed iusti defuncti sunt membra huius corporis; nã sunt colligati nobiscum & cũ Deo in fide, spe, & charitate. vnde B. Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei; cap. 9. *Neque enim*, inquit, *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi*; igitur viuentes possunt ac debent iuuare defunctos, vt membra eiusdem corporis.

Præterea Christus qui caput est, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus, ergo etiam decet, vt membra inter se ita agant, vt iusti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis & mortui viuẽtibus prosint. Ac primùm, quòd Christus viuens profuerit viuentibus, patet, quia remisit peccata Magdalenę Luc. 7. Paralytico Matt. 9. Zachæo Luc. 19. Petro Luc. 22. Latroni Luc. 23. curauit etiã corporaliter plurimos, vt dicitur Marc. 1. Actor. 10. & alibi. QVOD mortuus mortuis, patet; nam descendens ad inferos, soluit plurimos à doloribus inferni, vt dicitur Actor. 2. & simul aperuit sepulcra, & multa corpora Sanctorũ excitauit, Matth. 27. QVOD viuens mortuis, patet, nam puellam in domo, adolescentem in via, Lazarum in sepulcro mortuos reuocauit ad vitã, Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11. QVOD denique mortuus viuis, patet; nam morte sua vitam nobis æternam promeruit, & nunc in cœlo semper interpellat pro nobis, & aduocatum nostrum agit, Heb. 7. & 1. Ioan. 2.

Probatur TERTIO & vltimò; nã ex quattuor mẽbris diuisionis, tria sunt certè manifesta, ergo & quartum debet habere locum; nam quòd viuentes iuuentur à viuentibus, nemo negat, cùm videamus doceri, instrui, pasci verbo & Sacramentis alios ab alijs. & Iacobus dicit cap. 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.*

Quòd etiam mortui mortuis prosint, patet; nã Helisæus mortuus mortuũ alium suscitauit, 4. Reg. 13. & Abrahã mortuus in sinum suum Lazarum mortuum recepit, Luc. 16. Nec vlli dubium esse debet; quin Sanctorum defunctorum animæ cum Christo regnantes, orent pro Sanctorum animabus in Purgatorio laborantibus, cuius contrarium temerè asserit Dominicus à Soto lib. 4. sententiar. dist. 45. quæst. 3. artic. 2. nam præter Petrum Cluniacensem loco notato, B. Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 4. ad hoc dicit prodesse mortuis sepulturam in Basilicis Martyrum, vt qui recordatur mortui, simul recordetur Martyris, & eius precibus mortui animam commendet. & Ecclesia tota in illa oratione; Deus veniæ largitor, &c. supplicat Deo, vt B. MARIA intercedente, & omnibus Sanctis, animas defunctorum ad perpetuę beatitudinis consortium peruenire concedat.

Quòd autem mortui prosint viuentibus, patet; nã 2. Machab. 15. legimus, Oniam & Hieremiã iamdudum defunctos, visos fuisse orare pro populo Iudęorum viuentium. PORRO beneficia exhibita à sanctis defunctis, hominibus hic viuentibus, innumerabilia & certissima sunt. Vide Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. & Theodoretum in libro de Martyribus. Non est incredibile, etiã animas Purgatorij pro nobis orare, & impetrare, quandoquidem anima Paschasij & S. Seuerini miracula operabantur, etiamsi in Purgatorio degerent, vt patet ex Gregorio lib. 4. Dialogorum, cap. 40. & Petro Damiano in epist. de miraculis sui temporis.

Et quanquã S. Thomas in 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. cõtrarium docet, tamen ratio eius non conuincit; nam si animę illę non orant pro nobis, vel caussa est, quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores, sed nihil horum dici potest. Non PRIMVM, quia tempore veteris Testamenti orabãt Sãcti defuncti pro viuis, vt patet ex 2. Machabęor. vlt. cùm tamen nec illi viderent Deum.

Non SECVNDVM, quia diues in inferno orabat pro fratribus suis, Luc. 16. cùm esset tamẽ in maiorib. tormẽtis, quàm sint animę in Purgatorio. Præterea Martyres in hoc mundo in tormentis constituti orabant pro se, & alijs, vt patet de S. Stephano, Act. 7. Item dolor animabus non perturbat vllo modo iudicium rationis, nec impedit affectum bonũ voluntatis; ista. n. nobis accidũt ratione corporalium organorum, quibus illę carent, Denique, non videtur dubium, quin pro seipsis orent, non obstantibus tormentis.

Non etiam TERTIVM, quia in hoc mũdo nos oramus pro Episcopis & summis Pontificibus qui sunt nobis superiores, & etiam oramus pro illis, quos non dubitamus nobis esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro Apostolo Paulo, qui eorum orationes petebat, Rom. 15. & alibi.

Præterea, animæ Purgatorij etiãsi nobis sunt inferiores ratione pœnarũ, tñ superiores sunt ratione gratiæ & charitatis, in qua iam confirmatæ sunt; oratio autẽ: quæ ex charitate procedit, hanc potissimùm superioritatem requirit, si vllã requirit, ergo probabile est eas pro nobis orare. Sed quanquam hęc vera sint, tamẽ superfluum videtur ab eis ordinariè petere, vt pro nobis orent: quia non possunt ordinariè cognoscere quid agamus in particulari, sed solùm in genere sciũt nos in multis periculis versari, sicut nos de illis solùm in genere scimus eas valde torqueri; nam nec rebus nostris interfunt, vt probat B. Augustinus libro de cura pro mortuis, c. 13. nec in Deo orationes nostras vidẽt, cùm non sint beatæ. nec est verisimile eis reuelari ordinariè, quid agamus, vel petamus. Si ergo

viui

viui prosunt viuis, mortui mortuis, mortui viuis, cur non etiam prodesse poterunt viui mortuis?

Superest argumēta soluere, quæ restant, præter ea, quæ fecimus in prima & secunda quæstione. Argumentum PRIMVM, Eccles. 9. *Viuentes sciunt se morituros: mortui autem nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, nec partem in hoc seculo in opere, quod sub Sole geritur.*

RESPONDEO, loquitur Sapiens de bonis huius vitæ, & vult dicere mortuos non scire, quid agatur de rebus quas hic reliquerunt, nec posse illis vti propria actione, vt comedēdo, bibendo, eleemosynas faciendo, &c. Ideo sequitur: *Vade ergo, & comede in lætitia.* non tñ hinc concluditur, quin à nobis iuuari possint.

SECVNDO, obijcit Caluinus præfatione institutionis Ambrosium, qui lib. 1. de Abraham, c. 9. *Docemus*, inquit, *vt nō diutius inhæreamus mortuis, sed quātum satis est officij, deferamus. Hoc non faciunt*, inquit Caluinus, *qui perpetuā de mortuis solicitudinem gerūt.*

REPONDEO, Ambrosium hic agere de luctu & pōpa funeris, quam meritò vult esse moderatā; quòd autem non prohibeat solicitudinē orandi pro defunctis, patet ex oratione ipsius de obitu Valētiniani iunioris: nam in fine alloquens Gratianum & Valentinianum defunctos, ait: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt; nulla dies vos silētio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.*

TERTIO, obijciunt Hieronymum, qui in cap. 6. ad Galatas exponens illud; Vnusquisq; onus suū portabit: *Docemur*, inquit, *per hanc sententiolam nouum dogma, quod latitat: dum in præsenti seculo sumus, siue orationibus, siue consilijs inuicē posse nos coadiuuari: cum autē ante tribunal Christi venerimus, non Iob, nō Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquā, sed vnumquemque portare onus suum.* Hęc autem Hieronymi sententia ab Ecclesia approbata videtur, quippe q̄ in decretum Gratiani cap. In p̄senti. 13. q. 2. iamdudum relata est.

RESPONDEO, Hieronymum loqui de ijs, qui mortaliter peccant, & sine pœnitentia moriuntur, vt Gratianus annotauit. Vel dicendum, Hieronymū loqui de nouissimo iudicio, quādo cessante Purgatorio cessabunt etiam suffragia, & solū iudicis vltima sententia exequutioni mandabitur. Quod ita sit Hieronymus intelligendus, patet ex libro ipsius cōtra Vigilantium, vbi grauiter accusat Vigilantiū, quòd dixisset, posse nos orare pro inuicē dū viuimus, post mortem autem nullius pro altero orationem audiendam.

QVARTO, ita ratiocinantur. Melius est p se, quàm per alium satisfacere, minus enim beatur qui per aliū quàm qui per se satisfacit, ergo non debemus orare pro defunctis, ne illis gloriam minuamus.

RESPONDEO, in hac vita melius est per se satisfacere, quàm per alium, quia dum satisfacimus, simul meremur gratiæ & gloriæ augmentum; At in Purgatorio, vbi animæ non possunt mereri, non est melius satisfacere per se, quàm per alium.

QVINTO; Nescimus, inquiunt, vbi defuncti nostri sint, & sæpe dum putamus eos in Purgatorio esse, illi sunt in inferno, vel etiā in cœlo, ergo frustrà oramus.

RESPONDET Augustinus libro de cura pro mortuis, c. vlt. melius esse, vt supersint suffragia ijs, qui nō egēt, quàm vt desint ijs, qui egent; sicut benefacimus iniustis in hoc mūdo, ne prætereantur iusti. Adde, q̄ opus bonum nunquam est frustrà; nam est meritoriū facienti, etiamsi nihil prodesset ei, pro quo fit.

SEXTO, Dei iustitia reddit mala pro malis, bona pro bonis, sed nemo patitur pro culpa alterius, quia non portabit pater iniquitatem filij, Ezechiel. 18. nemo igitur debet frui bonis alienis.

RESPONDEO, neminē pro culpa alterius puniri, nisi particeps sit eiusdē culpæ, vel cōsensu, vel imitatione. De talibus n. dicitur Exod. 20. Deus punit peccata Patrum in filijs in tertiam & quartam generationē; quod intelligitur, q̄n filij imitantur parentes, vt exponit Hieronymus in cap. 18. Ezechiel. Augustinus in Psal. 108. Chrysostomus hom. 29 in Genes. & Gregorius lib. 25. moral. cap. 22. ita ergo non est absurdum, aliquem frui bonis alterius, si cū vtriusq; consensu & voluntate fiat, vt hoc loco; nam animæ Purgatorij cupiunt iuuari, & nos volumus eas iuuare; præterea punire vnum pro alio, iniustitia est; at acceptare bona vnius pro altero, misericordia & liberalitas est.

CAPVT XVI.

Quot sint genera suffragiorum.

QVANTVM ad SECVNDVM, tria sunt genera suffragiorum. Sacrificium Missę, Oratio, & opera quælibet pœnalia & satisfactoria, vt eleemosyna, ieiunia, peregrinationes, & similia. Porrò distinguimus orationē ab operibus satisfactorijs, cùm tñ etiam ipsa sit satisfactoria, quia oratio duob' modis iuuat defunctorū animas; vno modo, vt opus quoddā pœnale & laboriosum, & hoc modo poterat cōprehendi sub opere satisfactorio; alio modo iuuat, vt est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium; quomodo etiam Beatorum orationes prosunt nobis, & animabus Purgatorij, licet satisfactoriæ non sint.

Ad hæc iuuātur etiā defuncti indulgētijs, sed ideo non faciunt illæ quartū genus suffragiorū, quia indulgentia nihil est aliud, quàm applicatio satisfactionū, seu pœnalium operum Christi & Sanctorum, defunctis. Nam idcirco dicuntur indulgentiæ cōcedi defunctis per modum suffragij, non per modum absolutionis; non enim potest Pontifex absoluere defunctos à pœnis, quomodo absoluit viuentes, quia illi non sunt ei subiecti, isti sunt; potest tamen tanquam summus dispensator thesauri Ecclesiæ communicare illis bona opera pœnalia, quæ in thesauro sunt, sed de hac re alibi dicendum est. vide interim Caietanum tomo 1. opusculorum, tractat. 16. q. 5. & 6.

Quod hæc ita sint, patet ex testimonijs Patrum: AMBROSIVS de sacrificio & oratione pro defunctis, sic loquitur lib. 2. epist. 8. ad Faustinū de obitu sororis: *Non tam deplorandam quàm prosequendā orationibus reor, nec mœstificandam lacrymis tuis, sed orationibus animā eius Domino cōmendādam.* De eleemosyna aūt agit in lib. 2. de excessu Satyri fratris, q̄ inscribit. De fide resurrectionis, hortatur. n. parētes, vt portionem hæreditatis, q̄ ad filios mortuos pertinebat, spiritibus ipsorum per eleemosynas pauperum transmittant.

AVGVSTINVS ser. 32. de verbis Apostoli: *Orationibus*, inquit, *sancta Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis non est dubium mortuos adiuuari.*

CHRYSOSTOMVS hom. 96. ad populum: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs mortuorū fieret cōmemoratio, sciunt enim multam illis contingere vtilitatem.* Idem homil. 41. in 1. ad Corint. *Iuuetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.*

His adde Angeli testimonium apud Bedam lib. 5. hist. cap. 13. *Multos*, inquit, *preces viuentium, & eleemosynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Missarum, vt ante diem iudicij liberentur, iuuant.*

VNVM hic solùm est dubium; An non etiam restitutio rei alienę prosit defunctis, ac proinde sit quartum genus suffragij. Nam sæpè dicuntur animę apparere, ac petere, vt restitutio pro ipsis fiat earum rerum, quas ipsi aut obliti sunt, aut non potuerunt restituere, & S. Brigitta lib. 6. Reuelat. cap. 66. affirmat, animam tā diu cruciari, donec restituatur quod iniustè ablatum est.

Respon-

Respondet Dominicus à Soto in 4. distin. 45. q. 2. art. 3. eiusmodi restitutionem non iuuare, si fiat; nec obesse defuncto, si non fiat; nam Deus non punit, nisi pro culpa propria in hac vita cõtracta; vel ergo defunctus peccauit non restituendo, vel nõ peccauit, si non peccauit, quia fortè nõ potuit, aut bona fide possedit, non debet etiã puniri; si autẽ peccauit, punietur pro culpa negligentię illius in Purgatorio; sed posteaquam pœnas debitas dederit saluabitur, siue res illa restituatur, siue non; ille enim iã est factus impotens simpliciter ad restituendum, neque debet pẽdere salus eius ab alterius voluntate, alioqui posset anima in Purgatorio manere in ęternũ, si nimirum hæres nũquam restitueret; quare si restitutio possit fieri, & nõ fiat negligentia hęredis, peccabit quidem hæres, non tamen id nocebit animæ: si verò fiat, nihil animæ illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpa; satisfactio enim est opus bonum pœnale, pœnale autem est dare suum, non restituere alienum.

Ad illas apparitiones respondeo, fortè animas non petere restitutionem, vt restitutionem, sed vt eleemosynam; licet enim non prosit animæ, si restituat rem alienam is, qui tenetur restituere, tamen bene proderit, si restituat alius, qui non tenetur; illa enim eleemosyna quædam est, & proinde satisfactoria.

CAPVT XVII.

Quis possit animas iuuare.

QVANTVM ad TERTIVM, qui potest suffragijs suis iuuare animas, est is, qui est iustus; homo enim iniustus non potest pro se satisfacere, & multò minus pro alijs.

SED obijcies; Nonne Missa mali Sacerdotis prodest defuncto? Nonne etiã si Dñs iustus iubeat dari eleemosynas de suis rebus pro defunctis, & dẽtur postea à ministro iniusto, tñ eleemosynæ illæ proderũt? RESPONDEO. prodesse, sed nõ esse in his casibus ministrum iniustum, qui suffragatur, sed dñm iustum.

DICES rursum; quid si Prælatus iustus iubeat, spirituales filios orare, vel ieiunare, pro defunctis, & illi filij sint iniusti?

RESPONDET Paludanus in 4. sent. dist. 45. q. 1. prodesse illa omnia. Melius id negat Sotus ibidem q. 2. art. 2. Nam qñ seruus de pecunia dñi sui facit eleemosynã, illud opus propriè est dñi, non serui, & ideo malitia ministri non vitiat opus; at dũ subditus orat, vel ieiunat, opus propriè est ipsius subditi; ipse. n. suo labore operatur, non labore dñi sui. vnde beatus Hieronymus libro contra Vigilantium, dicit, melius esse dare eleemosynam pauperi iusto, quàm iniusto, quia ille orans pro benefactore exauditur; alter nõ exauditur.

CAPVT XVIII.

Quibus prosint suffragia.

QVANTVM ad QVARTVM, certum est, Ecclesię suffragia nõ prodesse beatis, nec damnatis, sed solum ijs, qui in Purgatorio degunt; quia priores nõ egent, posteriores nõ possunt iuuari; id quod docent omnes Scholastici in 4. distin. 45. sequuti Augustinum, qui in Enchiridio, cap. 110. & de cura pro mortuis, cap. 1. dicit, Ecclesiæ suffragia pro valde bonis gratiarum actiones esse, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis nulla esse adiumẽta mortuorum, sed qualescunque viuorum consolationes.

At sunt in contrarium tres difficultates. PRIMO, de beatis. Videtur enim falsum, quòd beatis non prosint suffragia; nam Epiphanius hær. 75. & Cyrillus Catech. 5. mystagogica, & Chrysostomus in sua liturgia dicũt, sacrificium offerri Deo pro Apostolis, Martyribus, Prophetis, &c.

Prętera SECVNDO, Ecclesia in orationibus de Sãctis sępe legit: *Sumpsimus Domine, sancta mysteria, quæ sicut Sãctis tuis prosunt ad gloriam, sic nobis, quæsumus, proficiant ad medelam.* Et in antiquis Missalibus, vt testatur Iunocentius III. cap. Cùm Marthæ, extra de celebratione Missarum, in die S. Leonis, dicebatur: *Annuæ, quæsumus, Domine, vt animæ S. Leonis hæc prosit oblatio.* Et licet hæc oratio mutata sit, tñ adhuc hodie in secreta oõne in eodẽ festo dicimus: *Sancti Leonis confessoris tui atq; Pontificis annua solẽnitas nos tibi reddat acceptos, vt per hæc piæ placationis officia, illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuę dona conciliet.*

Præterea CHRYSOTOMVS hom. 33. in Matth. exhortans ad eleemosynas pro defunctis filijs: *Putas*, inquit, *eum maculis inquinatum? da illi tua, vt illis se à maculis detergat: putas in iustitia decessisse? præbe ipsi tua ad mercedis, & retributionibus adiectionem.*

Ad PRIMVM facilis est responsio: sacrificatur enim pro Sanctis, non vt eis aliquid petamus, sed vt pro gloria illis collata Deo gratias agamus. Id enim est, quod Augustinus dicit, pro valde bonis gratiarum actiones esse.

Ad reliqua respondet Innocentius, vbi suprà, dupliciter. PRIMO, cùm Ecclesia petit gloriam Sãctis, qui regnum cœlorum iam possident, nõ petere, vt illi in gloria crescant, sed, vt apud nos gloria eorum crescat, id est, vt toti mundo gloria eorũ crescat, id est, vt toti mundo gloria eorum innotescat, & illi vbique magis & magis glorificentur. SECVNDO dicit, non videri absurdum, si petamus illi augmentum gloriæ alicuius accidentalis. Adde TERTIO, fortasse peti gloriã corporis, quam habebunt in die resurrectionis. nã etiãsi gloriam illam certò consequentur, & debetur eorum meritis, tamen non est absurdum hoc illis desiderare & petere, vt pluribus modis debeatur. Cùm ergo Augustinus dicit serm. 17. de verbis Apostoli, iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre, intelligitur de illis, qui Martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quasi illa careret.

SECVNDA difficultas est de damnatis. Nã August. Enchir. ca. 110. dicit: *Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, vt plena fiat remissio, aut tolerabilior sit ipsa damnatio.* Et cap. 112. sic ait: *Pœnas damnatorum certis temporum interuallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.*

Item CHRYSOSTOMVS hom. 3. in epist. ad Philip. posteaquam dixerat orandum pro defunctis, subdit: *Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt; Cathecumeni verò neque hac digni consolatione cẽsentur, sed omni huiusmodi sunt auxilio destituti, præter vnum solum, quod autem illud? pauperibus eorum nomine dare licet, vnde eis nonnihil refrigerij accedit.*

Præterea DAMASCENVS in oratione de defunctis, nõ solùm refert de Traiano & Falconilla liberatis ex inferno per orationẽ Gregorij & Theclæ, de quibus suprà diximus, sed etiam addit ex historia Palladij ad Lausum, S. Machario aliqñ percunctanti craniũ aridũ cuiusdam idololatræ, an eis prodessent preces viuentium, responsum fuisse ex cranio: *Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.*

Præterea PRVDENTIVS in Hymno de nouo lumine Paschalis Sabbathi ait:

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus.
Pœnarum celebres sub stygе feriæ, &c.

Deniq; INNOCENTIVS III. ca. Cùm Marthę, ponit quadrimembrẽ diuisionẽ; dicit. n. ex mortuis quosdã esse valde bonos, qui non egent suffragijs; quosdã valde malos, qui non possunt iuuari: quosdã mediocriter bonos;

bonos, q̃bus suffragia prosunt ad expiationẽ: quosdã mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationẽ: at certè vltimũ mẽbrum non videtur conuenire, nisi pueris in limbo. Si.n. valde boni sunt in cœlo, valde mali sunt in Gehenna ignis, mediocriter boni in Purgatorio: vbinam erunt mediocriter mali, nisi in limbo? ergo illis prosunt suffragia, cùm tamen in Purgatorio non sint.

Respondeo ad PRIMVM, Augustinum per tolerabiliorem damnationem intelligere mitigationem pœnarum Purgatorij, vt patet ex præcedenti trimẽbri diuisione.

Ad SECVNDVM dico, Augustinum ibi non agere de oratione pro defunctis, sed solùm dicere, non esse erroneum concedere, damnatos puniri citra condignum, quod clariùs docet lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24.

Ad TERTIVM: Chrysostomus solùm videtur negare orandum esse publicè, vel sacrificandum pro Catechumenis, vt etiam aliquando definiuit Concilium Bracarense I. can. 35.

Ad QVARTVM, beatus Thomas in 4. dist. 45. ar. 2. q. 2. post refutatas ineptas solutiones Præpositiui, Porretani, & aliorum, respondet, animas damnatorũ orationibus Sanctorum non percipere veram aliquã pœnarum mitigationem, sed solùm inane, & fallax aliquod gaudium, quòd nimirum videant se habere socios in pœnis, quale est gaudium Dæmonum, cùm aliquem decipiunt. At fortasse melius reijcerẽtur, vt falsa & apocrypha, quæ afferuntur de illo cranio; non enim in libro Palladij tale aliquid inuenitur, nec est verisimile, S. Macharium orasse pro infidelibus.

Ad QVINTVM nihil aliud dico, nisi more poëtico lusisse Prudentium.

Ad VLTIMVM, quod multos torquere solet, suspicor Innocentium III. memoria lapsum putasse diuisionem, quæ est apud Augustinum trimembris, fuisse quadrimembrem; nam apud August. ijdem sunt mediocriter boni, & mediocriter mali. Innocentius autem distinguit hoc membrum in duo, dicẽs. *Alij sunt mediocriter boni, alij mediocriter mali;* possumus tamẽ dicere, mediocriter bonos dici, qui nullã habẽt culpã, sed tamen habent reatum pœnæ; mediocriter malos dici eos, qui habent aliquam, sed venialem tantùm.

TERTIA difficultas est de animabus Purgatorij. Nam Theologi conueniunt in duobus, & in vno nõ conueniunt. Conueniunt PRIMO, quòd suffragia omnia prosint omnibus, saltem quatenus adferũt nouũ gaudium, id enim commune est omni bono operi, vt de illo gaudeant omnes boni iuxta illud Psalmi 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.*

SECVNDO cõueniunt, quod suffragia communia, quæ fiunt pro omnibus defunctis, prosint etiam omnibus animabus Purgatorij, nõ solùm in ratione gaudij, sed etiam in ratione satisfactionis, nulla enim est caussa cur aliqui excludantur.

AT dissentiunt de suffragijs particularibus. Nam Caietanus tomo 1. opusculorum, tract. 16. q. 5. docet, oẽs quidẽ animas iuuari posse, & iuuari etiã cõmunibus suffragijs: at particularibus, q̃ pro illis fiunt, non iuuari, nisi illas, quæ peculiariter meruerunt, vt sibi talia prodessent; dicit autem eas peculiariter mereri, quæ hic in terris habuerunt specialem deuotionẽ ad claues Ecclesiæ, & solliciti fuerunt pro animabus aliorum; & probat ex Augustino lib. de cura pro mortuis, cap. 1. & in Enchirid. cap. 109.

ALII verò, quos citat B. Thomas in 4. d. 45. q. 2. art. 4. dicebant suffragia, quæ fiunt pro vno, non ei solùm prodesse, verùm etiam omnibus alijs, nec minus alijs quàm illi, sicut lucerna accensa pro domino, æqualiter illuminat seruos, qui in eodem loco sunt.

Sententia cõmunis est in medio, q̃ nimirũ suffragia particularia, omni & soli illi prosint in ratione satisfactionis pro quo fiunt. Quòd *omni* contra Caietanum, patet, quia fundamentum cõmunicationis suffragiorum non est aliquod peculiare meritum, sed status gratiæ. Sanctus. n. Augustinus cùm dicit solis illi prodesse suffragia, qui meruerũt vt sibi prodesse possint per exclusiuam, solis, non excludit vllas animas Purgatorij, sed animas damnatas; & notandum diligenter Augustinum in Enchiridio non dicere suffragia iuuare illos defunctos, qui meruerunt vt sibi prodessent, sed qui meruerunt vt sibi prodesse possent.

Quocirca Caietanus, qui dicit oẽs animas iuuari posse, sed de facto non iuuari, non habet pro se Augustinũ, vt ipse arbitratur. Quod autẽ hæc suffragia particularia sola illi prosint, pro quo fiũt, patet; nã applicatio eiusmodi bonorum pendet ex intentione applicantis, nec debẽt cõparari ista suffragia lumini lucernæ, sed potius pecuniæ, quæ soluit ab vno pro altero.

Notandus est etiam locus Augustini pro hac sñia ex lib. de cura pro mortuis, c. 4. vbi dicit ideo Ecclesiã orare interdum pro defunctis omnibus in genere, vt quibus desunt parentes vel amici, qui pro eis orent, & proinde remanent auxilio destituti, habent saltem auxilium à communi matre, quæ est Ecclesia.

CAPVT XIX.

De funere.

DIXIMVS hactenus de spiritibus defuncto rũ: Nunc de sepultura corporum dicendũ est. Hæretici huius temporis non reprehendunt ipsam sepultura: reprehendunt tamen multa circa sepulturam.

PRIMO, quòd in locis sacris sepeliamus, atque ad hoc erigamus cœmeteria. Hoc reprehendunt hæretici aliqui in Boemia apud Aeneã Syluiũ de origine Boemorum, c. 35. & potest afferri argumentũ, quòd nihil prosit locus sepulturæ ex illis verbis Lucæ 12. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc nõ habent amplius quod faciãt.* Item ex capite, Sacris, extra de sepulturis, vbi dicitur nihil obesse hominibus pijs sepulturam vilem, aut nullam. Item ex Augustino lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 12. & lib. de cura pro mortuis, vbi dicit, sepulturam & funeris pompam solatia esse viuorum, non mortuorum præsidia.

SECVNDO reprehendunt vsum cereorum, & quia in Concilio Elibertino can. 34. statutũ fuit, ne cerei de die in cœmeterijs accederẽtur: *Non enim spiritus defunctorum*, inquiunt Patres, *inquietandi sunt.*

TERTIO reprehendunt anniuersaria, & tot repetitiones exequiarum die 3. 7. & 30. quia signũ est diffidentiæ, easdẽ preces toties iterare: & præterea quia beatus AMBROSIVS lib. 1. de Abrahã, cap. 9. super illud Genes. 23. surrexit Abrahã ab officio funeris: *Docemur*, inquit, *vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij deferamus.* Quẽ locũ expẽdẽs Caluinus præfat. Instit. dicit ab Ambrosio reprehẽdi eos, qui nullum finem faciunt orandi pro mortuis.

QVARTO reprehendunt, quòd putemus sepulturam esse opus meritorium, & Deo gratum, cùm tamen nusquam inueniatur à Deo mandatum; immò Dominus Matth. 25. enumerans opera misericordiæ non meminerit sepulturæ.

His nõ obstantibus asserimus sepulturam rem esse bonam, & vtilem, & ritus omnes Ecclesiæ in sepeliendis mortuis esse antiquos, & Sanctos. Quod sit res bona, & meritoria, probatur ex illo 2. Reg. 2. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum, & nunc retribuet vobis Dominus.* Tobię 12. Angelus extollit inter alia opera Tobiæ quod mortuos sepelierit. Matth. 26. *Opus bonum operata est in me, mittens enim vnguentum hoc, ad sepeliendum me fecit.*

Quod

Quod sit res antiqua & vtilis facilè demõstrari potest, nam omnia quæ nunc in Ecclesia seruamus, semper in vsu Ecclesiæ fuerunt. PRIMVM, corpora mortuorum nunc lauantur, id etiam olim fiebat, vt patet Actor. 9. de Tabitha, & apud Gregorium lib. 3. Dialogorum, cap. 17. & lib. 4. cap. 16. & 17.

SECVNDO, corpora cum honore, & multitudine comitantium deferuntur ad sepulcrum, ita etiam legimus factum olim Gen. 50. & Luc. 7. & apud Gregorium Nazianzenum orat. 2. in Iulianum, Sulpitium in vita S. Martini, Hieronymum in vita S. Fabiolæ, & S. Paulæ, & alios.

TERTIO, corpora fidelium in templis, & locis sacris sepeliuntur, ita olim Iacob & Ioseph Patriarchæ in terra Aegypti mortui, in terra promissionis sepeliri voluerunt, vnde Christus erat nasciturus, & vbi templum Domini futurum erat, Gen. 49. & 50. DEINDE temporibus Christianorum, corpora fidelium in templis sepulta fuisse testantur Ambrosius lib. 1. de Abraham, c. 9. Hieronymus in vita Paulę & Fabiolæ, Gregorius lib. 3. Dialogorum, c. 13. & August. libro de cura pro mortuis, cap. 1.

QVARTO, corpora fidelium cum hymnorum, & Psalmorũ cantu sepelienda, testantur Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Iulianum, Chrysost. hom. 4. in epist. ad Heb. Hier. in vita S. Pauli Eremitæ, & S. Paulæ viduæ, & S. Fabiolæ, Sulpitius in vita S. Martini, & omnium antiquissimus Dionysius Areopagita, c. 7. de Ecclesiastica hierarchia.

QVINTO, ad funus fidelium lampades, & cerei accensi adhibebantur, vt nunc etiam fit. Nyssenus epist. ad Olympiã de obitu sororis, Nazianzenus, & Chrysost. locis notatis, Hieron. in vita Paulæ, & Theodor. lib. 5. hist. cap. 36. & alij.

SEXTO, sacrificium altaris pro eis offertur, ita etiam olim testibus Tertull. lib. de corona militis, Cypriano lib. 1. epist. 9. August. lib. 9. Confessionum, c. 12. Ambr. orat. de Valentiniani obitu, & alijs.

SEPTIMO, non solum cum sepeliuntur, sed etiam die anniuersaria pro defunctis offertur, & oratur, vt patet apud Tertull. lib. de Monogamia, & Gregorium Nazianzenum, orat. in Cæsarium fratrem.

OCTAVO, non solum die anniuersaria, sed etiam die 3. 7. & 30. vt est apud Ambr. orat. de obitu Theodosij initio, id quod etiam nunc seruatur.

NONO, eriguntur tituli, idem olim Gen. 35. Actor. 2. 1. Machab. 13.

DECIMO, dantur eleemosynæ pauperibus, idem olim, Chrysost. hom. 32. in Matth.

At quæ sit huius rei vtilitas, paulò obscurius est, atque inprimis reijciendi sunt duo errores, quos reijcit D. Aug. lib. de cura pro mortuis, c. 2. VNVS, quo Ethnici putabant sepulturam esse necessariam, vt animæ requiescere possent, iuxta fabulas Virgilij 6. Aeneidos. ALTER est, quo quis putare posset in corporib. defunctorum adhuc sensum aliquem inesse.

His reiectis erroribus dicimus, multiplicem esse vtilitatem sepulturæ, tàm viuis, quàm defunctis: & viuis quidem quadruplicem. PRIMAM, quòd per sepulturam arcetur fętor & horror cadauerum, quæ nõ parum viuis nocerent.

SECVNDAM, quòd eo studio testantur viui fidem resurrectionis, & immortalitatis animarum; non enim tàm diligenter corpora mortuorum curaremus, nisi putaremus ea resurrectura. Neque cereos accenderemus, nisi animos viuere post mortem corporum significare vellemus.

TERTIAM, quòd admonentur propriæ mortis, vnde etiam tituli defunctorum monimenta dicuntur.

QVARTAM, quòd eo officio satisfaciant viui aliquo modo affectui suo quo mortuos prosequebantur; A si enim vestes, & annulos amicorum bene collocari volumus, certè multò magis corpora, & hoc est quod Augustinus dicit, cùm ait, sepulturæ pompam solatia esse viuorum.

Porro mortuis ex sepultura, alia quadruplex accedit vtilitas. PRIMA, quòd consulitur honori eorum, adhuc in hominum memorijs viuentium; non enim caret ignominia quadam, quòd fœditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat; quocirca, non leuis pœna iudicatur, cum quis à iudice priuatur sepultura, & iubetur in patibulo aut rota pendens, esse auium esca.

SECVNDA, quòd satis fit desiderio eorum, quod dum viuerent habuerunt; nemo est enim qui carnem suam odio habeat, vt dicitur Ephes. 5. & ideo quisque B dum viuit, cupit etiam post mortem corpus suum honestè tractari; imò credibile est, animos corpore solutos, etiamsi fortè nesciant, quid corporibus eorum accidat, tamen cupere vt honestè habeantur, sicut etiam cupiunt ad ea reuerti, vt August. docet lib. 12. de Gen. ad literam, c. 35. atque hinc videmus Prophetæ inobedienti datum in pœnam, vt non sepeliretur cum patribus suis, 3. Reg. 13.

TERTIA vtilitas nascitur ex eo, quòd à multis deducuntur ad sepulchrum; hinc enim per accidens fit, vt à multis pro eis oretur.

QVARTA ex eo sumitur, quòd in templis Sanctorum sepulcrum habent; inde enim fit, vt eorum amici, cùm eorum recordantur, simul etiam recordentur eius Sancti, in cuius templo sepulti sunt, & frequenter eius patrocinio eos commendent. Hanc vtilitatẽ C ponunt B. Augustinus libro de cura pro mortuis, capit. quarto, & quinto, & B. Gregorius lib. 4. Dialogorum, capit. 50.

Ex his ad argumenta respondetur. Ad PRIMVM dico cum Augustino libro 1. de ciuit. Dei cap. 12. Dominum loqui de dolore, quo affici possunt corpora dũ viuunt; ideo enim ait: *Post hæc non amplius habent quid faciant*; quia corpus mortuum etiamsi secetur, aut lanietur, aut cremetur, nihil planè doloris sentit. Hinc tamen non sequitur, non esse aliquam eleemosynam, satisfacere desiderio hominis, quod habuit dum viueret, & quod fortè adhuc habet, ut corpus suum sepeliatur. SECVNDO dico, loqui Pontificem in ea Decretali de vtilitate ad salutem æternam, ac docere, nec per se prodesse sepulturam, nec per se obesse ad salutem consequendam, quamquam per accidens prodesse potest, vt diximus, ratione precum amicorum. TERTIO idem dico, Augustinus enim solum docet, sepulturam per se non esse præsidium mortuorum, ad vitam æternam consequendam, sed solatium viuorum: tamen quòd per accidens prosit, ipsemet docet ibidem.

AD ALIVD ex Concilio Elibertino, respondeo, in eo Concilio reprehendi, & prohiberi eam cæremoniam, quia fiebat ex superstitione Gentilium, qui putabant corpora mortua sentire aliquid; illo autem errore sopito, non est malum eadem cæremonia vti ad alium finem, nimirum ad significandum animas viuere, & suo tempore etiam corpora resurrectura, & nostros defunctos esse filios lucis, non tenebrarum. Quod autem Concilium dicit, non esse inquietandos spiritus defunctorum, non significat spiritus illos reuera inquietari, sed displicere illis eiusmodi errorem; quomodo Ambrosius dicit libro secundo, epist. 8. non debere mœstificari lacrymis animam sororis defunctæ.

Ad TERTIVM dico, non esse signum diffidentiæ, sed desiderij, & feruoris, repetere easdem preces; id enim fecit Paulus 2. Corinth. 12. ter Dominum rogaui; & Dominus ipse Matth. 26. ter eandem orationẽ repetiuit.

Ad Ambrosium suprà respondimus, c. 15. non loqui eum de orationibus, sed de fletu, & dolore; nam ipse idem oratione in Valentinianum dicit: *Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, orationibus vos & oblationibus frequentabo.*

Ad VLTIMVM ex Euangelio Matth. 25. respondetur. PRIMO, cum Chrysost. hom. 84. in Ioannem, vbi dicit, Dominum non addidisse, mortuus fui, & sepelistis me, quia sponte sua homines, non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in ea facienda excedere; sicut enim in alijs bonis rebus, ita etiam in hac abusus quidam se admiscuit, quo diuites preciosis vestibus induti sepeliri solent; melius enim A esset, & mortuis multò gratius, & vtilius, vt Chrysostomus ibidem dicit, precium illarum vestium dare pauperibus pro anima eius qui sepelitur. Dominus igitur, tum vt abusum corrigeret, tum quia necesse nō videbatur hoc officium valdè commendare, hanc eleemosynam cum ceteris non numerauit.

SECVNDO dici posset, Dominum non meminisse huius eleemosynæ, quia est omnium minima, & obscurissima, vt B. Augustinus docet libro de cura pro mortuis, capit. 3. volebat enim Dominus ostendere, se iustè remuneraturum bonos, & damnaturum malos, & ideo solùm eorum operum meminit, quæ euidenter, & omnium iudicio sunt opera misericordiæ. Atque hæc de tota hac disputatione sufficiant.

Finis tertiæ Controuersiæ generalis.

LAVS DEO VIRGINIQVE MATRI MARIAE.

QVARTA CONTROVERSIA GENERALIS, DE ECCLESIA TRIVMPHANTE,

TRIBVS LIBRIS EXPLICATA.

Quorum secundo, accessit recens Refutatio libelli, qui falsò Synodus Parisiensis inscribitur.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM,

DE ECCLESIA TRIVMPHANTE,

siue de gloria, & cultu Sanctorum,

PRAEFATIO.

Ordo Disputationis.

LIBER PRIMVS.

De Beatitudine & Canonizatione Sanctorum.

CAP. I. Argumenta hæreticorum, quibus illi probare nituntur, Sanctos nondum esse beatos.
II. Animas Sanctorum iam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiæ.
III. Idem Scripturarum testimonijs demonstratur.
IIII. Eadem veritas ex Græcis Patribus confirmatur.
V. Idem probatur testimonijs Latinorum.
VI. Idem confirmatur rationibus, quæ tamen in Scripturis fundamentum habeant.
VII. Sanctos rectè ab Ecclesia canonizari.
VIII. Cuius sit Sanctos canonizare.
IX. Credendum esse, Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione.
X. Sanctos non canonizatos priuatim posse coli, non publicè.
XI. Proponitur quæstio de cultu Sanctorum, cum aduersariorum argumentis.
XII. Explicatur sententia Catholica.
XIII. Asseritur argumentis sententia Catholica.
XIV. Soluuntur argumenta initio proposita.
XV. Proponitur controuersia de inuocatione Sanctorum.
XVI. Deteguntur aliquot fraudes & mendacia hæreticorum.
XVII. Quomodo Sancti inuocandi non sint.
XVIII. Sanctos pro nobis orare.
XIX. Sanctos esse inuocandos.
XX. Soluuntur argumenta aduersariorum.

LIBER SECVNDVS.

De reliquijs & imaginibus Sanctorum.

CAP. I. Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.
II. Deteguntur mendacia Centuriatorum.
III. Asseritur veritas, & probatur.
IIII. Soluuntur argumenta aduersariorum.
V. De nomine Imaginis & Idoli.
VI. De principibus Iconomachorum.
VII. Licere imagines & facere, & habere.
VIII. Non esse probibitas imagines Dei.
IX. Imagines in templis rectè collocari.
X. Imagines vtiles esse etiam extra historiam.
XI. Proponitur quæstio de cultu imaginum cum argumentis aduersariorum.
XII. Imagines Christi & Sanctorum rectè coli.
XIII. Soluuntur argumenta aduersariorum.
XIIII. Soluitur argumentum secundum.
XV. Soluitur argumentum tertium.
VI. Soluitur argumentum quartum.
XVII. Soluitur argumentum quintum.

Soluuntur

XVIII. *Soluitur argumentum sextum.*
XIX. *Soluitur argumentum septimum.*
XX. *Proponitur quæstio, quo genere cultus imagines sint honorandæ.*
XXI. *Imagines per se & propriè colendas.*
XXII. *Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriæ.*
XXIII. *Imagines Christi impropriè, vel per accidens posse honorari cultu latriæ.*
XXIV. *Imagines, per se & propriè non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur.*
XXV. *Quo genere cultus adorentur imagines.*
XXVI. *De adoratione Crucis.*
XXVII. *De Cruce vera Domini.*
XXVIII. *De imagine Crucis.*
XXIX. *De signo Crucis.*
XXX. *Soluuntur obiectiones hæreticorum.*

APPENDIX.

In qua continetur refutatio Libelli, qui falsò Synodus Parisiensis inscribitur.

LIBER TERTIVS.

De ijs rebus, quibus superna Hierusalem ab Ecclesia in terris peregrinante colitur.

CAP. I. *De erroribus circa templa.*
II. *An templa sint erigenda.*
III. *De forma.*
IIII. *De fine.*
V. *De dedicatione & consecratione Ecclesiarum.*
VI. *De ornatu templorum.*
VII. *De benedictionibus aquæ, salis, cinerum, cerei, &c.*
VIII. *De peregrinationibus.*
IX. *De votis quæ nuncupantur Sanctis.*
X. *An sint festi dies à Christianis celebrandi.*
XI. *De Dominica die.*
XII. *De Pascha.*
XIII. *De Pentecoste.*
XIIII. *De Septuagesima & sequentibus Dominicis.*
XV. *De reliquis festis Domini.*
XVI. *De Festis.*
XVII. *De Vigilijs.*

PRAEFATIO
DE ECCLESIA TRIVMPHANTE,
Siue de Gloria, & cultu Sanctorum.

PERVENIMVS *tandem ad eam Ecclesiæ Catholicæ partem nostris disputationibus illustrandam, atque ab hæreticorum non tam argumentis, quàm mendacijs, & calumnijs vindicandum, quæ in cælo beata cum rege suo Christo æuo sempiterno fruitur. Quanquam enim beatæ illæ sanctorum Angelorum, atque hominum mentes humana defensione, præsidioq; pro se non egent, cùm in altissimis, & tutissimis arcibus collocatæ de vniuersis hostibus suis nouos quotidie triumphos agant, ac (vt S. loquitur Cyprianus) prorsus de sua fœlicitate securæ, solùm de nostra sint incolumitate solicitæ: Nobis tamen perutile est, ac, vt verius dicam, multis nominibus necessarium, vt Sanctorum gloria orbi terrarum nota, atque perspecta, & omni idololatriæ caligine, quam illi aspergere, atque offundere conantur hæretici, purgata omnino, & libera emineat, atque splendeat.*

Quia verò non panegyricam orationem de Sanctorum laudibus instituimus, sed ingressum duntaxat ad futuram disputationem nostra hac præfatiuncula aperimus: dicam solùm, & paucis, de mendacijs, & conuicijs hæreticorum in Sanctos, quorum illa ad ipsorum hæreticorum insaniam curandam magnum afferunt impedimentum; ista non solùm Ecclesiam insigni patrocinio spoliant, sed etiam grauissimam, iustissimamque diuini Numinis iram mortalibus omnibus conciliant.

Etenim multa sunt, quibus à nobis huius temporis hæretici dissident; multa illi in nostra Ecclesia, templis, monasterijs, gymnasijs, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendunt, multa desiderant, multa carpunt, multa emendanda, & corrigenda esse clamitant: sed nihil est, quod exhorreant, & execrentur magis, quàm inuocationem Sanctorum, reliquiarum cultum, imaginum venerationem. His enim tribus manifestam impietatem, & idololatriam contineri volunt. Hoc vno veluti pallio discessionem suam à nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia Catholica separationem & defectionem, honestissimè tegere se arbitrantur. Hoc solo nomine latrocinia sua, & sacrilegia in Ecclesias, templorum direptiones, imaginum confractiones, sacerdotum cædes, sacrorum omnium profanationes defendunt, quod se bellum gerere contra idola pro pietate dicant. Hac ipsa de caussa censuram æquissimam Ecclesiæ, & pastorales baculos Episcoporum, quibus interdum ipsorum furor reprimitur, vel retardatur, impiam persequutionem, quasi aduersus Deum pro idolis excitatam nominant: his denique vinculis, & compedibus prouincias, & nationes à se deceptas arctissimè irretitas, & constrictas tenent.

Sic enim populis illis persuasum est, nos pro Deo viuente mortuos homines; pro summo & sempiterno spiritu ossa, & cineres, ligna, & lapides colere: & tam altè mentes eorum perniciosa hæc persuasio penetrauit, vt propterea iniusta quidem, sed tamen graui, diuturnaque apud eos laboremus infamia. Et licet multa interdum de nostrorum, hoc est, Catholicorum hominum grauitate, sapientia, iustitia, benignitate, de studio precandi, de

moderatione in rebus omnibus audiant, non queant tamen non continuò ab eiusmodi sermonibus aures remouere, seque totos auertere, cùm ad memoriam reuocant de quibus tam eximiæ laudes prædicantur, eos nihilominus idololatras esse, defunctorum manes, & cadauera, picturasque, & statuas adorare..

Atque, vt fides mihi facilius habeatur, neque me quisquam augendi gratia fingere aliquid arbitretur, referam pauca de libris eorum, vt ipsos eosdem suæ impietatis præcones, ac testes habeamus. Primum LVTHERVS *sectariorum omnium antesignanus, & princeps, in eo sermone, quem de cruce edidit, tanquam ex tribunali pronunciat:* Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quàm fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, vt omnes eiusmodi reliquiæ altissimè sub terram abscondantur: *vt ea ratione videlicet omnis Apostolorum, & Martyrum, aliorumque Sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in Postilla ad Euangelium Dominicæ Annunciationis:* Papistæ, *inquit*, Virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cælo, & in terra attribuunt. *Et rursum:* In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt, & plus fauoris, & gratiæ ab ea expectarunt, quàm à Christo ipso.

Hinc PHILIPPVS *Melanchthon Luteri proles, & sectator egregius, cũ in Locis Communibus primum decalogi præceptum exponeret, & gradus quosdam peccatorum distingueret, nosque, hoc est, vt ipse loquitur, Papistas, cum infidelibus iungeret, hac vna ratione contentus fuit, quod idem sit, fingere multos Deos, & sanctos mortuos inuocare; nec differant ab Ethnicis moribus inuocatio Sanctorum, & statuarum cultus.*

Iam verò MAGDEBVRGENSES *Centuriatores, posteaquam in posteriore primæ Centuriæ libro inter fundamenta doctrinæ Catholicæ posuerunt, B. Mariæ, aliorumque Sanctorum inuocationem, & cultum ab Apostolis non solùm verbo, aut exemplo nunquam approbatum, sed etiam, vt manifestam idololatriam passim reprobatum fuisse, atque interdictum: Inde postea in singulis ferè Centurijs nihil sæpius monent, clamant, repetunt, inculcant, quàm nos Ecclesiam non habere, quod ab vno vero Deo ad falsorum Deorum multitudinem, & simulacra muta defecerimus. In præfatione verò sextæ Centuriæ, vbi grauiter admodum, & planè tragicè deplorant statum, siue casum potius, & ruinam Ecclesiæ, quam secundo, & tertio seculo vitium facere incipientem, quarto & quinto inclinatam, & nutantem, sexto demum penitus corruisse, miserèque collapsam esse volunt; de caussa tam grauis exterminij ita concionantur.*

In primis, *inquiunt*, istæ horribiles, & pernicioſæ tenebræ in ipso docentium cętu, quasi nubes quædam atræ, totum cęlũ occupantes exortæ sunt; quod cęremonias cultusque humanos partim ipsimet Doctores Ecclesiæ, partim verò alij superstitiosi homines passim in templis auxerunt. Nam ædes sacræ omnibus in locis exstrui cęperunt ingentibus sumptibus, prorsus Gentilium more? non quidem principaliter eo fine, vt ibi verbum Dei traderetur, sed vt reliquijs Sanctorum aliquis honor exhiberetur, vtque ibi defunctos stolidi homines venerarentur. Quàm verò facundus est Gregorius ille, Magnus appellatus, quàm ardens, quando rationem consecrandi ista fama veluti ex tripode dictat. *Et infrà:* Cęperunt ea occasione etiam defunctæ creaturæ, atque exanguia, & semicorrosa ossa coli, inuocari, honore diuino affici, & alligari ad illa ipsa loca preces. Ad ista omnia non modo conniuebant Ecclesiæ Doctores, sed etiam ea adiuuabant. Eius-

modi igitur calamitas,& pestis fundi Christi,in ipsa Ecclesia, & inter eos, qui custodes,& vigiles Ecclesiæ præcipuè volebant perhiberi, nascebatur.

Porro Ioannes CALVINVS,*qui post multas, grauissimas que cum suis disceptationes, maximam partem Lutheranorum in sua retia pertraxit,& tantum non regnum aliquod inter Lutheri pastores obtinuit; in eo libro, quem de reformandæ Ecclesiæ necessitate ad Imperatorem Carolum inscripsit, primam & maximam dissensionum caussam inter suos & nostros esse dicit, quòd sui, hoc est omnes huius temporis sectarij vnum Deum colant, nostri, hoc est, Catholici, sic inter Sanctos distribuerint Dei officia, vt summo Deo, tanquam collegas eos addiderint, in quorum multitudine delitescat; quodque non solùm Sanctos loco Dei adorent, sed etiam ipsorum ossa, vestes, calceos, & simulacra. In libro verò Institut. 4. c. 21. caussas recensens, cur à nobis discessionem cum suis fecerit, illam inprimis ponit, quod nullum nobiscum conuentum habere possint, in quo aperta idololatria non polluantur. Quam autem apud nos vigere idololatriam dicat, ex c. 20. lib. 3. potest intelligi, vbi de Sanctorum inuocatione loquens.* Singuli,*inquit*,peculiares sibi Diuos asciuerũt,in quorũ non secus, atque tutelarium Deorum fidem se contulerũt: Neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundum numerum vrbium Dij sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem.

Incidi aliquando in hominem de schola Caluini, qui cùm mihi alioqui perhumanus, & candidus videretur, eoque vterer familiariter, vt eum, si quo modo possem, ab illa insania reuocarem, cœpi ab eo quærere, quid in nostris dogmatibus Caluinistæ potissimum reprehenderent, quidue eis maximè displiceret, & quæ tandem præcipuè esset causa, cur ab Ecclesiæ communione, ab Episcoporum obedientia, à reliquo cœtu fidelium, à maiorum suorum vestigijs, cum tam manifesto salutis æternæ periculo discesserint? Respondebat ille, eam esse caussam præcipuam, quòd nos Sanctos in precibus inuocaremus, quodque eo modo Diuinitatem mortuis affingeremus. At hæ impostura, mendaciaq; impudentissima sunt. Quis enim Catholicorum vnquam vni vero Deo, vel imagines sacras, vel beata Sanctorum pignora, vel Martyrum, aut Apostolorum, aut etiam Angelorum spiritus, aut ipsam denique cæli Reginam, Deiq́ue Parentem MARIAM *vllo modo æquauit?*

Quis in Catholica Ecclesia sacrificium, quod vni debetur Deo, vel Sanctis, vel reliquijs, vel imaginibus obtulit? nonne hoc vno externo symbolo, quando nulla extarent alia, satis apertè testamur, nos animo quoque, & cogitatione vnum Deum complecti, eique soli proprio quodam, & peculiari cultu seruire? nonne apertè distinguimus inter eũ honorem, qui soli Deo debetur, & eum cultum, ac venerationem, quæ Dei amicis, alijsque sacris rebus, propter ipsum Deum, piè religioseque tribuitur? Sed licet illa (vt diximus) mendacia calumniæq; sint, interim tamen ob ea ipsa mendacia, innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Christi sanguine redemptarum, à Christi corpore separata, & tanquam rami ab arbore vi tempestatis auulsi, & disiecti iacent, & instar ouium, quæ ab ouili suo egressæ, sine vllo pastorum, canumuè præsidio in montibus vagantur, infernalium luporum quotidie præda fiunt.

Sed quoniam aliquid diximus de mendacijs, & calumnijs, de conuicijs, & contumelijs aliquid etiam dicendum erit. Sanè tantus est in libris, & moribus hæreticorum, Sanctorum omnium contemptus, tamque horribiles in omnes cœlites blasphemiæ, vt ego hinc potißimum vehementer admirer diuini Numinis patientiam. Nam, vt omittam, quòd in imagines sacras tanto furore Caluinistæ debachantur, vt eas plurimis iam in locis, aut penitus confregerint, aut cœno, & sordibus fœdauerint, aut oculis effossis, naribusque,

& auribus truncatis deformauerint, vt nihil etiam dicam, quòd ipsum crucis signum Angelis reuerendum, dæmonibus formidolosum, humano generi salutare, vbiq; deijciunt, conspuunt, proculcant, vt illud quoque præteream, quòd beata corpora Sanctorum, quæ maiorum nostrorum pietas thecis aureis atque argenteis incluserat, quæque domicilia & organa Spiritus sancti fuerant, & quæ Deus signis & prodigijs sæpius illustrauerat, ipsi vbique altaribus euersis effodiunt: flammis absumunt, in profluentem abijciunt. Vt ista, inquam, omnia prætermittam, & solùm de contumelijs verborum loquar: Quid, quæso, ERASMVS Roterodamus? An non Luciani impietatem longo interuallo superauit? Ille enim Deos falsos, vereque ridiculos irrisit? At nouus iste Lucianus veros Angelorum ciues, verique Dei amicos & domesticos, vt Apostolus loquitur, contumelioßissimè tractauit.

In colloquio, quod inscripsit, Naufragium, quendam introducit alterum interrogantem, an imminente mortis periculo implorauerit alicuius Diui præsidium? Respondet ille: Ne id quidem. quamobrem autem? inquit, quia spacioßum est cœlum; si cui Diuorum commendauero salutem meam, puta Petro, quia fortasse prius audiet, quòd adest ostio, priusquam ille conueniat Deum: priusquam exponat causßam, ego iam periero. *Isti sunt lepidi, vel sacrilegi potius Erasmi ioci.* In eodem etiam libro, more prorsus Lucianeo, beatißimã Virginem Mariam in maris præfectura Veneri substituit; & ausus est homo Christianus Virginem illam, quam S. Ioannes Chrysostomus Seraphicis Spiritibus sanctiorem & puriorem esse verißimè scripsit, cum impurißima meretrice conferre?

Quid, quod in Dialogo de peregrinatione religionis ergo, epistolam conflictam nomine Virginis Mariæ edere non erubuit, qua ipsa Mater Veritatis falsorum dogmatum Lutheri auctor introducitur? Sic enim ficta illa Maria ad Glaucoplutum scribit: Quòd, inquit, Lutherum sequutus strenuè suades superuacaneum esse inuocare Diuos, à me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam te iniße scito; nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab vna petebantur omnia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur pingiturque in sinu meo. *Sed piget me certè, pudetque talia referre, quibus tamen vndique scatent Erasmi lucubrationes.*

Jam verò Martinus Lutherus in sermone de natali die Virginis Mariæ, tanti fecit patrocinium Matris Dei, vt audacter dicere non dubitauerit, se non pluris æstimare preces B. Mariæ, quàm cuiuslibet è populo; propterea quòd omnes simus æquè sancti & iusti atque ipsa est Virgo Maria, ceterique Diui, quantumuis magni.

Desinat ergo Bernardus Mariæ prorogatiuas enumerare: non dicat amplius Chrysostomus, Virginem Deiparam Cherubin esse honoratiorem, & Seraphin incomparabiliter glorioßiorem: neque vox illa Anselmi deinceps audiatur: ea puritate Mariam nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi; nam omnes sumus æquè iusti & sancti atque ipsa Virgo Maria. Nihil ergo Mariæ profuit, quòd prima trophæum virginitatis erexit, quòd Deum Virgo concepit, peperit, educauit; quòd omnium pene itinerum, laborum, ærumnarum, & molestiarum eius comes, ad crucem vsque, discipulis fugientibus, ipsum secuta, Martyrium denique acerbißimum, doloris gladio viscera eius penetrante, susceperit. Nam sine tot laboribus omnes sumus æquè iusti & sancti atque ipsa Virgo Maria. Sine causßa Petrus, & Paulus ceterique Apostoli tanto labore ad Euangelium disseminandum orbem terrarum peragra-

peragrarunt; frustrà Martyres sanguinem suum pro Christo fuderunt; inanes vigiliæ, ieiunia, solitudines, humi cubationes, horridi sacci, assidua cum Dæmonibus bella sanctorum Anachoretarum fuerunt; quoniam sine tot laboribus & sudoribus, Lutherani quiescentes domi in vxorculæ sinu & complexu, bene pasti, beneque poti, cœlum rapiunt, & ęquè sancti & iusti sunt atque ipsa Virgo Maria, ceterique Diui, quantumuis magni.

Veniamus ad Magdeburgenses; ipsi enim sunt præclari illi, religiosissimiq; historici, qui in priore libro primæ Centuriæ, dum Christi vitam exponunt, B. Mariam vsq; adeò grauiter deliquisse volunt, cùm filium in templo amisit, vt eius peccatum cùm illo primo, & grauissimo Euæ peccato non solùm comparare non metuant, sed etiam vtrum sit grauius, quærere & dubitare non vereantur. Iidem postea in posteriore eiusdem Centuriæ libro, Petro Apostolorũ Principi quindecim lapsus & errata tribuunt, quorum aliqua sempiternis cruciatibus dignissima esse docent: nec multò infrà, Apostolum Paulum reprehendunt, quòd in Asia supra modum grauatus, de vita desperauerit, quodq; in gratiam Iacobi Iudaicas cæremonias Hierosolymis obseruauerit, & eo facto magis Iudæos in errore confirmauerit, quàm imbecilles fratres adiuuerit. In tertia verò Centuria, & sequentib. omnibus, ad finem capitis quarti, Patres omnes accusant, quòd non opiniones tantum incommodas, & nævos, sed etiam errores, & stipulas, & fumos in Ecclesiam scriptis suis inuexerint, adeò vt nisi Lutherus facem nobis doctrinæ prætulisset, caliginemque illam tempestiuè dissipasset, iam fumo excæcati, enectique omnes essemus.

Quid de QVINTINO illo impuro & blasphemo Libertinorum in Gallijs parente dicemus, qui, vt Caluinus auctor est, instructione contra Libertinos, c. 9. adeò petulanter in Sanctos omnes debacchabatur, vt Paulum aliter non appellaret, quàm vas confractum; Ioan. iuuenem stolidulum; Matthæum, fœneratorem, Petrum, Christi abnegatorem?

Porrò Caluinus, qui tàm seuerè alios arguit impietatis, tàm fuit ipse pius & religiosus, vt non contentus ijs conuicijs, quibus Sanctos omnes vexat, qui post Christi aduentum floruerunt, etiam ad eos linguæ suæ flagellum extenderit, qui multis seculis eiusdem Saluatoris aduentum præcesserunt. Itaque in libris Christianæ suæ institutionis, lib. 3. c. 14. §. 11. Abrahamum idolorum cultorem facit; Saram, lib. 3. Instit. c. 2. §. 31. multis modis peccasse dicit, cùm ancillam viro suo supposuit; Rebeccam verò varijs fraudibus, & imposturis Dei veritatem corrupisse, dum malo artificio filij benedictionem procurat, maritum decipit, Iacobum mentiri cogit. Iudam Machabæum, lib. 3. c. 5. §. 8. superstitionis & præposteri zeli reprehendit, quòd pro mortuis sacrificium offerri imperauit. Sephoram, lib. 4. c. 15. §. 20. stultam mulierem fuisse, grauiterq; peccasse docet, quòd filium circumciderit. Mosem ipsum, in cap. 32. Exod. quo nihil habuit antiqua ætas mitius, sapientius, sanctius, arrogantiæ atque superbiæ Caluinus insimulat, quòd nimirum imperiosè legem Deo præscripserit, suaque eum iustitia exuerit.

Iam verò de sanctis hominibus Testamenti noui, primum scurriliter nugatur, eos, si preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere, vt à cœlo vsque ad terram porrigantur. Deinde eosdem per contemptũ, nunc homines mortuos, nunc vmbras, nunc laruas, nunc etiam colluuiem nominat, in Institutione lib. 3. cap. 20. §. 27. in libro autem, quem inscripsit, De vera Ecclesiæ reformandæ ratione, etiam monstra, carnifices, & bestias appellauit. Qua contumelia & blasphemia vix vlla maior cogitari potest. Quid enim? si non Caluinum ipsum, sed coniugem eius (nefas enim apud eos est Episcopum creari, nisi vnius saltem vxoris virum) si coniugem, inquam, Caluini, aut liberos, aut amicos, aut etiam seruos, vel ancillas, aliquis nostrum laruas, vmbras, colluuiem,

luuiem, bestias, monstra, carnifices appellaret, quo animo id Caluinus acciperet? an sibi iniuriam fieri non arbitraretur? nunquid non molestißimè, grauissimeque ferret? & Christus æquo animo accipiet, amicos, domesticos, fratres, filiosque suos amantissimos, quos ipse in cœlis tanto honore dignatur, vt in Apocalypsi dicat: Si quis vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici, & sedi in throno Patris mei; hos, inquam, tàm sublimes Principes, consortes regni, & solij diuini, vmbras, laruas, colluuiem, ab vno quodam arrogantißimo terræ vermiculo nominari? Non feret certè æquo animo Deus, sed omnes eiusmodi blasphemos, atque sacrilegos, æternis supplicijs tãdem afficiet.

Sed & nos, si ciues Sanctorum sumus, si vllum habemus fidei zelum, excitemur, atq; accendamur oportet, & religiosa, piaque indignatione vehemẽter commoti tàm nefarijs hominibus acerrimè resistamus: imitentur Lutherani maiores suos, Porphyrium, Iulianum, Vigilantium, Vuiclefum, & quotquot vnquam cum cœlestibus Diuis impia bella gesserunt, & vt fabulæ Poetarum de gigantibus ferunt, de suis sedibus cœlites deturbare, ac detrahere voluerunt. Nos verò maiorum nostrorum, Athanasij, Ambrosij, Hieronymi, Paulini, Augustini, Gregorij vestigijs inhæreamus. Qui quidem Apostolorum, & Martyrum gloriam religiosè æmulari, & res gestas contra detractores pro viribus disserendo tueri; & memoriam denique sermonibus alere, Basilicis honorare, carminibus celebrare, literis propagare, & consecrare æternitati semper studuerunt. Ita enim fiet, vt & illi, quorum imitantur scelera, eorundem cum illis pœnarum societate iungantur: & nos, quos in hoc studio ad virtutem habuimus Duces, eosdem ad præmia, & coronas socios habeamus. Nunc ad rem ipsam accedamus propius.

Ordo Disputationis.

HÆc Disputatio duodecim præcipuis quæstionibus continetur. PRIMA est de Sanctorum beatitudine, an Sanctorum animæ DEVM videant, & verè beatæ sint ante diem iudicij. Hæc enim quæstio fundamentum est omnium aliarum, nam idcirco ante Christi aduentum non ita colebantur, neque inuocabantur spiritus Patriarcharum, & Prophetarum, quemadmodum nunc Apostolos, & Martyres colimus, & inuocamus; quòd illi adhuc inferni carceribus clausi detinerentur.

SECVNDA de canonizatione, quæ sequitur ordine suo primam illam de beatitudine. Posteaquam enim didicerimus, sanctos homines vita functos cum Deo beatos regnare, discendum erit, qui sint illi: quod quidem non aliunde certò scire possumus, quàm ex publico Ecclesiæ testimonio, quod canonizationem nunc appellamus.

TERTIA de cultu, vbi enim constiterit qui sint ij, qui inter beatos spiritus numerandi sunt, sequitur, vt quæratur, an ij sint adorandi vllo genere adorationis.

QVARTA de inuocatione, quæ est eximium adorationis genus.

QVINTA de reliquis eorum, vtrum videlicet non solùm ipsi Sanctorum spiritus, sed etiam corpora, seu ossa, & cineres, aliæque eorum reliquiæ venerandæ sint.

SEXTA de Imaginibus, an colendæ sint, & quo cultus genere.

SEPTIMA, VIII. IX. X. XI. & XII. de ijs rebus, quibus non modò sanctis hominibus, sed etiam toti cœlesti Hierusalem ab Ecclesia, quæ peregrinatur in terris, cultus debitus exhibetur; idest, de Basilicis, de peregrinationibus, de votis, de vigilijs, de ieiunijs, de festis.

LIBER PRIMVS,
DE BEATITVDINE,
ET CANONIZATIONE SANCTORVM.

CAPVT I.

Argumenta hæreticorum, quibus illi probare nituntur, Sanctos nondum esse beatos, &c.



ST IGITVR QVÆSTIO PRIMA: *Sintne piorum hominum spiritus, qui & corpore soluti sunt, et nulla purgatione egent, iam ad fruendam beatitudinẽ, quæ in clara DEI visione sita est, admissi?* Et quidẽ antiquorũ, & recentiũ hęreticorũ opinio fuit, animas omnes, quantumuis sanctorũ hominũ, vsque ad vltimi iudicij diem seruari in quibusdã abditis receptaculis, vbi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe.

PRIMVS ex hæreticis, qui hoc asseruit, quãtum ex auctorib. ego colligere potui, TERTVLLIANVS fuit, lib. 4. in Marcionem, sic enim ait: *Eam regionem, sinum dico Abrahæ, etsi non cælestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iustorum, donec cõsummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat; tunc apparitura cælesti promissione, quam Marcion suo vendicat quasi non à creatore promulgatam.* Id etiam habet libro de anima, duobus postremis capitibus.

Eum sequutus est VIGILANTIVS, de quo sic Hieronym. in lib. contra eundem: *Ais*, inquit, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum, et Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint, esse præsentes, senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas deterrimo carcere, sed in libera, honestaq; custodia, in fortunatorum insulis, & in campis Elysiis recludantur.*

Eundem errorẽ tribuit Guido in summa de hæreticis, Armenis. In eodẽ versabãtur Græci, vt patet ex Concil. Flor. sess. 1. & ex B. Tho. in opusc. 6. c. 9. Eundem errorem habet Lutherus in prælect. in Genesin, vt Fridericus Staphylus citat in epitome trimembri Lutheranæ Theologiæ, parte 2. Eundem habet Cornel. Aggrippa, in lib. 3. de occulta Philosophia.

Eundem habet etiam Ioannes Caluinus; nam lib. 4. Instit. cap. 20. dicit, solum Christum ingressum esse Sanctuarium cæli, reliquos verò omnes residere in atrio, ibique expectare vsque ad mundi consummationem. Et §. 24. dicit, animas Sanctorum adhuc eadem fide, & caritate nobiscum esse coniunctas. vbi autem fides est, ibi certè non est visio. Et cap. 25. §. 6. *Stultũ*, inquit, *& temerarium est inquirere, quo in loco sint animæ iustorum, & an gloria fruantur, nec ne. Interea cum Scriptura vbique iubeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriam, ac coronam eo vsque differat: contenti simus his finibus diuinitus præscriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem cõcedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant, &c.* NOTA miram stultitiam hominis, qui dicit stultum, & temerarium esse quærere, vtrum animæ iustorum gloria fruantur, necne: & ipse tamen audacter definit eas nondum frui gloria, sed eam expectare. Argumenta pro hac sententia Caluinus nulla A profert, sed multa sunt, & difficilia, quæ partim Græci proferre solent, partim etiam pro illis proferri solent.

PRIMVM argumentum sumitur ex Decreto Ioan. XXII. qui fertur hoc declarasse, & mandasse Parisiẽsibus, vt non aliter docerent, vel in scholis, vel in templis, & nullos promouerent ad gradus in Theologia, nisi prius illi iurarent, se hanc sententiam defensuros. Testes sunt huius rei Guilielmus Ockam in opere nonaginta trium dierum; Ioannes Gerson, in serm. de Pascha; Marsil. in 4. sent. q. 1. art. 3. & Adrian. in 4. vbi disputat de Sacramento Confirmationis.

SECVNDVM argumentum ex Scripturis sumitur; & quidẽ PRIMVS locus est Matth. 20. vbi ad vesperam paterfamilias omnib. operarijs simul reddit mer- B cedem: constat autem per vesperam intelligi resurrectionem, & per denarium vitam æternam. SECVNDVS Hebr. 11. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperũt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* TERTIVS 1. Ioan. 3. *Scimus, quia cùm apparuerit* (Christus in secundo aduentu) *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* QVARTVS Apocal. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Quid significat illa abscõsio sub altari, nisi recõditũ aliquod receptaculũ, vbi quietè quidẽ, sed in tenebris versentur animę?

TERTIVM argumentũ sumitur ex testimonijs Pa- C trum Græcorũ. IVSTINVS, quæst. 60. ex ijs, quas gentes Christianis opponunt, dicit narrationẽ de diuite, & Lazaro non esse veram historiam, & causam reddens: *Neque enim*, inquit, *ante resurrectionem vnicuique ex iis quæ in vita gessit præmium redditur.* Et q. 76. *Si ante resurrectionem nulla sunt operum præmia, quis fructus fuit latroni, cùm in paradisum eius animus introductus est? Respondet id consequutum latronem, vt sit in cœtu iustorum, & videat seipsum, et quæ infra se sunt, & præterea Angelos, & Dæmones.*

IRENÆVS, lib. 5. extremo: *Cùm enim Dominus*, inquit, *in medio umbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant; post deinde corporaliter resurrexerit, & post* D *resurrectionem assumptus sit: manifestum est, quia & discipulorum eius; propter quos, & hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locũ definitum eis à Deo, et ibi vsque ad resurrectionẽ cõmorabũtur sustinẽtes resurrectionẽ, post recipiẽtes corpora, & perfectè resurgentes, hoc est, corporaliter, & sic veniẽt ad cõspectũ Dei.*

ORIGENES hom. 7. in Leuit. *Nondum*, inquit, *Sancti receperunt lætitiam suam, nec Apostoli quidem; sed et ipsi expectãt, vt ego lætitiæ eorum particeps fiam.* Et lib. 2. Periarchon prope finem dicit, Sãctos post mortem deferri in paradisum terrestrem, & inde eos, qui puriores sunt, ad aeris loca conscendere.

CHRYSOSTOMVS hom. 39. in priorẽ ad Cor. in il- E lud; *Si in hac vita tm̃ sperãtes sumus i Christo, miserabiliores sumus omnibus hominib. Quid ais Paule? an non animus superstes erit? erit, & immortalis quidem: quamquam verò, vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque pœnis punietur: omnia enim cora tribunali Christi manifestabũtur, inquit Paul. vt vnusquisque ferat, quæ per corpus, siue bona, siue mala gessit; nam si corpus nõ resurgat, anima nostra incoronata manebit,*

nebit, & extra cœlestem beatitudinem erit. Idem homil. 28. in Epist. ad Heb. *Ne aliquid præ nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, vnum definiuit tempus omnium coronarum; & qui ante tam multos annos vicit, tecum accipiet coronam.*

THEODORETVS in c. 11. ad Heb. *Sanctorum ergo,* inquit, *tot, et tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronas acceperunt, &c.* THEOPHYLACTVS in eundem locum: *Sancti nihil adhuc cœlestium promissionum sunt assequuti.* Et in c. 16. Lucæ docet, narrationem de Lazaro esse parabolam, non historiam, quia nondum distributa bona, & mala iustis, & iniustis. OECVMENIVS in eundem locum: *Sancti testimonium promeriti, quòd per fidem placuerunt Deo, nondum consequuti sunt bona iustis promissa.*

ARETHAS Cæsariensis Episcopus in c. 6. Apoc. *Horum,* inquit, *spe, quæ per intellectum veluti in speculo cõtemplantur, omni crassitie liberati meritò lætantur quiescentes in sinibus Abrahæ; nam id multis Sanctis dictum est, vnumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum, vnde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur coniecturam.*

EVTHYMIVS, in c. 16. Lucæ dicit, narrationem illam de Lazaro, & diuite esse parabolam, qua designatur quid erit post diem iudicij, & in c. 23. *Et tunc quidem dedit ei conuersationem in paradiso, tanquam arrabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium, ac æternorum bonorum, quæ nec oculis vidit, &c.*

Confirmatur hoc argumentũ, quia Græci Patres simpliciter negant, Deũ videri posse à creatura; ergo multò magis negare debẽt, videri ante diem iudicij. vide Chrysost. hom. 23. in Gen. vbi dicit, ne Angelis quidem Deum esse visibilem. Item hom. 14. in Ioan. vbi dicit, Angelos nunquam vidisse filium Dei, nisi post incarnationẽ. Similia habet Theod. in Dialogo Immut. Theoph. in illud Io. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* & Euthy. in eundẽ locũ: quibus accedit ex Latinis Hieron. teste Aug. epist. 111. ad Fortunatianũ.

QVARTVM argum. est ex testimonijs Patrũ Latinorum. LACTANTIVS, lib. 7. c. 21. *Nec quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari, nam omnes in vna communiq; custodia detinentur, donec tẽpus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examẽ.*

VICTORINVS Martyr in c. 6. Apoc. *Animas autem occisorum dicit, se vidisse sub ara, id est sub terra.* Et infrà: *In nouissimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damnatio.*

HILARIVS in Psal. 138. in illud; *Si descendero in infernum, ades:* *Hæc,* inquit, *humanæ lex necessitatis est, vt sepultis corporibus animæ ad inferos descendant.* Et ne putemus, eum loqui de animabus impiorum, subdit: *Quam legẽ Dominus ad consummationẽ veri hominis non recusauit, &c.* Vult ergo dicere, adeò esse necessarium, vt animæ sint in inferno, dum caro est in sepulcro, vt etiã Dñs hanc legẽ subire voluerit.

PRVDENTIVS in Hymno de exequijs defunctorum, docet, animas sanctas discedere ex hac vita in paradisum terrestrem, siue in sinum Abrahæ, quem diues ille ardens longè conspexit.

Quanam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, vt est Eleazar,
Quem floribus vndiq; septum
Diues procul aspicit ardens.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi,
Licet & nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.

AMBROSIVS, li. 2. de Cain, c. 2. *Soluitur à corpore anima, & post finẽ vitæ huius adhuc futuri iudicii ambiguo suspenditur.* Et lib. de bono mortis, c. 10. *Satis, inquit, fuerat illis dixisse animas ἀδὴν petere, id est, locũ, qui non videtur, quẽ Latine infernum dicimus.* Et ibidem: *Scriptura Esdræ habitacula animarum promptuaria nuncupat.* Et occurrẽs querelæ humanæ, eo quòd iusti, qui præcesserunt, videntur vsque ad diem iudicij per plurimũ, scilicet tẽporis debita sibi remuneratione fraudari; mirabiliter, ait coronæ esse similem diẽ iudicij; coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eum diem, & victi erubescant, & victores palmã adipiscantur victoris: ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectãt animæ remunerationem debitam: aliàs manet pœna, aliàs gloria.

AVGVSTINVS, lib. 1. retract. cap. 14. *De sanctis hominibus,* inquit, *iam defunctis, virum ipsi saltem dicẽdi sint iam in illa possessione consistere, meritò quæritur.* Et epist. 111. ad Fortunatianum, exponens quædam verba D. Hieronymi: *In his verbis,* inquit, *hominis Dei multa consideranda sunt: primùm, quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit, tunc visuros faciem Dei, cùm in Angelos profecerimus, id est, æquales Angelis facti fuerimus, quod erit vtique in resurrectione mortuorum.* Item in Enchiridio, cap. 108. *Tempus,* inquit, *quod inter hominis mortem, & vltimã resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet.* Lib. 12. de Gen. c. 35. quærit, quid opus sit animabus resumptione corporis, si possunt sine carne videre Deum? Respondet autem: *Minimè dubitandum est, & raptã hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsam carne depositã non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident.* Et lib. 12. de Ciuit. Dei, c. 9. *Pars,* inquit, *ciuitatis Dei, quæ coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusq; requiescit.* In Psal. 36. *Post vitam,* inquit, *istam nondum eris, vbi erunt Sancti, quibus dicetur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, nondum ibi eris, quis nescit? sed iam poteris ibi esse, vbi illum quondam vlcerosum pauperem diues ille superbus in mediis tormentis vidit longè requiescentem. in illa requie certè securus expectabis iudicij diem.*

BERNARDVS serm. 3. de omnibus Sanctis: *Aduertistis,* inquit, *ni fallor, tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei.* Et infrà: *In illam beatissimam Dei domum animæ, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Et serm. 4. exponens illud: *Vidi sub altari animas interfectorum,* intelligit per altare, Christi humanitatem, ac dicit animas Martyrum esse sub altari, quia solùm vident Christi humanitatem, post diem iudicij exaltandas esse super altare ad videndum Dei essentiam: *Interim,* inquit, *sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam S. Angeli prospicere, donec veniat tempus, quando iam non sub altare collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum esse qui quis poterit, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione vtique, & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim tunc nobis Filius, vt pollicitus est, semetipsum, non in forma serui, sed in forma Dei: ostendet etiam nobis Patrem, & Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis.*

QVINTVM argumentum sumitur ex ratione; nã iudicium, & examẽ bonorum, & malorũ, futurũ est in nouissimo die, ergo præmia, & pœnæ vsque ad eũ diem differentur. Præterea Christi anima post separatio-

rationem à corpore nõ ſtatim aſcendit in cęlum, ſed prius deſcendit ad inferos, & poſt reſurrectionẽ carnis tandem in cælum aſcendit; igitur & Sancti oẽs poſt mortem in inferno erunt vſque ad reſurrectionem; nam Chriſti requies, reſurrectio, & aſcenſio, exemplar fuit noſtræ quietis, reſurrectionis, & aſcẽſionis, alioqui eſſent diſcipuli, & ſerui ſupra magiſtrum, & dominum. Adhęc, aīa, & caro ſimul operãtur tàm bona, quã mala, igitur ſimul & non vna ſine alia puniri, aut remunerari debet. Denique dęmones nondum puniuntur, ſed puniendi reſeruantur poſt diem iudicij; nam idcircò dicebant Chriſto: *Veniſti huc ante tempus torquere nos*, Matth. 8. *Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent*, Luc. 8. igitur idem de hominibus fiet: ſi aũt impij non puniuntur, certè nec pij remunerantur. Hæc igiẽ ſunt argumenta, quæ aduerſus veritatem afferri ſolent, q̃ quidem ſequentibus capitibus per partes diluentur.

CAPVT II.

Animas Sanctorum iam nunc frui Dei viſione, demonſtratur teſtimonio Eccleſiæ.

SED facilè erit totidem argumentorum generibus veritatem propugnare, PRIMVM igitur accedat Eccleſiæ teſtimonium, quæ in oratione de S. Greg. dicit: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti, &c.* Præter quam orõnem habemus ẽt duo Concilia Oecumenica, & duorum ſummorum Pontificum decreta, ſiquidẽ hoc ipſum definitum eſt in Concil. Florent. ſeſſ. vlt. in decreto vnionis Latinorum cum Græcis, & in Conc. Trid. ſeſſ. 25. Idem quoq; diſertis verbis docet Innoc. III. c. Apoſtolicam, Extra. de Presbytero non baptizato. Idem denique poſt longas diſputationes Benedictus XII. definiuit in Extrauaganti, quæ incipit, Benedictus Deus, quam totam refert Alphonſus à Caſtro lib. 3. contra hæreſes, verbo, Beatitudo.

Atque hinc ſoluitur primum argumentum aduerſariorum; nã iſte Benedictus XII. qui ſucceſſor fuit immediatus Ioan. XXII. apertè teſtatur, Ioannem morte præuentum, non definiuiſſe iſtam quæſtionẽ. Neque verò ſolũ eam non definiuit, ſed ẽt paulò antè mortem partim retractauit ſnīam ſuam, partim ẽt declarauit; nam aſſeruit, PRIMO, ſe in omnibus ſuis ſermonib. de hac re nunquam intendiſſe rem definire, ſed ſolum quærere veritatem. SECVNDO, aſſeruit ſibi diſplicere priorẽ ſnīam, ac ſentire ſe, animas Sanctorum videre Deum, ẽt ante diem iudicij, niſi aliter Eccleſia, & ſui ſucceſſores definirent: quorũ definitioni ſe ſubmittere dicebat oẽs ſuas opiniones. Habetur hæc retractatio ipſis verbis, quib. facta eſt, apud Ioannem Villanum lib. 11. c. 19. hiſtoriæ, de rebus Florentinorum, quam ille dicit, ſe habuiſſe à fratre ſuo, qui in aula eiuſdem Ioannis Papæ degebat.

Sed notanda ſunt quinq; mẽdacia Caluini, lib. 4. Inſtitutionum, c. 7. §. 28. PRIMVM eſt, Gerſonẽ vixiſſe tempore huius Ioannis, nam Ioãnes obijt Anno MCCCXXXIV. Vt teſtantur oẽs hiſtorici, & nominatim Onuphrius, & ille Ioan. Villanus li. 11. c. 19. Gerſon autem natus eſt Anno MCCCLXIII. vt ex Tritemio patet de ſcriptorib. Eccleſiaſticis.

SECVNDVM eſt, Ioannem Papam negauiſſe animæ immortalitatẽ, at ſi hoc eſſet verum, multò magis eam negauiſſet Caluinus, qui pertinaciter defendit, animas non videre Deum, nec enim Ioan. Papa vllius erroris accuſatur à Gerſone, & alijs, præterquam iſtius de viſione Dei.

TERTIVM eſt, nullum Cardinalium ſe oppoſuiſſe Ioanni Papæ, nam Ioan. Villanus lib. 10. c. vlt. hiſt. ſcribit, maiorem partem Cardinaliũ repugnaſſe Io. & idem colligitur ex Decretali Benedicti XII.

QVARTVM eſt, Regem Gallię Philippum interdixiſſe ſuis cõionem Ioannis Papæ, niſi reſipiſceret. At Ioannes ille Villanus loco citato ſcribit, Regem ſolùm ſcripſiſſe ad Pontificem amicè, & reuerenter, eumque monuiſſe, vt caueret ab illis opinionib. quæ videntur ſuſpicionem erroris ingenerare poſſe.

QVINTVM eſt, Pontificem coactum à Rege ad palinodiam. At Ioannes prædictus ſcribit, Ioannem Pontificem ſolùm retractaſſe opinionem ſuam pridie ante mortem ſuaſu affinium, qui metuebant, ne, ſi Eccleſia poſtea contrarium definiret, vt etiã fecit, memoriæ Ioannis Papæ aliqua nota ſuſpicionis erroris inureretur. Vide quæ ſcripſimus de hac re lib. 4. de Pontifice, cap. 14.

CAPVT III.

Idem Scripturarum teſtimonijs demonſtratur.

IAM ſecundo loco Scripturarum teſtimonia proferemus. Ac PRIMVM ſit id, quod legimus in Eccleſiaſt. cap. 11. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas.*

DICES, non ait Scriptura in die obitus reddi vnicuique ſecundum opera, ſed poſſe reddi, ſi Deus vellet. AT certè illud, facilè eſt, non ſignificat, poſſet Deus, ſi vellet: ſed reddit Deus, & facilè reddit vnicuique ſecundum opera ſua in die obitus, alioqui enim, ſi Deus poſſet reddere ſecundum opera, ſed nõ redderet, fruſtrà nos hoc argumento hortaretur Sapiens ad bene faciendum. Præterea cùm dicat ibidẽ Spiritus ſanctus: *In fine hominis denudatio operũ eius*; indicat ẽt in fine hominis, reddi vnicuique ſecundũ opera; nam ad hoc fit iudicium illud, & denudatio operum, vt ſequatur remuneratio.

DICES rurſum quando hæc ſcripta ſunt, non dabatur remuneratio eſſentialis in die obitus, ſed tantũ requies in ſinu Abrahæ, igitur per iſta verba, Facilè eſt coram Deo in die obitus reddere, &c. ſolum deducitur, reddi in die obitus iuſtis certam ſpem beatitudinis futuræ, & requiem in ſinu Abrahæ.

RESPONDEO, Eccleſiaſticum, cum dicit, in die obitus reddi remunerationem, intellexiſſe, reddi remunerationem, quæ pro tẽporum diuerſitate haberi poterat: & quia tunc nondum cælum erat reſeratũ, nunc aũt à Chriſto reſeratum eſt; ex illius ſententia ſequitur, in die obitus, & tunc requiem dari ſolitam iuſtis, nunc veram felicitatem. Hinc nimirũ Nu. 35. Dominus iubet, vt poſt mortẽ ſacerdotis magni omnes exules reuertantur ad patriam: hæc enim eſt figura rerum noſtrarũ; nam nos exules ſumus, patria paradiſus, ſacerdos magnus Chriſtus, poſt cuius mortem iam patet aditus Adæ filijs in cælum.

ALTERVM teſtimonium, & quidem lõgè clarius eſt Apoſt. Pauli 2. Cor. 5. *Scimus, quia ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationẽ ex Deo habemus, domum nõ manufactam, æternam in cælis, nam et in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtrã, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur: nã & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.*

Nota PRIMO, illud: *Si terreſtris domus noſtra*, intelligi à quibuſdam (vt Chryſ. citat.) de mundo hoc ſenſibili, quaſi Apoſt. dicat, ſi hic mundus perĳbit, nõ deerit nobis alius melior poſt reſurrectionẽ. Sed hoc falſum eſt; nam communis Græcorum, & Latinorũ opinio p̃ domo hac terreſtri accipit corpus hoc mortale, ſeu vitam præſentem corporalem: Et ratio eſt, quia in fine capitis ſuperioris dixit Apoſt. *Si exterior homo noſter corrumpitur, interior renouatur de die in diem.* Itaque, quod hic dixit terreſtrẽ domũ, ibi dixit hominẽ exteriorẽ. Præterea infrà clarius dicit: *Dum*

ſumus

sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. vbi apertè vocat corpus, quod antea vocauerat exteriorē hominem, domum terrestrem, tabernaculum, &c.

Nota SECVNDO, per domum æternam, & cęlestē, quam opponit Apostolus domui terrestri, intelligi à Patribus vel corpus immortale, vt à Chrysost. Theophylacto, Theodoreto, Ambrosio; vel vitam æternā, idest, visionem Dei. Et sine dubio verior est posterior expositio, quæ est Photij apud Oecumenium, Anselmi, & Sancti Thomæ in hunc locum; nam inprimis Apostolus ait de prędenti, si domus hæc terrena dissoluitur, habemus aliam æternā in cælo; debuisset enim dicere, si de corpore glorioso loqueretur, habebimus, non habemus; nam corpus immortale non habemus nunc in cælo.

PRÆTEREA Apostolus, cum dicit, si hæc domus dissoluitur, habemus aliam, vult dicere, non est quod timeamus nobis domum defuturam vnquam; nam si hinc pellimur, habemus aliam: at si per domum cęlestem intelligit corpus immortale, non est verū nobis nunquam defuturam domum, deerit enim à die mortis vsque ad diē resurrectionis. Præterea id ipsum vocat hanc domum cęlestē, quod paulò antè in fine c.4. vocauerat: *Aeternum gloriæ pondus*; nam postquā dixerat: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* subiungit explicans: *Si enim terrestris domus, &c.* At per illud: *Aeternæ gloriæ pondus*, omnes intelligunt ipsam essentialem beatitudinem.

DENIQVE, nisi Apostolus hic per domum cęlestē, intelligeret beatitudinem, non bene cōcluderet paulò inferius: *Audentes igitur, & scientes quia dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, audemus, & bonam voluntatē habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Nec enim sequit; si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale post resurrectionē, ergo bonum est nunc mori, & peregrinari à corpore; imò contrarium sequitur, nimirū non esse bonum mori vsque ad diem resurrectionis, quia etsi melius sit corpus immortale, q̄ mortale, tamē melius est corpus mortale, quàm nullum. At, si per domum cœlestem, intelligamus beatitudinem, Apostoli argumentatio optima est, nimirū ista; si vita hæc mortalis perit, habemus statim aliam longè meliorem in cælo, ergo bonum est citò mori in hoc mundo; vt citò viuamus in cælo.

DICES, non vr̄ beatitudo posse vocari domus, non enim habet similitudinem cum domo, corpus autem habet; corpus enim reuera est domus animæ.

RESPONDEO, beatitudinem optimè dici domum, quia est tam magna, vt eam anima non capiat, & potius ea in illam intret, q̄ illa in animam: hinc 1 Io.3. dicitur: *Maior est Deus corde nostro.* Et quod dr̄ Io.14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* omnes intelligunt de varijs gradibus beatitudinis, de hac domo dicitur et Matth.25. *Intra in gaudium Domini tui.* Et hanc domum eleganter Apostolus opponit vitæ corporali, siue ipsi corpori, propter tria. PRIMVM enim corpus ipsum vocat domum terrestrem, quia ex terra constat: vitam beatam vocat domum cœlestem, quia in cęlo inuenitur, ibi enim est sedes Dei, & ibi semper videtur tanquam Rex in decore suo. SECVNDO, corpus dicit esse domum, quæ dissoluitur, quia quotidie deficit magis & magis, illam autem vocat æternam, quia semper in eodem statu permanet: denique illam vocat non manufactam, insinuans, istam esse manufactam, quia nimirum corpus habemus opera hominū, qui illud generarunt, & cibo, ac potū alunt, & sustentant: at illa domus cęlestis ab hominum opere nō pender, sed à solo Deo manifestante seipsum nobis.

TERTIVM testimonium est paulò infrà: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati eo, quod nolumus expoliari, sed superuestiri, audentes igitur, & scientes, quia sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidē enim ambulamus, & non per speciem, audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* NOTA Apostolum hic docere duo desideria esse in nobis, vnum naturæ ad viuendum corporaliter, alterum gratiæ ad videndum Deum; & quidem homines pios velle quidem vtrumque, si possint, implere simul; sed cum non possint, anteponere desiderium gratiæ desiderio naturæ, & proinde appetere mortem corporis, vt possint cum Deo viuere: homines impios è contrario omnia referre ad vitam corporis, & desiderium naturæ.

Ex quib. deducitur euidens argumentum pro sententia nostra; nam si non possemus videre Deum, nisi post resurrectionem, non diceret Paulus, se optare peregrinari à corpore, vt non peregrinetur à Domino, his enim verbis ostendit esse aliquem statum animæ, in quo peregrinetur à corpore, & non à Domino: at talis status non esset vnquam, nisi ante resurrectionē videretur Deus; nam in hac vita peregrinamur à Domino, sed non à corpore: in alia vita post resurrectionem nō peregrinabimur, nec à Domino, nec à corpore; ante resurrectionem aūt oporteret necessariò peregrinari à Domino, & à corpore: quare vt detur status, in quo peregrinemur à corpore, sed non à Domino, de quo Paulus loquitur, necesse est vt ante resurrectionem, spiritus iustorum corpore soluti, Deum videāt.

NEQVE ēt dici potest, Paulum loqui de quadam beatitudine imperfecta, quæ consistit in visione humanitatis Christi, & quòd peregrinari à Domino, sit peregrinari à præsentia humanitatis Christi. Si quidem Sanctus Apostolus ait: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & nō per speciem.* Ex quo sequitur, vt è cōtrario non peregrinari à Domino, sit non ambulare per fidem, sed facie ad faciem videre speciem diuinæ pulchritudinis. Idem enim Apostolus quod hic dicit: *Ambulamus per fidem non per speciem.* Dicit 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc aūt facie ad faciem.* At qui solam videt Christi humanitatem, adhuc habet fidē, & est peregrinus, & viator, vt omnes fatentur.

QVARTVM testimonium est Luc.23. *Hodie mecū eris in paradiso.* Vbi nota, paradisum dupliciter accipi in Scripturis; vno modo pro horto quodam deliciarū corporalium, in quo primus homo cōstitutus fuit ante quā peccaret, de quo loquitur Moyses Gen.2. & 3. altero modo pro gloria beatorum, cuius prior paradisus figura fuit; & de hoc loquitur Paulus 2.Cor.12. vbi se dicit raptū fuisse in paradisum, explicans. n. quid paradisus sit, dicit se raptum supra tertium cælum.

EVTHYMIVS in hunc locum existimat (nimirum vt confirmet errorem suum) hic Dominum loqui de paradiso terrestri; & ideo ēt scribit, Dominum latroni non respondisse, hodie mecum eris in regno meo, sed in paradiso; vt ostenderet aliud esse regnum, aliud paradisum. Et quia poterat aliquis obijcere, Christum dixisse: *Mecum eris in paradiso*; & tñ Christus non est in paradiso terrestri, sed cœlesti; respōdet Euthymius Christum esse vbique vt Deus est, & proinde esse cū latrone, alijsque Sanctis in paradiso terrestri, & simul cum Angelis in paradiso cœlesti.

Hæc expositio sine dubio potest, ac debet reijci. PRIMVM, paradisus terrestris est locus deliciarū corporibus, non animabus; quid enim prodest animabus abundare pomis, herbis, aquis, ceteriśque rebus terreni illius paradisi? Christus autem promittens latroni paradisum, promisit hortum deliciarum ipsi conuenientem, idest, spiritualem.

SECVNDO, voces Testamenti noui cum ambiguæ sunt, potius accipi debent, vt sumuntur in alijs locis

Testa-

Testamenti noui, quã vt sumuntur in testamento veteri, sed vox ista, *paradisus*, in testamẽto nouo accipitur pro paradiso spirituali, vt patet 2. Cor. 12. igitur & Luc. 23. pro spirituali paradiso accipienda est.

TERTIO, Christus promisit latroni cõsortium suũ, cũ ait: *Mecum eris in paradiso.* Christus autẽ non terrestrẽ, sed cęlestẽ paradisum introiuit. nec valet respõsio Euthymij; nam eo mõ, quo Christus est vbique, erat cũ latrone etiã in hoc mundo, cum adhuc latrocinia exerceret, & nihil ei Christus noui promisisset.

Iam verò THEOPHYLACTVS nomine aliorum refert, & refellit duas alias expositiones ad hunc locum. PRIMA est quorundã, qui dicebant, latroni promissũ fuisse paradisum cęlestẽ, sed dandum post resurrectionem: dixisse autẽ Christum, *hodie eris*, propter certitudinẽ rei futuræ, qũo Proph. sæpè exprimunt res futuras per tẽpus pręsens, aut prẽteritum: vt, cùm Dñs dicit: *Qui non credit, iam iudicatus est.* SECVNDA est, illud, *hodie*, coniungendum cum, *dico*, non cum, *eris*, hoc modo: *Amen dico tibi hodie, mecum eris in paradiso.*

Sed neutra est solida; non PRIMA, tum quia non oportet recurrere ad figuras, & relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur; tum etiam, quia ista non sunt verba Prophetica, vt oportuerit ea velari obscuritate, sed continent simplicem promissionẽ, & proinde simpliciter intelligenda sunt. neque eo loco, *qui nõ credit, iam iudicatus est*, accipitur prætèritum pro futuro: nõ enim vult Dominus dicere, certò iudicabitur, sed verè iam iudicatus est, & condemnatus à seipso, cùm nolit eam fidem amplecti, per quam saluus esse posset.

SECVNDA expositio est planè ridicula. Quorsum enim Dñs diceret; Amen dico tibi, hodie? nonne videbat latro, Dominum loqui illa die? Præterea, quis non videt per illud aduerbium, HODIE, respõderi ad illud aduerbium, QVANDO, quod latro posuerat? Latro dixerat: *Memento mei; quãdo veneris in regnũ tuũ.* Dominus respondet: hodie erit illud quando, proinde hodie mecum eris in regno, & paradiso meo. Vera ergo expositio est Theophylacti, Ambrosij, Bedæ, & aliorum, qui per paradisum intelligunt regnum cęlorũ. ne fortè enim latro p regnum intelligeret aliquid humanum, Christus declarauit, regnum suum esse paradisum, ideſt summam & sempiternam felicitatem.

QVINTVM testimonium Ephes. 4. *Christus ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Quo in loco per vocem, *altum*, nõ potest intelligi nisi summum cęlum. etsi enim quidam intelligunt crucem, tamen Paulus se exponit paulò infrà, cum ait: *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos.* Porro nomine captiuitatis, quam secum duxit in cęlum, quid potest intelligi, nisi multitudo sanctarum animarum, quas ex limbo ad cęlum euexit, vt Ambrosius exponit?

DICES, non sequitur, Sancti sunt in cęlo, ergo vident Deum. RESPONDEO, rectè sequi; nam per cęlũ intelligimus sedem; & quasi aulam regiam Dei, vbi Deus semper videtur; nam Isa. 66. dicitur; *Cælum mihi sedes est.* Et Matth. 5. *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei est.* Et Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.* Et in oratione Dominica dicimus; *Pater noster, qui es in cælis.* Tametsi enim Deus vbique sit, tamẽ propriè in cęlo esse dicitur, quia per sui manifestationem illic se præsentem ostendit, & cernitur ab ijs, qui digni sunt cęlesti illa sede. Vnde elegãter Cyrillus catechesi 9. dicit, cælum esse velum Deitatis, quo nobis videlicet, qui sumus extra velum, absconditur Deus. Imò Paulus Hebr. 9. comparat ingressum Christi in sanctuarium cæleste, cũ ingressu Sacerdotis intra velum in Sancta Sanctorum, indicans idem esse cælum respectu diuinæ essentiæ, quod erat velum respectu arcę Testamenti, & certè animabus Sanctorum, si non videant Deum, parum videA tur referre vtrum in cælo isto materiali, an in terra, vel in alio loco sint.

SEXTVM testimonium Philip. 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* At si animæ seruantur in aliquo loco extra cælum, frustrà hoc desiderabat Paulus, Christus enim in cælis est.

SEPTIMVM testimonium Hebr. 9. *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorũ viã adhuc priore tabernaculo habente statum.* Quod exponunt Primasius, Anselmus, Theophylactus, Oecumenius in hunc modum, quod in Sancta Sanctorum non possent ingredi Sacerdotes, nec populus significabat toto tempore Testamenti veteris non fuisse apertam viam ad cęlum, & ideo etiam iustissimos quosque ad inferos descendisse: quia non poterant simul vigeB re figura, & figuratum. At posteaquam Christus perrupit velum tabernaculi, & figuræ cessauerunt, iam propalata est via Sanctorum ad sanctuarium cæleste.

OCTAVVM testimonium Hebr. 12. *Non accessistis ad montem Sion, &c. sed ad Sion montem, & Hierusalẽ cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiã, Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum, &c.* Hic (vt rectè Anselmus exponit) describitur Ecclesia triumphans, & in ea dicuntur esse tanquam ciues, primum Angeli, deinde animæ primitiuorum, ideſt, eorum, qui primi crediderant, & iam mortui fuerant, vt Iacobi Apostoli, Stephani, & aliorum: qui dicuntur conscripti in cælis, quia sunt adscripti, & cooptati cum Angelis in ordinem ciuium cælestium, quomodo dicebantur RoC mæ Senatores Patres Conscripti. Nisi fortè magis placeat per Ecclesiam primitiuorum in cælis conscriptorum, intelligi animas Patriarcharum, & Prophetarũ cum Christo regnantium: Per spiritus autem perfectorum, animas Apostolorum, & Martyrum. Semper tamen eadem est sententia, iam nunc spiritus sanctorum hominum beatos esse, ea beatitudine, qua sancti Angeli soli ante fruebantur.

NONVM testimonium est in lib. Actor. cap. 7. vbi Stephanus moriturus, vidit cælos apertos, & gloriam Dei, Christumque stantem à dextris Patri. Cur autem hoc vidit, nisi vt intelligeret, sibi cælum patere, & se statim à Domino recipiendum in illam gloriam? Id enim ille intelligens exclamauit. *Domine Iesu suscipe spiritum meum.*

D DECIMVM testimonium est, c. 6. Apoc. vbi dantur Martyribus singulæ stolæ albæ, quæ gloriam animæ significant; nam alterã stolam. i. gloriam corporis post resurrectionẽ habebunt; vt exponunt Greg. in 4. Psal. Pœnitent. & Beda, Haymo, & Anselmus in hunc locum, necnon B. Aug. ser. 4. de festo Innocentium.

VNDECIMVM est, c. 7. vbi de istis dicitur: *Hi, qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius.* Ex quo habemus, illos verè esse in cælo, & videre Deum. Quid enim significat esse ante thronum Dei, nisi habere Deum in conspectu, eumque cernere?

Atque hinc solui potest argumentũ SECVNDVM; nam ad primum locum contra adductum respondeo dupliciter; ac PRIMVM, ut Chrys. in c. 20. Matth. moE net, parabolas non oportere ex omni parte quadrare, sed solum considerandum esse scopum; multa enim dicuntur non ad significandum aliquid, sed solum, ut narratio integra uideatur, quemadmodum & culter ad scindendum factus est, nec tñ ex omni parte scindit, alioqui, quomodo operarij accipientes denarium murmurabant? nunquid erit murmur in cælo? Et cur Dominus dixit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Num erit in cęlo oculus nequã? quomodo etiam fieri potest, ut merces prius sit reddita ultimis, quã primis, cùm constet omnes simul electos eadem sententia donandos regno cælorum? Solùm

ergo

ergo ex parabola illa de operarijs habemus, minori tẽpore Patres noui Testamenti laborare, quàm fecerint Patres Testamenti veteris: & tamen ad eandem beatitudinem peruenire: vel certè eos, qui conuertuntur in senectute breuiorem laborem habere, quã eos, qui in adolescentia, & tamen posse non minus præmium adipisci.

Possumus etiam SECVNDO respondere, si velimus illam partem esse significatiuam; qua dicitur, ad vesperam vocatos esse omnes operarios, & simul omnibus redditam esse mercedem; dicemus enim per vesperam significari futurum generale iudiciũ, quo publicè reddatur omnibus perfecta merces: quod tamẽ iudicium non excludit particularia Dei iudicia, quib. in obitu vniuscuiusq; redditur singulis priuatim pars mercedis.

Ad SECVNDVM locum ex Paulo, qui ait, Patres nõ B accepisse promissiones, sed suo tempore accepturos, dico tria. PRIMO, per repromissionem posse intelligi Christi incarnationem, vt exponit Primasius, id enim Deus promiserat sæpissimè Patribus Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauid; vnde Dominus ait: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

SECVNDO dico, per repromissiones posse intelligi beatitudinem animæ; & tunc conferri homines Testamenti veteris, cum hominib. Testamenti noui, vt sensus sit; illi antiqui Sancti mortui sunt, non accepta repromissione vitæ æternæ, vt non præuenirent nos, sed expectarent vsque ad Christi aduentum, vt eam repromissionem nobiscum, ideſt, cum Sanctis Testamenti noui acciperent. Et fauet huic expositioni textus Græcus C οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν. Non acceperant repromissionem, ideſt, nunc quidem acceperunt, sed ante hac nondum acceperant.

TERTIO dico, per repromissionem intelligi perfectam beatitudinem corporis, & animæ, quam illi adhuc non habuerunt, ne sine nobis habeant. quæ quidem est cõmunis Patrum expositio in eum locum, & Augustini tract. 49. in Ioan. notanda sunt omnia illa verba: *Ne sine nobis consummarentur.* Non enim ait, ne sine nobis remunerarentur, sed ne sine nobis consummatam mercedem non modò animæ, sed etiam corporis acciperent.

Ad TERTIVM locum ex epist. Ioan. respondeo, illud, *cùm apparuerit*, non significare, cùm apparuerit Christus, sed cùm apparuerit, quid erimus, vt patet ex D superioribus. Dixerat enim, *nondum apparuit, quid erimus*, ac deinde subiecit, *scimus enim, quia cùm apparuerit*, nimirum, quid erimus, *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Itaque illud; *similes ei erimus*, significat, similes Christo erimus coram oculis totius mundi. videbunt enim nos in nubibus Christo assidentes, ac similes illi quoad externam gloriam corporis, quæ gloria ex eo nascetur, quod videbimus eum sicuti est; nam videre Deum, est beatitudo animæ, ex qua nascitur gloria corporis. Est autem similis hic locus, vt Beda etiam monet illi loco Pauli: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Colos. 3. Quare nõ colligitur ex verbis Ioannis, sanctos homines non visuros Deum ante diẽ iudicij, sed solùm ante eum diem non esse eorum gloriam toti mundo manifestandam. E

Ad QVARTVM ex Apoc. dico, per altare, sub quo sunt animæ, non posse intelligi aliquẽ locum extra cælum; nam in c. 7. habemus, istas animas amictas stolis albis esse ante thronum Dei, Deoque in templo eius, ideſt, in cœlo seruire, die ac nocte.

Tres ergo sunt Catholicę expositiones. PRIMA Bedæ, illud: *Sub altari*, coniungi cum *interfectorum*, hoc modo: *Vidi animas interfectorum sub altari*: per altare autem intelligi Christum, vt sensus sit; Vidi animas in A terfectorum sub altari, ideſt, sub testificatione nominis Christiani: quomodo 2. Machab. 7. dicuntur Machabęi occisi sub Testamento Dei, i. pro Testamento Dei.

SECVNDA, eiusdem Bedæ, Primasij, & Haymonis, illud, *Sub altari*, coniungi cum *vidi*, sed per altare intelligi secretum intellectuale, vnde procedit thimiama laudis diuinæ. Sicut enim in tabernaculo erat arca, & ante arcam altare aureum thimiamatis, ita in cęlo, tabernaculo nõ manu facto, est arca humanitatis Christi, in qua residet diuinitas: & ante eam est altare aureum, vnde procedit perpetuum thimiama laudis diuinæ, & precum. Et notat HAYMO, quod sicut in tabernaculo materiali, inter altare aureum, & arcã, erat velum, quod fractum est in morte Christi: ita quoque durante Testamento veteri, animæ Sanctorum erant B sub altari, sacrificantes Deo hostias laudis, sed velum erat inter eas, & Deum: at fracto velo per Christum, iam altare est coniunctum arcæ, & nihil est in medio. Dicuntur autem animæ esse sub altari isto, non autem ad altare, ad significandum secretum illud cęleste, quò non solùm oculi, sed nec mẽtes nostræ penetrare possunt, quis enim capiat, quomodo animæ sint ante Deum, eique ministrent in cœlo?

TERTIA est Anselmi, qui docet, per altare intelligi Christum. Sacrificia enim Sanctorum, siue laudis, siue orationum, non placent Deo, nisi super hoc altari ponantur, ideſt, per Christum offerantur. Dicuntur autẽ animæ sub Christo esse, nõ quia Christus sit illis quasi paries adumbrans, & impediens, quo minus Deum videãt, vt B. Bernardus videtur exposuisse, sed sub Chri- C sto esse dicuntur, quia illo inferiores sunt loco, & dignitate; & quia sub Christi patrocinio, & protectione vicerunt, & illi referunt accepta sua præmia.

CAPVT IV.

Eadem veritas ex Græcis Patribus confirmatur.

SEQVITVR nunc, vt post Scripturas sacras, proferamus etiam testimonia Patrum, ac primùm Græcorum, ne recentiores Græci existiment, veterum testimonio errorem suum se posse defendere.

PRIMVS. IGNATIVS in epist. ad Romanos dicit, se per martyrium proficisci de mundo ad Deum. Et rursum ait: *Aqua viua manens in me, intrinsecus mihi dicit, veni ad patrem.* At secundum errorem Græcorum D & Caluinistarum, non ad Deum ibat, sed ad inferos, aut ad alium locum extra cęlum, vbi non magis Deus est, quàm hic nobiscum. Præterea ibidem ait: *Sinite me puram lucem aspicere, illuc perueniens homo Dei ero.* Et rursum: *Miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci.* An non clarissimè indicat, se statim à morte futurum cum Deo, & visurum puram lucem diuinitatis? Denique sæpius repetit, se per martyrium adepturum Christum. at quomodo adipiscetur, si Christus est in cœlo, & ipse erit apud inferos, in abditis receptaculis, nescio quibus?

SECVNDVS sit DIONYSIVS Areopag. qui libro de Eccles. hierar. c. 7. part. 1. loquens de Sanctis in morte constitutis: *Norunt*, inquit, *profectò se totos præcepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cùm ad præsentis vitæ finem peruenerint, viamq; ad immortalitatem suã è vicino tã clarius intuentes, diuinitatis laudãt munera, diuinaq; lætitia gestiunt. non tam ad deteriora conuersionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuoq; habituros probè noscentes, &c.* Nota, dicere Dionysium, animas Sanctorum statim à morte hominis consequi immortalitatẽ: cumque hoc non possit intelligi de immortalitate naturali, nec de immortalitate carnis, necessariò esse intelligendum de beatitudine, quæ est vita æterna animę. Eodem lib. & cap. par. 3. dicit animas Sanctorum statui in regione viuorũ, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, & subdit: *Ista, vt reor, sunt perspicuè*

Beatissima Sanctorum præmia, quid enim immortalitati perfectæ omniq; tristitia vacuæ, ac plenæ perpetui luminis conferri possit? licet multum sanè promissiones illæ sublimiores nostra mente sint, quæ vocabulis nobis congruis designantur, longè tamen inferiores earum re & veritate appellationes habent. verũ enim profectò illud existimandum eloquium est: quod oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, &c. At certè ista non conueniunt, nisi essentiali beatitudini, quę sola superat nostra desideria.

TERTIVS sit IVSTINVS, qui quæst. 75. à gentibus posita (quamquam istæ quæstiones non videntur Iustini, sed alicuius recentioris.) *At*, inquit, *post animi à corpore excessum statim fit bonorum, malorumq; distinctio. ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt, ab Angelis, bonorum quidem animi in paradisum, vbi cõsuetudo est, & aspectus Angelorum & Archangelorum, visio verò etiam conseruatoris Christi ex verbis his, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum, improborũ autem ad inferorum loca, &c.* Vbi nota probari sententiã nostram tum ex eo, quod dicit, bonorum animos duci ad paradisum, vbi sunt Angeli, & Christus; tum ex loco Pauli, quẽ Iustinus allegat; nam (vt suprà diximus) præsentem esse ad Dominum, significat videre Deum, cùm opponatur peregrinationi à Domino, & ambulationi per fidem.

Atque ex his ad loca ex Iustino adducta in contrarium, facilè est respondere; nam q. 60. vbi dicit, narrationem de Lazaro non esse historiam, quia nondũ facta est retributio; loquitur de retributione perfecta, qñ totus homo animo & corpore gaudebit, vel cruciabitur. Et quia in illa narratione fit mẽtio corporalis supplicij dicitur: *Et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ideò Iustinus dicit, illam narrationem non esse historiam, quia nõdum habent damnati corporalia membra, &c. In quæst. 76. Gentiles quidã quęrebant, si ante resurrectionem nulla sunt operum præmia, quorsum latro i paradisum introductus fuit? Sed Iustinus nõ admittit antecedens imò ostendit magnã remunerationis partem esse, quod animus latronis sit in cętu beatorum, & videat inferiora, & Angelos, ac Dæmones. nõ meminit autem Dei visionis, quia Græci non solent vocare visionem, nisi eius rei, quæ plenè comprehenditur, & ideò passim negant, Deum posse videri à creatura: sed quod aliquo modo latro Deum videat, indicat Iustinus, cùm dicit eum esse in cœtu beatorum.

QVARTVS. IRENÆVS lib. 1. c. 2. *Iustis*, inquit, *& æquis & præcepta eius seruantibus & in dilectione eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdã autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circundat.* Nota. *quibusdam*, idest, ijs, qui mox à Baptismo moriuntur, vel qui pro Christo vitam ponunt, vel denique perfectis statim donari vitam, & claritatem æternam, alijs non, nisi post pœnitentiam, idest, satisfactionem in futuro seculo actam. Est enim hæc sententia Irenæi simillima illi CYPRIANI lib. 4. epist. 2. ad Antonianum: *Aliud est*, inquit, *ad veniam stare, aliud ad gloriã peruenire: aliud missum in carcerem nõ exire inde donec soluat nouissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis mercedem accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.*

Quod ergo idẽ Iren. lib. 5. extremo dicit, aĩas Sanctorũ deduci in inuisibilẽ locũ, & post resurrectionem cũ corporib. ituras ad Dñm, non significat eas interim nõ esse in cęlo, vel non videre Deum, sed solum significat eas non esse nunc in illa perfecta beatitudine, in qua est Christus, qui animo & corpore est beatus.

Et confirmatur hoc ex multis coniecturis. PRIMO, quia hoc ipso loco dicit, Christũ descendisse ad inferorum loca, vt Sanctorũ animas inde extraheret, & saluaret. Si eas ergo extraxit, nõ sunt amplius ibi: & si saluauit, certè vident Deum, nam hęc est salus animarũ.

SECVNDO, cùm dixisset, Christum descendisse ad inferos, antequam resurgeret; & subiungeret, debere discipulos imitari magistrũ suum, non tñ ausus est dicere, discipulorum animas descendere ad inferos; sed ait, eas duci ad inuisibilem locum, vt ibi exspectarent resurrectionem, per inuisibilem locum quid prohibet intelligere cęlum, vbi est lux inaccessibilis?

TERTIO, quia Irenæus contendit, discipulos debere in morte, & requie, & resurrectione Christum imitari: At Christus statim à morte, non fuit quidem beatus corpore, sed quieuit triduo in sepulchro, interim tamen animo erat beatus, & in paradiso. ipse enim dixit: *Hodie mecum eris in paradiso*; ergo etiam Sancti, dum quiescunt in sepulcris, quantum ad corpora, animo sunt in paradiso beati.

QVINTVS. ORIGENES, qui in illis ipsis locis, qui contra nos afferũtur, pro nobis est; nam hom. 7. in Leuiticum dicit, Sanctos habere nunc lætitiam, sed non perfectam, quia adhuc corpus eorum, i. ciuitas illa beata non est plena, sed qñ erimus nos etiam vbi ipsi sunt, tunc habebunt perfectam lætitiam. & addit, Christum ẽt non habere perfectam lætitiam, quia nondum habet omnia sua membra. Itaque apertè loquitur de lætitia accidentali. Libro aũt 2. periarchon, c. vlt. dicit, pleroſque Sanctorum primum duci ad locum aliquẽ terrestrem, vt ibi expolientur, & doceantur multa, q̃ nesciebant; deinde duci ad loca aerea, & ibi discere quædam sublimiora; tandem duci suprà cęlos ad Christũ, & ibi iam videre perfectè causſas omnium rerum. ibidem asserit Paulũ, & similes perfectos iam ibi esse, & videre in Deo oĩa. Itaq; errat quidem in eo, quod vult, Sanctos paulatim proficere in alia vita, sed apertè fatetur nunc multos eorum esse in cęlo, & videre Deum.

SEXTVS. ATHANASIVS in vita Antonij dicit, animam Ammonis Angelis stipatam visam ab Antonio deferri in cœlum.

SEPTIMVS. BASILIVS hom. in 40. Martyres: *Vos*, inquit, *non terra occuluit, sed cœlum suscepit. apertæ sunt vobis paradisi portæ*: Et oratione in Gordium Martyrem: *Erat enim affectus, non vt qui in lectoris manus deuenturus esset, sed velut Angelorum manibus seipsum cõmissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent.*

OCTAVVS. GREGORIVS Nazianzenus oratione in Basilium: *Tu*, inquit, *obiter è cœlo nos respice, & datam mihi renum debilitatẽ, & articulorum dolorem, vel iube discedere, vel adiuua, & hortare. ita me æquo animo ferre, vt hinc demum discedentem me in æterna tabernacula recipias, & beatam Trinitatem eo, quo est modo, tecum pariter contemplari ualeam.* Et oratione in Gorgoniam, dicit eam frui cum Angelis purissima illustratione Trinitatis, quę toti menti totam se contemplandam præbeat.

NONVS. GREGORIVS Nyssenus oratione in sanctũ Ephrem: *In cælestibus tabernaculis*, inquit, *animus illius considit, vbi sunt ordines Angelorum, vbi Patriarcharũ populi, vbi chori Prophetarum, vbi Sedes Apostolorũ, vbi gaudium Martyrum, vbi piorum lætitia, vbi Doctorum splendor, vbi celebres primogenitorum cœtus. vbi puræ lætantium uoces.* Et infrà: *Tu uerò diuino assistens altari, mitæque principi, & sacrosanctæ unæ cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisque peccatorum ueniam impetra.*

DECIMVS. IOANNES Chrysostomus homil. 10. in posteriorem epist. ad Corinthios loquens de beatitudine: *Si cogitatio*, inquit, *illorum quãuis obscura sit, tantã suppeditat uoluptatem, cogita quantam lætitiã nobis allatura sit manifesta ipsa comprehensio. Beati & ter beati, qui illis bonis fruuntur, sicut & miserabiles, et miserrimi, qui*

qui hisce contraria sustinent. Homil. 3 in epist. ad Phil. *Peccatores*, inquit, *vbiubi fuerint, procul à Rege sunt, atq; ideo digni qui fleantur. Iusti verò, siue hic siue in futuro seculo, fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis, & propius non per ingressum, ac fidem, sed facie ad faciem, &c.* Nec in textu Græco hic insignis locus aliter se hēt; οἱ δὲ δίκαιοι ἄντε ἐντᾶυτα. ἄντε ἐκεῖ, μετὰ τᾶ βασιλέως εἰσὶ, παρεῖ μάλλον, καὶ ἐγγύτερον, διὰ τοῦτο εἰσόδε, διὰ πίστεως, ἀλλα προσωπων, προς πρόσωπον. Eadem verba repetit hom. 69. ad pop. hom. in illud Sap. 5. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.*

Rursum idē Chrysost. hom. 4. in epist. ad Phil. exponens illud; Vtrū eligam ignoro, &c. *Quid*, inquit, *dices Paule, cùm hinc abiens in ipsum cœlum migraturus sis, atq; cum Christo futurus, ignoras quid eligere debeas?* Et infrà: *Quis athleta cupiet amplius certare, cùm iam liceat coronari? &c.* Idem hom. 32. in epist. ad Rom. dicit, nunc Pauli animū versari in summo cœlo prope ipsum Regis solium, vbi Cherubim & Seraphim volitant. Lib. 5. de sacerdotio, dicit eos, qui purè communicant corpori Dominico, in extrema hora ab Angelis stipatos rectà in cœlum abduci. Ex his patet Chrysostomi sententia.

Quare ad id, quod obijciebatur ex hom. 39. in prio rem ad Corinthios, dico, Chrysostomum non velle dicere, animā nō frui bonis æternis ante resurrectionē; sed simpliciter non fruituram vllis bonis cœlestibus, si caro non resurgat; quia nimirū, cùm tàm animus, quàm caro laborauerint, par est, vt vtraque pars suam mercedem habeat. Quod si vna non habebit, Inde colligitur, nec alteram habituram. Et è contrario, si caro suo tempore resurget, & coronabitur, colligitur nunc animā corā Deo viuere & coronari. Vide Theophylactum, qui in eundem locum Pauli scribens, Chrysostomi sensum clariùs proponit.

Ad alterum Chrysostomi locum dico, cum loqui de corona, seu gloria corporis: de qua etiam Paulus loquitur. Et idem respondemus ad loca obiecta in contrarium Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij in hunc locum; nam illi, vt Chrysostomi discipuli, ipsius commentarium imitati sunt.

Vndecimvs, Cyrillvs Hierosolymæ Episcopus, catech. 13. de latrone loquens: *Tu*, inquit, *de ligno introduceris in Paradisum.* Et ne putemus eum loqui de loco refrigerij in sinu Abrahæ. *Nondum*, inquit, *Abraham fidelis ingressus est, & latro ingredietur, &c.* Et ne putemus eum loqui de paradiso terrestri: *Ne timeas*, inquit, *serpentem, cecidit enim de cœlo, non te eijciet.* Itaque clarissimè Cyrillus asseruit, latronem primum omnium in Paradisum ingressum.

Dvodecimvs, Cyrillvs Alexandrinus lib. 11. in Ioan. c. 36. dicit, animas Sanctorū nō versari in terris post mortē corporis, nec deduci ad pœnas Gehennæ, sed euolare in manus Dei Patris; & ne putemus hoc intelligi de sinu Abrahæ, vel loco aliquo extra cœlū, dicit, hoc iterà Christo primū apertū, & paratum: non ergo descendunt animæ Sanctorū ad locū, quò ibant ante Christi mortem: & addit, animas Sanctorum vitam perpetuam cum Christo habere.

Decimvstertivs. Epiphanivs hæres. 78. in fine: *Sancti*, inquit, *sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, sors ipsorum in Beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, dicta in cœlo, gloria in honore incomparabili & perpetuo, brauia in Christo Iesu Domino nostro.*

Decimvsqvartvs. Theodoretvs lib. 8. ad Græcos, qui est de Martyribus: *Si cœlum*, inquit, *sed illorū est, qui pie vixerunt: hunc profectò finem sui cursus & Martyres ita consequuti sunt, his enim magis piū esse nihil pōt.* Et infrà: *Ideoq;*, inquit, *maiori sorte meritò perfruuntur Martyres, qui nunc & à cunctis latè mortalibus honores amplissimos ferunt, & æternis sunt insigniti coronis.* Si ergo iam sunt in cœlo, & æternis coronis insigniti sunt, quō non sunt assequuti repromissionem (vt idem Theodoretus, nobis obiectum ab aduersarijs, dicit) de repromissione resurrectionis, & gloriæ corporalis sermo sit?

Decimvsqvintvs. Evsebivs lib. 4. hist. c. 15. Polycarpū dicit per mortē immortalitatis præmia iam adeptum. at quæ est ista immoralitas, q̄ præmij locō datur animę natura sua immortali, nisi beatitudo? Itē lib. 6. c. 5. de Potamiena: *Hoc mō*, inquit, *beata Virgo emigrauit è terris ad cœlum.* Similia passim leges.

Decimvssextvs. Damascenvs in historia de Barlaā et Ioasaphat ī fine: *Vultui Dñi*, inqt, *nitidè p̄sētatur, illius q̄, glorię iam ante promissa sibi corona exornatur.*

Decimvsseptimvs. Theophilactvs in c. 23. Lucæ, *Dicendum est*, inquit, *idem esse Paradisum, & regnum cœlorum; nam latro est in Paradiso ac regno, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione, &c.* vbi prolixè confutat eorū sniam, qui volunt latronē fuisse ductū ad Paradisū, nō aūt regnū cęlorū. Qñ ergo Theophylactus dicit in c. 16. Luc. narrationē de diuite & Lazaro esse parabolā, quia nondū facta est diuisio præmiorū, & pęnarum; loquit̄ de præmijs & pœnis q̄ ad corpus pertinēt; & iō rectè vocat parabolicum sermonē de oculis, & lingua diuitis in inferno. Qñ ēt dicit in c. 11. ad Hebræos, Sanctos nihil cœlestium promissionū accepisse, vult dicere, nihil illius gloriæ, & earum dotium, q̄ corpori affert resurrectio.

Decimvsoctavvs. Oecvmenivs in cap. 9. ad Hebræos dicit, Christum non solùm in cœlum ingressum esse, sed etiam secum duxisse genus humanum, i. multos sanctos Patres, qui sine dubio si in cęlo cum Christo sunt, ibi quoque cum ipso beati sunt, alioqui (vt suprà diximus) parum prodesset spiritibus cœlorum corporalium habitatio.

Habemus ergo, omnes Doctores Græcos pro nobis esse; soli remanent Arethas, & Euthymius ex ijs, qui in nobis obiecti sunt. ex quibus Arethas, cùm dicit Sanctos iperare futuram gloriā, pōt cōmodè intelligi de gloria corporis. Euthymius autē nō pōt exponi, sed nō est hac in re vsq; adeo magni faciendus; nam est omnium recentissimus. Scripsit n. circa annum M. C. LXXX. quo tempore Græci Schismatici, & Hæretici manifestè esse cœperant.

Ad illam confirmationem, quam afferebamus ex Græcis, qui Deum videri posse negant à creatura, Beatus Augustinus respondet, auctores illos, cùm dicunt Deum non posse videri, loqui de visione corporali. Sic enim ipse exponit verba B. Hieronymi in Epistol. 111. dicit enim Hieroymum voluisse dicere, Angelos non videre Deum oculis corporeis, sed tamen mente videre.

At hæc solutio non satisfacit propter tres causssas. Primo, quia Hieronymus, & cum eo Chrysostomus, Theodoretus, & alij citati disertè asserunt, Angelos esse spiritus, nō habere corpora aerea, vel ignea naturaliter vnita, vt B. August. opinatus est, & tamen negant ab Angelis Deum videri.

Secvndo, quia Hieronymus reddens causam, cur Angeli non possint videre Deum, ait non enim potest creatura aspicere creatorem suum, & eandem causssam reddere solet Chrysostomus. At hæc ratio tam valet in oculis corporis, quàm in oculis mentis, vtrique enim sunt oculi creati.

Tertio, quia isti Patres dicunt, nec Angelis, nec hominibus Deum esse visibilem, sed soli ipsi Deo. At Deus non videtur corporeis oculis, sed mente. De mente igitur, non de corporeis oculis Patres loquuntur.

Vera ergo solutio est B. Tho. 1 par. qęst. 12 art. 1. hos Patres nomine visionis intelligere comprehensionē perfectā; quia enim quę oculis corporis vide-

mus, perfectissimè comprehendimus, quod autem in hoc mundo intelligimus, non ita perfectè intelligimus, non. n. habemus species proprias substantiarũ, & maximè separatarũ; Ideo vocabulũ videndi non solent vsurpare pro qualibet cognitione, sed solùm pro perfectissima illa, qua res comprehenditur, quo genere visionis non potest Deum videre, nisi Deus. Præterea etiam error Anomeorum dicentium Deũ posse comprehẽdi à creatura, illo tempore vigebat, & ideo Patres abhorrebant à vocabulo videndi, cùm de Dei contemplatione loquebantur, ne viderentur admittere comprehensionem.

DICES, at Chrysostomus ait, Angelis Deũ fuisse inuisibilẽ vsq; ad incarnationẽ Christi tm̃, non igitur loquitur de comprehensione, alioqui sequeretur post incarnationem Deum posse comprehendi. RESPONDEO, Deum ante incarnationẽ nihil fuisse, nisi Deũ, & ideo simpliciter incomprehensibilem: at post incarnationem factus est homo, & in quantum homo comprehensibilis est; & hoc vult Chrysostomus.

DICES SECVNDO, Theodoretus loco citato ait, Angelos non aliter videre Deum, q̃ viderint olim Abraham, Moyses & Isaias, & cæteri: at isti non solùm nõ comprehenderunt, sed nec verè viderunt Deum in se, sed solũ in corpore assumpto ab Angelis, qui Deũ referebant, vel in imaginaria reuelatione.

RESPONDEO, Theodoretũ non dicere, non aliter, sed tm̃ statuere similitudinem inter visionem Angelorum, & Patriarcharum; quæ in hoc consistit, ꝙ sicut vna est imperfecta, & non comprehensiua, ita & altera, quamuis cum magno discrimine.

CAPVT V.

Idem probatur testimonijs Latinorum.

ADIVNGAMVS nunc Latinorum Patrum cõsensum, vt hæc fides, totius Ecclesiæ fides fuisse intelligatur. PRIMVS, CYPRIANVS lib. de exhortatione martyrij, c. vlt. *Quis*, inquit, *non omnibus viribus elaboret, vt cum Christo statim gaudeat? vt post tormẽta & supplicia terrena ad præmia diuina perueniat?* Et infrà: *Claudantur oculi in persequutionibus terræ, sed patet cœlum; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto Paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur, et Christus; tam velociter migrandi quanta felicitas, vt terris repentè subtraharis, vt in regnis cœlestibus repona ris?* Similia habet sermone de mortalitate, epist. 2. lib. 4. & alibi sæpius.

SECVNDVS, HILARIVS in Psal. 64. *Beati quidem*, inquit, *sunt, qui iam à Deo ad habitandum in tabernaculis eius electi sunt: sed festinare nos in consortium huius beatitudinis congruum est operationibus id atq; orationibus expetentes, &c.* Et paulò antè dixerat illa tabernacula esse cœlestes mansiones, quas in domo Patris sui esse Christus dixit. Item in Psal. 60. dicit: Sanctos esse Reges, & perpetuò cum Deo habitare. Et in Psalm. 124 loquens de Apostolis alijsque Sanctis: *Quomodo possumus*, inquit, *montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam glorioſi iam in Dei rebus exultant?* Quando ergo idẽ Hilarius in Psal. 138. dicit legem esse humanæ necessitatis, vt aĩæ ad inferos descendant, intelligitur pro eo tẽpore, quo cœlum erat clausum; nã posteaquam Christus in cœlum ascendens, aditum ad cœlum reseranit, non est amplius necessarium ad inferos descendere.

TERTIVS, AMBROSIVS lib. 7. epist. 59. ad Tessal. *Acolius*, inquit, *superiorum incola, possessor ciuitatis æternæ, illius Hierusalem, quæ in cœlo est, uidit illic vrbis eius mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen sine sole perpetuum, et hæc omnia iam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciam.* Vide ẽt lib. 10. epi. vlt. & in c. j. epi. ad Phil. Qã ergo Amb. ait lib. 2. de Cain, c. 2. aĩas adhuc ambiguo iudicij suspendi, ad cognitionẽ tpis referẽdũ est. Vult. n. dicere, animas ẽt beatas non scire, qñ iudiciũ sit futurũ. In libro aũt de bono mortis, c. 10. loquit de retributione mercedis, quæ tã animo q̃ corpori publicè corã toto mũdo danda est. Illa. n. propriè dicitur corona quæ datur victoribus publicè, & cũ celebritate: sed hinc nõ sequitur, partẽ eius præmij nõ esse datã antea per iudiciũ particulare. Neq; obstat, quod videatur Ambr. dicere, oẽs animas descendere ad inferos; non enim ipse hoc dicit, sed tantùm approbat, ꝙ Philosophi veteres hoc dixerint, quia illo tempore verum erat.

QVARTVS est, PRVDENTIVS, qui in carmine de B. Agnete sic cecinit.

O Virgo felix, ò noua gloria.
Cœlestis arcis nobilis incola.

Atq; alia eiusmodi passim Prudẽtius repetit. Quare cũ dicit alibi, animas beatas deduci ad sinũ Abrahæ, vel ad Paradisum, vñ Adã eiectus fuit, loquit figuratè, quia tã sinus Abrahę, q̃ Paradisus terrestris; typi sunt regni cęlorũ, & patet ex ipso loco Prudẽtij; nam animas dicit esse in sinu Abrahę, & simul in Paradiso, cum tñ constet loca fuisse diuersa sm̃ proprietatẽ; sed diuersa non sunt secundum significationem.

QVINTVS est, B. PAVLINVS, qui natali 3. de S. Felice sic ait: *Corpore terris.*
Occidit, & Christo superis est natus in astris.
Cœlestem nactus sine sanguine Martyr honorem.
Item: *Ast illum superi sacra gloria luminis ambit,*
Florentem gemina belli pacis q̃ corona.

SEXTVS, Beatus HIERONYMVS in epistola ad Marcellam de obitu Leæ: *Nunc*, inquit, *pro breui labore æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorũ choris, Christũ sequitur, & dicit, quęcunq; audiuimus, vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Similia habet in epitaphio Nepotiani, Paulæ, Blæsillæ, & aliorum.

SEPTIMVS, AVGVSTINVS lib. 12, Gen. c. 34. Primũ dicit animas Sanctorum esse in Paradiso, siue in tertio cœlo, quò raptus fuit Paulus: *Siue*, inquit, *in tertio cœlo, siue vbicunq; alibiquò post tertium cœlum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum est diuersis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum.* Dein de explicans quid sit hoc tertium cęlum, sic ait: *Tertium est cœlum quod mente conspicitur ita secreta, & remota, et omnino abrepta à sensibus carnis, atq; mundata, ut ea quę in illo cęlo sunt, & ipsam Dei substantiam, uerbum q̃ Deum per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus Sancti, ineffabiliter ualeat uidere, & audire.* Idem Augustl. lib. 20. de Ciu. Dei, c. 13. *Animę victrices*, inquit, *glorioſorũ Martyrũ, omnibus doloribus ac laboribus superatis, atq; finitis, posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnauerũt, & regnant, donec finiantur mille anni, ut post ea receptis etiam corporibus iam immortalibus regnent.* Idem in Psalm. 116. in illud; Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, &c. *Ibi*, inquit, *omnes iusti, & Sancti, qui fruuntur uerbo Dei sine lectione, sine literis; quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.* Idem libro Meditationum, capit. 22. *Felix anima*, inquit, *quæ terreno resoluta corpore libera cœlum petit, secura est & tranquilla, non timet hostem, neque mortem; habet enim præsentem, cernitque indesinẽter pulcherrimum Dominum, cui seruiuit, quem dilexit, & ad quem tandem læta, & glorioſa peruenit.* Et capi. 24. *Per ipsum uos rogo, qui uos elegit,*

qui

qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iã satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis. Deniq; Sanctus Aug. epist. 111. existimat Paulum in illo suo raptu vidisse Dei essentiam; quantò ergo magis credẽdum, eum hoc sentire de animabus beatorum?

Iam pro explicatione locorum contrariorum duo notanda sunt. PRIMVM est, Augustinum aliqñ dubitasse non quidem de ipsa visione Dei, & beatitudine, sed de loco, vbi sint animę beatorum, & tamen postea re diligenter considerata id asseruisse, quod nos asserimus; nam in Psalm. 36. ait, animas ante diem iudicij non esse in regno cœlorum, sed in sinu Abrahę, quasi hæc loca distincta sint. In lib. 9. Confessionum, cap. 3. indicat se dubitare; cùm ait; *Nunc*, inquit, *vivit Nebridius in sinu Abrahæ: quidquid illud est, quod illo significatur sinu: ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius, ibi vivit: nam quis alius tali animę locus? ibi vivit: vnde me multa interrogabat homuncionem inexpertum, iam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontẽ tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro auiditate sua, sine fine felix, &c.* Ecce hic asserit visionem, & fruitionem, & tamen ambigit de loco.

AT lib. 2. q. Euangelicarum, ca. 38. (quos libros posterius scripsit, vt ex Retractationum lib. 2. colligit) sic ait: *Sinus Abrahę requies est beatorum pauperũ, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur.* Et infrà: *Sinus Abrahę intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est: quò eum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, Angeli annunciauerunt discipulis intuentibus. Dicentes. n. Quid statis intuentes in cœlum? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum vsque in illud penetrare secretum, quò ibat Dominus, cùm in conspectu discipulorum ferretur in cœlum. iam cętera secundum superiorem expositionẽ accipi possunt, quia secretum Patris bene intelligitur, vbi etiam ante resurrectionem iustorũ animæ viuunt cum Deo.* Quid clarius?

Rursum lib. 20. de Ciuit. Dei, c. 15. clarissimè dicit, Beatos non esse apud inferos, vbi prius erat Lazarus; proinde correxit, quod dixerat in Psal. 36. sic autem ait: *Si enim non absurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret: profectò deinceps boni fideles effuso illo precio iam redempti prorsus inferos nesciunt.* Ex his etiam deducitur apud August. abdita vel secreta receptacula non esse limbum Patrum in inferno, sed secretum Patris in cœlo, & sic explicata remanent tria loca, libri Enchirid. cap. 18. & lib. 12. ciuit. Dei capit. 9. & in Psal. 36.

Nota SECVNDO, Augustinũ existimasse Sanctorum animas videre quidem Deum, sed non ita perfectè, vt videbunt post resurrectionẽ; propterea quod naturale desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto conatu ferri in Deum: & hoc esse discrimẽ inter Angelos & homines, q. Angeli, cùm nihil amplius expectent, toti ferãtur in Deum; animæ Sanctorum partim ad Deum, partim ad corpus respiciãt. Id patet ex lib. 12. de Gen. c. 35. vbi posita quæstione; Quid opus sit animę ad beatitudinẽ resumptione carnis? Rñdet, quia non põt anima sine carne sic videre Deum, vt vident Angeli. & rationẽ reddens, ait, quia ineſt ei naturalis quidã appetitus corpus administrãdi: quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summũ bonum, quàm diu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat. Itaq; non dicit Augustinus, animam à corpore separatam, non posse videre incommutabilẽ substantiam, sed nõ posse videre eo modo, id est, tam perfectè, vt Angeli videntur, propter causam iam dictam. Pari ratione, lib. j. vbi meritò quæri dicit, num Sanctorum animæ sint adhuc in illa possessione beatitudinis, in qua sunt Angeli, explicat seipsum paulò infrà, cùm ait: *Sed vtrum ad contemplandã cordis oculis veritatem, sicut dictum est, faciem, nihil ex hoc minus habeant (quia videlicet carent corpore suo, quod naturaliter appetunt) non hic locus est disputando inquirere, &c.* Non ergo dubitat, an animę iustorum sint in illa possessione, sed an sint ita, vt nihil eis desit.

Eodem modò rñdendum est ad locũ illum ex epi. 111. ad Fortunatianum: loquitur. n. de perfectissima visione, quam non habebimus, nisi cùm æquales Angelis fuerimus, quod erit vtique in resurrectione mortuorum: nunc. n. Sancti non sunt Angelis æquales, cùm Angeli toti sint viui & immortales, Sancti autem partim viui, partim mortui sint.

Est autem hic notandum, pp hæc loca B. August. Scholasticos quærere; an gloria animæ maior erit post resurrectionẽ, quã antea, & quidem conueniũt omnes in duobus. PRIMO, gaudium animę accidentale futurum maius tam extẽsiuè, quia erit in anima, & in corpore; quàm intensiuè, quia ipsa anima magis gaudebit, qñ videbit suum corpus gloriosum, quã nunc, cùm illud videt mortuum iacere.

SECVNDO, gaudium essentiale fore maius extensiuè, quia nunc est in sola anima, postea autem redundabit in corpus, & efficiet ipsum corpus suo mõ gloriosum. Non autẽ conueniunt de incremento essentialis gloriæ intensiuè; nam Magister in 4. sent. dist. 49. & B. Tho. ibi. q. j. par. 4. D. Bonauentura ibi. art. j. q. 1. Richard. ibid. art. 2. q. 7. & Marsil. ibi. q. 13. arti. 3. dicunt gloriam essentialem fore tunc maiorem etiã intensiuè, & de hoc augmento intelligunt Augustin.

Rationes præcipuæ sunt duæ. PRIMA, quia anima perfectius esse habet in corpore, quàm extra corpus, ergo & perfectius operabitur. SECVNDA, quia anima separata propter inclinationem ad corpus distrahitur, & impeditur, ne tota intentione feratur in Deum, ergo remoto hoc impedimento, intensius operabitur. At in contrarium D. Thomas 1. 2. quæst. 4. artic. 5. & Caietanus ibid. & Durand. in quarta dist. 49. quæstione 7. dicunt, gloriam essentialem non fore maiorem intensiuè, sed extensiuè solùm; & de isto augmento extensiuo exponunt Augustinum; & ratio eorum est, quia si gloria creſceret intensiuè, vel id accideret ratione obiecti, uel luminis, siue habit° gloriæ, uel potentię: non ratione obiecti, uel habitus, quia ista non crescunt, nisi crescat gratia; gratia autem non crescit in die iudicij, quia non est locus nouis meritis post hanc uitam: non etiam ex parte potentiæ, quia cùm anima in uidendo Deum, non pendeat à phantasmate, non pendet ullo modo à corpore, & proinde tã perfectè esse potest operatio ista uidendi Deum, in anima separata, quàm in anima corpori adiuncta.

Ego dico duo; PRIMO, opinionem priorem esse magis ad mentem Augustini, necnon Haymonis in c. 6. Apocal. & Bernardi, de quo infrà; nam Augustinus clarè dicit, animę separatæ deesse aliquid ad uidẽdum Deum perfectè, dum caret corpore. Dico SECVNDO, opinionem secundam esse simpliciter ueriorem, & propterea B. Thomam rectè mutasse opinionem. Vnde ad PRIMVM pro prima opinione dico, animam non habere melius esse in corpore, quã extra corpus, nisi extensiuè, quia suum esse cõmunicat corpori; nam alioqui in se, esse animæ semper est idẽ; nec suscipit magis & minus.

Ad SECVNDVM dico, inclinationem ad corpus, non impedire uisionem, uel amorem Dei ullo modo, quia ordinatur ad amorem Dei, tanquã ad finem;

ſicut amor medicinę nõ ipedit amorẽ ſanitatis; alioqui Angeli qñ mittuntur ad exteriora, & de illis cogitare coguntur, diſtraherentur à viſione Dei. & ipſa anima qñ debebit occupari in adminiſtrãdo corpore, diſtraheretur ẽt magis, q̃ nunc in appetendo corpus. ADDE, q̃ r̃ hoc definitũ à Benedictio XII. nã in Extrauaganti, Benedictus Deus, dicit cõtinuari viſionẽ Dei, q̃ habent aĩæ à morte corporis vſq; ad reſurrectionẽ, & inde vſq; in æternũ; vbi vr dicere, eã nõ creſcere, neq; minui. & Ioan. Villanus lib. 11. hiſt. c. 19. dicit, Benedictum definiuiſſe animarum gloriam non augendam poſt reſurrectionem, niſi extenſiue, ita. n. teſtatur ſe audiuiſſe à Theologis, qui interfuerunt, cũ illud à Pontifice definiretur. Hæc de Auguſtino.

OCTAVVS Pater Latinus ſit PROSPER, qui lib. 1. de vita cõtempla c. 1. *Quia ſecundũ Scripturæ*, inquit, *ſacræ ſermonẽ, tota humana vita tentatio eſt ſuper terrã, tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna: et tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc uitã pugnæ ſuccedet ſecura uictoria, ut omnes milites Chriſti, qui uſq; in finem uitæ preſentis diuini ius adiuti ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta regnent felices in patria; cuius hoc erit totum præmium, ut uitę cõtemplatiuę ſemel compos effecta, inexplebiliter auctorem beatitudinis ſuę conſpiciat, de illo gaudeat, de illo quod ſperauit, obtineat, & in eo, ad quod ſanctè uiuendo peruenerit, ſine fine permaneat.*

NONVS, MAXIMVS Taurinẽſis, hom. in Euſebium Vercellenſ. *Dignè*, inquit, *in memoria vertitur hominũ, qui ad gaudium tranſiit Angelorũ*. Et hom. de S. Agnete: *Ille nobis*, inquit, *tribuat indulgentiã peccatorũ, qui tibi tuorũ omnium laborum tradidit palmam.*

DECIMVS, Leo primus in ſermo. de S. Laurentio: *Nihil*, inquit, *obtines, nihil proficis ſæua crudelitas, ſubtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis.*

VNDECIMVS, FVLGENTIVS ſerm. de S. Stephano: Hodie, inquit, *miles de tabernaculo corporis exiẽs, triũphator migrauit ad cœlum. idẽ ad cœli palatium perenniter regnaturus aſcendit.* Item: *Hodie Stephanus ſtola eſt immortalitatis indutus.*

DVODECIMVS, PRIMASIVS in c. 9. Heb. *Cęleſte regnum inacceſſibile erat mortalibus, quoad uſque ueniret Chriſtus, qui expleta paſſione aperiret nobis ianuam patriç cœleſtis, reſerato uelo, id eſt, cęlo.*

DECIMVS TERTIVS, GREGORIVS Papa in Pſal. 4. pęn. *Beatitudo & animabus Sanctorum ante reſurrectionẽ tribuitur, & corporibus nihilominus poſt iudiciũ conferetur.* Et lib. 4. Dialo. c. 25. ex profeſſo id probat.

DECIMVS QVARTVS, BEDA in c. 6. Apocal. *Singulas*, inquit, *modo ſtolas habent animæ de ſua beata immortalitate gaudẽtes; reſurgentibus autẽ corporibus iuxta Iſaiam, in terra ſua duplicia poſſidebunt.*

DECIMVS QVINTVS, HAYMO in eundem locum: *Prima*, inquit, *ſtola eſt merces Baptiſmi, præmiũ martyrij, merces æternorũ, gaudium cœleſtis beatitudinis, &c.*

DECIMVS SEXTVS, ANSELMVS in 2. Cor. 5. *Prædicatores*, inquit, *Eccleſię, poſtea quã de corporibus exeũt, nequaquã per morarum ſpacia, ſicut antiqui Patres, cœleſtis patriæ perceptione differuntur, ſed mox ut à carnis colligatione exeunt, in cœleſti ſede requieſcunt.*

DECIMVS SEPTIMVS, SVLPITIVS in epiſt. ad Aurelium Diaconum, de obitu B. Martini: *Quanquam ſciam*, inquit, *uirum illum non eſſe lugendum, cui poſt deuictum, triumphatumq; ſeculum nunc demum reddita eſt corona iuſtitię.*

DECIMVS OCTAVVS, BERNARDVS in epiſtola ad fratres de Hibernia, quæ habetur poſt ſermones de feſto oĩum Sanctorum, & ſermonẽ de S. Malachia: *Abſit*, inquit, *ut tua nunc ò anima ſancta* (Malachiam defunctum alloquitur) *minus efficax æſtimetur oratio, quando preſenti uiuidius ſupplicare eſt maieſtati, nec iam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas. abſit ut immĩnuta, nedum exinanita tua illa tã operoſa charitas reputetur, cùm ad fontẽ ipſum charitatis ęternę procumbis pleno hauriens ore, cuius et ipſa prius ſtillicidia ſitiebas.* Quid clarius? dicit Malachiam non ambulare in fide, at fides non euacuatur, niſi per viſionem Trinitatis: dicit eum ſic frui fonte charitatis, i. Deo, quo modo fruitur aquis, qui procumbit ad fontem, & pleno hauritore. Idem in ſermone de S. Malachia, qui habetur ad finẽ vitæ eiuſdem Malachiæ: *Pari*, inquit, *cum Angelis gloria, & felicitate lętatur. Atqui Angeli ſemper uident faciem Patris, qui in cœlis eſt.* Matth. 18.

Idem in epiſt. 266. ad Sugerium Abbatem, qui agebat animã: *Quid tibi*, inquit, *& terrenis exuuijs, qui ad cœlum iturus ſtola glorię mox indui habes?* Et infra: *Te expectat pax illa, quę exuperat omnem ſenſum, te expectant iuſti, donec retribuatur tibi, te expectat gaudium Domini tui.* Ipſe verò idem ſerm. 4. de feſto omnium Sanctorum dicit, pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, cõſiſtere in viſione Dei, vt eſt in ſeipſo.

Præterea in ſerm. de obitu Vmberti: *Ecce*, inquit, *coram te eſt, pater dulciſſime* (Humberte) *fons ille puritatis, quem tãto ardore animi ſitiebas: ecce immerſus es in illã diuinę pietatis abyſſum, cuius memoriã abũdãtię ſuauitatis tã deuotè eructare ſolebas.* Item ſermone 5. de feſto oĩum Sanctorũ, tractans illud: *Cõuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu*; Quærit, cur Deus in ieiunio & fletu inueniatur potius, q̃ in gaudio & exultatione; & reſpõdet interrogando: *An uerò iuſtus eum in lętitia & exultatione: qui uerò nondum iuſtus eſt, non niſi in ieiunio & fletu reperiet? Ita planè, ſed iuſtus, qui iam conſpectum meruerit, non qui adhuc uiuat ex fide, &c.* vbi admittit, aliquos iã Sanctos nõ viuere ex fide, ſed conſpectu Dei frui. Vide etiam quę ſcribit in ſecundo ſermone de Sancto Victore.

Ad loca igitur in contrarium dico, Bernardum Auguſtini eſſe diſcipulum, & cùm dicit, Sanctos per reſurrectionem viſuros Deum, & non antea, non loqui de ſimplici viſione, ſed de illa perfecta, quam habebit anima, quando toto impetu feretur in Deũ. Et hoc patet ex ſermone tertio de feſto omnium Sãctorum. Nam poſtquam dixerat, animas ſanctas in hac vita eſſe in tabernaculis, poſt hanc vitam vſque ad reſurrectionẽ futuras in atrijs, poſt reſurrectionem futuras in domo Dei, id eſt, in beatitudine, pergit explicans: & dicit: *Acceperunt iam ſingulas, ſed non ueſtientur duplicibus, donec ueſtiamur & nos. Stola enim prima ipſa eſt felicitas, & requies animarum: ſecunda verò immortalitas, & gloria corporum, &c.*

Vides hic in reſurrectione nihil addi animabus per ſe, niſi gloriam corporis, & proinde gloriam animæ, quæ eſt viſio Dei, datam eſſe ante reſurrectionem. Dixi autem per ſe, quia ſecundum Bernardum, addetur etiam gloria animæ, ſed non per ſe. Conſequetur enim perfectior viſio ex eo, quòd anima nihil amplius deſiderans, tota feretur in Deum. id quod explicat Bernardus in ſequentibus verbis: *Animę ſanctę*, inquit, *quas propria Deus inſignauit imagine, te* (caro) *deſiderant: ipſarum ſine te compleri lętitia, perfici gloria, conſummari beatitudo non poteſt. Adeo ſiquidem viget in eis deſiderium hoc naturale, vt necdum tota earũ affectio libere pergat in Deũ, ſed contrahatur quodammodo, & rugam faciat: dum inclinantur deſiderio tui.* His adde S. Thomam opuſculo contra Græcos & Scholaſticos, ad finem 4. ſent. diſtinct. 49.

Habemus igitur ſententiam Eccleſiæ, fuiſſe ſentẽtiam oĩum Patrum Latinorum, excepto Tertulliano, Lactãtio & Victorino, ex quibus Tertullianus hæreſiarcha fuit, Lactantius in plurimos errores lapſus eſt, præſertim circa futurũ ſeculum, cùm eſſet magis li-

brorum

brorum Ciceronis, quàm Scripturarum sanctarũ peritus. Victorinus Martyr quidem fuit, sed B. Hieronymo teste in epistola ad Magnum, ei eruditio defuit, licet eruditionis voluntas non defuerit.

CAPVT VI.

Idem confirmatur rationibus, quæ tamen in Scripturis fundamentum habeant.

ADDAMVS postremò argumenta ex ipsa ratione petita. PRIMA ratio sumi potest ex supplicijs damnatorum. Siquidem Deus nõ est pronior ad remunerandum: Quare cùm impij iam nunc in tormentis sint, ęquũ certè videtur, vt etiam iusti præmia sua percipiant. Esse autem nunc impios in tormentis, Euangelium testatur; nam Luc. 16. legimus: *Dives autem cum in tormentis esset, &c.* Respondent Græci, illam esse parabolam, & continere futurorum narrationem; sed ad maiorem efficaciam narrari futura tanquam præsentia.

Contra; PRIMO, non videtur esse parabola, sed historia, tũ quia in ea ponuntur nomina propria Lazari & Abrahæ, tum ẽt, quia Ecclesia colit Lazarum illum, vt verè sanctum hominem: tum denique, quia historiam esse dicunt Ambro. in c. 16 Lucæ, Hieron. lib. 2. in Iouinianum, August. de cura pro mortuis, ca. 14. Greg. lib. 4. Dialog. c. 29.

SECVNDO, etiam si parabola esset nõ potest significare res futuras post diem iudicij, sed rem præteritã, vel præsentẽ: nam diues ait: *Rogo te pater Abraham, ut mittas Lazarum ad fratres meos, &c.* Et Abraham respõdet: *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos.* At post diem iudicij non erunt homines in hoc mundo, nec potuerunt Mosem & Prophetas audire. igitur si narratio illa parabolica sit, ostendit tñ iã nũc animas esse in pœnis; alioqui nec vera, nec verisimilis esset.

SECVNDA rõ, tota Ecclesia inuocat Sanctos post Christi aduentum, & oẽs patres Græci & Latini docent, Sanctos esse inuocandos: cùm tñ ante Christi aduẽtũ nõ legatur id fieri solitũ esse. At si sancti essent ẽt nunc sub terra in sinu Abrahę, non differentẽ statum à statu Sanctorum Testamenti veteris haberẽt.

TERTIA ratio, vt Basilius notat initio orationis in sanctum Barlaam, ante Christi aduentũ Sanctorũ mors deflebatur; at post Christi aduentum summa cum lætitia celebramus dies mortis Sanctorũ. Quare hoc? nisi quia tunc mori miseria erat, nunc est felicitatis initium: confirmatur; nam diem mortis nunc vocamus diem natalem, quia videlicet Sancti moriẽtes in terris, nascuntur in cœlo.

QVARTA ratio ex visionibus eorum, qui viderũt animas in tormentis Gehennæ, alias in Purgatorio, alias in Paradiso. Vide Gregorium lib. 4. Dialog. cap. 37. & Bedam lib. 5. hist. cap. 13.

QVINTA ratio, Sancti habent nunc meritum vitæ æternæ, vel si non habent, nunquam habebunt, quia post finem vitę non est locus nouis meritis, & nullum est impedimentum, quo minus vitam æternam nunc habere possint, cùm cœlum antea clausum nunc pateat; igitur fatendum est, eos iam nunc præmium suum accepisse.

SEXTA ratio, Deus Leuit. 19. scribi iussit: *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane*: ergo ne Deus contrarius sibi ipse videatur, non retinebit mercedem Sanctorum vsque ad mundi consummationem.

SEPTIMA, Prouerb. 3. *Spes quæ differtur, affligit animam*; at non conuenit, vt ij affligantur, qui nullum habent peccatum.

Ex his soluuntur argumenta opposita. Ad PRIMVM dico, diem iudicij generalis futurum, & tunc reddendum vnicuiq; fm opera sua: sed tñ illud iudicium præcessisse aliud particulare, in quo ẽt redditũ est vnicuique fm opera eius. Neque ista inter se pugnant, nam in priore iudicio redduntur præmia priuatim, in posteriore publicè, & manifestè. quemadmodum dies iudicij generalis dicitur dies Domini, non q, alij dies non sint Domini, sed quia ille erit manifestè dies Domini. atque adeo manifestè, vt nemo Epicureus, vel Atheus sit, qui tunc non sit confessurus, eum esse diem Domini. Et quomodo apud mercatores certus quidam dies vocatur dies solutionis, non quod alijs diebus non soluantur debita, sed quia ille dies ad hoc tantùm constitutus est, vt fiant solutiones: sic etiam quædam dies dicitur dies iudicij & retributionis, non quod alijs diebus Deus non iudicet, & retribuat, sed quia illa dies ad hoc tantùm constituta est, vt fiat iudicium & retributio.

EICES, At videtur frustrà futurum iudicium, si iã sunt reddita præmia. quid enim refert, siue palam, siue clam reddita sint?

RESPONDEO, non erit frustrà. sunt. n. quinq; causæ, ob quas fiet iudiciũ generale. etiamsi præcesserit iudicium particulare. PRIMA est, vt ostendatur Dei iustitia, & misericordia. omnia. n. Deus facit propter gloriã suã demonstrandã, sed tñ nunc non ita apertè ostẽdit, quin inueniant, qui Deũ iniustitiæ accusent, vel nullã habere eum prouidentiã credant, cũ videãt bonos affligi, malos gaudere; ideo Deus elegit sibi vnũ diẽ, in quo corã toto mundo ostendat summam suam iustitiã in impios, & summam misericordiã in pios, & simul ostẽdat se cum summa misericordia erga iustos, nulla vti crudelitate, vel iniustitia ĩ impios: & cum summa seueritate erga impios nulla vti acceptione personarum, vel iniqua liberalitate erga pios.

SECVNDA causa est, vt clarificetur filius hominis. pertinet. n. ad gloriam Christi, vt qui in primo aduentu, tanquam reus iniustè iudicatus est, iterum appareat glorioſus, & iudex, & impleatur illud Isaiæ 45. *Viuo ego, quia mihi curuabitur omne genus*: quod Paulus Rom. 14. de Christo iudicaturo exponit.

TERTIA est, ad laudem bonorũ, ignominiam verò malorum. vult n. Deus, vt Sancti, qui in certaminibus suis spectaculum facti sunt mundo, Angelis, & hominibus: sic etiam coram toto mundo, omnibus Angelis, & hominibus victores pronuncientur. Ideo Paulus, vbicunq; de iudicio loquitur, istam causam afferre solet, vt Rom. 2. 1. Cor. 4. & alibi.

QVARTA est, vt totus homo iudicetur, & prẽmiũ suum recipiat. nunc enim solùm animæ iudicantur, & partem prẽmij accipiunt.

QVINTA, quia nondum sunt finita opera bona & mala defunctorũ: adhuc. n. Lutherus malè agit corrumpendo libris suis mentes hominum: & B. Paulus adhuc benè operatur exemplo & scriptis, id quod eleganter deducit Basilius in lib. de Virgin. ante mediũ, ex illis verbis 1. Timoth. 5. *Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: quosdam verò subsequuntur*. Quia igitur nunc finientur opera mala & bona, quando finietur mundus, ideo tunc vltima feretur sententia.

Ad SECVNDVM dico, nullam esse iniustitiam, qđ animus sine corpore beatificetur; nã animus & corpus non sunt duo suppositа, quales sunt duo sodales, ita vt vni fiat iniuria, si prius altero remuneretur; sed sunt vnum suppositum tantùm ex duabus partibus compositum: hoc autem vnum suppositũ mauult secundum alteram partem interim beari, quàm secundum neutram, & proinde nulla ei fit iniuria; volenti enim nõ fit iniuria, sed inuito. Dico SECVNDO, etiãsi animus & corpus duo suppositа essent, tamen adhuc nulla fieret iniuria corpori, dum sol° animus beatur;

nam ad opera bona & mala anima concurrit principaliter, corpus solũ instrumentaliter, imò ad ipsam essentiã meriti & demeriti, non concurrit nisi sola anima cõsistit. n. meritum & demeritũ in electione voluntatis, q̃ electio à sola aĩa procedit, & in sola anima sedẽ habet. Dico TERTIO, etiãsi animus & corp⁹ æquè principaliter concurrerent ad opera bona & mala; tñ adhuc nõ esset iniustũ coronari animã ante diẽ iudicij, & nõ corpus, quia aĩa separata capax est gloriæ, & coronæ, corpus autem separatum non est capax.

Ad TERTIVM dico duo. PRIMO, Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidẽ ad cœlum corporeum, tñ fuisse in Paradiso cœlesti formaliter, i. fuisse beatã & gloriosam. quod si hoc tribuere vellent aduersarij animabus Sanctorum, non essemus multum soliciti de cœlo isto corporeo. Dico SECVNDO, Christum moriendo, quiescendo, resurgendo, & ascendendo in cœlum fuisse exemplar nostrum quantum ad corpus; nos. n. primò morimur, secundò quiescemus in sepulchro, tertiò resurgemus, vltimò ascendemus in cœlũ corporaliter, sicut Christus fecit. Quòd autem Christi anima descenderit ad inferos, priusquam ascenderet in cœlum, non pertinet ad exemplar; non. n. Christus ad inferos descendit, vt nobis viam ad inferos demonstraret, vel vt ibi pararet nobis locum, sed vt animas, quæ ibi erant, educeret, ac infernum destrueret, ne animæ Sanctorum deinceps eo deducerentur.

Ad QVARTAM rationem, quæ sumebatur ex pœna dæmonum, tñ deo, dæmones multos nondũ esse demersos in abyssum, sed in aere hoc nostro caligino so versari ad exercitationem hominum: vnde Apostolus ad Ephes. 2. eos vocat principes aeris huius; nihilominus tñ omnes dæmones iam nunc puniri, tã pœna damni, quàm pœna sensus; non. n. sunt hominibus meliores, & tñ hominum impiorum spiritus iam demonstrauimus luere pœnas Gehennæ, ac propterea, cùm sanctos Angelos, qui in veritate steterũt, ex Euãgelio constet semper videre faciem Dei, cur non etiã consequens sit, vt Angeli rebelles iudicium Dei sustineant? Quare rectè BEDA in comment. c. 3. epistol. S. Iacobi scribit, quocunque dæmones volitent, eos vbique suam ~~Gehennam circumferre~~. Et S. August. lib. de corrept. & gratia, c. 10. ac S. Prosper. lib. de vita contemplatiua, dæmones iam iudicatos ac miseros esse effectos docent.

Sunt tamen plura Sanctorum testimonia quæ videnť asserere dæmones non esse torquendos pœna Gehennæ ante diem iudicij. IVSTINVS in Apolog. 1. & 2. sæpius repetit, dæmones igni sempiterno tradendos, nondũ tñ traditos. IRENAEVS lib 5. vltra medium, dicit Diabolũ ante Christi aduentum nunquã blasphemasse Deum, q̃ ignoraret adhuc suã damnationem, sed à Christo & Apostolis tandem didicisse, ignem æternum sibi esse paratum: quam sniam idem Irenæus à Iustino se accepisse significat. Eandẽ tanquam Iustini sequitur Oecumenius in cap. vlti. primę Petri. Epiphanius in hæresi Sethianorum affirmat, dęmones non modò damnationem sũam ignorasse, sed etiam salutem per Christi aduentum sperasse: sed cùm viderent, nihil à Christo pro dęmonibus fieri, tum demum de salute desperasse, & per hæreticos Deum blasphemare cœpisse.

S. Antonius apud Athanasiũ in vita eiusdem Antonij: *Non ignorat*, inquit, *dæmon futura tormenta, & æstuantis Gehennæ nouit incendia*. Similem sententiã de futuris tormentis dęmonum habent etiam infrà scripti patres; Ambrosius in commen. capit. 8. Lucæ, Hieronymus, & Chrysostomus in c. 8. Matth. Augu. lib. 8. Ciuit. Dei, cap. 23. & lib. 1. de nupt. & concup. c. 23. Gregor. lib. 4. moralium, c. 10. & lib. 4. Dialog. cap. 29. Theodoretus in epitome diuinorum decretorũ, cap. de dæmonibus, & Bernardus in serm. de S. Malachia. Sed Iustini, Irenæi, Epiphanij atq; Oecumenij sniam non video, quo pacto ab errore possimus defendere. Ceteri autem Patres duo quædam affirmant, quæ verissima sunt, dæmones in die iudicij ex hoc aere in abyssum præcipitandos, & eos adhuc exspectare futura tormenta.

Ceterùm non oportet inde colligere, eos hoc tempore non torqueri; nam etsi verè torqueantur, & secum Gehennam portent, vt ait Beda, tñ pœnarũ suã plenitudinem in die iudicij habebunt, q̃n inferorum carceribus concludentur; quod pœnarum complementum adeo timent, vt in exorcismis nulla re magis torqueri videantur, quàm comminatione futuri iudicij. quæ etiam causa est, cur exorcismi ferè concludi soleãt: *Per eum qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem.*

Cur autem adeò trepident illam detrusionem in abyssum, hę causę esse videntur. PRIMA, quia non poterunt amplius hominibus nocere. SECVNDA, quia non amplius extorquebunt ab vllo, cultum Deo debitum, vt modò faciunt, dum ab Ethnicis & Necromãticis adorantur. TERTIA, quia tunc patebunt eorum fraudes, & debilitas, cùm omnes intelligent, eos à viris, fœminis, pueris, superatos. QVARTA, quia non solùm à Deo, sed etiam ab hominibus iudicabuntur; nã etiam Angelos iudicabimus, teste Paulo, 1. Cor. 6.

CAPVT VII.

Sanctos rectè ab Ecclesia canonizari.

SEQVITVR nunc altera quęstio, quę est de Canonizatione, quę quatuor capitibus continetur. Primum enim explicandum est, an sint Sancti canonizandi. Deinde, cuius sit officium eos canonizare, Tũ, sitne infallibile iudicium eius qui Sãctos canonizat. Postremò, an liceat Sãctos nõdũ canonizatos colere.

Sed antequam ad ista capita veniamus, explicandum est breuiter, quid sit canonizatio. Igitur canonizatio nihil est aliud, quàm publicum Ecclesię testimonium de vera sanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti: & simul est iudicium ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo fœliciter regnant. qui quidẽ honores (vt in sequẽtibus disputationib. demõstrat) septẽ esse solẽt.

PRIMVM enim qui canonizantur, inscribuntur in Catalogo Sanctorum, i. statuitur, ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. SECVNDO, inuocantur in publicis Ecclesię precibus. TERTIO, templa & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. QVARTO, sacrificia tam Eucharistię, quàm laudum, & precum, quod vulgo officium, siue horę canonicę nuncupatur, in honorẽ eorum Deo publicè offeruntur. QVINTO, dies festi in eorum memoriam celebrãtur. SEXTO, pinguntur eorum imagines, addito certo quoddam lumine in signum gloriæ, quam habent in cęlis. SEPTIMO, eorum reliquiæ preciosis thecis includuntur, & publicè honorantur:

His ergo præmissis, vtile esse sanctos canonizari, his argumentis demonstrari potest. PRIMO, quia Deus ipse voluit à sanctis Scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam, & mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, vt patet de Ecclesiastico, qui cap. 44. & sequentibus canonizauit plurimos Sanctos, vt Henoch, Noe, Arbaham, Isaac, Iacob, Moysem, Aaronem, Phinees, Iosue, Chaleb, Samuelem, Dauidem, Heliam, Heliseum, &c. Item in testamento nouo S. Lucas in Actis canonizauit sanctum Stephanum, & Iacobum maiorem, necnon Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, & alios, igitur credibile

dibile est, eodē modo Deum velle, vt deinceps fiat.

SECVNDO, tenemur Sanctos honorare, & laudare, tum quia Scriptura hoc iubet, Ecclesiastici 44. *Sapientiam ipsorum*, inquit, *narrent populi, & laudem eorum nuncient Ecclesiæ*: tum quia virtus ipsorum hoc meretur. Est enim quasi naturale præmium virtutis honor: tum denique quia id nobis vtile est ad plurima beneficia eorum intercessione promerenda: At nisi sciamus, qui sint veri Sancti, & qui non, non possumus eos colere, vt oportet.

TERTIO, probatur ex ratione imitationis. Sancti enim sunt exempla quædam virtutum, & norma rectæ vitæ, & quasi lucernę quædam à Deo accensæ, vt omnibus alijs præluceant. vnde Paulus ad Hebr. 13. *Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem*. At non possumus accendi ad imitationem, nisi in particulari sciamus, qui sint imitandi, & quid illi egerint, aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet, id quod fit per canonizationem.

QVARTO, ex coniunctione, quam cum illis habemus. siquidem sumus mēbra vnius corporis, & membra inuicem compatiuntur, & congaudent; oportet ergo eos nobis compati, & pro nobis sollicitos esse, quod sine dubio faciunt, etiam in particulari, vt infrà docebimus, & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum gloria Deo gratias agere; quæ sine particulari notitia fieri non possunt.

QVINTO, ex incommodis; nam nisi iudicio Ecclesiæ certi Sancti proponerentur colendi, facilè fieri posset populus sæpe erraret, & damnatos pro beatis coleret: vt accidit tempore sancti Martini. Scribit. n. Sulpitius, quòd cùm populus quidam coleret nescio quem hominem mortuum, pro Martyre, & B. Martino suspecta esset illa religio, quòd nihil certi à maioribus de Sancto illo accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima eius, qui ibi colebatur, & confessa est, se animam damnatam esse latronis cuiusdam, qui pro suis sceleribus extremi supplicij pœnas luerat. Idē accidit tempore Alexandri III. vt patet ex c. Audiuimus, extra de reliquijs, & Sanctorum veneratione, vbi reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro Martyre venerabantur.

CAPVT VIII.

Cuius sit Sanctos canonizare.

DE SECVNDO, ad quem videlicet pertineat auctoritas Sanctos canonizandi, notandum est, duobus modis posse aliquem canonizari. VNO modo particulariter, ita vt solùm in vna prouincia, aut diœcesi habeatur Sanctus, & colatur pro Sancto. ALIO mō generaliter, ita vt in tota Ecclesia habeat pro Sancto, nec vlli liceat de eius sanctitate dubitare.

PRIMO modo canonizare poterat quilibet Episcopus, vt docet Thomas VValdensis libro de Sacramentalibus, titu. 14. capit. 122. & patet tum ex Cypriano lib. 3. epist. 6. vbi iubet ad se scribi, cùm aliquis Martyr de hac vita exit, vt statim possit eius memoriam sacrificijs celebrare, & singulis annis postea diē eius natalem colere; tum etiam ex multis Sanctis, quos ita colunt quædam prouinciæ, vt tamen ignoti sint penitus alijs prouincijs. vnde in Concilio Florentino, sess. 7. dicunt Latini, Simonem Metaphrastem in Ecclesijs Græcorum pro Sancto coli, cuius apud Latinos nulla vnquā memoria extitit. tamen hoc, quod olim licuit, modò non licet. siquidem Alexander III. & postea Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa Sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet, sine Romani Pontificis approbatione, vt patet c. 1. & 2. de reliquijs, & Sanctorum veneratione.

SECVNDO modo canonizare, id est, ita vt in tota Ecclesia Sancti habeantur, communis sententia est, pertinere ad summum Pontificem: nam id habetur cap. Audiuimus, & ca. Cùm ex eo, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, & c. Venerabili, de testibus & attestationibus. & patet etiam ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiæ quid sit credendum, & quid agendum in ijs, quæ sunt religionis, qui toti Ecclesię præest. Item ex contrario, declarare, qui sint hæretici, ita vt à tota Ecclesia pro talibus habeantur, est Summi Pontificis, vt antè ostēdimus, ergo declarare qui sint Sancti, & colendi eiusdem erit summi Pontificis.

DICES, plurimi Sancti sunt, qui in tota Ecclesia coluntur, quos non canonizauit summus Pontifex. Primus enim Pontifex (ni fortè fallor) qui Sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo Papa III. de quo sic scribit Sanctus Ludgerus in epistola de miraculis sancti Suiberti, cap. 9 in 2. tomo Surij: *Tandem deuota instantia Caroli (Magni) & Hildebaldi Archipresulis Colonienſis, venit à Colonia idem Papa VVerdam, & ibi post alias solennitates S. Suiberium solenniter Catalogo sanctorum Confessorum adscripsit pridie Nonas Septembris*. Hanc primam legi solennem canonizationem. ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat. Postea autem Innocentius II. canonizauit Sanctum Hugonem Episcopum Gratianopolis, vt patet ex epistola eiusdem Pontificis ad priorem Cartusiæ datam, apud Surium tomo 2. Inde verò Alexander III. B. Bernardum in Sanctos retulit, vt habetur ad finē librorum de vita eiusdem Bernardi, à quo tempore omnes alij, qui Sancti sunt habiti, vt Thomas Cantuariensis, Dominicus, Franciscus, & alij, à Pontificibus in numerum Sanctorum relati sunt. Quid ergo dicemus de tot Sanctis, qui ante ea tempora colebantur in Ecclesia?

RESPONDEO, Sanctos veteres cœpisse coli in Ecclesia vniuersali, non tam lege aliqua, quàm consuetudine. Sed sicut consuetudines aliæ vim habent legis ex tacito consensu Principis, & sine eo nullam vim habent, vt patet ex B. Thoma, 1-2. quæst. 97. art. 3. ita Sancti alicuius cultus, ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita vel expressa summi pontificis.

CAPVT IX.

Credendum esse, Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione.

DE TERTIO duę sunt sententiæ. PRIOR est hęreticorum, posse Pontificem errare in Sanctorum canonizatione. ita Ioannes VViclef, vt refert Thomas VValdensis tomo tertio de Sacramentalibus, ca. 122. vbi dicit, non minus in hac re posse Papā errare, quàm Presbyterum Ioannem Regem Æthiopiæ, vel Turcam, aut Sultanum. Idem sentire Lutheranos, & Caluinistas certum est, cùm in alijs similibus rebus nullam ferè pontifici tribuant auctoritatē.

ALTERA est Catholicorum, asserentium, certum esse Ecclesiam non errare in Sanctorum canonizatione, ita vt sine vlla dubitatione sancti ab Ecclesia canonizati venerandi sint. Probatur hæc. PRIMO, quia si liceret dubitare, an Sanctus canonizatus sit sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus: at hoc est falsum. siquidē S. Aug. in epist. 118. dicit, insolentissimæ insaniæ esse disputare, an sit faciendū, qđ tota Ecclesia facit. Item ex Bernardo in epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, vbi loquens de colēdis festis

stis in honorem Sanctorum, dicit: *Ego quę accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado.* Præterea, omnes veteres sine ulla dubitatione Sanctos coluerunt, & colendos asseruerunt. Denique tenemur obedire Pontifici indicenti diem festum alicuius Sancti; nec tamen possumus contra conscientiam aliquid agere: ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab Ecclesia est canonizatus.

SECVNDO, ex incommodis duobus; nam imprimis fraudarent non Sancti suffragijs viuorũ; nã pro canonizatis non licet orare. vt. n. Aug dicit, ser. 17. de verbis Apostoli: *Iniuriã facit Martyri qui orat pro Martyre.* & idẽ intelligendũ de oĩbus Sanctis canonizatis, docet Innoc. c. Cum Marthæ, de celeb. Missa. at si in hoc Ecclesia erraret, defraudaret eũ, qui habetur Sanctus, & non est, quicunq; non oraret pro eo. dein B de fraudarẽtur ẽt viuentes intercessionibus Sanctorum, inuocarent. n. sæpe damnatos pro beatis, si Ecclesia in hoc erraret. præterea Ecclesia peteret sibi male dictionem pro benedictione, cùm in orationibns Sãctorum petit, vt sicut illos Deus glorificauit in cœlis, sic nobis gratiam largiatur in terris. & quamuis eam maledictionem non peteret, nisi materialiter, tamen hoc ipsum absurdum videtur.

TERTIO, miracula magna, & diligenter examinata, faciunt rem euidenter credibilem, vt alibi ostendimus: at Sancti à Pontifice nõ canonizantur ordinariè, nisi claruerint magnis & certis miraculis & confirmatur; nã si credimus sine vlla hæsitatione Cæsarem, & Pompeium fuisse, quia id testantur cõi consensu historici, qui tamen homines fuerunt, & mentiri potuerunt; cur non credimus sine hæsitatione, quod testatur Deus ipse per miracula, quando nulla est ratio suspicandi contrarium?

QVARTO, probatur ex præparatione; nam antequam Sancti canonizentur, indicuntur ieiunia, & preces publicæ, & tota res diu, & diligentissimè examinatur: non est autem credibile, Deum non adesse Ecclesiæ suæ sic dispositæ, & supplicanti.

VLTIMO, probatur à posteriori, quia in alijs rebus, in quibus Pontifices errare possunt, aliquando reipsa reprehenduntur errores: at in hoc nullus vsquam error deprehensus est.

SED obijciunt quidam locum Augustini: *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animę torquentur in Gehenna.* RESPONDEO, locũ hunc fortasse D non esse Augustini; nusquã. n. in eius operibus eũ reperire potui: præterea intelligi posse de impijs, qui honorãtur superbissimis sepulcris, cùm tñ animę torqueantur in Gehenna; vel de corporibus Sanctorũ non canonizatorũ; vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus Sanctorum; vel deniq; de Martyribus Donatistarum, qui honorabantur ab hæreticis vt Martyres, cùm eorũ animæ reuera torquerentur in inferno. De huius capitis argumento vide quæ habet B. Thom. quodlib. 9. q. vlt. art. vlt. Augst. de Ancona in Summa de potestate Ecclesię, q. 14. art. 4. Ioan. Driedo, lib. 4. c. 1. de Eccle. dogmatib. B. Antoninus 3. par. tit. 12. c. 8 Summæ Theol. Caiet tract. de E Indulg. ad Iulium, c. 8. Syluester verbo, Canonizatio. Canus lib. 5. de locis, c. pen.

CAPVT X.

Sanctos non canonizatos priuatim posse coli non publicè.

DE QVARTO, an liceat colere non canonizatũ, respondeo, licere priuato cultu, non publico, vt Doctores communiter affirmant in c. 1. & 2. de reliquijs & veneratione Sanctorum. siquidem summus Pontifex eo loco prohibet publicum cultum, ergo à contrario priuatum censetur permittere. Vocamus autem publicum cultum, non eum, qui coram alijs exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquã ab Ecclesia institutus exhibetur.

Ex quo intelligimus, quid sit dicendum de illis septem honorum generibus antea enumeratis. Nam quantum ad PRIMVM, licet non canonizatum credere & vocare sanctum, non tamen prædicare eũ tanquam ab Ecclesia inscriptum Sanctorum Catalogo.

Quantum ad SECVNDVM, licet inuocare nõ canonizatum, ẽt alijs audientibus, vt patet ex Hieronymo in vita Paulæ, & Gregorio Nazianzeno in vita Athanasij, & Basilij, vterq; enim inuocat quos laudat ante canonizationem, præterea oramus viuentes, etiamsi nesciamus esse sanctos, cur non defunctos, quãdo maiori ratione confidimus esse sanctos? At non liceret in publicis Litanijs, & sacro officio id facere.

Quantum ad TERTIVM, & QVARTVM non vẽ licere vllo modo, eos honores sanctis non canonizatis deferre; nam templa, & altaria, & sacrificia sunt ex natura sua publici cultus. nullum est. n. sacrificiũ in Ecclesia, nisi commune, à Deo ipso institutum: tẽpla autem, & altaria ad sacrificium referuntur.

Quantum ad QVINTVM, non licet publicum festum celebrare, liceret tamen in die natali sancti nõ canonizati peculiariter lætari, & Deo vacare in memoriam eius. quod fecisse etiam veteres cognosci potest ex Ioanne Cassiano, colla. 19. c. j.

Quantum ad SEXTVM, licet imaginem pingere, C & venerari, non tamen in templo cõstituere eo modo, quo aliorum Sanctorum.

Quoad SEPTIMVM, non licet reliquias non canonizati hominis in templo constituere publicè honorandas: licet tñ eas habere, & venerari, etiam alijs videntibus, modò scandalum absit; id. n. habet praxis Ecclesiæ mox enim ac Martyres defuncti erant, curabant fideles ad reliquias rapiendas. & similiter qñ moriũtur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus, & pedes, & de vestibus eorum pro reliquijs seruant; nec id vnquam prohibitum fuit. Præterea si licet honorare viuentes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?

Atq; hęc pauca de canonizatione sufficiant: si quis plura videre desiderat, legat Augustinum triumphũ D insumma, de potestate Ecclesiæ, & Troilum Maluezium in lib. de canonizatione.

CAPVT XI.

Proponitur quæstio de cultu Sanctorum cum argumentis aduersariorum.

EXPEDITIS quæstionibus de gloria, & canonizatione, sequitur recto ordine controuersia de cultu. Fuit antiqua hæresis Eustachij apud Socratem lib. 2. histor. c 33. Eunomij, & Vigilantij apud Hieronymum, Claudij Taurinensis apud Ionam Aurelianensem, & VVicleſi apud Thomam VValdensem, tomo 3. de Sacramentalibus, tit. 13. Sanctos non esse colendos: quæ rursum per Caluinistas, & Lutheranos renouata est. nam Magdeburgenses Cent. lib. 2. c 4. col. 340. dicunt, omnẽ Sanctorum adorationem esse idololatriam. pari ratione Caluinus lib. 1. Instit. c. 11. & c 12. §. 1. & 2. non patitur vllum cultum exhiberi sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neque paruum, neque magnum. Argumẽta verò eius hęc sunt.

PRIMVM, duplex est honor: vnus ciuilis, quo honoramus potentes, & sapientes homines: alter Religionis, qui Deo soli conuenit honor ille ciuilis, vt notum est, cùm nõ versentur nobiscũ ciuiliter: honor autem

autem religionis non potest eis tribui, quia religio est cultus Dei. atq; hac sua distinctione eludit Caluinus argumẽta Catholicorũ, cũ probãt posse creaturas adorari exẽplo Abrahę, qui adorauit filios Heth; & Iacobi, qui adorauit fratrẽ suũ Esau; & filiorũ Israel, qui adorauerunt Ioseph; vult enim istos oẽs fuisse iuiles.

SECVNDVM argumẽtũ: Si Sanctis deberetur cultus aliquis religionis; certè dulię, non latriæ, vt Catholici docent at ineptum est dicere, Sanctos coli, & non latria; nã cùm latria significet cultũ, colere sine latria, est colerẽ sine cultu. deide plº est δουλεύειν q̃ λατρεύειν; nã δουλεύειν est seruire, λατρεύειν est colere, minus autẽ est colere aliquẽ; q̃ ei seruire, colimus. n. pares, vt amicos, & collegas, non autem seruimus, nisi dominis.

Confirmari potest hoc argumentum ex Laurentio Valla, & Theodoro Beza, qui in annotationibus ad c. 4. Matthæi, docet, latriã, & duliam idẽ significare, & confundi tam in Scripturis, q̃ apud profanos auctores. nam Leui 23. *Opus seruile non facietis*, semper est in Græco ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε. & cõtra Ro. 7. *Vt seruiamus in nouitate spiritus*. est in Græco ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος. Itaq; dicitur latria de opere etiã in vsum hominis, & dulia de cultu Dei. Item apud Xenophontem lib. 3. Cyropædiæ, ponitur λατρεύειν pro obsequio ancillæ erga dominũ, & paulò pòst idipsum dicitur δουλεύειν: quare August. quæst. 94. in Exodum dicit, tam latriam, quàm duliam Deo tribui, latriam vt Deo, duliam vt Domino.

TERTIVM argumentum Caluini ex Scripturis, Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, cui simile est illud Pauli, 1. Timo. 1. *Soli Deo honor & gloria*. Item Matth. 4. cùm Diabolus non meminisset latriæ, sed solùm postulasset προσκύνησιν, id est, inclinationẽ aliquã, Dns eum repulit dicẽs: *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. vbi ostẽdit nõ posse creaturæ inclinationẽ vllã religionis causſa deferri, quin illa ad idololatriã pertineat. Item Gal. 4. *Iis qui natura non sunt Dij, seruiebatis*, i Græco est, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. ergo dulia nõ pòt tribui, nisi illi qui natura Deus est.

QVARTVM argumentũ ab exemplis Scripturarũ; nam Hester 13 Mardochæus noluit se inclinare coram Aman. & rationẽ reddens, ait: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquã adorarem, excepto Deo meo*. Item Actor. 10. cùm Cornelius adoraret Petrum, prohibuit Petrus, dicẽs: *Surge, & ego ipse homo sum*. nec tamen credibile est, aut Aman voluisse adorari vt Deum, aut Cornelium voluisse Petrum adorareut Deum. Item Actor. 14. Paulus, & Barnabas prohibuerunt Licaonibus, ne se adorarent. Deniq; Angelus Apoc. 13. Ioañi adoranti se, ait: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora*. Et tamen non ignorabat Angelus sibi à Ioanne non latriam, sed duliam exhiberi.

QVINTVM ex Patribus, Athanasius serm. 3. contra Arianos ante medium, docet, neque Angelos, neque homines sanctos adoratione colendos esse. Epiphanius in hæresi Collyridianorum sæpius repetit, Mariam non esse adorandam, sed solùm Deum. Ambrosius in cap. 1. ad Rom. reprehendit eos, qui adorãt conseruos. AVGVSTINVS lib. de vera religione, c. 55. *Nõ sit nobis religio cultus hominũ mortuorũ: quia si piè vixerunt, non sic habentur, vt tales quærant honores; sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lętantur meriti sui nos esse consortes*. Et infrà idem dicit de cultu Angelorum. Hæc ille.

CAPVT XII.

Explicatur sententia Catholica.

NVNC explicanda est sententia Catholicorum; de qua re Theologi tractãt in 3. sen. di. 9. Est autẽ PRIMO loco obseruandũ, adorationes tres actus cõplecti. PRIMO, actũ intellectus, quo apprehendimus excellentiã alicuius. SECVNDO, actũ voluntatis, quo nos illi interius inclinamur, & aliqd volumus facere actu interiore, vel exteriore, quo protestemur eius excellentiam, & nostram subiectionem. TERTIO, actum exteriorem, quo caput inclinamus, vel genu flectimus, vel aliquod aliud signum subiectionis ostẽdimus. Ex quibus actibus secundus est maximè proprius, & essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione.

SECVNDO obseruãdũ est, tot esse species adorationis, siue cultus, quot sunt species excellẽtię, vt B. Thodocet, 2. 2. q. 103. artic. 3. honor. n. siue cultus debetur personæ pp excellentiam eius. Sed, quoá ad præsens institutum pertinet, tres sunt species excellẽtiæ. PRIMA est excellentia diuina, & infinita, cui respondet prima species cultus, quæ à Theologis dicitur latria.

SECVNDA est excellentia humana, seu naturalis; q̃ posita est in humanis virtutibus, dignitatibº, gradibus, &c. Cui rñdet scda species cultus, q̃ dicí pòt cultus ciuilis, & obseruãtia q̃dã humana, q̃ q̃ hęc in alias multas species diuidi pòt, vt Aristoteles docet, lib. 9. Ethic. c. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, vel erudito, &c.

TERTIA est excellentia quædam media inter diui nã & humanã, qualis est graria & gloria Sanctorum; ista. n. sunt dona supernaturalia, & excellentissima, & huic excellentiæ rñdet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam; & quia inter Sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsum cõsideretur, singulariter excellit propter vnionem ad verbum; & similiter B. Virgo, vt mater filij Dei, ita præstat alijs Sanctis, vt dici possit Domina & Regina nostra, qd alijs Sanctis non conuenit, nisi admodum imperfectè; ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, diuidunt in duliam propriè dictam, & hyperduliam, tribuentes illam Sanctis ceteris, istam soli humanitati Christi, & matri eius.

TERTIO obseruãdum est, has tres adorationis species non esse vniuocas, sed analogas, vt enim excellentia non dicitur vniuocè de excellentia Dei, & creaturarum, ita cultus debitus ob excellentiam, nõ potest dici vniuocè de cultu Dei, & creaturarum.

Notandum quoq; est quarto, has ipsas species adorationis, quantum ad actus interiores, optimè distingui, nam PRIMA species. i. latria, est quædam summa voluntatis prostratio, & inclinatio cum apprehensione Dei vt primi principij, & vltimi finis, atque adeò summi boni, qualis adoratio soli Deo conuenit.

SECVNDA species, id est, cultus ciuilis, est longè minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa humanæ excellentiæ.

TERTIA species, est media quędam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ, plùs, quàm humanę, & minus, quàm diuinæ. At quantũ ad actus exteriores, non est facile species adorationum distinguere; nam omnes ferè actus exteriores cões sunt omni adorationi, excepto sacrificio, & quæ ad illud referũtur, templis, altaribus, & sacerdotibus, voluit enim Deus hunc cultum sacrificij sibi soli exhiberi, vt August docet, lib. 10. ciuitatis Dei, c 4. & Theodoretus lib. 8. ad Græcos, qui est de Martyribus, & patet ex illo, Exod 22. *Qui sacrificat Dijs, eradicabitur, præterquam Domino soli*. Ex alijs actibus exterioribus, qui sunt communi culti Dei & cultui creaturæ, non pòt euidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis, nec ne; nam Abrahã eodem actu incuruationis vsque ad terrã adorauit Deum, Gen. 7. & Angelos, Gen. 18. & Homines, Gen 23.

QVINTO obseruandum, latria interdum sumi pro ipso actu, quo colitur Deus; interdũ pro habitu, quo

homo

homo redditur promptus ad colendũ Deum. Hunc autem habitum esse virtutẽ quandã specialẽ, & moralem, B. Tho. docet, in lib. 3. sen. dist. 9. q. 1. neq; obstat quod B. August. in Enchi. 3. c. & 12. Trin. c. 14. dicat, Dei cultum cõsistere in fide, spe, & caritate, vbi vũ velle, latriam esse generalẽ virtutẽ conflatã ex tribus Theologicis. Nam sicut caritas, & prudentia sunt virtutes speciales, quia hñt speciale obiectũ, & tñ simul sunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus est specialis propter speciale obiectum suũ, i. hõnorem diuinũ; & tñ simul est generalis, quia vtitur ad honorandum Deum actibus omniũ virtutũ, & p̃cipuè fidei, spei, & caritatis; nã summus honor Deo defertur, cũ per fidem protestamur eum esse primam veritatem; per spem esse potentissimum; per caritatem esse optimum. Itaque ipsius actus fidei obiectũ, est Deus: actus autem ipse fidei est obiectum religionis: & ideo fides est virtus Theologica, quia circa Deum versatur. Religio non est virtus Theologica, quia versatur circa creaturam; actus. n. fidei non est Deus, sed quid creatum. Idẽ dici de spe, & caritate potest; obiectum. n. earum est Deus, actus verò ipsarum ad obiectum religionis pertinere possunt.

Sexto obseruandũ, quantũ ad nomina; in lingua Hebræa nullum esse nomen quo propriè designetur cultus solius Dei, sed oĩa esse cõia, & idẽ nomẽ nunc tribui cultui creaturę, nunc negari, prout nimirũ aliter atq; aliter accipitur; nã quod Græci verterũt Deut. 6. αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *illi soli seruies*, in Hebręo est אותו תעבוד verbũ autẽ עבד tã est cõe Hebręis, ⁊ Latinis, seruire. Similiter Exod. 20. *Non adorabis ea*, quod Græci vertunt οὐ προσκυνήσεις, in Hebręo est תשתחוה & ponitur in oĩbus locis suprà citatis, Genes. 17. 18. & 23. & alibi vbicunque dicuntur vel homines, vel Angeli, vel Deus adorari. In lingua Latina similiter non habemus vllum vocabulum, quod solum dicatur de cultu Dei, vt Augustinus notauit, lib. 10. ciuit. c. 1. & hinc est quod Patres vocabula adorationis, & religionis nunc concedunt creaturis, nunc negant, prout variè accipiuntur.

B. Hieronymvs in epist. ad Riparium contra Vigilantium dicit, nec Martyrũ reliquias, nec Angelos, nec aliquid creatũ coli posse, vel adorari. Et tñ ipse in Epitaphio Paulę in fine dicit: *Vale ò Paula, & cultorẽ tuum orationibus iuua.* Et lib. 2. Apolog. contra Ruffinũ dicit: *Veni Bethlehem, præsepe Domini, & incunabula adoraui.* Sic ẽt August. lib. de vera Relig. c. 55. dicit, religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominib. iã defunctis deberi, sed soli Deo; & tamẽ lib. 20. contra Faustum, cap. 21. dicit: *Memorias Martyrum populus Christianus religiosa solennitate concelebrat.*

Itaque aliqñ accipiebant nomen religionis & adorationis, vt conuenit principali analogato, i. virtuti illi speciali, quę hẽt pro obiecto cultũ Dei, & quę distinguitur specie ab ea virtute, qua colimus Sanctos: aliqñ verò accipiebant largiùs pro oĩ illa virtute qua colimus vel Deũ, vel Dei amicos, aliasq; res sacras, & distinguitur à cultu politico, & merè humano. In lingua Græca vna vox est propria cultui Dei; nempe θεοσέβεια, quæ non multùm est in vsu. Præter istam vocem sunt alia quatuor δσέβεια pietas, θρησκεία religio, & λατρεία, & δυλεία seruitus; sed nullum horum est, quod non interdum attribuatur etiam creaturis.

Sed quamuis ista vocabula non sint propria diuino cultui, ẽm primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Schola Theologorum non sine caussa excogitauit illam distinctionem de latria & dulia. Nam cùm in re inueniatur manifesta distinctio, inter cultum Dei & Sanctorum; õportebat etiam ad vitandam æquiuocationem inuenire distincta vocabula: optima autem erant isto duo. Primo, quia scriptores sacri uocem λατρεία nunquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei, vt patet ex toto nouo Testamẽto: vocem autem δυλεία vsurpant pro omni seruitute, tam Dei, quàm hominum. Neque obstat, quòd in versione Græca Leuitici habetur semel nomẽ latrię, pro seruitio humano: nam textus Hebræus & Latinus vulgatæ editionis habent vocem communissimam, quæ ad omne seruitium accommodatur. Deinde, antiqui Patres nunquam nomen latrię tribuunt, nisi Deo, cùm tamen etiam Sanctos coli dicant, vt patet ex Augustino, lib. 10. Ciuit. Dei, c. 1. & lib. 20. contra Faustum, cap. 21. & ex omnibus Patribus Nicæni Concilij I I. vt videre est, act. 3. 4. 6. & 7. necnon ex Damasce. orat. 1. & 3. de imaginibus. & Iona Aurelianens. lib. 1. de cultu imagin. & Beda in cap. 4. Luc. imò omnes veteres cultum falsorum Deorum ideò vocauerunt idololatriam, non idoloduliam, quia videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latriam, non duliam, vt Augustinus notauit, q. 61. in Gen.

Neq; obstat, quòd isti Patres rarò meminerint nominatim duliæ; nam cùtu dicunt, Sanctos & imagines coli debere, & non latria; satis indicant, debere coli alia specie cultus; eam nos vocamus duliam, vt eam vocat Beda in cap. 4. Lucæ. & Magister cum omni Schola lib. 3. senten. distin. 9. Et idem insinuat Augustinus, lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 1. vbi dicit, cultum debitum creaturæ non vocari Ephes. 6. ab Apostolo latriam, sed alio nomine. Apostolus autem vbi vocat duliam. Itaq; non erat opus, vt Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, par. 3. consideratione 7. diceret, non sibi multùm probari nomen duliæ sumptum pro cultu Sanctorum, cùm dulia propriè significet seruitutem, & nos non simus serui Sanctorum, sed conserui. nam in Scripturis dulia non solùm accipitur pro seruitute mãcipiorum, sed etiam pro honoraria subiectione, vt Gala. 5. διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις; *Per caritatem seruite inuicem.* Hoc ergo mõ potuerũt Theologi cultũ Sanctorũ vocare duliã.

CAPVT XIII.

Asseritur argumentis sententia Catholica.

Svperest iam, vt probemus cultum aliquem minorẽ diuino, & maiorem ciuili & merè humano, sacris rebus, sanctis Angelis, & hominibus deberi.

Primvm argumentũ sumitur ex illo Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*; ubi ad literam per scabellum pedũ Domini intelligitur arca Testamenti. Nã 1. Paralip. 28. dicit Salomon: *Paraui domum, vbi requiesceret arca Domini, & scabellũ pedum Dei nostri.* Nec fine caussa dicebatur arca scabellum pedum Domini; nam supra arcam erat propitiatorium quasi sedes Dei, quæ tenebatur manibus duorum Cherubim, de qua dicitur in principio huius Psal. *Qui sedes super Cherubim, moueatur terra, &c.* Idem habetur Psalm. 131. in illis uerbis: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*; nam in Hebręo est: *Adorabimus scabellũ pedum eius.* Et quòd loquatur de arca, patet, quia præcedit: *Introibimus in tabernaculum eius.* Et statim etiam sequitur: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca iustificationis tuæ.* Et hoc idem clariùs colligitur ex lib 2. Reg. c. 6. *Arcam*, inquit, *super quã inuocatũ est nomẽ Domini, sedentis in Cherubim super eam.*

Iam verò quod in his locis præcipiat aliquis cultus, patet ex verbo, *adorate*, quod ẽt Hebraicè est propriũ uerbum adorationis השתחוו autem arca sit creatura, nulli dubium esse potest: ⁊ denique iste cultus nõ sit ciuilis, sed religionis, patet ex ratione Dauidis:

Quoniam

Quoniam, inquit, *sanctum est*, hoc videlicet scabellũ. A Cultus enim ciuilis debetur rebus propter ciuilem & humanam excellentiã, at arca dicitur adoranda, non propter ciuilem excellentiam, sed quia sacra & sancta est, cùm sit scabellum pedum Dei.

Bucerus & Caluinus in hũc locum Psalmi, rñdẽt, hic nomine scabelli intelligi templũ, & præcipi, non vt adoretur templum, sed vt aderetur Deus in templo, & probant dupliciter. PRIMO ex verbo Hebręo לַהֲדֹם ad scabellum. SECVNDO ex illo, quoniã sanctus est, nam Hebræum קָדוֹשׁ est ambiguum, sed Græcus exposuit vertens, ἅγιος, non ἅγιον.

RESPONDEO, nomine scabelli necessariò intelligi arcam, vt suprà ostẽdimus; & proinde ruit expositio hæreticorũ; non.n. arca est locus, in quẽ possent Iudæi intrare ad adorandũ Deum. Deinde etiamsi scabellum esset templũ, adhuc argm̃ nostrum vigeret, quia non ait Dauid, adorate in scabello, sed adorate scabellum; & probatur. PRIMO, quia vertit Chald. *Incuruate vos templo*. Item LXX. & Hieronymus: *Adorate scabellum*, verterunt. B

SECVNDO, quia in Scriptura ferè vbicunque habemus, adorari aliquem, constructio fit cum ל vt Genes.23. *Adorauit Abraham populum terræ*; id est, filios Cheth. וַיִּשְׁתַּחוּ לְעַם הָאָרֶץ לִבְנֵי חֵת.

TERTIO, quia etiamsi verteretur ad templum, adhuc idem significaretur; nam verbum Hebræum significat: *Incuruate vos ad illam rem*.

QVARTO, quia Hieron. in epist. ad Marcellam, vt migret in Bethlehem, testatur, ipsam arcã coli solitã: *Venerabantur*, inquit, *quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim & propitiatorium, & arca Testamenti, &c.* & hoc idẽ ex alijs Scripturis patet Ios.3. 1.Reg.6. 2.Reg.6. Heb.9. nã Ios.3. iubent in itinere nunquã accedere prope arcã ad spaciũ duorum milliũ cubitorum. 1.Reg.6. Bethsamitæ quia arcã viderunt sine debita reuerentia, occisi sunt à Deo ad 50000. hominũ. 2.Reg.6. Oza similiter interfectus à Domino est, cùm arcam tetigisset, quod ei non licebat, sed solis Sacerdotibus. Deniq; pp honorem arcæ nemo poterat ingredi sancta Sanctorum, vbi illa erat, nisi summus Pontifex semel in anno, vt Paulus docet, Hebr.9. At certè arca creatura erat, & iste honor illi exhibitus non ex vrbanitate, sed ex religione aliqua procedebat. C

Ad illud: *Quoniam sanctum est*. fateor non malè verti: *Quoniam sanctus est*; vt LXX. & Hieronym. verterunt. Sed hoc nihil ad rem. nã siue dicatur scabellum adorandũ, quia sanctum est, siue quia est Dei sancti, semper affertur caussa religiosę adorationis. D

SECVNDO, probatur ex adoratione exhibita Angelis ab hominib⁹ pijs & prudẽtibus. nã Gen.18. Abrahã pronus in terrã adorauit Angelũ. & similiter fecit Lot, Gene.19. Sed quia posset rñderi, tã Abrahamum q̃ Lot non cognouisse Angelos, sed homines putasse initiò, cùm eos adorauerunt, & ciuiliter tm̃ adorasse. proferamus loca clariora Num 22. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & uidit Angelum stantem in uia euaginato gladio, adorauitq; cum pronus in terram*. Hic certè non prius adorauit, quã Angelũ agnouit: Angelis autem ridiculum est dicere, deberi ciuilem honorẽ. ITEM Iosue 5. cùm vidisset Iosue virum stantẽ euaginato gladio, dixit: *Noster es, an aduersariorũ?* Ille. *Nequaquã*, inquit, *sed Princeps sum exercitus Domini. Continuò cecidit Iosue pronus in terram, & adorauit*. Hinc apertè videmus & adorationem illam mediã, quam quærimus: nam ꝙ Iosue non putauerit illum, quem adorabat, esse Deum, patet. quia Angelus dixerat, se esse Dei ministrum. Quod etiam non adorauerit ciuiliter, sed religiosè, patet, quia nõ prius adorauit, quàm intellexit esse Angelum Dei legatum: ꝙ denique non malè fecerit adorando, patet, E quia Angelus nõ solũ nõ prohibuit eum ab adoratione, sed ẽt iussit adhuc maiorẽ honorem sibi exhiberi, dicens: *Solue calceamenta pedum tuorum: locus enim in quo stas, sanctus est*. Non erat autem sanctus locus ille, nisi ob Angeli præsentiam; non enim erat tunc Iosue in loco sacro, sed in campestribus Hiericho.

TERTIO, probatur ex adoratione Sanctorũ in Scripturis, 1.Reg.28. Saul adorat animam Samuelis sibi apparentẽ. Certum autẽ est, non conuenire ciuilẽ honorẽ animabus defunctorum: neq; dici põt, in hoc erasse Saulẽ, qñquidẽ nec ipse Samuel, nec Scriptura Saulẽ reprehendit. Item 3.Reg.18. Abdias vir sanctus adorat Heliã pronus in terram: neq; possumus dicere hunc ciuilẽ cultũ fuisse; nã quantum ad humanam excellentiã, maior erat Abdias q̃ Helias; iste.n. priuatus hõ erat, ille autẽ vnus ex Principib⁹ regni. Adorauit ergo eum vt Prophetã, ac Dei hominẽ singulari sanctitate excellentem. Item 4.Reg.2. filij Prophetarũ cùm audissent spiritum Helię requieuisse super Heliseum, accedentes adorauerunt eũ proni in terrã.

Deinde Daniel.2. Nabuchodonosor adorat Danielem. quis aũt diceret, aut crederet à Rege summo adoratum ciuiliter vnum ex captiuis, qualis erat Daniel? Adorauit ergo eum religiosè, vt hominẽ Deo plenũ, neque per errorem adorauit, Deum illum existimãs; nam adorans ait: *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regũ, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum*. Quod etiam fecisse Alexandrum Regem Pontifici Iaddo, scribit Iosephus libro 11. cap.8. antiquitatum.

Neq; obstat, ꝙ Nabuchodonosor Danieli iussit offerri sacrificium; nam non loquitur Scriptura de sacrificio, qđ soli debetur Deo. Sacrificium.n. Deo proprium est immolatio animalium, qđ vocat Hebraice זָבַח de quo dr̃ Exod.22. *Immolans Diis, eradicabitur, præterquam Domino soli*. Ibi .n. est Hebraicè זוֹבֵחַ. Nabuchodonosor autem obtulit Danieli non זֶבַח sed מִנְחָה & נִיחוֹחִין hoc est, munera, & odores, quorum vtrunq; tam Deo, q̃ homini offerri solet. Nã 1.Reg.10. vbi legimus quosdam ex Israelitis non voluisse agnoscere Saulẽ Regẽ, nec ei munera attulisse, pro munere est מִנְחָה. Porrò suaues odores nos etiã in ipsa Ecclesia offerimus imaginibus & reliquijs, cũ tñ asseramus, sacrificium nõ deberi nisi soli Deo. Imò Dionys.c.3.par.2.Eccl.hierarch.dicit, Põtificẽ ĩ sacris mysterijs, ubi adoleri cœpit incensum, primũ suffire aram, deinde totius Ecclesiæ ambitum, quod ẽt nunc fieri videmus. Si hoc non placet, dicamus cum Hieronymo & Theodoreto, Nabuchodonosor sacrificium obtulisse Danieli, id est, Deo Danielis.

Argumentum QVARTVM sumitur ex cõfessione Patrum, qui à tẽporibus Apostolorũ, vsq; ad nra tẽpora floruerunt. IVSTINVS in 2. Apolog. pag.2. loquens noie omniũ Christianorum, & fidem totius Ecclesiæ explicans: *Sed*, inquit, *& illum* (Deum Patrem) *& eius Filium qui venit nosq; hęc docit, & aliorũ sequẽtium similiumq; bonorũ Angelorum exercitum, & spiritum propheticum colimus atq; adoramus, verboq; & re seu veritate veneramur, idq; omnibus qui discere volunt, vt docti institutiq; sumus, copiosè tradimus*.

ORIGENES hom.3. in diuersos: *Horum*, inquit, *memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur*.

EVSEBIVS, lib.13. præparat. Euang c.7. *Nos*, inquit, *quotidie id facitamus, nam verę pietatis milites, ut Dei amicissimis honoramus*. Idem Euseb. lib.4. hist.c. 15. refert ex epistola Ecclesiæ Smyrnensium de martyrio S. Polycarpi, quòd cùm Gentiles metuerent, ne Christiani, relicto Christo, Polycarpum adorarent, veteres illi Christiani dicebant, se non posse vllo modo Martyres pro Christo colere, sed tamen eos diligere & venerari, quòd fidem integrè Magistro & Domino seruauerint.

ATHA-

ATHANASIVS in lib. de virginitate, circa finem: *Si homo iustus ædes tuas*, inquit, *intrauerit, cum timore, et tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius.* At vt ostendat se loqui de religiosa adoratione. *Non enim*, inquit, *eum, sed Deum adorabis, qui illū mittit, Dominus.n.ait, qui recipit iustū, me recipit*, vt nota, adorari Deū in iustis, nō ꝙ adoratio non terminetur ad hominē iustū, sed quia rō, cur iustus adoretur, est Deus. Quēadmodum qui recipit iustum hospitio, eique eleemosynam facit, Christum recipere, & Christo eleemosynam facere dicitur, quia fit propter Christum, & Christus ita accipit, ac si fieret sibi.

BASILIVS oratione in sanctū Mamantē: *Ecclesia*, inquit, *per hoc, ꝙ eos honorat, qui præcesserunt, præsentes impellit.* Et oratione in quadraginta Martyres: *Honor*, inquit, *quē bonis conseruis exhibemus, benevolentię erga communem dominum significationem de se præbet.*

Gregor. NAZIANZENVS oratione in Machabęos, initiò conquerit, ꝙ sanctos Machabęos non oēs vbique colant, sicut martyriū ipsorū meret. Et orat. 3. in Iulianum, non procul ab initio, loquens de quodā honore impenso à Iuliano Apostata cuidā Martyri, quē Martyr ille mirabili signo recusauit: *O insignem*, inquit, *Martyrū inter se caritatē, honorē illius, qui multos Martyres contemptui habiturus erat, recusarunt.* Et paulo antè dixerat, honorem Martyrum esse perspicuam notam amoris in Christum.

Gregor. NYSSENVS orat. in Theodorum Martyrē, vbi multa dixit de cultu, qui sanctis Martyribus ab Ecclesia exhibetur, ait: *Cui Regum talis honor habetur? Quis ex ijs, qui supra modū inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis Imperatorum adeò decantatus, & fama celebratus est, vt hic miles pauper, modò conscriptus Tyro, quem Paulus armauit, quem Angeli vnxerunt, quem Christus coronauit?*

EPIPHANIVS hæresi 79. vbi refellit eorum errorē, qui Mariæ tanquā Deæ sacrificium offerebant, metuens, ne ista occasione nullus honor B. Mariæ deferretur, vt nunc hæretici faciunt, sæpissimè repetit illa verba: *Sit in honore Maria, Dominus adoretur.*

Ioan. CHRYSOSTOMVS hom. de Sanctis Iuuentino & Maximo: *Non aliter priscos*, inquit, *aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate omnes.* Et infrà: *Et Martyres*, inquit, *quos hodie colimus, aderāt.* Et istrà: *Idcirco sæpe eos inuisamus, tumulos adoremus, etc.*

CYRILLVS Alexandrinus lib. 6. in Iulianum, vltra medium: *Nos*, inquit, *non Deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consueuimus.*

THEODORETVS lib. 8. ad Græcos *Suos*, inquit, *mortuos Dominus Deus noster in templa pro Dijs vestris induxit, ac illos quidem cassos gloria, vanosq; reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit, &c.* vbi notandum est, honorē Deorum traditum Martyribus, quia vbi colebantur Dij, nūc colunt Martyres, non autē ꝙ eodem modo colantur. Subdit. n. Theodoretus: *Atqui nos, ò Græci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deiq; amicissimos honoramus.*

Denique Ioannes DAMASCENVS de fide Orthodoxa, lib. 4. cap. 16. *Honorare*, inquit, *decet Sanctos, vt amicos Christi, vt filios & hæredes Dei, &c.*

Ex Latinis TERTVLLIANVS de corona militis, meminit celebrationis festorū in natalitijs Martyrum.

CYPRIANVS lib. 4. epist. 5. *Martyrum*, inquit, *passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.*

AMBROSIVS serm. 6. in fi. *Qui quis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.*

MAXIMVS serm. de natali sanctorum Octauij, Aduentoris & Solutoris Martyrum: *Cuncti*, inquit, *Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi, quorum reliquias possidemus.*

PRVDENTIVS de S. Hyppolyto:

Hic corruptelis, animiq;, & corporis ager
Orani quoties stratus, opem meruit.

Nota illud: *Orani stratus.*

PAVLINVS natali primo S. Felicis:

Roma Petro Pauloq;, potens rarescere gaudet
Huius honore Dei, &c.

Et natali octaua:

Cuius honore Deus gaudet, quia Martyr honorem
Contempsit proprium.

HIERONYMVS in epist. ad Ripatium: *Honoramus*, inquit, *seruos, vt honor seruorum redūdet ad Dominum. Vale, ò Paula, & cultorem tuum orationibus iuua.* Et ibidem dicit, Paulā cùm inuiseret sanctos Eremitas, singulis ad pedes prouolutā, ita eos venerari solitā, ac si in singulis Christum adoraret. Vbi certè non agitur de cultu ciuili; non enim fœmina nobilissima rusticanos ciuiliter honorasset tanta subiectionis significatione.

AVGVSTINVS sermo. 1. de sanctis Petro & Paulo: *Beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouoluti adorat Gentium multitudo.* Et epist. 44. *Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Idem lib. 20. contra Faustum, cap. 21. obijcienti Fausto, quòd Christiani idola vertissent in Martyres, respondet à Christianis coli Martyres, sed non latria. Et in Psalm. 96. obijcientibus Ethnicis, quòd Christiani colerent Angelos, respondit similiter, & addit: *Vtinam & vos illos colere velletis; facilè enim ab ipsis discretis, non illos colere, id est, non colere vt Deos, sed vt Sanctos.*

GREGORIVS libro 3. Dialog. capi. 24. dicit, B. Petrum apparuisse cuidam Theodoro lampades instruenti in Ecclesia ipsi B. Petro dicata, vt ostenderet probare venerationem, quam seruiētes sibi exhibēt.

BERNARDVS serm. in illud; Signum magnum, &c. *Amplectamur Mariæ uestigia, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur.* Et sermo. seq. qui est de aquæductu: *Totis*, inquit, *medullis cordis, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam ueneremur, quia si est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Argumentum QVINTVM sumi potest ex inuocatione, templis, festis, votis, peregrinationibus, imaginibus & alijs, de quibus postea: cùm hæc omnia ad cultum Sanctorum non dubium sit pertinere.

Argumentum SEXTVM ex eo, quòd semper Ethnici, Iudæi, hæretici accusauerunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum, quòd certè non fecissent, nisi vidissent à Christianis Sanctos passim religiosè coli. De Ethnicis testatur Eusebius, libro 8. cap. 6. histor. de Iudæis, idem Euseb. lib. 4. c. 15. De Iuliano apostata, Cyrill. lib. 6. & 10. in Iulian. de Manichæis August. lib. 20. c. 21. contra Faustum; de Porphyrio, Vigilantio, & Eunomio, Hieronymus lib. contra Vigilantium.

Argumentū SEPTIMVM exrōne; nā si honor ciuilis debetur ciuili virtuti, sapiētię, potētię, & nobilitati: Ergo honor plusq̄ ciuilis debet supernaturali virtuti, sapiētię, potestati, nobilitati: sed Sācti quoad virtutes supnaturales, excellunt oīno, cum seruent diuina caritate, & peccare nō possint: nihil. n. inquinatum intrare pōt in regnū cœlorum, Apoca. 21. quoad sapientiam, vident ipsam sapientiam increatam, & in ea cognoscunt rerū oīum causas, iuxta illud, Matt. 5. *Beati Mundo corde, quoniā ipsi Deum uidebunt*, quoad potestatē, sunt Reges cœlorū, & participes ipsius throni diuini, vt dicitur in Apoc. c. 3. *Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Et Luc. 22. *Ego disponō nobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* quoad nobilitatem, sunt filij Dei, reipsa iam adoptione

ne confirmata per gloriam. Igitur meritò, iureque optimo religioso cultu prosequendi sunt.

Denique, Deus Sanctis honorem, & gloriam promisit, 1. Reg. 2. *Qui honorificauerit me, glorificabit eum.* Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Et Rom. 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum:* ergo debetur eis honor; & certè nō ab alijs, quā à nobis, qui illis inferiores sumus, non conuenit autem mortuis honor ciuilis, ergo religiosus illis debetur.

CAPVT XIV.

Soluuntur argumenta initio proposita.

NVNC aduersariorum argumenta breuiter dissoluamus. Ad PRIMVM. Si Caluinus per cultum religionis intelligit cultum latrię, fatemur sanctos non debere coli cultu religionis: sed negamus, præter cultum latriæ nullum esse alium cultum, nisi ciuilem, iam enim ostendimus quendam tertium cultum, qui etiam dicitur religionis, licet secundariò.

Ad SECVNDVM, admitto duliæ cultum deberi Sanctis, & nego id esse absurdum. Ad PRIMAM probationem respondeo, colere sine latria non esse colere sine cultu, sed colere sine tali cultu. nam etiam B. Aug. qui tamen non erat ineptus, lib. 20. contra Faustum, cap. 21. dicit, Sanctos coli, & non latria.

Ad SECVNDAM probationem dico, duliam non esse plus, quàm latriam. nam secundum profanos auctores idem significant: secundum autem Scripturæ, & Ecclesiæ vsum longè maior est latria, quàm dulia: latria enim nō est quilibet cultus, sed cultus summæ seruitutis: dulia est cultus cuiuslibet seruitutis.

DICES; At non sumus serui sanctorum, sed conserui, ergo dulia sanctis non conuenit. Aliqui respondent, cultum sanctorum non vocari duliam, ideſt, seruitutem, quia exhibetur eis à seruis; sed quia exhibetur ipsis, qui serui Dei sunt. sed isti timuerunt, vbi non erat timor.

Dicendum igitur, duliam significare quamlibet seruitutem, tam perfectam, quàm imperfectam: est autem perfecta seruitus eorum, qui id, quod sunt, alterius sūt; & operantur moti ab alio, tam efficienter, quàm finaliter, ideſt, operantur propter Dominum, & ab ipso Domino moti, tanquam instrumenta ad operandum; vt Aristot. docet, lib. 1. Polit. cap. 3. Imperfecta seruitus est eorum, qui aliquid horum habent, non tamen omnia, ideſt, qui mouentur ab alio aliquo modo. vnde infans dicitur nihil differre à seruo, licet sit dominus, Galat. 4. quia mouetur ab alio effectiuè: & contrà, is qui regit, dicitur seruus eorum quos regit, 2. Cor. 4. *Nos autem seruos vestros per Iesum;* quia mouetur ab alio finaliter, nos ergo etiamsi non sumus serui sanctorum perfectè, sumus tamen imperfectè, quatenus illi nos mouent, & iuuant ad bene operandum exemplo suo, & intercessione apud Deum. Hinc B. Paulinus natal. 1. 2. & 3. S. Felicis, passim vocat se famulum, & seruum S. Felicis, & B. Greg. lib. 2. Dialog. c. 24. non timuit dicere B. Petro, grata esse seruientium sibi obsequia.

Ad confirmationem ex Valla, & Beza, fateor secundum vsum profanorum scriptorum idem esse duliam & latriam, tamen secundum vsum scripturę, latria ferè nunquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturę: secundum vsum autem Ecclesiæ, nunquam omnino. Et sicut licuit antiquæ ecclesiæ contra veteres hæreticos noua vocabula inuenire, vt ὁμοούσιος, &c. cur non licuit etiam ecclesiæ posteriori contra hæreticos posteriores noua aliqua vocabula inuenire, aut certè ijsdem in alia significatione vti?

Ad illud Augustini de dulia, & latria respectu Dei, respondeo, eum locum esse pro nobis. nam ex eo, quod Augustinus ait, latriam dari Deo, vt Deus est, duliam eidem, vt Dominus est: colligitur latriam non posse A communicari creaturæ, quia vnus tantùm est Deus: at duliam posse communicari, quia multi sunt verè, & propriè Domini. quamquam interim fatemur, duliam, qua colitur Deus, esse duliam per excellentiam, & specie distingui ab ea, qua coluntur Sancti.

Ad TERTIVM argumentum; ad PRIMVM locum, Deuteron. 6. dico, eum locum debere sic intelligi: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies;* ea seruitute, quæ Deo soli conuenit. nam in Græco est λατρεύσεις, vnde August. q. 61. in Gen. annotauit, ideò nō esse dictum, solum Deum adorabis, & illi soli seruies, sed: *Deum adorabis, & illi soli seruies;* quia adoratio conuenit etiam creaturis, non autem seruitus latriæ, quæ hic nominantur. Sed præterea quamuis esset scriptum, illi soli δουλεύσεις, eodem modo exponi deberet; B nimirum, illi soli seruies certo quodam genere seruitutis, non autem absolutè, illi soli seruies. Siquidem in textu Hebraico est תַּעֲבֹד. & tamen inuenimus, non obstāte hoc præcepto, dictum Iacob ab Isaac, Gen. 27. *Seruiāt tibi populi, & adorent te filii matris tuæ.* vbi sunt illa verba, עָבַד & חִשְׁתַּחֲוֶה. Præterea sicut hic legimus: *Illi soli seruies*, ita legimus 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem;* & tamen scimus, Angelos, & animas esse etiam immortales suo quodam modo.

Ad illud 1. Timoth. 1. *Soli Deo honor, & gloria;* respondeo, similiter intelligendum de certo honore, & gloria. nam Roman. 2. lego: *Gloria & honor omni operanti bonum.* Denique arctius dictum est Isa. 44. *Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus;* C & tamen legimus in Psal. 81. *Ego dixi, Dii estis.* nec tamen illud primum est falsum, sed sano modo intelligendum est.

Ad illud Matth. 4. dico, diabolum postulasse à Christo προσκύνησιν, in signum latriæ, & proinde postulasse latriam; ac propterea à Domino illi fuisse responsum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Ad illud Galat. 4. *Iis qui natura non sunt Dii, ἐδουλεύσατε,* respondeo, verbum δουλεύειν, esse commune seruituti Dei, & creaturarum, & proinde exponi debere pro loci exigentia. hic autem sumitur pro cultu solius Dei. id enim circumstantiæ loci necessariò postulant.

Ad QVARTVM argumentum; ad PRIMVM exemplum dico, Aman voluisse adorari, vt Deum; id enim ex verbis Mardochæi colligitur.

Ad SECVNDVM de Cornelio dico, cum S. Hieron. lib. contra Vigilantium, Cornelium aliquid diuinum in Petro inesse putauisse, & ideò iure correctum. vel cum Chrysostomo in hunc locum Actorum, Cornelium piè Petrum veneratum, sed Petrum ex modestia eum honorem, qui alioqui sibi debebatur, recusasse.

Ad TERTIVM, quid mirum, si Paulus noluit sibi sacrificari? id enim suprà diximus, esse actum externum, soli Deo debitum.

Ad QVARTVM dico, esse pro nobis; nam vel Ioannes putauit eum, qui sibi apparuerat, esse Deum, aut Angelum: si Deum meritò reprehensus est: si Angelum, & tamen adorauit, cur nos reprehendimur, qui facimus quod Ioannes fecit? num melius Ioanne norunt Caluinistæ, sint ne Angeli adorandi?

AT cur, inquiunt, reprehensus est? PRIMO, quia fortè angelus sic apparuit, vt potuerit existimare Christus. dixerat enim, c. 1. *Ego sum primus, & nouissimus, & fui mortuus, & ecce sum viuens, &c.* Itaque poterat existimari Christus, cuius personam gerebat, nisi ipse explicuisset, se non esse Christum, & ideò corrigendus fuit adorator nō propter errorem adorationis, sed propter errorem personæ. ita respondet Aug. q. 61. in Gen.

SECVNDO dico, Ioannem rectè voluisse angelo cultum debitum exhibere; sicut meminerat fecisse Abraham, & Loth, atque alios maiores suos: tamen angelum prohibuisse ob reuerentiam humanitatis Christi:

nam

nam ante Christi aduentum angeli se ab hominibus adorari patiebãtur: at posteaquam Deus homo factus est, & omnes Angeli hominem in Christo adorare cęperunt, noluerunt ipsi ab hominibus adorari, & præcipuè ab Apostolis, alijsque summis viris. ita Beda, Anselmus, Richardus, & Rupertus, in cap. 19. Apocalyp. & scholia Græca in cap. 22. & ante hos auctores San. Greg. lib. 27. Moral. cap. 11. & homil. 8. in Euang. nec tamen sequitur, nos malè facere, si angelos adoremus; nam & nos rectè illos adoramus, & ipsi rectè adorari recusant. Itaque Ioannes ipse cùm cap. 19. semel audiuisset: *Vide ne feceris, &c.* tamen cap. 22. iterum voluit eundem angelum adorare; intelligebat enim, & se rectè facere adorando, & angelum rectè facere recusando, nec enim suspicari licet Ioannem, aut obliuiosum, aut indocilem fuisse.

Ad VLTIMVM ex Patribus, dico eos loqui contra errores Gentilium, qui ex hominibus sceleratis veros Deos faciebant, eisque sacrificia offerebant. nam quòd alioqui sancti angeli, & homines debito cultu prosequendi sint, sexcentis in locis ijdem Patres affirmant, quorum locorum iam aliqua suprà retulimus.

CAPVT XV.

Proponitur controuersia de inuocatione Sanctorum.

DEMONSTRAVIMVS sanctos esse colendos: sed quia peculiaris difficultas est de cultu inuocationis, idcirco nunc recto ordine sequitur, vt tractemus de inuocatione sanctorum.

Duo sunt de hac quæstione errores extremi, veritas est in medio, vt ferè semper esse solet. PRIMVS error est, posse ac debere S. Mariam, quæ præcipua sanctorũ quidam, quos Epiphanius refert, & refellit, hæresi 78. in fine, & hæresi 79. per totum. ALTER est error, nullum sanctorum post mortem debere inuocari vllo modo, quia vel non possunt orare mortui pro viuentibus; vel si possunt, non nisi in genere orant, quia non possunt cognoscere nostras preces, quas ad illos fundimus. hic error multorum est.

PRIMVS omnium videtur fuisse Vigilantius, qui in hunc lapidem offendit. nam quod Alphonsus de Castro in libro de hæresibus, verbo, sancti, tribuit hunc errorem Eustathio, qui ante Vigilantium vixit, non facilè probari potest. Siquidem Eustathius Basilicas Martyrum contemnebat, & fortè reliquias etiam: at de inuocatione nihil docuit. vide Socratem, lib. 2. c. 33. & Concilium Gangrense. Igitur Vigilantius, vt est in libro S. Hieronymi contra Vigilantium, docebat, post mortem nullius pro altero exaudiri orationẽ, & ideo sanctos mortuos non orare pro viuentibus, ex quo sequitur, frustrà eos inuocari.

DEINDE inuocationem sanctorum apertiùs, & fortiùs oppugnarunt tempore B. Bernardi Henriciani, seu Petrobrusiani, & Apostolici, vt refert ipse S. Bernard. serm. 66. in Cantica; & auctor vitæ S. Bernardi, lib. 3. cap. 5. Idem paulò post docuerunt Vvaldenses, vt auctor est B. Antoninus 4. par. tit. 11. c. 7. §. cap. Idem postea quidam nomine Cathari, vt auctor est Turrecremata, lib. 4. par. 2. cap. 35. Summæ de Ecclesia. Idem postea Ioan. Vviclef, vt scribit Thomas Vvaldensis, to. 3. tit. 12. col. 108. & seq. Nec non Taboritæ, qui de familia sunt Ioan. Huss, vt scribit Aeneas Syluius de orig. Boemor. cap. 35. Quamquam Vviclefus non illicitum dicebat orare sanctos, sed solùm inutile, & superfluũ; dicebat enim videri stultitiam recurrere ad scurras alicuius Principis, quando ipse Princeps est paratissimus per se audire: vel sectari turbidos riuos, quando fons ipse patet: quibus verbis obiter sanctos scurris, & riuis turbidis conferebat, quod est hæreticorum proprium.

DENIQVE, hęretici nostri temporis, vt Lutherus in libris ad Vvaldenses; Melanchthon in Apolog. art. 21. Confess. Augustanæ; Brentius cap. 24. Confess. Vvirtember. & Caluinus lib. 1. cap. 14. §. 12. & lib. 3. Instit. cap. 20. §. 20. & seq. tria docent de orationibus sanctorum. PRIMO, ex diuinis literis non haberi, quòd sancti mortui orent pro viuis, ac proinde hoc non esse certum. SECVNDO, si sancti orant, eos non orare nisi in genere pro tota ecclesia electorum, nõ autem pro isto, aut illo in speciali. TERTIO, inutile, & illicitũ esse inuocare sanctos, siue angelos, siue homines, ac petere, vt pro nobis orent: inutile quidem, quia non habent tam longas aures (ita enim Caluinus loquitur) vt preces nostras audire possint: illicitum autem, quia hinc obscuratur gloria Christi, qui est vnicus mediator, & intercessor noster.

CAPVT XVI.

Deteguntur aliquot fraudes, & mendacia hæreticorum.

HABEMVS igitur, quę sit sententia aduersariorum, sed antequam eam refellamus, vtile erit cognoscere breuiter, quibus calumnijs, & mendacijs Melanchthon, & Caluinus eam simplicibus persuadeant. Philippus loco notato tria mendacia dicit. PRIMO, nos tribuere sanctis diuinitatem, idest, vim cognoscendi mentium cogitationes. Mẽdacium est apertum. nec enim vllus Catholicorum hoc dicit, vel dixit vnquam; asserimus enim eos cognoscere nostras preces, non vt sunt in mentibus nostris, sed vt sunt in Deo, quem vident, & qui eas ipsis ostendit.

SECVNDO, ante tempora San. Gregorij non extare mentionem inuocationis sanctorum. Paulò liberalior fuit Martinus Kemnitius, qui in examine sess. 22. Cõcilij Tridentini dicit, inuocationem sanctorum cępisse post tempora Augustini; & in examine sess. 25. dicit, auctorem inuocationis B. Mariæ fuisse Petrum Gnapheum, qui vixit circa annum Domini CD. LXXX. quæ imperitia, vel malitia est intolerabilis in tantis Magistris in Israel, cùm sint loca innumerabilia in Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Basilio, Athanasio, Ireneo, & alijs quos postea citabimus, & quę etiam citantur à Centuriatoribus, Cen. 4 c. 4. & Cent. 5. c. 4.

TERTIO, Papistas esse asinos, qui docent ex libro S. Hieronymi contra Vigilantium, Vigilantium negasse inuocationem sanctorum, cùm in toto illo libro Hieronymi nõ sit vna syllaba de inuocatione sanctorum, sed solum de honore reliquiarũ. At hoc ipsum ostendit Philippum non quidem asinum, sed certè valde stupidum fuisse; nam etsi Vigilantius non dixit, sanctos non esse inuocandos, tamen dixit, eos non posse orare pro nobis: hinc autem si non colligeremus, eum negasse inuocationem sanctorum, tũc verè tardiores asinis essemus. Quis enim inuocaret eum, qui non potest vllum auxilium præbere? Papientius igitur fecerunt Magdeburgenses, Cent. 4. c. 8. qui videntes non posse negari, quin Vigilantius idem senserit quod ipsi, dicũt eum non fuisse hæreticum, sed sanctum presbyterum, & cum Hieronymo contendisse, ac vicisse.

Porrò CALVINVS multa etiam dicit mirabilia. PRIMVM affirmat lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21. in omnibus hymnis, & litanijs Papistarum, nullam vnquam fieri Christi mentionem: & cum semper oremus sanctos mortuos, nũquam nobis in precibus Christum occurrere. quod certè tale mendacium est, vt periculum sit, ne diabolus cognomen mendacis amittat. quid enim? nonne in Litanijs dicimus: *Kyrie eleison, Christe eleison, Pater de cælis Deus, miserere nobis, &c.*? Nonne ferè omnes hymni, quos in Breuiario legimus, sunt vel Ambrosij, vel Gregorij, vel Prudentij, vel Sedulij antiquissimorum auctorum? Et nonne omnes diriguntur ad Deum, & terminantur per *Gloria tibi Domine*, vel quid simile? Nonne omnes orationes Ecclesię, quæ legun-

leguntur in Missa, diriguntur etiam ad Deum, & terminantur *Per Christum Dominum nostrum.*

SECVNDO, Sanctos cum Christo regnantes passim in illo capite 20. libri 3. vocat mortuos, laruas, vmbras, colluuiem; quæ incredibilis blasphemia est.

TERTIO dicit, lib. 3. cap. 20. §. 20. solum Christū introisse in sanctuarium cœli, & solum ipsum deferre ad Deum vota populi eminus in atrio existentis. Quibus verbis significat, non solùm sanctos homines, sed etiam SS. Angelos nō posse Deo nostras preces offerre, sed solum Christum: quod est contra apertissimam Scripturam Tob. 12. *Ego* inquit Raphaël, *obtuli orationem tuam Domino.* Et Apocal. 8. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Et contra ipsum Caluinum, qui infrà sui oblitus admittit Angelos offerre Deo nostras preces.

QVARTO dicit, lib. 3. c. 20. §. 22. nos inuocare Sanctos planè vt Deos, & habere nos Deos plurimos nō pro numero vrbium, vt dicitur Hierem. 2. de Iudæis, sed pro numero capitū multitudinis, quæ est calumnia manifesta, vt ex Litanijs apparet. Quis enim Deo dicere auderet, S. Dēus, ora pro nobis? Nec est noua calūnia, nam etiā antiqui hostes Ecclesiæ mentiebantur, homines mortuos pro Dijs Catholicos habere, vt patet ex Cyrillo lib. 6. in Iulianum, vltra medium, & lib. 10. ante medium. & ex Eusebio lib. 4. hist. cap. 15. & lib. 8. cap. 6. & ex Augustino lib. 22. contra Faustū, cap. 4. & ex Hieronymo contra Vigilantium.

QVINTO ibidem dicit, nos rogare virginem, vt filium iubeat facere quod petimus. At quis nostrum hoc dicit? cur non probat vllo exemplo? Præterea si Iosue 10. dicitur: *Obediente Deo voci hominis*, cur non posset aliquo modo dici, filium Dei obedire matri aliquid petenti?

SEXTO ibidem dicit, nos ante statuas Barbaræ, vel Catharinæ demurmurare Pater noster, & Pastores hunc vsum suo plausu approbare. At fideles etiam simplicissimi si interrogentur, respondere solent, se orationem Dominicam dirigere ad Deum, id autem se facere coram imaginibus Sanctorum, sperātes per auxilium Sanctorum suam orationem ad Deum melius, & felicius peruenturam, sed etiamsi aliqui tam stupidi essent, vt S. Barbaræ dicerent, Pater noster, nū imperitia aliquorum traduci debet quasi esset dogma Ecclesiasticum? & qui sunt Pastores, qui hunc abusum probant?

SEPTIMO dicit, in Concilio III. Carthaginēsi vetitū fuisse, ne in publicis precibus diceretur: *Sancte Petre, ora pro nobis*, sed istud decretum, nisi in suo codice Caluinus addiderit, nusquam reperitur. Concilium enim solū definit, vt oratio sacrificantis dirigatur ad Patrē, non ad Filium, vel Spiritum sanctum de Sanctis nulla mētio. Sed Caluinus per suam Dialecticam ex eo, quod oratio debet dirigi ad Patrē, deducit non posse inuocari Sāctos, & inde vlterius deducit, Concilium statuisse, vt non dicatur, *S. Petre, ora pro nobis.*

OCTAVO dicit, horrendum esse sacrilegiū, Sanctos vocare præsules salutis, & nullo colore defendi, quod quidam Sanctis dicunt, è cœlo nos respice, & adiuua. At priora sunt verba Ambrosij libro de viduis: posteriora Gregorij Naziāzeni oratione in Cyprianum, in Athanasium, in Basilium: istis autem duobus vitijs nihil habuit antiquitas sapientius.

CAPVT XVII.

Quomodo Sancti inuocandi non sint.

NVNC vt rei veritas manifesta fiat, ponemus & probabimus aliquot propositiones.

PRIMA propositio. *Non licet à Sanctis petere, ut nobis tāquam auctores diuinorum beneficiorum, gloriam, vel gratiam, aliaq; ad beatitudinem media concedant.* Hæc est contra primum errorem, & cōtra calumniā Caluinistarum. Probatur PRIMO Scriptura, Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Montes sunt homines sancti, vt exponit Augustinus in hunc Psalmum, & fusiùs tract. 1. in Ioannem, & libro de Pastoribus, cap. 8. iubemur ergo leuare oculos ad montes, id est, ad Sanctos, & ab eis auxilium expectare, sed vt intelligamus ab eis auxilium expectandum esse, non vt ab auctoribus, sed vt ab impetratoribus; ideo statim subditur *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Item Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donū perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.*

SECVNDO probatur ex vsu Ecclesiæ; nam in orationibus, quæ leguntur in Missa, vel in officio in celebritatibus Sanctorum, nihil vnquam aliud petimus, quàm vt eorum precibus à Deo nobis beneficia concedantur.

TERTIO ratione; nam ea quibus indigemus, superant vires creaturæ, ac proinde etiam Sanctorum: Ergo nihil debemus à Sanctis petere, nisi vt à Deo impetrent, quæ nobis vtilia sunt.

QVARTO ex Augustino lib. 8. ciuit. Dei, cap. vlt. & lib. 22. cap. 10. & ex Theodoreto lib. 8. ad Græcos, qui disertè docent Sanctos nō esse inuocandos vt Deos, sed vt qui à Deo impetrare possunt, quod volunt.

Est tamen notandum, cùm dicimus, non debere peti à Sanctis, nisi vt orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum; nam quantum ad verba, licet dicere; S. Petre miserere mei, salua me, aperi mihi aditum cœli: item da mihi sanitatem corporis, da patientiā, da mihi fortitudinē, &c. dūmodo intelligamus, salua me, & miserere mei orando pro me, da mihi hoc, & illud tuis precibus, & meritis. sic enim loquitur Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianū & in Basilium, & alij multi veterū: necnō Ecclesia vniuersa, cùm in hymno ad Virginem dicit:

MARIA mater gratiæ.
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe,

Et in hymno Apostolorum:

Quorum præcepto subditur
Salus, & languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes uirtutibus.

Et sicut Apostolus de se dicit, Rom. 11. *Vt saltem facerem aliquos ex illis.* Et 1. Cor. 9. *Vt omnes facerem salvos*, non vt Deus, sed iuuando concionibus, precibus, &c.

SECVNDA propositio. *Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud Deum, sed quidquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrant.* Nota, tres personas posse considerari, quando nos Deum oramus; vnam ipsius Dei, à quo petimus beneficia; alteri Christi, per cuius meritum ea cupimus nobis dari; tertiam eius, qui petit beneficia per Christum. ex his tribus personis non potest prima Sanctis tribui, vt iam probauimus; nec secunda, vt nunc ostendemus; sed solùm tertia.

Itaq; Sanctos inuocamus ad hoc solum, vt faciant id, quod nos facimus, quia melius & efficacius ipsi facere possūt quā nos, meli⁹ illi & nos simul, quàm nos soli. Probatur iam conclusio; Solus Christus est, qui mundum reconciliauit Deo, & qui meruit nobis gloriam & gratiam, & omnia necessaria ad salutem, vt patet Coloss. 1. *Quia in ipso cōplacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eū reconciliare omnia, pacificans*

per sanguinem crucis eius, quæ in terris, & quę in cœlis sunt. Et 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mũdi.*

Atque hinc Christus dicitur *ostium* Ioan. 10. & *via* Ioan. 14. quia, vt ipse ait, *nemo venit ad Patrem*, nisi per ipsum. Hinc etiã dicit Ioan. 16. Petite in nomine meo, Hinc dicitur mediator Dei, & hominũ 1. Tim. 2. & 1. Ioan. 2. dicitur aduocatus apud Patrem: ergo nihil à Sanctis petere possumus, nisi vt intercedant apud Deum quò nobis Christi meritum applicetur, & per Christum gratiam & gloriam consequamur.

SECVNDO probatur ex verbis Sanctorũ. AMBROSIVS libro de Isaac, cap. 8. *Ipse Christus*, inquit, *est os nostrum, per quod Patri loquimur; oculus noster, per quẽ Patrem videmus; dextera nostra, per quam nos Patri offerimus.* AVGVSTINVS Psal 108. exponens illud: oratio eius fiat in peccatum: *Oratio*, inquit, *quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiã ipsa fit peccatum.* BERNARDVS sermone de B. Virgine, qui incipit, Signum magnum: *Opus est*, inquit, *mediatore ad mediatorem istum, nec aliter nobis vtilior, quã Maria.* Quibus verbis docet Christum esse intercessorem immediatum, qui per se impetrat, Sanctos esse mediatos, qui nõ nisi per mediatorem Christum impetrant.

TERTIO probatur ex orationibus Ecclesiæ. Omnes enim, quæ de Sanctis sunt, illam formam habẽt: *Concede nobis Deus intercessione huius Sancti tale beneficium, per Christum Dominum nostrum.*

CAPVT XVIII.

Sanctos pro nobis orare.

HABEMVS igitur, quomodo Sancti inuocandi nõ sint. nunc, vt intelligamus quomodo inuocandi sint, accedat TERTIA propositio: *Sancti orant pro nobis saltem in genere, secundum Scripturas.* Probatur ex ijs Scripturis, quæ agunt solùm de sanctis hominibus. Primus est Hier. 15. *Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ergo Moses, & Samuel iam mortui poterant, & solebant orare pro populo Iudæorũ; ergo falsum est in Scripturis non haberi, quòd Sancti mortui orent pro viuis.

RESPONDET Caluinus duobus modis. PRIMO, ex hoc loco colligi potius cõtrarium; cùm enim dicitur, *si steterint*, nimirum ad orandum, significatur eos nec steriſſe, nec orasse. & si isti præcipui Prophetæ nõ orabant, quantò minus alij?

AT contrà quia etsi fortè significetur, eos tunc nõ orasse, quia intelligebãt rem esse iam desperatam, tamen significatur eos aliàs orare consueuisse, quando se impetrare posse putabant, alioqui inepta esset hæc Dei loquutio; nam si quis diceret, si iumentum meum orauerit pro te, nihil impetrabit: ineptè loqueretur. Quare? Quia iumenta non possunt orare. & similiter si quis dicere, si venerit huc Cicero, vel Demosthenes, non persuadebunt mihi, ineptè loqueretur, quia mortui huc venire nõ solent. Ita ergo & Deus (quod absit) ineptè loqueretur, cùm dicit: *Si steterint coram me Moses & Samuel.* Si illi non possent, vel non solerent Deum interpellare. Aliud esset, si Scriptura diceret, si starent, id est, si per impossibile nunc viuerent, & orarent. at nunc ait. *Si steterint*, & Græcè ἐὰν στῶσι nõ ἐὰν ἱστῶσι. & Hebraicè עמד si stabit Moses.

SECVNDO respondet, sensum huius loci hunc esse, si nunc steterint coram me duo aliqui insignes viri, quales olim erant Moses, & Samuel, tamẽ nihil obtinebunt. At contrà opponimus grauissimos auctores, Chrysostomum homil. 1. in epist. 1. ad Thessal. & Hieronymum in hunc locum, & Gregorium lib. 9. Moral. cap. 12. qui docent Deum loqui de ipso vero Mose, & Samuele.

SECVNDVS locus est 2. Machab. vlt. vbi Iudas in visione quadam vidit Oniam Pontificem, & Hieremiã Prophetam, qui iam obierant, orantes pro populo Iudęorũ. ad quem locum nihil habet, quod respondeat Caluinus, nisi hunc librum non esse Canonicum. at nos probamus esse Canonicũ argumento quod Caluinus non potest reijcere, si vult sibi constare; ipse enim contra inuocationẽ Sanctorum affert tanquam argumentum potissimum testimonium Concilij III. Carthaginensis, vt videbimus in solutione argumentorũ: in illo autem eodem Concilio c. 47. sic dicitur: *Item placuit, vt præter Scripturas canonicas nihil legatur in Ecclesia sub nomine diuinarum Scripturarum, sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, &c.* Et infrà: *Esdæ libri duo, Machabæorum libri duo, &c.* Vel igitur Caluinus recipiat libros Machabæorũ, vt canonicos, & diuinos, vel non deterreat nos huius Concilij auctoritate à Sanctorum inuocatione. nec enim dicendũ est, eos Patres in vno sapere, & in altero delirare.

TERTIVS locus est Apoc. 5. vbi describũtur XXIV. seniores in cœlo procidisse coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. quem locum exponentes Primasius, Richardus, Scholia Græca apud Oecumeniũ, & Gagneus dicunt orationes illas esse intercessiones pro infirmorum stabilitate.

QVARTVS locus est 2. Petri 1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos*, nimirum cõmendatos, siue in animo, *post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Vt enim exponũt Scholia Græca apud Oecumenium, aliqui veteres non ineptè hinc colligebant, Sanctos post obitum gerere curam viuentium. Et quamuis hoc non sit euidens argumentum, tamen est probabile.

QVINTVS locus est Luc. 16. vbi diues Epulo orat pro fratribus suis, ergo multò magis orant iusti pro tota Ecclesia.

SEXTVS est Apocalyp. 6. animæ sanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus suis, ergo multò magis misericordiam petũt fratribus suis. RESPONDET Brentius istas orationes intelligi figuratè; dicũtur enim Sancti mortui clamare ad Dominum, quia preces, quas viuentes effuderunt, adhuc resonant in auribus Dei. AT CONTRA; nam diues Epulo dum viueret, non orauit pro fratribus suis. Sancti etiam Martyres dum hic viuerent, non petebant à Deo vindictam de persequutoribus, sed potius vt eis ignosceretur; ergo oratio, qua petunt vindictã, noua est; nam dum viuerent, quia peccare poterant, & periculum erat ne si vltionem peterent, id facerent ex cupiditate, non petebant: nunc autem eam petunt intuitu, & amore iustitiæ, vt rectè exponit Beda.

Accedat VLTIMO, quòd Scripturæ apertè docent communionem Ecclesiæ triumphantis cũ militante; nam Hebr. 12. Apostolus dicit, nos accessisse ad Ecclesiam primitiuorum, qui sunt in cœlis, id est, ciues illorum esse, Ephes. 2 & Galat. 4. dicit, matrem nostram esse Hierusalem, quæ est in cœlis. & Col. 1. & Ephes. 4. dicit, Christum esse caput super omnem Ecclesiã, & certè non excluditur Ecclesia cœlestis: at communio ista exigit necessariò, vt membra pro inuicem solicita sint, & inuicem se iuuent; hæc enim est natura membrorum sub vno capite viuentium, vt Apostolus docet Rom. 12. & 1. Cor. 12. hinc apparet quàm falsum sit, quod Caluinus dicit lib. 3. instit. cap. 20. §. 24. Deum voluisse, vt nullum nobis esset commerciũ cũ Sanctis mortuis, sed nec illis nobiscum. At quomodo hæc vera esse possunt, si sumus vna Respublica, vnus populus, vnum corpus? Vide Augustinum lib. 20. ciuit. Dei, cap. 9. vbi hoc ipsum probat.

QVAR-

QVARTA propositio *Sancti, qui regnant cum Christo, pro nobis orant, nõ solum in genere, sed etiam in particulari.* Probatur PRIMO, Angeli orant pro nobis, & curam nostri gerunt, etiam in speciali, vt patet Tobi 12. Zachar 1. Apoc. 8. Daniel. 10. Psal. 90. & Matt. 18. ergo multò magis id spiritus hominum beatorum faciunt; nam in primis nihil eis deest eorum, quę Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cùm sint præditi intelligentia, & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum sint æquales Angelis, vt dicitur Lucæ 20. deinde aliquid habent præ Angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiæ nobis magis coniuncta, quàm sint Angeli, & experti sunt miserias, & pericula nostra, quæ Angeli non sunt experti.

RESPONDET Caluinus, hoc argumentum concludere, si possimus ostendere, sicut Angeli præsunt hominibus eosque custodiunt, atque eorum rebus interfunt, ita etiam sanctos hominum spiritus facere. Existimat enim ipse (vt olim Vigilantius) Sanctos omnes in atrio quodam quasi in libera custodia inclusos esse, nec inde vnquam egredi, aut vllam de nobis solicitudinem gerere.

Nos autem facilè ostendemus non solùm ab Angelis, sed etiam à spiritibus beatorum hominum regi & gubernari fideles viuentes: Et sit hoc argumentum SECVNDVM, id enim promisit Christus Apoc. 2. *Qui vicerit*, inquit, *& custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Et capite 30. *Qui vicerit, faciã illũ columnam in templo Dei mei.* Et infrà: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Hic loquitur Ioãnes de spiritibus mortuorum, vt patet ex illis verbis (*& custodierit vsque in finem opera mea*) & loquitur de tẽpore ante resurrectionem, vt patet ex eo quod dicit: *Reget eas in virga ferrea*. nam regere in virga ferrea, non significat, punire, quod etiam post resurrectionẽ fiet, sed significat regere virga pastorali, quod solũ fit ante resurrectionem; dicitur autem virga ferrea, quia inflexibilis est ad iniustitiam, vt Psal. 44. *Virga directionis*, id est, virga rectissima, *virga regni tui*, & etiam sempiterna; nam regni eius non erit finis. quod autem sequitur: *Et tanquam vas figuli confringet eos*, non, significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente, & delẽte: vt exponit Augustinus in Psalmum 2. iuxta illud Actorum 10 *Occide & manduca*. Vel reguntur, siue pascuntur electi in virga ferrea, reprobi autem tanquam vas figuli confringũtur.

Quòd verò hoc significet, regere in virga ferrea, patet PRIMO ex verbo Hebræo, quo vtitur Dauid Psal. 2. תִּרְעֵם Et ex Græco Ioannis Apocalypsis 2. 12. & 19. quod est ποιμανεῖς, id est, pasces, siue pastoraliter reges.

SECVNDO ex eo, quod dicitur Apoc. 12. *Peperit filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea*; Christus autem non punit omnes gentes, sed regit pastoraliter.

TERTIO, quia Psal. 2. vnde Ioannes verba sua desumpsit, dicitur Christus totam suam hæreditatẽ regere in virga ferrea: *Postula à me, &c.* nec tamen suspicari possumus totam Ecclesiam à Christo esse destruendam.

QVARTO, quia sic exponũt, regere in virga ferrea, Hilarius, Augustinus, & Theodoret⁹ in Psal. 2. & Primasius, ac Beda, & Rupertus in c. 2. Apocalypsis. Habemus igitur, spiritus hominũ beatorum post mortẽ ante diẽ resurrectionis accipere potestatem in gẽtes, & regere, & pascere eas; necnon esse columnas in tẽplo Dei, id est, sustentare Ecclesiam, quod propriè sanctis Martyribus conuenire docet Chrysostomus in fine sermonis de Iuuentio, & Maximo, ac demum sedere in throno Christi, id est, cum illo præsidere toti mundo, & Ecclesiam regere, & gubernare.

Idem colligitur ex illo Matth. 24. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit sic facientẽ, amẽ dico vobis, super omnia bona sua constituet eum*. Bona enim Domini Ecclesia est, vt Hilarius docet, quod etiam apertè legimus in præfatione de Apostolis, quã vnam esse ex nouem antiquissimis testatur Pelagius Papa II. qui S. Gregorium præcessit, in epist. 4. decretali. In ea præfatione dicitur: *Gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos, continua protectione custodias, vt iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores*. Id quod & Patres disertè docent.

BASILIVS oratione in quadraginta Martyres, dicit: *O cuneum inexpugnabile: ò communes generis humani custodes, optimi curarum socij, &c.* Et GREGORIVS Nazianzenus oratione in Cyprianum: *Tu*, inquit, *ab alto nos respice, nostrumq́, sermonem, ac vitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce, aut simul vna rege, &c.*

HILARIVS in Psal. 124. *Neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiæ, neque Angelorum munitiones.*

AMBROSIVS lib. 8. in Lucam, in fine: *Sicut Angeli præsunt*, inquit, *ita & hi, qui vitã meruerint Angelorũ.*

Item LEO ser. 2. de anniuersario suæ assumptionis: *Petrus*, inquit, *nunc plenius, & potentius ea, quæ sibi cõmissa sunt, peragit, & omnes partes officiorum, atq; curarum, in ipso, per quem est glorificatus, exequitur.* Et simili a habet serm. 1. & 3. eiusdem argumenti. Item MAXIMVS in sermone de Martyribus Tauricis: *Cum his*, inquit, *nobis familiaritas est, semper enim nobiscũ sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.*

Denique THEODORETVS lib 8. ad Græcos, circa finem: *Qui peregrè*, inquit, *aliquo proficiscuntur, petunt Martyres sibi comites esse in via, aut potius itineris duces, qui verò iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes*. Habemus igitur ex Scripturis secundum Patrũ explicationem, Sanctos orare pro nobis.

Idem probatur SECVNDO testimonis Patrum. CYPRIANVS lib. 1. epist. 1. *Si quis hinc nostrum*, inquit, *prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus, & sororibus nostris, apud misericordiam patris non cesset oratio.*

GREGORIVS Nazianzenus oratione 14. quæ est de obitu Gregorij patris sui. *Nunc magis*, inquit, *proficit nobis precibus, quàm antea doctrina, quanto etiam Deo propinquior est, postquam vincula deposuit corporalia.*

Ioannes CHRYSOSTOMVS in sermone de Iuuẽtio, & Maximo, tomo 3. *Etenim sicut milites*, inquit, *vulnera in prœlijs sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi abscisa capita gestantes, & in mediũ afferentes, quecunque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt.*

HIERONYMVS hanc ipsam conclusionem expresse tuto probat libro contra Vigilantium, in epistola ad Paulam de obitu Blęsillę, *Pro te*, inquit, *Dominum rogat, mihiq́, veniam impetrat peccatorum.*

AVGVSTINVS lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. *Adiuuet*, inquit, *nos Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino quãtum possumus, bona eius imitemur.*

LEO serm. 3. de anniuersario suę assũptionis *Nũc*, inquit, *mandatum Domini pius pastor* (Petrus) *exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur*. Et in ser. 1. de SS. Petro & Paulo: *Sicut*, inquit, *nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; cõfidimus iter oẽs labores istius vitæ ad obtinẽdũ misericordiã*

Dei, semper nos specialium patronorũ orationibus adiuuandos. His accedant omnia testimonia, quæ afferemus pro sequenti conclusione; nã qui dicunt Sanctos invocandos, sine dubio fatentur eos orare pro nobis.

Probatur VLTIMO ex apparitionibus Sanctorum, qui apertè testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari. Scribit EVSEBIVS lib. 6. hist. c. 5. S. Potamiænam carnifici promisisse, se cùm ad Dominum peruenisset, aliquid ei boni impetraturam: deinde post tres dies à consummato martyrio, carnifici per quietẽ apparuisse, atque eius capiti coronam imposuisse, paulòque post iuxta Martyris prædictionẽ, & ipsum ex impio carnifice, pium Christi Martyrem effectum.

AVGVSTINVS libro de cura pro mortuis, c. 16. *Non solùm*, inquit, *beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem, cũ à barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus nos incertis rumoribus, sed testibus certis.* Alia id genus plurima vide apud Basilium in oratione de S. Mamante; Gregorium Nazianzenum oratione prima in Iulianum, & oratione de S. Cæsario; Gregorium Nyssenum in vita Gregorij Neocæsariensis; Theodoretum lib. 5. hist. cap. 24. Euodium, & Lucianum de inuentione, & miraculis S. Stephani, Ambrosium in sermone de SS. Geruasio, & Protasio, & serm. 90. de S. Agnete, Prudentium hymno de S. Fructuoso; Paulinum natali octauo S. Felicis; Sulpitium in vita S. Martini; qui omnes auctores ante mille annos floruerunt.

CAPVT XIX.

Sanctos esse inuocandos.

SEQVITVR QVINTA, ac postrema propositio: *Sancti, siue Angeli, siue homines piè, atque utiliter à viuentibus inuocantur.* Probatur PRIMO Scriptura, Genes. 48. Iacob sicait benedicens filijs Ioseph: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic apertè S. Iacob Angelũ inuocauit. Itẽ Iob. 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquẽ Sanctorum conuertere.* Vbi nomine Sanctorũ intelligit Angelos, vt D. Augustinus exponit in annotationibus in Iob. qui etiam illud, c. 19. *Miseremini mei amici mei*, ad Angelos dici existimat, iuxta quod dicitur, capite 33. *Si fuerit Angelus loquens pro eo vnus de millibus, miserebitur eius, & dicet, libera eum.* Sicut etiam cap. 15. cùm dicit: *Ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis.* Nomine Sanctorũ intelliguntur Angeli; nam idẽ habetur cap. 4. his verbis: *Ecce, qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quãuis autem hæc verba non videantur conuincere, quia nõ sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Iob, tamẽ ideo conuincunt, quia indicant tunc fuisse cõsuetudinem inuocandi patrocinium sanctorum Angelorum.

Item Exod. 32. Moses ita orat: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* In quem locum scribens Theodoretus quæst. 67. in Exod. dicit sanctum Mosem, cùm se non existimaret sufficiẽtem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum. Vbi notandum est, quia ante Christi aduentum, Sancti, qui moriebantur, nõ intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterãt ordinariè preces supplicantium; ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, vt diceretur; Sancte Abrahã ora pro me, &c. sed solùm orabant homines eius temporis Deũ, & allegabant merita Sanctorum, qui iã obierant, vt illis ipsorum orationes iuuarentur.

Respondet Caluinus, non peti eiusmodi verbis auxilium à meritis Sanctorum, sed solùm commemorari pactum, quod Deus cũ Patriarchis fecerat de protegendis, & adiuuandis eorum posteris.

AT solutio non satisfacit, nam & pactum Dei, & iustitia Sanctorum simul cõmemorabantur, vt patet ex Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius.* Et infrà: *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Quæ verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Dauidis iã defuncti, vt constat ex lib. 2 Paralip. cap. 6. Vnde etiam lib. 3. Reg. cap. 15. dicitur: *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filiũ eius post eũ, eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* Et Daniel. 3. *Ne auferas misericordiã tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctũ tuum* Et Moses Exod. 34. Hierem. cap. 32. & alij, cùm orabant Deum, initio dicere solebant: *Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te*, id est, qui propter iustitiam Patrũ misereris sæpè filiorum, quod erat implorare merita veterum iustorum. vnde etiam B. AVGVSTINVS q. 149. in Exodum, sicait: *Admonẽmur*, inquit, *cùm merita nostranos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eũ illorũ meritis posse, quos Deus diligit.* Idẽ docet Chrysostomus homil. 42. in Genes. & 27. in Matth.

Præterea, in vtroque Testamẽto sæpè legimus, viuentes à viuentibus inuocatos; nam lib. 1. Reg. cap. 7. dicunt filij Israel ad Samuelem: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum.* Item Iob vltimo: *Ite ad seruum meũ Iob, ille orabit pro vobis.* Roman. 15. Paulus ait. *Obsecro vos, fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Idem repetit Ephes. 6. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. Coloss. 4. & Hebr. 13. ergo licebit etiam nunc inuocare C eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Nam si nũc non licet, vel quia nolunt; & hoc non, cùm sint maiori caritate prædi ti, quam antea, & (vt loquitur Cyprianus sermone de mortalitate) de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti: vel quia non possunt; & hoc non, quia si poterant cùm hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? vel quòd non sciant quid oremus; & hoc non, quia vnde sciunt Angeli conuersionem peccatorum, pro qua tãtopere gaudent in cælis, vt dicitur Luc. 15. inde sciunt Sancti nostras preces: vel demũ quia fit iniuria Deo, aut Christo, si alius, quàm ipse, inuocetur; & hoc nõ, quia tunc non liceret viuentes inuocare.

Atque hoc argumentum aduersarij nunquã soluere potuerunt. Caluinus enim solùm respondet, aliam esse rationem inuocationis viuorum & mortuorum, D quia viui omnes subnixi vna Christi intercessione tã pro se, quàm pro alijs Deum rogant, quia sunt inuicẽ membra; & quia Scriptura hortatur, vt oremus pro inuicem, Iacobi 5. at hoc idem de mortuis dici potest; nam & illi sunt membra eiusdem Ecclesiæ, & vna Christi intercessione nituntur; quidquid enim nobis petunt, à Deo per Christum petunt.

Probatur TERTIO ex Cõcilijs, ac primùm in epist. Episcoporum Europæ scripta ad Leonem Imperatorem, quæ habetur post Concilium Chalcedonense, sic dicitur: *Sanctissimũ uerò Proterium in Choro, & ordine sanctorum Martyrum ponimus, & eius intercessione misericordem, ac propitium Deũ habere postulamus.* Et E actione 11. Concilij Chalcedonensis, dicunt Patres: *Flauianus post mortẽ uiuit, Martyr pro nobis oret.* Deinde in VI. Synodo generali, cap. 7. ex canonibus recẽs editis, sic dicit: *Solo Deo creatore adorato, inuocet Christianus Sãctos, vt pro se intercedere apud maiestatẽ diuinam dignentur.* Item VII. Synodus generalis actio. 6. in fine: *Cum timore*, inquit Synodus, *omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item sanctorum Angelorum, omniumq; Sanctorum.* Item in Concil. Gerundensi, cap. 3. Aurelianẽsi I. cap. 29. Moguntino sub Carolo Magno, c. 33. Toletano V. c. 1. & Toletano VI. cap. 2. & Bracarensi II. cap. 9. indicũtur litaniæ recitandæ vel triduo ante ascensionẽ, vel alijs tempo-

temporibus. sunt autem ista Concilia ferè omnia celebrata ante annos ferè mille. His accedat factũ Gregorij, qui litanias indixit tempore pestis, lib. 1. vitæ eius, c. 42. & VValfridus Strabo, c. 28. testes sunt.

SED fortè obijcient, litanias hic vocari solùm Kyrie eleyson, Christe eleyson; id enim vocant litaniam Græci; vt patet ex Basilio epist. 63. & ex liturgia ipsius Basilij, & Chrysostomi.

RESPONDEO, in Concilijs prædictis litanias vocari illas ipsas inuocationes Dei, & Sanctorum, quas nos modò vocamus litanias; nam in primis VValfridus Strabo libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 28. declarans, quid sit litania, de qua agitur in his Concilijs, & nominatim in Concilio I. Aurelianensi, dicit esse Sanctorum inuocationem. Deinde tunc dicebantur litaniæ triduo ante ascensionem, & dicebantur non stando, sed ambulando, & circumeundo aliqua loca: at nunc videmus seruari idem tempus, & eundem ritum; ergo eædem sunt litanię omnino.

Probatur QVARTO testimonijs Græcorũ, & Latinorũ Patrum. Ex Græcis primus procedat S. DIONYSIVS Areopagita, qui cap. 7. Ecclesiast. hierarch. *Nam profectò*, inquit, *idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturę ipsorum consentaneas sacras operationes abigit, &c.*

S. IRENAEVS lib. 5. contra hæreses vltra mediũ: *Et sicut illa (Eua) seducta est, vt effugeret Deũ, sic hæc (Maria) suasa est obedire Deo, vt virginis Euę, virgo Maria fieret aduocata.* Quid clarius?

EVSEBIVS lib. 13. præparationis Euangelicæ, cap. 7. *Hæc nos*, inquit, *quotidie facitamus, qui verę pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaq; ipsis facimus, tãquã viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

ATHANASIVS sermone in Euangeliũ de sanctissima Deipara, id est, de annunciatione circa finẽ: *Inclina*, inquit, *aurem tuam (Maria) in preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui.* Et infrà: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo.* Et infrà: *Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.*

BASILIVS oratione in 40. Martyres: *Qui aliqua*, inquit *premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret: ille vt a malis liberetur, hic vt duret in rebus lętis.* Idem oratione in Psal. 33. in illud; Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: *Sanctę*, inquit, *spirituales virtutes (Angeli) aliquæ, oculi dicuntur, quod curam susceperint nos interuisendi: nõnullæ aures, ut quæ nostras excipiunt preces.*

GREGORIVS Naziãzenus oratione in Cyprianũ, in ipso medio, loquẽs de quadam sancta Virgine, quã Cyprianus tunc Ethnicus, & Magus per dæmonẽ ad stuprum sollicitabat: *Virginem Mariam*, inquit, *rogauit, ut periclitanti Virgini opem ferret.* Et infrà: *Vicit Virgo, uincitur dæmon, &c.* Idem in fine Cyprianũ inuocat; sicut etiam fecit in fine orationis in Basilium, & in fine orationis in Athanasium, vbi sic ait: *Tu autem è supernis propitius nos respice, & populum hũc sanctum dirige, & nos in pace quidem foue & compasce, in certamine autẽ dirige, & suscipe, & cum te ipso statue, & ijs, qui tales sunt vt tu, etiamsi magna sit petitio.*

CHRYSOSTOMVS homil. 66. ad populũ, circa finẽ: *Nã*, inquit, *& ipse qui purpurã indutus est, accedit illa cõplexurus sepulchra, & fastu deposito stat Sãctis supplicaturus, vt pro se apud Deũ intercedãt, & scenarũ fabrũ, & piscatorẽ vt protectores orat qui diademate redimitus incedit.* Idẽ hortatur ad supplicandũ Sãctis homil. 5. & 8. in Matt. homil. 43. in Gen. hom. 1. in priorem Thessal. serm. in Iuuẽtium, & Maximũ, & alibi.

GREGORIVS Nyssenus oratione in S. Theodorum, circa finem, *Intercede*, inquit, *ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum. Timemus afflictiones, exspectamus pericula. non longè absunt scelesti Scythæ, bellum aduersum nos parturientes. ut miles propugna pro nobis, ut Martyr pro conseruis utere libertate loquendi.* Et infrà; *Quod si maiori etiam opus fuerit deprecatione & aduocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus una deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum, ac discipulum dilectum, &c.*

S. EPHRAEM in sermonib. de laudibus sanctorũ Martyrum: *Precamur*, inquit, *beatissimi Martyres, qui pro Domino saluatore, proq; illius caritate sponte & impigrè tormenta sensistis, atque ideo familiarius Domino coniuncti estis, ut pro nobis miseris & peccatoribus, & de negligentiæ squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, ut superueniat in nos gratia Christi.*

CYRILLVS Catechesi 5. mystagogica: *Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorũ, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharũ, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, suscipiat preces nostras, &c.*

THEODORETVS in historia sanctorum Patrũ, singulas vitas ita concludit: *Ego autem huic narrationi finem imponens, rogo & quæso, ut per horum intercessionem diuinum consequar auxilium.* Multa item habet de inuocatione Sanctorum lib. 8. ad Græcos, qui est de Martyribus.

DAMASCENVS lib. 4. de fide, capite 16. *Per eos (Sanctos iam defunctos) dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci uident, leprosi mundantur, tentationes & tristitiæ soluuntur. omne donum bonum à patre luminũ per eos, qui inhesitabili fide petunt, descendit*

THEOPHYLACTVS in cap. 11. ad Hebręos: *Iã nunc*, inquit, *arrabonem, & pignus honoris habent (Sancti in cœlo) unde aliàs eis potestas esset, ut succurrere queant inuocantibus seẽ Vnde ipsis, quod fiduciam habẽt intercedendi?*

Iam ex Latinis. S. CORNELIVS Papa in epistola prima, quę est de translatione corporum Apostolorum: *Orantes* inquit, *Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, ut intercedentibus sanctis suis Apostolis, maculas nestrorum purget peccatorum, &c.*

S. HILARIVS in Psal. 129. *Intercessione*, inquit, *Angelorũ non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra missi enim sunt propter eos, qui hęreditabũt salutẽ, Deo nihil ex his quæ agimus ignorãte, sed infirmitate nostra ad rogandum & promerendum, spiritualis intercessionis ministerio indigente.* Similia dicit de intercessione sanctorum Apostolorum, & Prophetarum in Psal. 124.

S. AMBROSIVS libro de viduis, vltra medium: *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidiũ dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum uidemur nobis quoddam corporis pignore patrocinium uendicare. possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauarunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores uitæ, actuumq; nostrorum. nõ erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum uincerent, cognouerunt.* Item lib. 10. in Lucam exponens cap. 21. *Mortuis regibus*, inquit, *in perpetuum Martyres regnũ cœlestis gratiæ honore succedunt, & illi fiunt supplices, hi patroni.*

S. HIERONYMVS in epitaphio Paulæ circa finem: *Vale*, inquit, *ò Paula, & cultoris tui ultimam senectutẽ orationibus iuua. fides, & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas, impetrabis.*

S. MAXIMVS in serm. de S. Agnete: *Itaque*, inquit, *ò splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, & Archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.*

RVFFINVS lib. 2. histor. cap. 33. *Circuibat* (Theodosius)

sius) *cum sacerdotibus & populo omnium orationum lo* A *ca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat.*

S. PAVLINVS in fine carminis Panegyrici de S. Celso:

Celse iuua fratrem socia pietate laborans,
Vt vestra nobis sit locus in requie.

Et in epistola 12. ad Seuerum inserens quædam carmina de S. Claro, sic ait:

Quolibet in regione poli situs aut paradisi,
Clare sub æterna pace beatus agis.
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantium,
Vt sis Paulini, Therasiæ q, memor.

PRVDENTIVS eodem tempore plurima scripsit carmina de Sanctis, in quibus eos inuocari à viuentibus B docet. Proferamus loco exempli pauca. In carmine de S. Laurentio, sic ait:

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere.
Et tristis haud vllus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuos q, alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Item in Hymno de S. Cassiano.

Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasque reddit quas vides probabiles.

Item de S. Hippolyto:

Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
Posse dedit, quod quis postulet, annuere. C

S. AVGVSTINVS tract. 84. in Ioan. *Ideo quippe ad ipsam mensam*, inquit, *non sic eos (Martyres) cõmemoramus, quemadmodũ alios qui in pace requieſcũt, vt etiã pro eis oremus, sed magis, vt ipsi pro nobis orẽt.* Itẽ serm. 17. de verbis Apostoli: *Habet*, inquit, *Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerũt cum Martyres eo loco recitãt ad altare Dei, vbi nõ pro ipsis oretur, pro ceteris autẽ defunctis oretur. Iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Item libro de cura pro mortuis, cap. 4. *Non video*, inquit, *quod sit adiumentum mortuorum prouisus sepeliẽdis corporibus apud memoriã Sanctorum locus, nisi ad hoc, vt dum recolũt vbi sint reposita eorum, quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent.* D

S. VICTOR Vticensis lib. 3. de perseq. VVandalica circa finem: *Adeſtote*, inquit, *Angeli Dei, deprecamini Patriarchæ, orate S. Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores, præcipuè tu Petre beate, quale ſiles pro ouibus, & agnis à communi Domino magna tibi cautela, & ſolicitudine commendatis? Tu S. Paule gentium magiſter, cognoſce quid VVandali faciunt Ariani, & ſilij tui gemunt lugendo captiui, vniuerſi q, ingemiſcite ſimul pro nobis Apoſtoli.*

S. FVLGENTIVS in sermone de laudibus B. Mariæ: *Ideo*, inquit, *omnes curſus naturæ virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret.*

S. LEO ser. 5. de Epiphania: *Confirmate* inquit, *amicitias cũ S. Angelis & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus q, ſociamini, horũ diuitias cõcupiſcite, et per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia.* Vide eundẽ in sermonibus de anniuersario suæ assumptionis, & de sanctis Petro & Paulo, & Laurentio.

S. GREGORIVS lib. 2. Dialogorum, cap. vlt. in fine: *Vbi*, inquit, *in ſuis corporib. SS. Martyres iacẽt, dubiũ Petre nõ eſt, quod multa valeãt ſigna demonſtrare, ſicut & faciũt, & pura mẽte quærentibus innumera miracula oſtendũt. ſed quia ab infirmis poteſt mentibus dubitari, virumne ad exaudiendũ ibi præſentes ſint, vbi conſtat, quia in ſuis corporibus non ſint, ibi neceſſe eſt eos maiora* A *ſigna oſtendere, vbi de eorum præſentia poteſt mens infirma dubitare. quorum vero mens in Deo fixa eſt, tanto maius habet fidei meritum, quanto illic eos nouit, & nõ tacere corpore, & tamen non deeſſe ab exauditione.*

S. GREGORIVS Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 94. *Cyprianus*, inquit, *beatiſſimus Carthaginenſis, & antiſtes, & Martyr, ſalutem ſæpius infirmis ſupplicantibus præſtat.*

S. BEDA lib. 4. in Cantica, circa finem: *Sed & cauernam maceriæ*, inquit, *cito volatu petamus, id eſt, Sanctorum vel Angelorum, vel hominũ crebras pro nobis interceſſiones apud miſericordiam pij cõditoris quæramus. hæc ſunt enim firmiſſima, ac tutiſſima S. Eccleſiæ præſidia.* Idem habet lib. 3. in Matth. in illud ca. 15. *Qui nõ* respondit ei verbum: *Sanctorum*, inquit, *ſunt petenda* B *ſuffragia, vt ipſi ſupplicent pro Eccleſia.*

S. ANSELMVS in lib. de excellentia B. Virginis Mariæ, cap. vlt. *Rogamus*, inquit, *te domina per ipſam gratiam, qua te pius & omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecũ poſſibilia eſſe donauit, quatenus id apud ipſum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruiſti, in nobis ſic operetur, quo participiũ beati præmij nobis miſericorditer quandoq, donetur.*

S. BERNARDVS serm. 2. super Euãgelium Missus est. *In periculis*, inquit, *in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca. non recedat ab ore, nõ recedat à corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum. ipſam ſequens nõ deuias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente non corruis, ipſa protegente nõ metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis, & ſic in temetipſo experiris, quam merito dictum ſit, & nomen Virginis Maria.*

Ex his 30. antiquis & doctissimis Patrib. soli sunt quinque Gregorio posteriores; ex quo apparet, quàm illustre fuerit mendaciũ Philippi, qui ante Gregoriũ ignotam fuisse scripsit Sanctorum inuocationem.

Probatur QVINTO ex miraculis B. Bernardi factis cõtra hanc hæresim. scribitur enim lib. 3. vitæ eius, c. 5. quòd cùm B. Bernardus apud Tholosam cõtra hãc ipsam hæresim prædicaret, populorum turbis offerentibus panes, vt eis vir sanctus benediceret & benedicere at ille signo crucis edito, his verbis: *In hoc ſcietis vera eſſe quæ à nobis, falſa quæ ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis, adepti fuerint ſoſpitatem.* Et cùm Episcopus Carnotensis, qui aderat, diceret. *Si bona fide ſumpſerint, ſanabuntur.* B. Bernardus addidit: *Non hoc ego dixi, ſed vere quicunque guſtauerint, ſanabuntur, vt veros nos & veraces Dei nuncios eſſe ſciatis.* Et subiungit auctor: *Tam ingens multitudo languentium guſtato illo pane conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur.*

NOTA, miracula ista non esse facta propriè ad probanda merita B. Bernardi; nam ipse diserte dixit, vt sanarentur ægroti, si vera erant, quæ prædicauerat: & ne fortè tribuerentur fidei, & deuotioni populorum addidit, omnes sanãdos qui inde gustassent, siue cum fide, siue sine fide, vt nimirum totum miraculum referretur tanquam ad finem, ad confirmationem veritatis: Ergo cùm sint facta innumerabilia miracula ad E hanc nostram sententiam cõfirmandam, aut ipsa vera est, aut Deus testis fuit falsitatis.

Accedãt POSTREMO infinita miracula, quibus Sancti sæpissimè demõstrarunt, se audire preces viuentiũ, & posse ac velle eos iuuare, à quibus inuocãtur. Vide de his miraculis epistolã Nili recitatã in VII. Synodo, act. 4. Theodoretum in hist. lib. 5. c. 24. & lib. 8. ad Græcos. Ambrosium serm. 90. qui est de S. Agnete. Augustinum lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Gregoriũ Turonicum in libris de gloria Martyrum & Cõfessorũ. Gregorium Romanum lib. 3. Dialogorum, ca. 22. 23. 24. 25. & 37. Bonauenturam in vita S. Francisci.

Ex

Ex his colligi potest, quã sint leues hæreticorũ respõsiones, quas adhibẽt ad loca Patrũ à nobis citata; nã Magdeburgenses Centuria 4. c. 4. incõstantissimè loquũtur, nũc enim agnoscũt esse Patrũ testimonia, sed dicũt eos errasse, nũc verò dicũt à maligno spiritu esse inserta in operib⁹ tantorũ virorũ, quod tamen nõ aliter probãt, quã quia Ambrosius lib. 3. de spiritu sancto, c. 12. & Epiphanius in hæresi Colliridianorũ, dicũt solũ Deũ esse adorãdum. Nec aduertere volunt eos Patres loqui de adoratione, quæ soli debet Deo, in quo sensu etiam nos fatemur, solum Deum adorandum, cum quo tamen bene cohæret, quod dicimus, Sanctos non vt Deos, sed vt amicos Dei inuocãdos.

Porro Brentius c. 24. Confessionis VVitembergensis, oĩa conat᷑ eludere p figurã prosopopeię. dicit enim Patres in concionibus inuocare solitos esse nomina mortuorũ ac si viuerẽt, sicut interdũ inter declamandum alloquimur cœlum, vel terrã, vel mortuos hoies, quos tñ certè scimus nõ audire. AT hoc figmentum in primis, si vllũ haberet locũ, solũ haberet in testimonijs Basilij; Naziãzeni, & quorundã aliorũ, qui inter cõcionãdum Sanctos inuocauerũt. nullũ autẽ haberet in testimonijs Dionysij, Irenæi, Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini, & aliorũ, qui vel docent Sãctos inuocãdos, vel narrãt, à quibus sint inuocati. Sed qđ nec in testimonijs Basilij, & Gregorij locũ habeat, inde patet, q⁹ isti Patres ibidẽ pollicentur sibi, & alijs auxilium ex illa inuocatione, & miracula q̃ facta sunt, satis ostendunt, non inanem prosopopeiam, sed petitionem efficacem esse inuocationem Sãctorum.

Iam Caluinus lib. 3. cap. 20. institut. respondet, Patres voluisse quidem prohibere hãc superstitionem, sed non potuisse frangere impetũ vulgi, id quod ostẽdit ex Concilio Carthaginensi III. cap. 23. vbi prohibetur, ne in precibus, quæ ad altare funduntur, oratio dirigatur ad alium, quàm ad Patrem. Ex quo vult Caluinus colligi, voluisse Patres eius Concilij saltem impedire ne mysterium cœnæ profanaretur inuocatione mortuorum. Quod etiam confirmatur ex S. Augustino lib. 22. ciuit. Dei, c. 10. vbi dicit Sanctos non inuocari à sacerdote sacrificante.

Sed nimis infirmũ est Caluini refugium; nã q⁹ Patres non cupiuerint prohibere inuocationẽ Sanctorum, patet ex verbis ipsorum iam citatis, vbi ipsi suadent, hortantur, docent, Sanctos inuocandos, & ipsi eos passim inuocauerunt, & in Concilijs à se celebratis eos inuocari præceperunt. Neque in Concilio Carthaginensi habetur vnum verbum de inuocatione Sanctorum, sed solùm præcipitur, vt oratio sacerdotis sacrificium offerentis dirigatur ad personam Patris, non Filij aut Spiritus sancti, quòd etiã modò seruamus, quamuis toti sacrificemus Trinitati.

Beatus etiã AVGVSTINVS solùm docet, ipsa prece qua sacrificiũ offert, nõ inuocari Sãctos, sed Deũ, cui soli sacrificatur; nã quod in ipso sacrificio memoria fiat Martyrũ, & inuocẽtur, vt pro nobis orẽt, idẽ Augustinus disertè docet tract. 84. in Ioan. & serm. 17. de verbis Apostoli, & Cyrill⁹ Catechesi 5. mystagogica, vt suprà citauimus, & idẽ patet ex liturgia Chrysostomi, & aliorũ veterũ; nã in oĩbus Sãcti inuocantur.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SVPEREST nunc argumenta aduersatiorũ proponere, & soluere.

Argumẽtum PRIMVM. Inuocatio Sãctorũ in iniuriam Dei cedit; nam Rom. 10. dicitur: *Quomodo inuocabunt, in quẽ non crediderunt?* Ergo ille solus inuocatur, in quẽ credimus, nõ aũt credimus nisi in Deũ, ergo vel solũ Deũ inuocamus, vel Sãctos faciem⁹ Deos.

His accedũt duo loca Patrũ. AMBROSIVS in primũ caput ad Romanos: *Solẽt*, inquit, *pudore passim neglecti Dei, misera vti excusatione dicẽtes: Per istos possumus ire ad Deũ, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age, nũquid ita demẽs est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiã Regis vẽdicet comiti, cum de hac re sẽ qui etiã tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis: & isti se non putant reos, qui honorẽ nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant. quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo; nam ideo ad Regẽ per tribunos aut comites itur, quia homo vtique est Rex, & nescit, quibus debeat Rẽpub. credere, ad Deũ autem (quẽ vtiq; nihil latet, omnia enim merita nouit) promerendũ, suffragatore non opus est, sed mente deuota.*

Itẽ THEODORETVS lib. 8. ad Græcos, in fine, *Suos*, inquit, *mortuos Dominus Deus noster in tẽpla pro Dijs vestris induxit; ac illos quidẽ cassos gloria, nanos q⁹ reddidit, suis autẽ Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandijs enim Diasijs q⁹ ac Dionysijs, hoc est, Iouis, Liberiq⁹ patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Macello, Leõtio, Antonino, Mauritio, alijs q⁹ SS. Martyribus solennitates populari epulo peragunt.* His verbis fatetur Theodoretus nos habere Sãctos pro Dijs.

RESPONDEO, quemadmodũ nõ fit iniuria, sed honor Regibus, qñ eorũ amici honorãtur, & ad eos legati mittũtur, ita Deo nõ iniuriã, sed honorẽ deferri, qñ Sancti nõ vt Dij, sed vt amici Dei honorantur, & tãquã patroni apud Deũ accipiũtur. Alioqui etiã faceret Deo iniuriã, qui à viuẽtibus oĩones postularet, vt fecit Apostolus Rom. 15. & alibi. & Centurio iniuriã Christo feciſſet, qui (vt dicitur Luc. 7.) non per se sed per seniores Iudæorum à Christo auxilium petijt.

Ad PRIMVM autẽ locum dico, ibi agi de inuocatione, qua aliquis inuocat᷑ vt Deus, & primus auctor bonorum; præcedit enim: *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Dico præterea, reuera sicut Deũ nõ potest inuocare vt Deum, qui in eũ non credit, id est, qui non credit eum esse Deum, & qui ei non credendo in eo non sperat, nec eum diligit: ita etiam nõ posse eũ Sanctos inuocare, vt Sãctos, & amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, id est, non credit esse Sãctos, nec in eis sperat, vt in patronis, nec eos vt tales diligit. Nec nomen inuocationis, vel fidei in Scripturis soli Deo tribuitur. Dicit. n. Iacob Gen. 48. *Inuocetur nomen meũ super pueros hos, & nomina Patrum meorũ.* Ex quo loco docet B. Augustinus libro loquutionũ de Genesi, nu. 200 inuocationẽ non solũ Dei, sed etiam hominum esse. Et in epist. ad Philemonem dicit Apostolus: *Gratias ago Deo meo, audiens caritatem tuam & fidem, quam habes in Domino* IESV, *& in omnes Sanctos.* In quem locũ B. Hieronymus prolixè ostendit, etiam in Sanctos haberi debere fidem.

Ad locũ Ambrosij dico, eũ agere cõtra Ethnicos, qui astrorũ cursus colebant, cõtra quos ibidẽ Apostolus agit. Vnde etiam dicit, eos colere cõseruos, id est, creaturas, non secus ac Deũ; quomodo faceret, qui comiti honores regios deferret. Quod autẽ in fine addit: *Ad Deum promerendum non esse opus suffragatore*, intelligitur ex parte Dei, quasi dicat, Deus non eget interpretibus, cum ipse per se omnia videat, & intelligat; tamen ex parte nostri opus esse suffragatoribus, vel saltem id esse vtilissimum, idem Ambrosius clarissimè docet in lib. de viduis, vt suprà ostendimus.

DICES, hoc idem poterant respondere Gentiles. RESPONDEO, negatur; nam illi putabant, summum Deum non esse immediatè accessibilẽ, nec aliter ad eum veniri, nisi per cultum inferiorum virtutum, vt clariùs docet Theodoretus in cap. 1. ad Colosſ.

Ad locum Theodoreti dico, eum significare voluisse, gloriam Deorum translatam in Martyres, quia templa & festa Deorum conuersa sunt in templa & festa Martyrum, sed tamen eorum, quos religio vera

permittit, vt Martyres non pro Dijs habeamus, sicut illi habebant Iouem & Liberū & alios, sed pro viris sanctis & amicis Dei, qui nos exēplis, precibus, & meritis suis plurimum iuuant. de qua re suprà diximus.

Argumentum SECVNDVM. Inuocatio Sanctorum iniuriam facit Christo; nā 1. Timot. 2 dr: *Vnus est mediator Dei, & hominū, homo Christus* IESVS. Si ergo solus ipse est mediator, iniuriā ei facit quicunque per aliū ad Deū accedit. Quare Augustinus lib 2 contra Parmenianum, c 8. *Si Ioannes*, inquit, *ita diceret: hæc scripsi vobis, vt non peccetis, & si quis peccauerit, mediatorem me habetis apud Patre, ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodā loco mediatorem posuit Episcopū inter populū, & Deū; quis eū ferret bonorum atq; fidelium Christianorū? quis sicut Apostolū Christi, & nō sicut Antichristū intueretur?* Et infra: *Si esset mediator Paulus, essent vtiq; & ceteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsius Pauli cōstaret rō, qua dixerat, vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum.*

Præterea Coloss. 2. dicitur: *Nemo vos seducat volēs in humilitate & religione Angelorum, quæ nō vidit ambulās, &c.* In quæ verba sic scribit Theodoretus: *Qui legem*, inquit, *defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datā, manſit autē diu hoc vitium in Phrygia, & Pisidia. Quocirca Synodus quoque quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrigiæ metropolis, lege prohibuit, ne precaretur Angelos, & in hodiernum vsque diem videre licet apud illos, & eorū finitimos oratoria S. Michaelis: illi ergo hoc cōsulebāt, vtique humilitate vtentes, dicētes, vniuersorum Deum nec cerni nec cōprehēdi, nec ad eū posse peruenire: & oportere per Angelos diuinam sibi benevolentiam cōciliare.*

RESPONDEO, nullam iniuriam Christo fieri per inuocationem Sanctorum. neque enim inuocamus Sanctos, vt fungantur vice Christi, vel Christū adiuuent, sed vt adiuuent nos, quo facilius à Deo per Christum impetremus, quæ poscimus. & si argumētum aliquid valeret; etiam concluderet, non esse petendas viuorum orationes, quod tamen esse contrarium Scripturis etiam hæretici concedunt.

Ad PRIMVM ergo locū respondeo, tribus de causis dici Christum vnum, & solum mediatorē Dei & hominum. PRIMO, quia solus ipse fuit mediator per modum redemptionis. notandū enim esse tribus modis vnum mediatorem reconciliare duos dissidentes; vno modo declarando, vter iustum petat; altero modo soluendo creditori pro debitore; tertio modo oriando creditorem, vt debitum remittat.

PRIMVS modus, qui est declarando, vter iustum petat, inter Deum, & hominem, locum non habet, quia constat Deum ab homine esse offensum.

SECVNDO modo solus Christus est mediator Dei, & hominū, & hoc modo loquitur Apostolus, vt patet tum ex eo, quod subdit: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis;* tum etiam quia scribit ad Timotheum Episcopum Ephesi in Asia, vbi tunc vigebat hæresis Simonis, q̄ Angelos loco Christi introducebat, vnde etiā in epist. ad Ephesios, & ad Colossenses, q̄ sunt populi Asiæ, passim inculcat Christū esse caput totius Ecclesiæ, & per eū solum reconciliatū esse mundū Deo.

POSTREMO modo etiā Sancti dici possunt mediatores inter Deū, & eos, pro quibus orant. neq; est, cur timeamus, nomē mediatoris transferre ad Sanctos, sicut ad eos transferimus nomē aduocati, & intercessoris, quæ Christo tribuuntur Rom. 8. & 1. Ioan. 2 nam S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad Gregorium Nyssenum, Martyres mediatores inter nos, & Deū appellat, & S. Cyrillus lib. 12. thesauri, c. 10. dicit Prophetas & Apostolos omnes fuisse mediatores. & Moses ipse Deut. 5. dicit de se: *Ego sequester & medius fui, inter Dominū & vos, in tempore illo.* Quibus verbis alludens Apostolus Gala. 3. dicit, legem veterē ordinatam fuisse p Angelos; *in manu mediatoris*, id est, Mosis. & Hebr. 9. & 12. vocat Christum mediatorem noui Testamēti, ad distinctionem Mosis qui fuit mediator Testamenti veteris.

Hinc soluitur argumētum ex testimonio Augustini; nam quia Donatistæ putabant à sacerdote pēdere gratiam Sacramenti, ita vt sacerdos bonus baptizans sanctificaret, sacerdos malus baptizans pollueret, & proinde faciebant sacerdotem mediatorem quodam modo redemptionis, ideo August. docet, plebem esse securā siue à bono, siue à malo baptizetur, quia vnus est mediator Dei & hominum Christus. Quòd autē nō neget Augustinus sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidē dicit Christianos rectè facere, cùm se inuicem orationibus commendant.

ALTERA causa, cur Christus dicatur vnus mediator, est, quia Christus nō solùm est mediator ratione officij, quia conciliat Deum homini, sed etiā ratione naturæ, quia est medius inter Deum & hominē, cùm ipse & Deus & homo sit: id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. Hanc rationem reddunt ferè oēs Patres, vt Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius; & alij in hunc locum Pauli, necnon Epiphanius in Ancorato ante medium. S. Cyrillus lib. 12. thesauri, ca. 19. & lib. 1. de Trinitate, ante medium; Hilarius li. 9. de Trinitate, non procul ab initio; Augustinus lib 9. ciuit. Dei, c. 17. & Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 2.

TERTIA causa est, quia solus Christus ita est mediator omnium hominū, vt ipse nullo mediatore indigeat. nā Sancti ceteri etsi mediatores sunt inter Deū, & nos, quia Deum suis precibus nobis propitiū reddunt: tamen & ipsi indiguerunt reconciliari Deo per mediatorē Christum, & nunc etiam quidquid nobis impetrant, à Deo per Christum impetrant: Christus autem nec pro se, nec pro nobis vllo mediatore indiguit, vel indiget, sed vt dicit Heb. 7. *Accedit per semetipsum ad Deum semper viuēs ad interpellādū pro nobis.*

Hanc rationem sequutus est B. AVGVSTINVS li. 2. contra Parmenianū, c 8. *Homines*, inquit, *omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. pro quo autē nullus interpellat, sed pro omnib⁹, hic vnus, verusq; mediator est.* Et hinc patet alia solutio ad argumentū ex verbis B. Augustini, nō enim negat, quin sacerdos possit esse mediator orando pro populo; nisi in eo sensu, quo mediator Dei & hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet.

VRGET Caluinus hunc locum Augustini, qui ait: *Pro quo nullus interpellat, & ipse pro omnibus, hic vnus, verusq; mediator est.* Sed Sancti, per nos orant pro nobis, & nemo pro illis. RESPONDEO, B. Augustinū, cū ait, Christum pro nobis interpellat, velle dicere, Christū esse quē omnes interpellāt, vt omniū mediatorē, siue illi pro se, siue pro alijs orēt hoc modo Christus interpellat nunc pro beato Petro, nō q̄ oret pro eius salute, sed quia interpellat pro salute mea quam etiā B Petrus postulat. Alioqui etiā Angeli essent mediatores eo modo, quo Christus, nam Angeli orant pro omnibus, & nemo pro illis. Sed ideo non sunt mediatores eo modo, quo Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrent nobis à Deo beneficia.

Ad TERTIVM locum, qui est ex epistola Coloss. dico, ibi Apostolum damnare hæresim Simonis Magi, qui Platonicos sequutus, docuit quosdā Angelos adorandos quasi minores Deos, qui & mundum fabricarunt, & per Prophetas loquuti sunt, nec posse vllum placare summū Deum qui inuisibilis est, nisi per hos Angelos. Vide de hac hæresi Irenæum libro 1. cap. 20. Tertullianū in libro de præscriptione, & Epiphanium in hæresi Simonis. De hac idololatria, siue magia, qua aderant Angeli loco Dei, vel Chri, exponūt

hunc

hunc locum omnes interpretes. Ioannes CHRYSOSTOMVS homil. 7. in epistolam ad Coloss. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, & ad Patrem accedere, sed per Angelos. Propterea* (Paulus) *sursum, ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat.* Ita etiam exponit Oecumenius & Theophylactus; Ambrosius in hunc locum putat eos notari, qui adorant stellas.

Hieronymus quæst. 10 ad Algasiam, & Haymo in hunc locum docent reprehendi eos, qui sacrificabāt Angelis, nec ab his dissentit Theodoretus, imò ipse clarissimè omnium docet notari hic Simonianos, qui dicebant Deum apprehendi non posse, sed p Angelos esse placandum: & ex illo ipso Cōcilio, quod ipse citat, apparet, idololatriam esse, quam Paulus reprehendit. Sic enim ait Concilium Laodicenum, ca. 35. *Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominādæ congregationes facere, quæ via interdicta sunt. Quicunq. autē inuentus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum accessit ad idola.* Vbi, vt vides, Concilium non damnat quamlibet venerationem Angelorum, sed eam, quæ Deo propria est.

Quòd verò Theodoretus dicit de oratorijs S. Michaelis, duobus modis pōt intelligi. VNO modo, q̄ velit dicere, hæreticos ædificasse oratoria S. Michaelis, vt eum ibi colerent secundum hæresim Simonis, ei sacrificando, &c. ALTERO modo, q̄ significare voluerit, templa ab hæreticis exstructa ad sacrificādum malis Angelis, esse conuersa a Catholicis in oratoria S. Michaelis, & ex multitudine talium locorū colligi, quā multū hæresis Simonis ibi olim grassata fuerit.

Quòd. n. tēpla idolorū olim cōuersa sint in Basilicas Martyrum, & aliorum Sanctorū, certū est ex ipso Theodoreto lib. 8. de Martyribus, & adhuc Romę videtur templum omnium Deorum conuersum in templum omnium Sāctorum, & templum Castoris & Pollucis, in templum Sanctorum Cosmę & Damiani. & Greg. lib. 2. Dialogorum, cap. 8. scribit à S. Benedicto conuersum fuisse fanum Apollinis in oratorium sancti Martini, & ipse B. Gregorius libro 19. epist. 71. ad Mellitum, præcipit Augustin. Episcopo Anglorum, vt fana idolorum non destruat, sed aqua benedicta aspergat, & reliquijs Sāctorum ornet, ac demum in templa Dei veri conuertat.

Argumētū TERTIVM. Sancti iam defuncti nō cognoscunt viuentium preces, igitur frustrà inuocātur. Quòd autē Sācti nō conoscant preces viuētium, his argumētis probatur. PRIMO, Scriptura soli Deo tribuit scrutari renes, & corda, & scire cogitationes hominum. 3. Reg. 8. *Tu nosti solus cor oium filiorū hominū.* SECVNDO, Iob 14. dr: *Sive nobiles fuerint filij eius, sive ignobiles, non intelliget.* TERTIO, Eccles. 9. dr: *Viuentes sciunt se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius.* QVARTO, Isaię 63. dr: *Tu es enim pater noster & Abrahā nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* QVINTO, lib. 4. Reg. c. 22. dr Iosiæ regi a Deo: *Colligāte ad Patres tuos, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum ī locū istū.* SEXTO, B. AVGVSTINVS lib. de cura pro mortuis, c. 13. *Si parentes*, inquit, *non interfunt, qui sunt alij mortuorū, qui nouerunt quid agamus, quid ue patiamur? Isaias Propheta dicit. Abrahā nos nesciuit, & Israel non cognouit nos.* Si tanti Patriarchæ quid erga populum ex ipsis procreatum ageret, ignorauerunt, quō mortui viuorum rebus, atque actibus cognoscendis, adiuuandisq. miscentur?

Item GREGORIVS NAZIANZENVS in fine oronis in Gorgoniam sororem suam: *Si tibi*, inquit, *aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis à Deo munus, vt talia resciscant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorum loco.* Vides certè Gregorium dubitasse, an Sancti cognoscant, nostras preces. Qualem etiam dubitationem legimus in Augustino lib. de vera religione, c. 55. *Quisquis*, inquit, *Angelorum vel hominum diligit hunc Deum, certus sum quòd etiam me diligit: quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.* Vbi videtur dubitare, vtrū oēs Sancti possint humanas preces sentire.

Similem etiam dubitationem legimus in ORIGENE lib. 2. in epistolam ad Romanos, nō procul à principio: *Si extra corpus*, inquit, *positi vel sancti qui cum Christo sunt, agunt aliquid & laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant, vel rursum peccatores etiā ipsi extra corpus positi, agunt aliquid secundum propositum mentis suę Angelorum nihilominus ad similitudinem siniſtrorū; habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulę committenda mysteria.*

RESPONDEO, huius argumentinec bonā esse consequutionem, nec verum id, quod assumitur. Itaque primùm cōsequutio negari potest: nam cùm certum sit ex tot Patrum testimonijs, & tot miraculis à Deo ostensis, eos qui inuocant Sanctos, exaudiri & impetrare quod petunt. Certè non frustrà inuocantur Sācti, etiamsi demus eos non audire, neque cognoscere nostras preces, nam aliquis alius eorum vice fungitur; sicut nō frustrà supplicat Regi, qui certè scit Regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula eius, & nihilominus ita se impetraturū quod petit, ac si Rex legisset supplicationem.

DEINDE, non est verum quod assumitur, Sanctos ignorare quid ab illis petamus. nā etsi dubitatio esse possit, quemadmodum cognoscant absentia, & q̄ solo cordis affectu interdum proferuntur; tñ certum est eos cognoscere. cùm, vt ostendimus, præsint nobis, & rerum nostrarum curam gerant. Et certè melior est hæc consequentia: Sancti rectè inuocantur, ergo sciunt quid petamus; quàm illa: non sciunt quid petamus, ergo non rectè inuocantur. nam antecedēs primi argumēti hētur ex cōsensu totius Ecclesiæ: antecedēs secundi, nō probatur vllo solido fundamēto.

De modo autē, quo cognoscunt, quattuor sunt Doctorum sententiæ: quidam dicunt eos cognoscere ex relatione Angelorum, qui nunc ad cœlos ascendūt, nunc inde ad nos descendunt. Quam rationem innuit B. Augustin. lib. de cura pro mortuis, cap. 15.

ALII dicunt, Sanctorum animas, sicut etiam Angelos, mira quadam celeritate naturæ quodammodo esse vbique, & per se audire preces supplicantium, quam rationē videtur habere B. Hieronymus *in lib.* contra Vigilantium. Sed neutra est sufficiens, nā neque Angeli, neque animæ beatæ, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus. Et præterea, ad cognoscendas preces quæ eodem tempore fiunt in diuersissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera vbiquitas, quam nec Angelorum, nec hominū spiritibus conuenire credimus.

ALII dicunt, Sāctos videre in Deo omnia à principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, & proinde etiam orationes nostras ad se directas. Ita docent B. Gregorius lib. 12. moral. c. 13. & B. Thom. 3. part. q. 10. art. 2. & 2. 2. q. 83. art. 4. & Caietanus ibidem. est q. probabilis hæc sententia.

ALII postremò dicunt, Sanctos non videre in Verbo orationes nostras à principio suę beatitudinis, sed solùm tunc reuelari eis à Deo orationes nostras, quā do eas fundimus. Sic enim Prophetæ; Deo reuelāte, cognouerunt futura, & multi Sanctorum hic in terris donum a Deo habuerunt, quo cognoscerent cogitationes hominum, & facta etiam occultissima, vt de Samuele, 1. Reg. 9. Item de Elisæo narratur lib. 4. Reg. c. 5. & de Petro Actor. 5. & idem de S. Benedicto

cto scribit B. Gregorius lib.2. Dialog.ca.29. Et idem A legimus de S.Bernardo, Francisco, alijsque permultis: Quantò magis credendum est, Sanctos in cœlo hoc dono pollere? hæc est aperta sententia B. Augustini libro de cura pro mortuis,cap.15.

Atque ex his duabus prior vī simpliciter probabilior,quia si indigerent Sancti noua reuelatione, Ecclesia non diceret ita audacter oībus Sanctis: *Orate pro nobis*, sed peteret aliquādo a Deo, vt eis reuelaret preces nostras. Deinde non posset reddi ratio tam facilè,cur Sancti nunc inuocentur; & ante aduentum Christi non inuocarētur. Tī posterior sīa est magis idonea ad cōuincēdos hęreticos,rōnē.n. superiorem Caluinistę non recipiūt,quippe q putāt Sanctos non videre Deū ante diē iudicij,hāc autē reijcere nō possunt; nā ētsi Sācti nō viderēt Deū,adhuc possent eis B reuelari preces nostrę sicut hic in terris reuelabātur.

Sed dices; Quid respondebimus hęreticis secundum hanc ultimā sīam,si petāt,cur Patribus in limbo non reuelarētur preces viuētium, si nunc reuelātur in cęlo? Respondeo, Patribus in limbo nō fuisse ordinarię reuelatum quid hic agebatur,quia nō erāt beati; nā ad pfectā beatitudinē pertinet scire ea, quæ ad se ptinēt,& pcipuè q faciunt ad honorē & gloriā. Præterea,qa Sācti in limbo nō ita gerebāt curam rerum nostrarū,nec erāt ppositi Ecclesię,vt Sācti in cęlo sunt,vt sup.ostēdimus, & ex diuinis literis manifestè deduximus.

Ex his ad Primvm dico,solum Deum cognoscere cogitationes omnes omnium cordium, idq. naturaliter & propria virtute: Sanctos autem solùm C cognoscere eas,quæ a Deo ipsis manifestantur,siue beatifica visione, siue etiam noua reuelatione.

Ad Secvndvm respondet Gregorius lib.12.moralium,cap. 13. eum locum exponens, sanctum Iob voluisse dicere, naturaliter non cognoscere defunctos,quid agant viui.sicut nec viui cognoscunt, quid agant mortui; tī Sāctos, qui Dei claritate fruuntur, omnia in Deo videre; quæ nimirum ad eos ptinent.

Ad Tertivm,eadem solutio est.

Ad Qvartvm, Hieron. in eum locum exponit de cognitione approbationis,vt sit sensus; Abraham nesciuit nos,idest,nō hēt nos pro filijs,nō diligit nos, contēnit nos,quia intelligit nos à te recessisse,& hęc vī literalis expositio.Quia tī B.Augustinus lib.de cura pro mortuis,ca.13. exponit de cognitione propriè D dicta,ideo responderi etiam potest, Abrahamum & Israelem,& alios Patres veteris Testamenti non cognouisse posteros suos viuentes, quia nondum beati erāt,& naturaliter mortui nō sciunt qd viuētes agāt.

Ad Qvintvm,eadem solutio est.

Ad Sextvm dico, Augustinum loqui in eo capite de cognitione & conuersatione naturali, id.n.solum contendit,mortuos non versari nobiscū,nec esse solicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut faciebant,cùm hic viuerēt.nā quod supernaturaliter diuina reuelatione sciant,q hic aguntur, docet apertè ibid.c.15.Et qđ diuina virtute possint huc venire, & nobis opē ferre,docet ibidē c.16.vbi sic ait: *Nō igitur*, inquit,*ideo putandum est,viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniā quibusdā sanādis vel adiuuādis Martyres adsunt,sed tdeo potius intelligēdum est quòd per diuinam potentiam martyres viuorum rebus intersint, quoniā defuncti per naturā propriam viuorum rebus interesse non possunt.* E

Dices, Augustinus putabat,matrem suā beatā esse,vt ipse dicit de cura pro mortuis, c.13.& tī ibidē probat mortuos non scire quid agamus, quia mater sua nunquam ad cōsolandū veniebat. Respondeo, Sanctos cognoscere preces nostras, & posse ad nos venire qn volunt; tī propterea scire omnia nostra, nec interesse assiduè rebus nostris,more humano,vt Augustinus eo loco probat exemplo matris suæ.

Ad locum Nazianzeni dico,illud (*Si*) non esse dubitantis, sed affirmantis, vt cùm dicit Apostolus ad Philemonem:*Si habes me socium,suscipe illum*.Nam Gregorius Nazianzen.passim asserit,Sanctos videre quid hic agatur,vt oratione in Athanasium; *Ab alto*, inquit, *rectè noui,res inspicit nostras, manumq, porrigit ijs, qui laborant pro bono, & tantò amplius, quantò magis a uinculis est liberatus.*

Ad alterum locum B. Augustini dico,eum rectissimè dicere: *Quisquis in illo manet, & potest humanas preces audire*,quia multi manent in Deo, qui nō possunt humanas preces audire, videlicet illi omnes,qui sunt in caritate,& tamen nondum sunt beati, nā omnis qui manet in caritate,in Deo manet,1.Ioann.4.& tamen non omnis, qui manet in caritate, iam est in cœlo beatus.

Ad locum Origenis dico, eum ibi agere de naturali conuersatione & notitia; non enim ambigit, an Sancti videant quid agamus, & nos iuuent orationibus suis,quod disertis verbis docet lib.8.contra Celsum, circa finem.& homil.26.in lib.Numeri.& hom. 16. in Iosue,& alibi,sed solùm, vtrum sancti hominum spiritus, sicut Angeli & Dæmones, qui verè semper nobis adsunt,illi vt ad bonum, isti vt ad malum pertrahant,nobiscum assiduè versentur.

Argumentum Qvartvm. Deus paratissimus est nos audire, & magis nos diligit quàm vllus Sanctorum,ergo frustrà inuocantur Sancti,imò signum diffidentiæ est, Sanctos inuocare.ait enim Dominus Luc.11.*Petite,& accipietis*.Et Ioan.16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis*. Et Paulus ad Hebr. 4. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*. Praeterea Ioannes Chrysostomus in homi. de profectu Euangelij,tom.3.sic ait: *Certum*, inquit, *non opus tibi patronis apud Deum,neque multo discursu,vt blandiare alijs, sed licet solus sis,patronoq, careas, & per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris, neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alij pro nobis orant, vt cùm ipsimet oramus,etiamsi plurimis pleni simus malis*.Idē habet pfatione in Psal.4.

Respondeo, nihil ex hoc argumēto colligi, alioqui enim etiā frustrà & ex diffidentia peteremus preces viuentium; & præterea licet Deus sit paratus audire,& magis nos diligat,quàm vllus Sanctorum, tamen magis paratus est audire Sanctos,quàm nos, & magis diligit Sanctos,quàm nos; quia oratio, vt impetret, requirit dispositionem in orante, quam non habemus semper; ideo vtilius est, vt ad Deum cum Sanctis eamus,quàm soli.Vnde Iob vlt. dicit Deus: *Ite ad seruum meum Iob,vt oret pro vobis* Et Genes. 20.Abimelech non nisi per Abrahæ preces à Deo sanari potuit.Et Ezechielis 20. Deus ipse quærebat virum,qui opponeret se iræ ipsius; volebat enim ignoscere populo,sed per sancti alicuius preces Denique, quis nescit prædestinationem ipsam iuuari precibus Sanctorum,quod statuerit Deus vti Sanctorum precibus,ad salutem alicuius exequendam?

Ad loca Scripturæ dico, esse impertinentia; nec enim cùm oramus Sanctos,tunc nihilà Deo petim⁹, vel non petimus cum fiducia; imò contrà; ideo Sanctorum preces imploramus, vt maiori cum fiducia ad Deum accedere possim⁹,& faciliùs impetremus, quod petimus.

Ad locum Chrysostomi dico,in primis eum loqui de ijs,qui preces mortalium implorant,nō de ijs, qui Sanctos cum Christo regnātes inuocant, vt patet ex illis verbis *(Non est opus multo discursu,vt blandiare alijs,&c.)* Dico præterea,eum reprehēdere illos, qui pro se non orant, sed tantùm aliorum orationes petūt,vt faciunt multi diuites,qui nolūt laborare in oratione,& idcirco solùm largiunt eleemosynas pauperib.

vt

vt orent pro se: quibus meritò anteponit eos qui pro se orant. etiamsi aliorum orationes habere forte nō possint. Quibus tñ vtrisq. anteponēdi illi, qui & pro se orant, & simul aliorum preces implorant, vt ipse idem Chrysosto. passim docet, vt homil. 5. in Matth. *Non igitur*, inquit, *quasi oscitantes & desides ex aliorū meritis pendeamus; habent enim pro nobis, & quidem maximam, orationes, supplicationes q̄, Sanctorum, sed tunc profectò, cùm nos quoque idipsum per pœnitētiam postulamus.* Et homil. 1. in priorē epistolam ad Thessalonicenses: *Quid mihi opus est*, inquit, *aliorum precibus, quando ipse sedulus fuero? nunquam hoc dixeris homo; necesse est, & multa prece necesse est.* Et infrà: *His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiciamus, &c.* vide etiam hom. 8. in Matth. & homil. 43. in Genesim.

Argumentum Qvintvm, Quis sit inuocandus, Christus verbo & exemplo nos docuit. nam Matth. 6. & Lucæ 11. *Orantes*, inquit, *dicite, Pater noster qui es in cœlis*, ipse etiam Christus aliquoties Patrem cōpellat, Ioan. 2. *Pater, clarifica me.* Ioā. 17. *Pater, venit hora, &c.* Non igitur Angeli, vel homines mortui inuocandi sunt. ita colligunt Magdeburgenses Centur. 1. lib. 1. cap. 4. colum. 129.

Respondeo, orationem Dominicam ad solum Patrem referri volūt ijdem Magdeburgenses ibidē. sic enim habent: *Non Angelum, vel Patriarcham, aut Prophetam mortuum, sed Patrem tantum iubet inuocari.* Quæro igitur, liceatne Filium & Spiritū sanctum inuocare, an non? Respondebunt, licere. sic. n. infrà docent: *Quod etiam Filius possit ac debeat inuocari, exempla docent.* Et infrà: *Spiritum sanctum quoque posse ac debere inuocari, vel ex Baptismi verbis colligi potest.* Hæc illi. Non igitur concludit illud argumentum; Christus verbo & exemplo solum Patrē inuocari docuit, ergo sancti homines, aut Angeli inuocandi non sunt. Nam si hoc concluderet, cōcluderet etiam illud; Christus verbo & exemplo solum Patrem inuocari docuit, ergo Filius Dei & Spiritus Sanctus inuocandi nō sunt. Addo prēterea, Christū cùm Apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de ijs rebus, quæ petendæ sunt, admonere voluisse discipulos. Satis enim constabat, Deū esse orandum, & solum etiam Deum, cùm auctor donorum quæritur; sed de modo orandi, siue de petēdis rebus Apostoli ambigebant, cùm dicerent, Luc. 11. *Doce nos orare.*

Argumentum Sextvm. Nullum exstat Scripturæ mandatum, vel exemplum, vel promissio de inuocatione Sanctorum: non igitur Sancti inuocandi sunt. Ita colligit Confessio Augustana, artic. 12. & omnes alij hoc argumento vti solent.

Respondeo, si hoc argumentum cōcluderet, efficeret etiam, Sanctos non orare pro Ecclesia, nec in genere, nec in particulari, quod tamen Apologia Cōfessionis Augustanæ apertè concedit. Sic. n. loquitur: *De sanctis, etsi concedimus, quòd sicut viui orant pro Ecclesia vniuersa in genere, ita in cœlis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullū de mortuis orantibus extet in Scriptura, præter illud somniū sumptum ex libro Machabæorum posteriore.* Hæc Apologia. Deinde, quod ad mandatum attinet, nullum certè mandatum requiritur, qñ ipsa necessitas nos impellit. Exempla plurima sunt in vtroque Testamento, vt suprà demonstrauimus. Promissio denique minimè desideratur, cùm innumerabilia signa & prodigia ad inuocationem Sanctorum facta satis testētur, Deum audire eos qui Sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquid à Deo adhibent. quamquam in libro Iob, capite vltimo, particulare mandatum, exemplum, & promissionem habeamus, ex quibus de toto genere inuocationis iudicari potest; *Ite ad seruum meum Iob*; en mandatum: *& orabit pro vobis*; en exēplum: *& ego suscipiam faciem eius, vt non vobis imputetur stultitia*; en promissio.

At, inquiunt, Iob erat viuus & præsens, Sancti verò mortui sunt & absentes. Sed non ita est; Sancti enim nunc maximè viuunt ex parte sui, qua preces audire, & pro supplicibus interpellare Deū possunt. Nec sunt absentes, quoad exauditionē, licet loco absentes videātur, vt supra satis probatum est. Et patet de Angelis ex illo Psalmo 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Et 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* De sanctis item hominibus patet ex Apocalyp. c. 11. & 19. vbi describuntur Sancti in cœlo videntes ea, quæ fiunt in terra. Vnde Basilivs in lib. de virginitate ante mediū: *Reuereatur*, inquit, *ipsum sponsum vbique præsentem, & huius Patrem ac sanctum Spiritum, & quid singula dico? Angelorum innumerabilem multitudinem, et cum his Patrum sanctos spiritus; nullus enim horum est qui non vbique omnia videat.* Et Gregorivs lib. 12. moral. c. 12. *Quæ animæ intus claritatem omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.*

Argumentum Septimvm. Nemo audet causidici partibus apud terrenum Principē fungi, nisi à Principe ipso admissus: *Vnde ergo vermibus*, inquit Caluinus lib. 3. Instit. c. 20. §. 23. *tanta licentia, vt Deo patronos obtrudant, quibus munus iniunctum non legitur?*

Respondeo, non facimus Sanctos causidicos, siue patronos eius generis, cuius illi sunt hic in terris qui iure agunt, causasq. defendunt, quiq. non misericordiam sed iustitiā petunt; hos enim à Magistratu admitti necesse est. Tribuimus autem Sanctis illud solū munus, quod hic in terris tribuere solemus amicis & familiaribus Principum, qui sæpè pro miseris intercedunt, nec vlla noua facultate ad id faciendum egent.

Argumentum Octavvm. Multi inuocantur, qui non modò non Sancti, sed nec homines fuerunt, vt Christophorus, Georgius, Catharina: superstitiosa igitur inuocatio est. Ita ratiocinatur Philippus in Apolog. art. 21. Confess. Augustanæ, & Caluinus in lib. de ratione veræ reformationis Ecclesiæ, vbi etiam pro solita sua modestia S. Dominicum, carnificem; S. Medardum & quosdam alios, bestias; Sanctos verò generatim, monstra appellat.

Respondeo; Sanctorum quorundam historias apocryphas quidem & incertas esse: non tamē propterea Sanctos ipsos nunquam fuisse. Nam si ita argumentari liceat; plerique Apostoli inter Sanctos numerari non poterunt, nam historiæ, quę feruntur vel ex Abdia, vel ex alijs, vt plurimum non sunt prorsus indubitatæ. Habemus quidem in Euāgelio vocationem Apostolorum, & pauca quædam ex vita ipsorū, nec nō felicem dormitionem sancti Iacobi maioris, Actor. 11. & sancti Petri prædictam mortem gloriosam à Domino, Ioannis 11. At aliorum Apostolorum finem ex diuinis literis nō habemus. Quocirca Gelasius Papa, Canone, Sancta Romana, dist. 15. historiam sancti Georgij inter Apocryphas numerat, & tamen sanctum ipsum Georgium colendum esse affirmat, quia etsi apocrypha erat historia, quæ tunc exstabat, non tamen apocrypha est consuetudo vniuersalis Ecclesię, quia semper Georgij, Chrisophori, & Catharinæ memoria celeberrima fuit.

Adde prætereà, q̄ si apocryphæ sunt historiæ triū vel quatuor Sanctorum innumerabilium aliorū certissimæ atq. indubitatæ sunt; quorundam etiam sanctitas & gloria in ipsis diuinis literis prædicatur, vt Mariæ, Ioannis Baptistæ, Petri, Stephani, & aliorum. Quocirca si ideo nolunt aduersarij Georgium, Christophorum, aut Catharinam colere, q̄ eorū historiæ incer-

incertæ sint, cur Mariam, Ioannem, Stephanum, Petrum, Iacobum, non colunt, quorum historias negare non possunt? cur etiam in suis ipsi Kalēdarijs eos ponūt, quos perditissimos homines fuisse, interdum etiam diuersæ religionis à sua, fateri cogerentur, si ad rem attendere paulò diligentiùs vellent. de qua re vide Dialogum sextum Alani Copi Angli.

Argumentum NONVM. Si Sanctorum inuocatio superstitione, & ethnica imitatione careret certè nō peteretur ab vno Sācto unū, ab alio aliud cùm Deus vnus sit auctor omnium donorum, & is æquè possit per intercessionem vnius, ac per intercessionem alterius quidlibet concedere: at Catholici vnū inuocant contra pestem, alium contra oculorum dolorem, aliū contra dolorem dentium.

RESPONDEO, hoc argumentum passim inculcant Magdeburgenses, Caluinus, & alij. sed antiquam renouant querimoniam Iuliani Apostatæ apud Cyrillum lib. 6 in Iulianum; Manichæorum, apud Augustinum lib. 3. contra Faustum, c. 4. & Vigilantij apud Hieronymum, lib. in Vigilantium. Omnes enim isti querūtur quòd verterimus idola in Martyres, & eos similibus votis colamus, quod argumentum est, maiores nostros esse Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, & reliquam Ecclesiam, quę cum illis communicabat: maiores autem Caluini & Magdeburgensium, esse Iulianum Apostatam, Faustum, Manichęū, Vigilantium, ac ceteros apostatas, vel hæreticos, qui cum eis communicabant.

Sed vt ad rem propiùs accedam, dico, Deum posse, si voluerit, per quemlibet Sanctorum omnia concedere, & sine Sanctis etiam multa, vel omnia dare: interdum tamen velle vnius intercessione, miraculū aliquod operari; aliud verò intercessione alteri⁹ operari. Quis autem nouit consilium Dei; aut quis ei dicere potest, cur ita facis? sicut etiam per vnum operatur Deus multa miracula, & per alterum fortasse maiorem nulla, cuius rei caussam solus ipse nouit, vt beatus AVGVSTINVS docet in epist. 137. ad Clerū & populu Hipponent. *Vbique quidem*, inquit, *Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia. Verum tamen quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent (duo Clerici) quia inde nobis facilius fideliusq; scribi potest, quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nunquid non & Africa sanctorum Martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim dicit Apostolus* (1. Corinth. 12.) *non omnes Sancti habent dona curationum: ita nec in omnibus memorijs Sāctorum ista fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique sicut vult.* His accedat, q etsi quidam Sancti aliquo genere miraculi interdū magis clarent, quàm alij, tamen ab omnibus omnia petimus, nec putamus ita ab vno vnum esse petendum, vt non etiam existimemus alterius intercessione obtineri posse.

Argumentum DECIMVM. Sancti in cœlo nihil sibi mereri, vel impetrare possunt, ergo multò minus alijs. RESPONDEO, Sanctos non posse mereri, nec sibi, nec alijs; tamen ex meritis præcedentibus posse impetrare & sibi & alijs, id quod orando petunt; petūt enim sibi gloriam corporis, nobis autem omnia, quibus indigemus.

SED obijcies, iam præmium acceperunt meritorū suorum, ergo nihil amplius eis debetur. RESPONDEO, eos quidem accepisse præmium, sed ad præmiū eorum hoc etiā pertinere, vt semper sint amici Dei, & vt amici impetrent à Deo quidquid ab illo petunt. Sicut etiam hic in terris, si aliquis, qui diu militauit Regi, omnia stipendia sua acceperit, poterit tamen pro alijs supplicare, & iure amicitiæ obtinebit multò faciliùs quàm alius, qui nunquam Regi seruuit.

LIBER SECVNDVS, DE RELIQVIIS ET IMAGINIBVS SANCTORVM.

CAPVT I.

Proponuntur argumenta contra cultum Reliquiarum.

DISSERIMVS libro superiore de gloria & cultu Sanctorum; nunc de veneratione earum rerum, quę ad illos pertinent, ideſt, Reliquiarum sanctarum & Imaginum disputandum erit.

Ac, vt à reliquijs ordiamur, reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere cœpit Eunomius, & post eum Vigilantius, ſi B Hieronymo lib. contra Vigilantium credimus. Neq. his repugnat quod ibidem paulò infrà idem Hieronym. dicit, hanc hæresim olim erupisse contra Ecclesiã, & aduersus eã scriptum esse librum Tertulliani, qui dicitur Scorpiacus: nec etiam quod in epistola ad Riparium originem huius hæresis reuocet ad Iudæos & Samaritanos; nam verè primus auctor, qui expressè hoc asseruit, Eunomius fuit. Gnostici enim, cõtra quos scribit Tertullianus suum Scorpiacum, solùm negabant, martyria perpetienda. Ex quo tamẽ deduci poterat, Martyrum corpora nõ colenda, quamuis ipsi hoc expresè non dicerent. Porrò Iudæi & Samaritæ oĩa corpora immunda esse credunt: nihil tñ in particulari de Sanctorum corporibus disputant.

Post Vigilantiũ Constantinus Copronymus Imperator, vt Suidas in eius vita scribit, omnes reliquias vbique deleri iussit. Eadem hæresi laborasse Claudium Taurinensem, scribit Ionas lib. 1. de cultu ima C ginum. Eandem etiam VViclefiſtis placuisse, auctor est Thomas VValdensis, tomo. 3. tit. 14.

Denique eandem hoc tempore Lutherani & Caluiniſtæ excitarunt. Nã Lutherus in sermone de cruce, reliquias vt fidelium seductiones altissimè sub terram abscondendas iudicat. Eum sequuti Magdeburgenses, passim reprehẽdunt cultum reliquiarum, sed præcipuè Cent. 4. c. 6. col. 456. Idem faciti Caluinus libro de formandæ Ecclesiæ necessitate, & in admonitione de reliquijs.

Argumenta VViclefiſtarum duo erant. PRIMVM, quia Matth. 23. arguuntur à Domino Iudæi, quod ornarent sepulchra Prophetarum. SECVNDVM, quia in tumulis, quæ dicuntur Sanctorum, nec animæ, nec corpora Sanctorum sint, sed soli cineres.

His addit Caluinus in admonitione de reliquijs alia quinque. PRIMVM, quia Deus abscondit Mosi corpus, vt habetur Deute. vlt. Causſa autem redditur ab omnibus, ne Iudæi illud adorarent. Vnde etiam in epistola Iudæ legimus, Diabolum cõtendisse cum Michaele Archangelo de Mosi corpore, quia videlicet Diabolus illud manifestare volebat, vt occasionẽ præberet Iudæis illud adorandi.

SECVNDVM, quia Paulus 2. Corinth. 5. dicit, post resurrectionem Christi se non nosse Christum secũdum carnẽ; quibus verbis monet, quidquid in Christo carnale fuit, obliuioni tradendum, & missum faciendum, vt in eo secundum spiritum quærendo, & possidendo omne studium ponamus.

TERTIVM, quia idẽ Paulus ad Colosſ. 2. damnat omnem cultum arbitrarium, ideſt, à Deo non institutum, quem ipse Græcè vocat ἐθελοθρησκείαν, tãquam stultitiam, etiamsi speciem sapientiæ habere videa- A tur. At certè cultus reliquiarum non habetur à Domino institutus, sed est voluntarius, & ab hominibus excogitatus.

QVARTVM, quia desiderium reliquiarum numquam superstitione caret, imò mater est idololatriæ. nam non possunt haberi vel attrectari, quin statim sequatur veneratio, venerationi autem nullus adhibetur modus, quin statim honor Christo debitus ipsis tribuatur. id quod experientia testatur; nam in signum solennis adorationis, cerei nunc passim accendũtur coram Martyrum sepulchris. Et cõfirmatur; nam Hieronymus obijcienti Vigilantio esse idololatriam accendere cereos coram reliquijs, nihil aliud respondere potuit, quàm id facere solùm mulierculas, quæ zelum habent, sed non secundum sciẽtiam. B Addere possumus Concilium Elibertinum, can. 34. vbi dicitur, eiusmodi cereis Sanctorum spiritus inquietari; & Augustinum, qui libro de moribus Ecclesiæ c. 34. reprehendit sepulchrorum adoratores.

QVINTVM, quia maxima pars reliquiarum supposititia est, & sæpe accidit, vt pro reliquijs Sanctorum ossa latronum, vel etiam canum, aut asinorum veneremur. Id quod probat. PRIMVM, quia Augustinus in libro de opere Monachorum, cap. 28. cùm dixisset quosdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrũ, addidit: *Si tamen Martyrum.* Si enim iam tunc cœperunt impostura, quid modo fieri credendũ est? DEINDE, quia tam multæ reliquiæ eiusdem generis inueniuntur, vt oporteat vel eundem Sanctum multa corpora habuisse, vel multas esse sal C sas reliquias. Hæc ille, quæ omnia argumenta, cap. 4. refellentur.

Porrò Caluiniſtæ vbicunque possunt reliquias Sãctorum exurunt, & cineres in flumen abijciunt: & notandum sanè anno M. D. LXII. à Caluiniſtis corpora Sãctorum Irenæi, Hilarij, & Martini effossa, & cremata, & in profluentem proiecta fuisse, vt refert Surius, quod idem eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerant Ethnici ante annos M. CCCC. nam vt scribit Eusebius lib. 5. hist. c. 3. Ethnici Martyrũ reliquias igni absumptas, in Rhodanum abiecerunt. Vt hinc nimirum intelligamus, quanta sit Caluiniſtarum cum Ethnicis cognatio sacrilegiorum atque perfidiæ. Quòd autem Caluiniſtę ferro & flammis agunt, id agunt impostu- D cijs & fraudibus Magdeburgenses, quorum aliquas hic breuiter duximus adnotandas.

CAPVT II.

Deteguntur mendacia Centuriatorum.

INITIO igitur de origine venerationis & cultus reliquiarũm mirabiliter disputant Magdeburgẽses; nam Cent. 6. in ipsa præfatione dicunt, eo seculo, nimirum post annum Domini CCCCC. cœpisse cultum reliquiarum occasione templorum, quæ tũc ingentibus sumptibus exstruebantur. Ijdem tamen Centur. 5. cap. 7. colum 744. dicunt, cultum reliquiarum ipso quinto seculo, id est, ante annum CCCCC. cœpisse. Non ergo verum est, quod dicunt in præfatione Centur. 6. PORRO ijdem auctores Cent. 4. c. 6. colum. 456. & cap. 13. colum. 1446. dicunt, superioribus seculis, id est, vsque ad annum CCC. nihil haberi in

ti in probatis auctoribus de veneratione & translatione reliquiarum, sed cœpisse istam superstitionem seculo quarto, quãdo iussu Iuliani Apostatæ reliquiæ sancti Babylæ translatæ fuerunt, quæ translatio cum summa celebritate facta est circa annum Domini CCC. LXV. Eo enim tempore Iulianus imperauit, vt S. Hieronymus testatur in Chronico: non ergo verum est, quod scripserunt Magdeburgenses Centuria 5. & 6.

Sed neque est verum, quod in ista Centuria 4. dicunt; nam in additione ad primam Centuriam, in vita sancti Lucæ, fatentur ijdem Centuriatores, ante tempora Iuliani fuisse translatas summo cum honore reliquias sancti Andreæ, & sancti Lucæ Constantinopolim à Constantino Imperatore, vt B. Hieronymus testatur libro contra Vigilantium.

Præterea Centur. 2. c 3. col. 31. & sequentibus referunt ad verbum ex historia Eusebij, lib. 4. c. 15. epistolam Ecclesię Smyrnensis de martyrio Polycarpi; in qua epistola narratur, Christianis cupientibus reliquias Martyris, & Iudæis pertinacissimè resistẽtibus, iudicem Ethnicum voluisse corpus in medio positũ cremari vsque ad cineres: & tamen Christianos collegisse incredibili auiditate reliquias illas: *Ac si essent* (inquit epistola) *lapidibus preciosissimis pretiosiores, & auro probatissimo probatiores.* Eas autem reliquias à Christianis collectas ad cultum, patet tum ex verbis citatis, tũ ex contentione aduersariorum. Iudæi enim atque Ethnici resistebant, ne reliquiæ raperentur prætextu pietatis. Existimabãt enim corpora à Christianis adorari, vt in eodem loco Eusebius testatur: non ergo verum est, quod dixerunt Centuria 4.

Sed neque tunc cœpit honor reliquiarum; nam beatus Gregorius lib. 3. epist. 30. scribit, ipso tempore, quo Petrus & Paulus passi sunt, venisse fideles ab Oriente, qui eorum reliquias tanquam suorum ciuiũ peterent; sed cùm eas detulissent vsque ad secundum lapidem ab vrbe, diuino miraculo impeditos, nõ potuisse vlterius eas deferre; tum verò à Romanis fidelibus apud Catacumbas recõditas fuisse. Vnde postea Cornelius Papa (vt in Pontificali Damasus refert) transtulit ad ea loca, vbi nunciacent. Itaque de origine cultus reliquiarum quatuor mendacia inter se pugnantia Magdeburgenses protulerunt.

Secvndvm mendacium est, Cent. 4. cap. 8. colum. 602. vbi postquam dixerunt, rectè & piè Vigilãtium contra reliquias scripsisse, Hieronymum autem solis conuicijs & importunitate pro reliquijs pugnasse. addunt Gregorij testimonium: *Id quod* (inquiunt) *etiam Gregorio visum est, qui de scripto Hieronymi cõtra Vigilantium ita censuit; in Vigilantium ita conuicijs debacchatur Hieronymus, vt plusculum in eo modestiæ cogar desiderare.* At ista verba nullius Gregorij sunt, sed Erasmi, in argumento ad librum beati Hieronymi contra Vigilantium.

Tertivm est, Cent. 5. cap. 6. colum. 699. vbi sic habent: *Augustinus* (inquiunt) *de reliquijs Stephani scribit, superstitiosum, & magnum concursum multitudinis ad eas in Africam vsque factum, dementatis populis quibusdã illusionibus, quę pro miraculis habitæ sunt, libro de ciuitate Dei 22. c. 8.* At si legamus totum istud caput, quod ipsi citant, non inueniemus vsquam nomen superstitionis, vel illusionis, sed tantam pietatẽ erga sacras reliquias, vt hic locus Augustini satis esse videatur ad omnes hæreticorum nebulas dissipãdas. Inter alia multa sic ait de quodam miraculo: *Clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt, &c.* Et infrà: *Vnum est apud nos factum, non maius quàm illa, quę dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum qui obliuisci vlla ratione potuerit.*

Neque est hoc Magdeburgensium solùm mendacium impudens, sed etiam peccatum in Spiritũ sanctum, quod Dei miracula testatissima, illusiones vocent: & præterea est insania manifesta, cùm B. Augustinum, virum sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cùm B. Augustinus toto illo capite probare contendat fidem Catholicam, nõ carere veris miraculis: nonne prorsus insaniret, secumque ipse, & cum fide pugnaret, si miracula, quibus fidẽ probari dicit, illusiones ipsemet appellaret, & populum, qui illis credit, superstitiosum, & dementatum diceret?

Qvartvm mendacium est omnino simile superiori; nam eadem Centuria quinta, capite 15. colum. 1506. dicunt reliquias Martyrum ab Ethnicis contemptas fuisse, & in eo melius sensisse, quàm superstitiosi Christiani sentiant, Theodoreto auctore lib. 8. de Martyribus. Atqui Theodoretus eo libro nusquã habet, melius sensisse Gentiles de reliquijs, quàm Christianos, sed omnino cõtrarium asserit, & defendit. Vide (Lector) locum, & iudex esto.

Qvintvm est Centuria quarta, cap. 13. columna 1446. vbi referunt historiam de tranalatione sancti Babylæ, ex Ruffino libro primo, capite tricesimo sexto, quia enim oraculum Apollinis obmutuerat ob viciniã sepulchri sancti Babylæ, & ideo Iulianus Apostata iusserat inde amoueri arcam Martyris: dicunt Centuriatores Diabolũ de industria simulasse se impediri à Martyre, vt ea ratione occasionem daret celeberrimæ illi translationi, & sic introduceret vsum translationis, & venerationis reliquiarum.

At istud mendacium est impudentissimum; nam inprimis repugnat omnibus auctoribus, qui de hoc miraculo scribunt, nimirum Chrysostomo libro cõtra Gentiles, Ruffino libro primo capite tricesimo sexto. Socrati libro tertio, capite decimo octauo. Sozomeno libro quinto, capite decimo nono, & Theodoreto libro tertio, capite decimo. Deinde miraculũ sequẽs clarè ostendit Diabolum seriò timuisse; nam vix arca Martyris inde abducta fuerat, cùm descendit ignis de cœlo, & idolum, vnde Diabolus fundebat oracula, totum consumpsit.

Præterea non fuit ista prima trãslatio reliquiarũ; nam, vt iam ostendimus, multæ antea præcesserunt; & idem corpus S. Babylæ antea fuerat trãslatum ex Antiochia ad suburbium istud Daphnes, vt Chrysostomus docet; vnde postea Iulianus iterum Antiochiam transferri iussit, non ergo potuit Diabolus illa simulatione velle introducere vsum translationum. Præterea, si Diabolus ita cupit istam idololatriam erga reliquias, cur semper instigauit Iudæos, Ethnicos, & Hæreticos, vt abolerent omnes reliquias?

Sextvm mendacium est in eadem Cent. 4. ca. 13. col. 1447. vbi referunt ex Gregorio Nazianzeno oratione prima in Iulianum, duos adolescentes nepotes Constantij Imperatoris, Gallum & Iulianum, volentes exstruere insignem Ecclesiam supra tumulũ Mamantis Martyris, inter se diuisisse opus; sed partem illam, quę exstruebatur à Gallo verè pio, & fideli, feliciſſimè processisse: partem autem, quę exstruebatur à Iuliano, qui apostata futurus, iam mente corruptus erat, non potuisse vnquam coalescere quod terra insolito more contremiscens, continuò quasi euomeret, quidquid Iuliani sumptibus in fundamentis proijceretur. Caussam huius miraculi Nazianzenus dicit fuisse, quod sancti Martyres inter se mirificè diligant. ideo enim Martyrem, cui templum exstruebatur, honorem illum recusasse, quod nollet ab eo honorari, à quo collegas suos contumelia afficiendos prævidebat: & ipsum etiam Deũ, qui corda intuetur, opus Galli, tanquam Abelis sacrificium

crificium admisisse, opus Iuliani, tanquam sacrificiũ Cain abiecisse. Sic igitur Gregorius.

At nostri Centuriatores de hoc miraculo duplicẽ sententiam proferunt. Aiunt PRIMO, temeritatem esse credere, illud portentùm opera Martyris accidisse, propterea quod Martyres non sunt καρδιογνώσται, & dormire dicuntur. Ita illi loco citato, colum. 1445. At licet nõ sint Martyres ex natura sua καρδιογνώσται, id est, cordium scrutatores; quis tamen impedit, quominus cordium cogitationes illis reuelentur à Deo? & licet dormire dicantur, quia requiescunt à laboribus suis, tamen non sic dormiunt, quasi non videant, nec intelligant; nam si ita esset, tum etiã nec viuerẽt.

Addunt SECVNDO, columna 1447. Deum impediuisse fabricam Iuliani, vt indicaret, sibi displicere cultum illum superstitiosum Martyrum. At si ita est, cur non impediuit fabricam Galli, qui eidem Martyri operam dabat? An etiam Deum dormiuisse dicẽt, ac fortasse Galli fabricam non vidisse?

Mendacium SEPTIMVM est in præfatione sextæ Centuriæ, vbi dicunt, à nobis diuinis honoribus coli reliquias, atque easdem etiam, ac si viuerent & sentirent, suppliciter inuocari; *Cœperunt*, inquiunt, *exanguia, & semicorrosa ossa coli, inuocari, diuino honore affici* Eadem ferè habet Caluinus in libro de necessitate reformandæ Ecclesiæ, *Nec solùm*, inquit, *Sanctos Christi loco adorant, sed etiam eorum ossa, vestes, calceos, & simulacra.*

At quis vnquam Catholicorum reliquias inuocauit? Quis vnquã auditus est in precibus, aut litanijs dixisse: *Sanctæ reliquiæ, orate pro me?* Et quis easdẽ vnquam diuino honore affecit, vel Christi loco adorauit: nos enim reliquias quidẽ honoramus, & osculamur vt sacra pignora patronorum nostrorum: sed nec adoramus vt Deum, nec inuocamus vt Sanctos, sed minore cultu veneramur, quàm Sanctorum spiritus, nedum quàm Deum ipsum. Ita respondit etiam olim Hieronymus Vigilantio idẽ obijcienti: & multò etiam antè idem responderunt discipuli S. Polycarpi apud Eusebium, loco antea citato lib. 4. historiarum, cap. 15.

CAPVT III.

Asseritur veritas, & probatur.

NVNC ad argumenta pro veritate accedamus. PRIMVM sumi potest ab exemplis Scripturarum Exodi 13. Moses discessurus cum populo ex Aegypto in Palæstinam; noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi, iamdudum mortui, sed ea honorificè secum asportauit, & transtulit in terram promissionis: Non ergo superstitiosum neque nouum est, transferre ossa Sanctorum, vt Magdeburgenses in singulis Centurijs clamant. ITEM Deuteron. vlt. Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honorauit, dum illud proprijs manibus sepeliuit. ITEM 4. Reg 13. ossa Helisæi cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuò illum ad vitam reuocarunt: Non ergo Deus contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patrauit. ITEM 4 Reg. 23. cùm Iosias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantùm abest, vt reliquias Sãctorum delendas esse existimaret, vt cùm aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti Prophetæ ibidẽ reperta asseruari iusserit.

AD hæc de sepulcro Domini legimus Isa. 11 *In eã* (Messiam videlicet) *Gentes sperabunt, & erit sepulcrum eius gloriosum.* Hunc locum de sepulcro Christi intelligi certum est, tum ex ipsis verbis, tum ex Apostolo Roman. 15. quod autem non intelligatur solùm de sepulcro pro eo tempore, quo ibi Christus iacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas: docet Hieronymus in epistola ad Marcellam, vt migret Bethlehem, vbi docet, Isaiã prædixisse id, quod modò fit, vt sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refelliur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda Missa dicit, Deo non maiorem curam esse de sepulcro Domini, quàm de bobus.

DENIQVE, si Christus hic adesset, & nos vestẽ eius deuotè oscularemur; continuò nos idololatras esse Lutherus & Caluinus dicerent, at mulier Hemorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, & sanata est, Matth. 9. Neque Actor. 5. sunt reprehensi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurebant, sed potius fidei suæ præmium retulisse dicuntur, & tamen quæ reliquiæ viliores ipsa vmbra cogitari possunt? Neque habiti sunt Actor. 19. superstitiosi, qui Pauli sudaria, & semicincta deferebant ad ægrotos, vt etiam nos modò facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.

Argumentum SECVNDVM ex Concilijs diuersarum partium orbis terræ, Ex Oriente habemus Cõcilium NICAENVM II actio. 3. quod vocat reliquias fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat; & actione 7. in vltima definitione iubet deponi Clericum, & Laicum excõmunicari, qui reliquias Martyrum contemnit, & non, vt rem sacram, cum honore tractat.

Item ex Oriente habemus GANGRENSE Cõciliũ, ante annos MCC. canone vltimo, vbi anathema dicit ijs, qui memorias Martyrum, ideſt, loca, vbi sunt Martyrum reliquiæ, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum fuit Concilium, nolebant ingredi Martyrum basilicas, ne corpora Martyrũ, quæ ipsi immunda putabant, venerari viderentur.

Ex Africa, Cõcilium CARTHAGINENSE V. can. 14. iubet, vt nulla altaria, vel memoriæ Martyrum dedicentur, nisi ibi sint aliquæ Martyrum reliquiæ: & aliter dedicata euertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne superstitione aliqua teneatur, si colat videlicet quasi Martyris sepulcrum, vbi reuera non est corpus Martyris. At si est superstitio colere pro Martyris corpore, id quod non est reuera tale: Religio igitur erit corpus veri Martyris colere; religioni enim opponitur superstitio.

Ex Hispania habemus Concilium BRACCARENSE III. can. 5. vbi statuitur, in supplicationibus thecã reliquiarum gestari debere manibus Episcoporum, aut aliorum Sacerdotum, populo præcedente & sequente.

Concilium EPAONENSE, in Gallia celebratũ, can. 25. iubet, reliquias Sanctorum non poni in Ecclesijs, vbi non sunt Clerici, qui sacris cineribus psallẽdi frequentia famulentur.

Ex Germania habemus Cõciliũ MOGVNTINVM, tempore Caroli Magni celebratum, in cuius can. 51. statuitur, ne corpora Sanctorum transferantur de loco ad locum, sine consilio Episcopi, & licentia sanctæ Synodi. quod certè ad honorem non exiguum sanctarum reliquiarum pertinet.

Habemus denique ex Italia Cõcilium LATERANENSE, sub Innocentio III. c. 62. vbi cauetur propter periculum fraudum, ne nouas reliquias vllus publicè venerari incipiat, sine auctoritate summi Pontificis. Vnde est lex canonica, cap. Cùm ex eo, de reliquijs, & Sanctorum veneratione; cui similis est lex, etiam ciuilis, C. de Episcopis & Clericis, L. Decernimus.

TERTIO, probatur ex Patribus. EVSEBIVS libro septimo histor. capite decimo quinto, de sede lignea

sancti Iacobi Apostoli: *Seruatur*, inquit, *cum ingenti studio, velut à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur*. Hæc illæ. Non ergo rideant Lutherani, si quando audiunt Romæ cathedram S. Petri ligneam honorari.

S. Athanasius in vita B. Antonij, scribit sibi ab Antonio relictum palliũ tritum, & addit: *Legatarius Antonij beneficti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, et tanquam magna hæreditate ditatus, lætanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis*. De eodẽ Magno Antonio Hieronymus refert in vita Pauli primi Eremitæ, cùm Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam, illam induere solitum, in diebus tantùm solennibus Paschæ & Pentecostes.

S. Basilius in Psal. 115. in illud; Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius: *Quãdo*, inquit, *Iudaice quis moriebatur, abominabilia erant mortitia: cum pro Christo mors contingit, preciosæ sunt reliquiæ Sanctorum eius. Antea dicebatur Sacerdotibus et Deo dicatis; Non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc autem qui contingit ossa Martyris, quandam sanctificationis societatem assumit, ex gratia corpori insidente*. Et oratione in quadraginta Martyres, loquens de reliquijs ipsorum per totam illam regionem dispersis: *Hi sunt*, inquit, *qui nostram regionem administrant, & veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non vno loco seipsos includentes, sed multis iam locis hospites facti, & multas patrias exornantes*.

Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem, initio orationis: *Anima quidem*, inquit, *ex quo sublimis abijt, in suo loco requiescit, & corpore soluta cum sui similibus vnà viuit. Corpus verò venerandum & immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, & cultu compositum atque ornatum, in augusto, sacroq; loco situm est*. Deinde narrat multis verbis eos, qui templa Martyrum ingrediuntur, primò mirari molem ædificij, deinde parietes & pauimentum pulchrè ornata, tum statuas & picturas varias; & subiungit tandem: *Vbi his*, inquit, *oculos oblectauit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificationem ac benedictionem, contrectationẽ eius esse credens: quòd si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tãquam res magni precij condenda terra colligitur; nam ipsas attingere reliquias, si quando aliqua eiusmodi prosptera fortuna contingat, vt id facere liceat, quam id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti*.

Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianũ paulò ante medium, reprehẽdens Iulianum, quòd cùm Deorum falsorum monimẽta veneraretur, veri Dei amicorum, & Martyrum corpora despiceret: *Nõ victimas*, inquit, *pro Christo cæsas reueritus es?* (& aliquot interpositis) *quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atq. exigua passionis signa idem possunt, quod corpora Hęc non colis, sed contemnis & aspernaris, qui Herculis rogum, ex calamitate iniurijsq; mulieribus illatis, excitatum, admiraris*.

Eusebius Emissenus hom. de S. Blandina: *Vbi sunt*, inquit, *qui venerationem sacris Martyrum dicũt deferendam non esse corporibus? &c.*

S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, catechesi 18. *Vt autem*, inquit, *non solùm anima Sanctorũ honoretur, credaturq; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia; iacens in sepulcro Helisæi mortuus, mortuumq; Prophetæ corpus attingens, viuificatus est*.

S. Ioannes Chrysostomus serm. de sanctis Iuuẽtio & Maximo, primùm laudat eos, qui corpora illa inhumata relicta piè rapuerunt, etiamsi cum periculo vitæ suæ. Deinde subiungit: *Idcirco sæpius eos inuisamus, tumulos adoremus, magnaq; fide reliquias eorũ contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur*. Vide eundẽ hom. vlt. in epist. ad Romanos, vbi dicit, Romã excellere oĩbus vrbibus, pp corpora Petri & Pauli. Itẽ hom. 61. ad populũ, vbi cõparat sepulcra & reliquias Sãctorũ eũ sepulcris & cadaueribus Imperatorũ, & Regum, & ostẽdit illa summo honore coli, ista deserta & abiecta esse: & pulchrè dicit, summum honorem Constantino Imperatori fuisse, quod potuerit fieri ianitor B. Petri, quia nimirum sepultus erat ad fores eius Basilicæ, vbi conditæ erãt aliquæ particulæ B. Petri reliquiarum.

Theodoretus lib. 8. ad Græcos de Martyribus: *Ac animæ quidem*, inquit, *triumphatorum Martyrũ in cœlesti nunc patria uitam agunt, Angelorum Choris interfitæ: Eorum uerò corpora, non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus hęc inter se sortitò partiti sunt, laborantibusq; animis, ac ægrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant*.

Deniq. Ioannes Damascenus lib. 4. ca. 16. de fide Orthodoxa, copiosè disputat de Martyrum reliquijs venerandis.

Iam ex Latinis S. Ambrosius serm. 93. de sanctis Nazario & Celso in fine: *Quod si dicas mihi*, inquit, *quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo*.

Maximus in sermone de sanctis Octauio, Aduẽtore, & Solutore: *Cuncti*, inquit, *Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed ij præcipuè venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus*.

Gaudentius Episcopus Brixiæ. tractatu de dedicatione Basilicæ: *Vt venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde vt hanc honori eorum basilicã fundare valeremus, ipse largitus est, &c.* Vide totum tractatum, vbi multa de cultu reliquiarum loquitur.

Sanctus Paulinus natali tertio Sancti Felicis, de vrbe Roma loquens, ob reliquias Apostolorum, sic ait:

Nam prius Imperio tantùm, & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulcris.

Ibidem:

Martyris ad tumulum debes & terra coronas.

Prudentius in hymno de S. Laurentio:

O ter, quaterq; ò septies
Beatus vrbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus,
Sedem celebrat ossium.

Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Vix fama nota est abditis,
Quàm plena Sanctis Roma sit,
Quàm diues Vrbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

S. HIERONYMVS in libro aduersus Vigilantium; *Dolet*, inquit, *Martyrum reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinium: vt solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur.* Idem in epist. ad Marcellam, quam scripsit nomine Paulæ, & Eustochij, inter alia bona, quæ sunt in Palæstina, numerat, posse adorare sacros cineres Ioannis Baptistæ, Helisæi, & Abdiæ, qui ibi seruantur.

RVFFINVS, lib. 11. hist. cap. 28. cùm Gentiles tempore Iuliani ossa B. Ioannis Baptistæ apud Sebastem Palæstinæ igni cremarent: *Quidam*, inquit, *cùm tantùm nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina* B *fieri viderent, mori gratius habentes, quàm huiuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendũ legebant mixti, diligentius, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere, &c.* Vide eundem, lib. eod. c. 33.

S. Augustin. epist. 103. ad Quint. *Portant sanè* (latores epistolæ) *reliquias beatissimi, & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis.*

Auctor lib. de Eccles. dogmatib. c. 73. *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, syncerissimè honoranda credimus.*

S. LEO in serm. de S. Laurentio, de craticula eius loquens: *Nam, quid*, inquit, *non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?*

S. GREGORIVS, lib. 5. epist. 50. ad Palladium: *Quia reliquias*, inquit, *sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon Laurentii, atque Pancratii Martyrum, cum veneratione præbuimus, hortamur, vt eas cum reuerentia suscipere, & collocare, auxiliante Domino debeatis.* Idem repetit epist. seq. Idem lib. 3. epist. 30. Constantiæ Imperatrici petenti caput S. Pauli respondet, sacrilegum esse corpora tantorum sanctorum tangere, vel inspicere. Et ibidem narrat, multos repentina morte obijsse, quòd præsumpsissent ad corpora sanctorum tangẽda, vel aspicienda propiùs accedere; & tandem pollicetur se missurum aliquid de rasura catenarum S. Pauli, si tñ limando aliquid detrahere poterit; eam enim esse catenarum illarum cõditionem, vt pro dignitate, vel indignitate petentium, aut sine mora vlla ramenta de catenis lima excutiantur, aut nihil omnino excuti possit, etiamsi totis viribus quis limando laboret.

Sanctus Gregorius TVRONICVS, libro de gloria Martyrum, & Confessorum, nihil ferè aliud tractat, vt superuacaneum sit aliquid inde velle decerpere. Omitto Bedam, Bernardum, ac posteriores, quod de fide ipsorum ne aduersarij quidem dubitent.

QVARTO, probatur ex miraculis factis ad reliquias quæ certè non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret. S. EPIPHANIVS in vita Isaiæ, Ezechielis, & Hieremię, scribit, à plurimis coli solita sepulcra eorum ob multa beneficia, quæ in ijs locis propter merita eorundem Prophetarum Deus conferebat.

S. BASILIVS oratione in Mamãtem dicit omnibus nota esse miracula, quibus Martyr alijs sanitatem, alijs vitam reddiderit. Et oratione in Iulittam scribit, cum reliquiæ S. Iulittæ ad quendam locum adductæ fuissent, vbi laborabatur penuria aquæ, mox è terra erupisse fontem aquæ dulcissimæ, vt videretur sancta illa, quasi mater, vel nutrix communis, totam illam regionem lacte suo alere.

S. Greg. Nazianz. orat. in Cyprian. *Omnia potest*, inquit, *puluis Cypriani, cum fide, vt sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos vsque transmiserunt.*

A S. CHRYSOSTOMVS, in lib. contra Gentiles, de reliquijs San. Babylæ Martyris: *Sententiæ*, inquit, *nostræ abundè fidem faciunt, quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.*

PALLADIVS in historia Lausiaca, c. 26. ad reliquias Philemonis, multa miracula facta narrat S. AMBROSIVS sermone de sanctis Geruasio, & Protasio, & epistola ad sororem de eisdem, inter multa miracula facta refert etiam cęcum nomine Seuerum, arte lanionem, omnibus notissimum, fuisse curatum ad contactum feretri, quo reliquiæ portabantur. vbi etiam non tacet idem B. Ambrosius, Arianos impudentissimè negare ausos illa miracula, quæ totus populus videbat.

Sanctus HIERONYMVS, lib. contra Vigilantium: *Tu*, inquit, *sæpius hoc vilissimo tortus es puluere*, vbi dę- B monem alloquitur, qui per os Vigilantij reliquias sanctorum, vilissimum puluerem appellauerat. & in epistola ad Eustochium de vita Paulæ, narrat ad sepulcra Elisæi, & Ioannis Baptistæ, atque Abdiæ, rugire dæmones consueuisse: In vita Hilarionis dicit, magna quotidie signa fieri ad sepulcrum eius.

S. AVGVSTINVS, lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 8. tot miracula dicit facta ad reliquias S. Stephani breuissimo tẽpore, vt multi libri scribendi sint si omnia referri debeant. SVLPITIVS in vita Martini dicit, solo contactu vestis eius curatam mulierem à fluxu sanguinis. Alia id genus sine numero referri possent.

QVINTO, probatur ex miraculis, quæ sæpe in ipsis sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus apertissimè nos ad eorum venerationem quasi C inuitare videtur San. Ioannes CHRYSOSTOMVS scribit in sermone de sanctis Iuuentio, & Maximo, vultus eorum corporum ita splendere cępisse post mortẽ, vt non posset in eos intendi sine honore quodam, & planè tales fuisse, qualem describit vultum Stephani S. Lucas Actor. 6. cùm ait: *Intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli.*

S. HIERONYMVS in vita Hilarionis scribit, corpus eius post decem menses adhuc omnino integrum repertum, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis videretur.

S. AVGVSTINVS serm. 2. de S. Vincentio, dicit, corpus eius expositum feris, à coruo mirabiliter defensum & proiectum in aquas mergi non potuisse. Et lib. 9. Confess. c. 7. dicit corpora sanctorum Geruasij, & Pro- D tasij incorrupta per plurimos annos à Deo conseruata, vt suo tempore propalarentur.

SVLPITIVS in epistola ad Bassulam Socrũ, de obitu S. Martini dicit, post mortem eius in ipsius corpore glorificati hominis apparuisse figuram; fuisse enim carnẽ eius vitro puriorem, lacte candidiorem, vt septennis pueri decorem ostenderet. Quod idem de corpore S. Francisci, refert S. Bonauentura. De S. Eduardo Rege Anglorum, qui ante annos CCCC. floruit, scribit auctor eius vitæ apud Surium mense Ianuario, anno 36. ab eius obitu, inuentum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac si etiam tunc viueret, & nõ solùm ossa, & carnes in nullo læsas, sed nec pilos capitis, aut barbæ, nec ipsas vestes, aut calceos. Quid de corpore S. Andreæ dicemus, ex quo liquor mirificus per- E petuò funditur.

Ego ipse vidi Bononiæ corpus B. Catharinæ integrum, atque incorruptum, cum ante annos supra 100. Sancta illa virgo de hac vita migrauerit. Vidi quoque apud Montem Falcum in Vmbria corpus B. Claræ æquè integrum, atque incorruptum, cũ ante annos 400. Virgo illa felicissima obierit. &, quod maius adhuc miraculum videri potest, in eius corde conspicuuntur instrumẽta Dominicæ passionis ex ipsa carne tam admirabili arte formata, vt omnes qui ea cernunt, cogantur dicere, verè digitus Dei est hic. Ac, vt alia multa prætereã, quid postremò de ciue, ac patrona mea beatissima

Agnete Politiana dicã? Floruit illa ante annos CCC. & viuens, & mortua multis magnisq; miraculis, quorum vnum me puero contigit, cuius non ego solum, sed tota ciuitas testis fuit. Eius corpus incorruptum, atque pulcherrimum non semel vidi. de qua etiam à probatis auctoribus literis proditum est, cum ad eius sacrum corpus visendum, & venerandum S. Catharina Senẽsis accessisset, pluuiam cęlestis roris, instar mã, supra vtramque diuinitus descẽdisse. Et cum ciues de sacro illo corpore aromatibus condiendo cogitarent, vt diutius seruaretur: continuò suauissimum liquorẽ instar balsami, ab eo corpore fundi, ac manare cępisse; vt omnes intelligerent, corpus diuina gratia conditum nullis alijs aromatib. indigere. eius diuini liquoris adhuc reliquiæ in Ecclesia cum ipso corpore asseruantur.

Sexto, probatur ex inuentione, & reuelatione diuinitus facta Sanctorum corporum. Si enim Deo cultus reliquiarũ non placeret, cur ipse seruis suis corpora sanctorum, quæ latebant, ostenderet? S. Ambrosio reuelata diuinitus corpora sanctorum Geruasij, & Protasij, scribit ipse in epistola de hac re, quæ refertur in tomis Surij. scribit hoc idem S. Augustlib. 9. Confess. cap. 7. Extat etiam epistola Luciani, in qua significat sibi diuinitus ostensa corpora sanctorum, Stephani, Nicodemi, & aliorum. fuisse autem verum illud Stephani corpus, innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Euodius libros duos conscripsit. Et B. Augustserm. 91. ex nouis: *Latuit*, inquit, *tanto tempore corpus eius* (Stephani) *processit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus.*

Ad hæc refert Sozomenvs, lib. 5. c. 8. ossa sanctorum Martyrum, Nestabi, & Eusebij fratrum, quę Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum, & asinorum, ne à Christianis internosci possent, sanctæ cuidã fœminæ diuina reuelatione ostensa, & ab eadem collecta fuisse. Idem Sozomenus, lib. 7. cap. vlt. refert ossa Abachuc, & Micheæ Episcopo cuidam diuinitus reuelata fuisse. Idem Sozomen. lib. 9. c. 2. refert quadraginta Martyrum reliquias diuina reuelatione inuentas.

Beda de sex ætatibus in Martiano, refert caput Ioannis Baptistæ ab ipso Ioanne reuelatum duobus Monachis. & in Zenone scribit, corpus S. Barnabæ cum Euangelio Matthæi super eius pectore inuentum, ipso Barnaba reuelante.

Septimo, probatur ex translatione reliquiarum, de vno loco ad alium, honoris gratia, ab antiquis celebrari solita. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes. Prima quidem, & antiquissima translatio fuit ossium Ioseph ex Aegypto in Palæstinam, à Mose facta Exod. 13. Deinde translatio reliquiarum Petri, & Pauli, quæ facta est ipso tempore, quo passi sunt, ad Catacumbas: Gregorivs, lib. 3. epist. 30. Tum eorundem corporum translatio à Catacumbis, partim ad Vaticanum, partim ad prædiũ Lucinæ in via Hostiensi. Cornel. Papa epist. 1. Ruffinus, lib. 2. c. 28. describit translationem reliquiarum Ioannis Baptistæ ex Palæstina Alexandriam.

S. Hieronymvs, libro cõtra Vigilantium scribit, tempore Constantini Imperatoris translatas Constantinopolim, Andreæ, Lucæ, & Timothei reliquias; & tẽpore Arcadij translatas ex Iudæa in Thraciã reliquias Samuelis Prophetæ, tanto honore, vt in vase aureo ab Episcopis reliquię portarentur, comitante tanta populorum frequentia, vt à Palæstina vsque ad Chalcedonem iungerentur populorum examina.

S. Ambrosivs initio exhortationis ad Virgines: *Ego*, inquit, *ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi sancti Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis, & gratiæ reseruaui.* Avgvstinvs, lib. 9. Confess. cap. 7. *Cùm*, inquit, *corpora sanctorum Geruasii & Protasii propalata, & effossa digno cum honore transferentur, &c.* Chrysostom. lib. de S. Babyla describit, quanto honore reliquię Martyris translatę sint. Sozomenus lib. 7. c. 10. describit translationem reliquiarum S. Meletij Antiocheni. Theodor. lib. 5. cap. 36. describit translationem reliquiarum Chrysostomi. Euagrius, lib. 1. c. 16. describit honorificam translationẽ S. Ignatij sub Theodosio iuniore Antiochiam.

Octavo, probatur ex eo, quod reliquiæ sub altaribus reconduntur, cuius rei meminit S. Ambrosius in exhortatione ad Virgines, de reliquijs Vitalis, & Agricolæ, & in epistola ad sororem, de inuentione corporũ Geruasij, & Protasij. S. Hieron. lib. contra Vigilantiũ. Prudentius in hymno 11. de cõronis Sanctorum, qui est de S. Hippolyto. S. Augustserm. 11. de Sanctis. Sozomenus, lib. 5. cap. 8. & Concilium Carthaginense V. can. 14. Videtur autem ista consuetudo Apostolorum tempore cępisse; nam ideo Ioanni Apocal. 6. ostensæ sunt in cęlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris sub altaribus requiescunt, vt Augustinfinuat loco notato. Porro ad magnum honorem pertinere hũc locum reliquijs assignatũ, docent Hieronymus, & Augustinus locis notatis, & res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur; nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris Dei adgeniculari.

Nono, probatur ex vsu cereorum, & lampadum, & quibus honorantur sacræ reliquiæ; nam quòd lumen sit honoris signum, nec sit superstitiosum, lumen accẽdere ante rem inanimam, etiam Sole lucente, patet ex candelabro, quod semper lucebat ante arcam testimonij, Exo. 25. Fuisse autem vsum accendendi cereos coram reliquijs, patet ex obiectione Vigilantij apud Hieronymum: *Videmus*, inquit, *moles cereorum Sole fulgente accendi, &c.* Et ex ipso Hieronymo epistola ad Riparium: *Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt?*

Item ex Constantino, qui, vt habetur primo Tomo Conciliorum in vita Syluestri, inter alia dona, quę obtulit sacris reliquijs Petri, & Pauli, Laurentij, sanctæ Crucis, multa numerantur candelabra, multæ lucernæ, quæ perpetuò ardere deberent: nec est credibile, Constantinum aliquid obtuliſſe, quod nõ esset in vsu antea in Ecclesia. Præterea Theod. in hist. lib. 5. c. 36. testatur in translatione reliquiarum S. Chrysostomi, plurima accensa lumina prælata fuisse.

Pavlinvs natali 3. Felicis, describens cultum, qui S. Felici habebatur:

Aurea, inquit, *nunc niueis ornantur limina velis,*
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Limina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte, dieq; micant, si nox, splendorq; diei
Fulget, & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Gregorivs, lib. 3. Dialog. cap. 24. meminit lampadis, quę ardebat etiam noctu, dormientibus omnibus, in templo S. Petri.

Decimo, probatur ratione ducta ab vtili, & ab honesto. Ratio ducta ab vtili, est apud Chrysostomum in libro de S. Babyla Martyre. Deus enim, vt Chrysostomus ait, nihil ferè vtilius nobis reliquit ad salutem, sanctorum reliquijs. nihil enim efficacius repræsentat, & infigit in animo memoriam sanctorum, quàm sepulchrum ipsorum. statim enim, atque videmus sepulcrũ sancti alicuius, recordamur illius, & virtutum eius, patientiæ, caritatis, castitatis, pietatis; & simul cogitamus quanta gloria fruatur in cęlis pro labore breuissimo huius vitæ, &c.

Ratio ducta ab honesto est multiplex. Primvm enim corpora sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. Vide Tertullianum de resurrectione carnis. Secvndo, fuerunt, & sunt instrumenta

Dei

Dei ad miracula. TERTIO, sunt pignora patronorum. QVARTO, sunt exuuiæ carissimorum. QVINTO, sunt trophæa triumphantiũ. SEXTO, designata sunt ad gloriam incredibilem, nimirum, vt sint post resurrectionem corpora sole clariora, & vsque adeò corporibus omnibus præstent, vt super omnia meritò collocentur. His igitur, alijsque de caussis Sanctorum reliquiæ à fidelibus magni fiunt, & debito cultu honorantur.

CAPVT IV.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

EX ijs, quæ dicta sunt, non erit difficile argumenta soluere, quæ initio proposuimus.

Igitur ad PRIMVM argumentum, quod erat Ioânis Viclef ex Euangelio depromptũ, respondemus, Dominum non reprehendere Iudæos, quod ædificarent, vel ornarent monumenta Prophetarum, sed quod nõ imitarentur eos quorum monumenta ornabant, sed potius eos, qui illos occiderunt, atque ita seipsos condemnarent. Sic enim exponunt eum locum ferè omnes Patres, vt Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus in cap. 23. Matthæi, & Ambrosius, ac Beda in cap. 11. Lucæ.

Propheticorum, inquit AMBROSIVS, *ædificatione tumulorum, sceleris eos, qui occiderunt, arguebant, & similium æmulatione factorum se quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes. non igitur ædificatio, sed æmulatio loco criminis æstimatur.* Hæc ille. Et CHRYSOSTOMVS homil. 75. in Matth. *Non quia ædificant*, inquit, *nec quia Patres suos accusant, væ illis dixit, sed quoniam ita facientes, & ita dicentes Patres suos condemnare audebant, cùm ipsi peiora committerent.*

DICES; At Lucæ 11. Dominus ait: *Profectò testificamini, quia cõsentitis operibus Patrum vestrorum, quia illi Prophetas occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Vbi videtur Dominus accusare ipsam ædificationem, tanquam testimonium consensus in necem Prophetarum.

RESPONDET Chrysostomus loco citato, Iudæos ædificare solitos sepulchra Prophetarum, non vt honorarent Prophetas, sed vt ostenderent vires, & potentiam maiorum suorum, qui Prophetas occidere potuerunt. Licet enim Iudæi non esse hanc suam intentionem dicerent, sed omnino contrariam; tamen reuera hanc fuisse eorum intentionem patet, quia occidere quærebant Dominum Prophetarum.

HIERONYMVS in cap. 23. Matth. paulò aliter exponit, dicit enim antiquos Iudæos ex superbia occidisse Prophetas; recentiores autem ex superbia, & ambitione ædificasse sepulchra eorundem, & proinde eo facto consensisse operibus Patrum suorum.

CAIETANVS saris accommodatè exponit, eum, qui sepelit occisum, posse id facere, vel vt honoret mortuũ, vel vt compleat actum homicidæ; ordinariè enim homines occiduntur, & postea sepeliũtur, vt scelus lateat. Iudæi aũt etiamsi dicerent se ædificare sepulchra Prophetarum, vt eos honorarent, tamen id facere videbãtur, vt complerent opera Patrum suorum, vt patet ex eo, quod ipsi postea maiores Prophetas, ideſt, Christũ, & Apostolos aliquos occiderunt.

Ad SECVNDVM dico, in monumentis adesse, vt minimum, memoriam Sanctorum; nam inde sepulchra Sanctorum apud veteres passim dicuntur memoriæ. Porrò memoria Sanctorum honorabilis est. Alioqui nec in sepulchro Christi adest nunc anima, vel caro Christi, & tamen iuxta Isaiæ, cap. 11. erit sepulchrum eius gloriosum. Dico præterea, in sepulchris Sanctorum inueniri alteram partem substantiæ ipsorũ, ideſt, materiam illam ipsam, quam Spiritus Sanctorum animarunt, & rursum animabunt.

Ad PRIMVM Caluini de Moysi corpore multis A modis responderi potest. Hilarius in c. 17. Matth. Ambrosius, lib. 1. de Cain, cap. 2. & Gregorius Nyssenus in vita Moysis dicunt, Moysem nondum esse mortuum, & proinde nec sepultum, sed translatũ cum Henoch, & Helia. id quod etiam aliqui recentiorum docent. Sed id non facilè defendi potest; & firmis argumentis eam sententiam oppugnat Rupertus in cap. vlt. Deut. PHILO in fine librorum de vita Moysis docet, mortuũ quidem Moysem, & sepultum, sed ad gloriam Moysis pertinere, quòd sepultus sit in sepulchro tam admirando, vt nullus hominum dignus fuerit vnquam illud conspicere. quo etiam videtur alludere Oecumenius in epist. Iudæ. Probabile tamen est quod scribit Chrysostomus homil. 5. in Matth. occultatum fuisse Moysi sepulchrum, ne à Iudæis coleretur pro Deo.

DICES; nec coluerunt Moysem viuẽtem pro Deo, ergò multo minus coluissent mortuum. RESPONDEO viuentem non coluerunt, quia quotidie ab illo audiebant, vnum esse verum Deum, se autem illius seruum: At post mortem recordati mirabilium eius, & non audientes verba eius, facilè potuissent adduci, vt crederẽt esse Deum, eumq; adorarẽt si scirent vbi esset, præsertim, quia valde credibile est corpus eius, licet mortuum, conseruasse adhuc splendorem vultus, & decorem, quem antea habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Exemplum habemus in serpente æneo; nam Num. 21. iubente Moyse aspiciebant Iudæi tacti à serpentibus in illum æneum serpentem, & curabantur; nec tamen eum adorabant cultu latriæ, quia nimirũ Moyses dixerat illis, serpentem illum non esse Deum, sed signum dumtaxat salutis: at 4. Reg. 18. eidem serpenti tanquam Deo sacrificabant, cùm tamen iam nulla operaretur miracula, & ideo ab Ezechia confractus fuit.

DICES; idem periculum est nunc in reliquijs aliorũ Sanctorum. RESPONDEO, falsum esse: nam populus Iudæorum eo tempore propensissimus erat ad idololatriam, ita vt etiam vitulos aureos coleret; Vnde post captiuitatẽ Babylon. quia populus ille non amplius coluit idola, videmus Deum illustrasse sepulchrum Isaiæ, Ezechielis, Hieremiæ, Helisæi, Abdiæ, & aliorũ multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui ossibus eorum exhibebatur, vt Epiphan. & Hieron. tradunt. Adde, quod nunquam est auditum apud Christianos, vt aliqui Sanctorum reliquijs diuinos honores detulerint. nec desunt in Ecclesia, qui & literis, & sermonibus populos doceant, quis cultus reliquijs debeatur.

Ad SECVNDVM dico, 2. Corin. 5. cùm dicitur: *Etsi nouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*, per carnem intelligi mortalitatem, & passibilitatem; & sensum esse, si nouimus aliquando Christum mortalem, & passibilem, nunc non nouimus, nisi immortalem, & impassibilem; sicut 1. Corin. 15. dicitur: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et Heb. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; obtulit, &c.* Sic exponunt omnes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, Anselmus, &c.

Eodem modo respondit VII. Synodus, Act. 6. to. 4. eidem argumento, quod ab Iconomachis obiectum fuerat. vbi etiam additur testimonium sancti Cyrilli. Et quod non velit Apost. docere, (quod Caluinus ait) esse obliuioni tradendum, & missum faciendum quidquid in Christo carnale fuit, ideſt, omnem memoriam humanitatis eius, vt solùm de spiritu, & diuinitate cogitemus, patet; nam Paulus 1. Cor. 11. dicit Sacramentum Eucharistiæ institutum in memoriam passionis; & addit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat:* & ipse nihil sæpius repetit, quàm crucem, & passionem, & mortem Domini. Et quomodo, quæso, iuxta Isaiam, c. 11. esset sepulchrum eius gloriosum, si deberemus obliuisci mortis Domini? DENIQVE, vel debemus

mus recogitare beneficia Domini, vel non: Si non, ingratissimi sumus, contradicimusque Paulo, qui Hebr. 12. ait: *Recogitate eum, qui talem aduersum semetipsum à peccatoribus sustinuit contradictionem*. Si sic, ergo debemus incarnationem, natiuitatē, passionem, & mortem Domini cogitare.

Ad TERTIVM dico. PRIMO, cultum reliquiarum non esse cultum voluntarium, ideſt, ab hominibus excogitatum, sed esse à Deo inspiratum, vt patet ex Scripturis citatis; nam Scriptura approbat cultum sepulchri, fimbriæ Christi; item vmbræ Petri, sudariorum, & semicinctiorum Pauli, &c.

Dico SECVNDO, apud Paulum Coloss. 2. ἐθελοθρησκείαν, non significare cultum quomodocunque voluntarium, ideſt, nō præceptum à Deo, sed ab homine excogitatum; sed cultum superstitiosum, vt noster interpres rectè vertit: siue falsam religionem, vt exponit S. Hieron. in epist. ad Algasiam, q. 10. Probandum igitur esset Caluino cultum reliquiarum esse superstitiosum, vel falsum, si vellet esse reprehensum à Paulo.

Ad QVARTVM; nego periculum esse idololatriæ, imò cultus reliquiarum est detestatio omnis idololatriæ. nam Martyres mortui sunt, vt idololatriam destruerent; qui ergo Martyris reliquias colit, indicat se gaudere de idololatriæ destructione. & rectè Christiani apud Ruffinum, lib. 1. cap. 35. cùm transferrent reliquias Babylæ canebant magna voce: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*.

Ad illud de cereis, dico cereos accēsos coram tumulis Martyrum non esse signum adorationis Deo debitæ; nam non offeruntur cerei Martyribus, tanquam sacrificia, sed accenduntur in signū lætitiæ. ignis enim accendi solet ad lætitiam significandam etiam in rebus profanis. Præterea, ignis signum est gloriæ, vnde Imperatoribus Romanis, & Imperatricibus vbique ignis præferebatur, teste Herodiano, lib. 1. Sancti autem vera gloria nunc fruuntur, & cum Christo regnant, atque imperāt in cęlis, vt merito illorum memoriæ ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitæ, proinde cereis protestamur viuere Sanctorum animas, & ipsa corpora suo tempore victura.

Ad Hieronymum dico, eum, cùm ait de ijs, qui accendunt cereos coram reliquijs; (*Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*) loqui de ijs, qui cereos accendunt, existimantes inde Martyres illustrari; nam Vigilantius dixerat, per Ironiam: *Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari*. De his ergo, qui cum tali opinione falsa cereos accendunt, Hieronymus dicit, eos zelum habere, sed non secundum scientiam.

Quòd autem Hieronymus absolutè putauerit bonum coram reliquijs accēdi cereos, patet PRIMO, quia in epist. ad Riparium ipsemet affert in argumentū cultus Sanctorum vsum accendendi cereos. & libro in Vigilantium ait: *Caussabantur quondam, & Apostoli, quòd periret vnguentum, sed Domini voce correpti sunt. neque enim Christus egebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Christi fecit, deuotioq; mentis eius recipitur: & quicunque accendunt cereos secundum fidem suam, habent mercedem*. Et infrà: *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est*.

SECVNDO, idem patet, quia Hieronymi tempore erat vsus eiusmodi cereorum non solùm apud mulierculas, sed etiam apud Episcopos, & vniuersam ecclesiā, vt patet ex Paulino, Theodoreto, & alijs suprà citatis.

TERTIO, si esset superstitio accendere cereos interdiu coram reliquijs, esset etiam accendere cùm legitur Euangelium, & cùm mortui deferuntur ad sepulcrū. Atqui consueuisse ad Euangelium accendi cereos in toto Oriente, docet Hieronymus ibidem contra Vigilantium: & accendi in funere, docet ipse idem in vita Paulæ, vbi dicit in funere Paulæ etiam Episcopos cereos accensos gestasse.

Ad Concil. Elibert. respondimus cùm ageremus de Purgatorio, Cōcilium id prohibuisse, quia fiebāt more Gentiliū, inter quos tunc Christiani versabantur, &c.

Ad Augustinum dico, eum vocare sepulchrorum adoratores quosdam, qui (vt ipse putabat) sacrificium panis, & vini, aliarumque epularum Manibus defunctorum offerebant, & deinde ijsdem cibis, & vino se ingurgitabant, & inebriabant. Sic enim loquit ur: *Noui*, inquit, *sepulchrorum adoratores, noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & voracitates, ebrietatesq; suas deputent religioni*. Sed hæc scripsit Augustinus initio conuersionis suę. Postmodū autem reprehendit quidem illam consuetudinem, sed non tanquam idololatriam; nam lib. 6. Confess. cap. 2. dicit, matrem suam consueuisse ex pietate id facere: sed Mediolani ab Ambrosij clericis fuisse prohibitā. Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, & quia videbatur affinis superstitioni Gentilium, licet integro animo à Christianis id fieret. Idem etiam August. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 27. dicit meliores Christianos id non facere, eos autem, qui id faciunt, non sacrificare defunctis Martyribus, sed ponere super tumulos Sanctorum epulas, vt à Deo per merita Martyrum sanctificentur.

Quòd autem Augustinus non putauerit malum venerari sepulchra Sanctorum, patet ex epist. 42. ad Mandaurenses: *Videtis*, inquit, *imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare*. Et NOTA, August. hæc scribere idololatris, vt ostenderet idolorum cultum à Christianis destructum. Præterea August. cùm reprehendit sepulchrorum adoratores, certè non reprehendit Chrysostomum, & Hieronymum, sed turbas imperitorum. Atqui Chrysostomus sermone in Sanctos Iuuētium, & Maximum dicit: *Tumulos Martyrum adoremus*. & Hieronymus ad Marcellam, vt migret Bethleem, dicit, sepulchra, & cineres Ioannis Baptistæ, Helisæi, & Abdiæ meritò adorari à fidelibus in Palæstina.

GAVDENTIVS Brixianus Ambrosij æqualis, tract. 4. in Exodū: *Gulæ*, inquit, *suæ caussa primum caperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederēt; post hoc sacrificia etiam ausi sunt eis sacrilega celebrare. quamuis nec ipsi minus mortuis suis sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt, &c.* vbi arguit morem illum tanquam ex Gentilium errore relictum. Itaque fortasse pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiā meritò reprehenduntur, sed non propterea omnis cultus sacrarum reliquiarum abolendus est, quia nimius cultus iure reprehensus est.

Ad QVINTVM argumentum, negamus, reliquias, quæ publicè in templis exponuntur venerandæ, esse suppositicias. Semper enim Ecclesia diligenter curauit, ne fraudes fierent, & præcipuè post decretum Concilij Lateranensis, vt nullæ reliquiæ publicè recipiantur sine auctoritate Romani Pontificis.

Ad illud Augustini (*si tamen Martyrum*) dico, non mirum, si Augustinus dubitabat de reliquijs, quas quidam priuati homines circumferebant. nos autē de reliquijs agimus, quæ publicè in templis conseruantur.

Ad illud, de pluribus corporibus, dico, in varijs locis esse partes eorundem corporum, sed denominari à parte totum; nam, vt scribit Basil. orat. in 40. Martyres, toti Martyres 40. dicebantur tunc esse in varijs vrbibus, quia quælibet ciuitas habebat partem eorum. Theodor. etiam lib. 8. de Martyribus dicit, Martyrum corpora rarò inueniri integra in vno aliquo monumēto, sed esse diuisa, & distributa in varia loca.

Denique,

Denique, sanctus Ioannes Chrysost. in libro, quod Christus sit Deus, Apostolum Petrum & Romæ, & Constantinopoli iacere dicit, cùm tñ Constantinopoli nihil esset, nisi aliqua particula; nam corpus ipsum Romæ esse sepultum. Idem Chrysostomus testatur hom. 32. in epist ad Romanos. Sed verba eius audiamus ex libro iam citato: *Romæ, inquit, quę vrbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt Reges, & præsides, & milites, & Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putãt, non si propè Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiansq; piscatorũ ostiarij Reges.*

CAPVT V.

De nomine Imaginis & Idoli.

SEQVITVR nunc ordine suo disputatio de cultu imaginũ; cuius disputationis octo erũt partes. PRIMVM. n. dicẽdũ erit de nomine imaginis, idoli, & simulachri. SECVNDO, qui fuerint hostes imaginum. TERTIO, an liceat habere imagines. QVARTO, an liceat eas colere. QVINTO, quo cultu colendæ sint.

His addam peculiarem tractatum de cruce, & quidẽ trimembrẽ. Nam PRIMO agemus de vera Cruce Dominica. SECVNDO, de imagine crucis permanente. TERTIO, de imagine transeunte, id est, de signo crucis, quod in aere pingimus.

Vt igitur à nomine incipiamus, Henricus Stephanus in suo thesauro ī voce εἴδωλον, scribit apud Ecclesiasticos idolum vocari oẽ simulachrum, numen aliqđ repræsentans, qđ cultu & honore dignamur. Ex quo sequitur apud Ecclesiasticos imagines Christi & Sãctorũ, & pcipuè imagines Trinitatis rectè vocari idola. Et si quidẽ Henricus p Ecclesiasticos intelligit Doctores suos, Caluinum, Martyrẽ, Illyricũ & alios eiusdẽ classis: rectè dicit, illi. n. vix vnquã aliter imagines nostras appellãt, quàm idola. Si autem per Ecclesiasticos intelligit sanctos Patres, vel Apostolos, & Prophetas, falsissimum est, qđ ipse dicit; nã in primis VII. Synodus, act. 5. & 7. anathema dicit ijs, qui imagines Christi & Sanctorum vocant idola.

Deinde Origenes hom. 8. in Exod. & Theodoretus quæst. 38. in Exod. exponẽtes illud Exod. 20. *Non facies tibi sculptile* (quod LXX. verterunt εἴδωλον) *& omnem similitudinem, &c.* Dicunt inter imaginẽ et idolũ hoc interesse, q̃ imago est vera rei similitudo; vt cùm pingimus hominẽ, equum, &c. Imago enim ab imitando dicta est. Idolum autem est falsa similitudo, i. repræsentat id, quod reuera non est. vt cũ Gẽtiles proponebant statuas Veneris, aut Mineruæ. illa signa idola erant, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dij nec sunt, nec esse possunt. Atq; ita nec verè repręsentabant, sed erãt falsæ imagines. id enim, quod non est, repræsentari non potest. Ex quo intelligimus imagines Christi & Sanctorum nõ esse idola. Sed nec Trinitatis, aut Angelorum imagines sunt idola, quia non sunt factæ ad repręsentandũ naturam Trinitatis, vel Angelorum, sed ad exprimẽdam formam, in qua apparuerunt, vel certè eorum proprietates, vt infrà dicemus.

Hanc esse veram differentiã illarum vocum secundum Ecclesiasticos, probatur PRIMO, quia Scriptura nusquam tribuit nomen idoli vlli verę imagini, sed solùm simulacris Gentilium, quę falsos Deos referebant. Scriptura vocat filium Dei imaginem Patris, Sap. 7. Colosſ. 1. & ad Hebręos 1. at nunquam vocat idolum Patris & 3. Reg. 7. dicitur Salomõ fecisse ad ornatum tẽpli imagines Cherubim ad similitudinẽ hominum, item imagines leonum, boum, palmarũ, malogranatorum, florum, &c. nec vnquam ista vocant idola, qa nimirũ rerũ verarũ similitudines erãt.

SEPTIMO, quia Scriptura Testamẽti veteris idola vocat ordinariè אֱלִילִים vt Leuit 19. 26. & alibi, vel אֱלִלִים, vt Num. 33. Oseæ 6 & alibi. Porrò אֱלִיל significat vanum, falsum; & similiter אֶרֶז vanum, mendacium; interdum etiam vocat שֶׁקֶר, id est, mẽdacium, vt Hieronymus notat in c. 7. Oseæ. vbi semper vides idolum aliquid falsi significare. Denique Habacuch secundo ait Scriptura: *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, & imaginem falsam?* vbi clarissimè definitur idolum imago falsa. cui simile est, quod ait Plato in Theeteto, cùm ait ψεῦδη καὶ εἴδωλα περὶ πλείονος ποιησάμενος τἀληθῆ, i. mendacia & idola pluris faciunt, quàm veritatem, vbi idolum cũ mẽdacio cõiũxit, & veritati opposuit.

TERTIO, quia B. Paulus 1. Corinth. 8. ait: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* vbi idolũ nihil est dr, quia licet sit aliquid secundum materiam, tamen nihil est formaliter, cùm id repræsentet quod nihil est, & proinde nec verè repręsentet, & cõsequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in cap. 7. Oseæ, ad probandum idolum nihil esse; nam Hester 14. dicitur: *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt*, id est, idolis.

QVARTO, quia B. Hieronymus in c. 2. Habacuch, & in cap. 13. Zachariæ, & alibi passim confert hæreses cum idolis, quia vt idolum est falsa imago, ita hęresis est falsa imaginatio.

QVINTO, ex ipsa vocis proprietate; nam (vt Tertullianus docet libro de idololatria) idolum est diminutiuum ab εἶδος ideſt, forma, & significat formam paruam, non quantitate sola, sed perfectione. Est. n. propriè idolũ (vt exponit Eustathius in lib. 11. Odisseæ) imago inanis, qualis est, quæ cernitur in vmbra hominis, & qualia sunt phantasmata, id est, imagines quas imaginatione fabricamus, quibus sæpe nihil respondet in re; & qualia denique sunt spectra & vmbræ mortuorum, quę vñr quidem esse aliquid solidũ, sed inanes sunt. Vnde Homerus in 11. Odisseę, & Lucianus in Dialogo de mortuis, animas mortuorũ vocãt εἴδωλα. & Virgilius in 6 lib. Aeneidos videtur idipsum explicare voluisse, cùm ait:

Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictam q̃, aciem venientibus offert:
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cauas sub imagine formæ;
Irruat, & frustrà ferro diuerberet vmbras.

Vbi quod Homerus, & Lucianus vocant εἴδωλα, vocat ipse vmbras, & cauas imagines, ideſt, vanas & inanes. Quoniam ergo idolum propria & primaria significatione designat imaginem inanem, indescriptores sacri, & Ecclesiastici Doctores vocauerunt idola statuas falsorum Deorum, licet solidè sint quoad materiam, quia inanes sunt quoad formam, id est, quoad repręsentationem. Hęc de nomine idoli.

Nomẽ simulachri est quidem paulò communius; nam Lactantius libro 6. de vero cultu, cap. 10. & 13. vocat hominem Dei simulachrum; & libro 2. de origine erroris, cap. 2. dicit simulachrum dici à similitudine, & proinde omnem veram imaginem posse dici simulachrum. Verius tamen est, quod alij dicunt, simulachrum dici à simulando, non à similitudine; nam in Scripturis simulachra vbique ponuntur pro idolis. Semper enim vbi Latinus interpres posuit simulachra, vt Actor. 15. Psalm. 113. 1. Ioan vlt. & alibi, semper in Greco est εἴδωλα. & B. Augustinus in Psalm. 135. dicit, Latinos ea simulachra vocare, quę à Gręcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in ca. 7. Oseę dicit, sic opponi simulachrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia simulachrum Deum falsum refert.

Denique, sicut Homerus, & Lucianus vocãt idola vmbras mortuorum, quę vñr solida corpora quędã,

& non sunt; ita etiam Lucretius lib. 4. & Virgilius lib.4. Georgicorum, & lib.6. Aeneidos, easdem mortuorum vmbras passim appellant simulachra.

CAPVT VI.

De principibus Iconomachorum.

AVCTORES Iconomachiæ fuerunt omnes aut Iudæi, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifestè Hęretici, ita vt negare nō possint q hoc tępore oppugnāt imagines, auos & maiores suos fuisse impios.

Alphonsus de Castro, verbo, Imago, tribuit hunc errorē cuidā Felici, quem dicit damnatum in Concilio Franconiæ, teste Platina in Adriano primo, nec tamen potest inuenire, quis iste Felix fuerit. Tribuit item Sereno Episcopo Massiliæ, quem B. Gregorius reprehendit lib.7. epist. 109. & lib.9. epist. 9. denique eundem errorem tribuit Alphonsus B. Epiphan. in epist. ad Io. Hierosolymitanum.

Sed nullus horum, pace Alphonsi, in isto errore versatus est; nam Felix damnatus in Synodo Francofordiensi, est Felix Episcopus Vrgelitanus. Is autē (vt ex Adone ī Chronico, & Iona lib.1. patet) solùm docuit Christum esse filium Dei adoptiuum, quia tamen eadem Synodus reprobauit eodem tempore (vt ex eodem Adone in Chronico anni DCC.XCII. patet) Pseudosynodum Græcorum cōtra imagines, putauerunt tam Platina, quàm Alphonsus, hæresim Felicianam esse hæresim Iconomachorum.

Serenus autem confregit quidē imagines, sed nullo modo Iconomachis hæreticis annumerandus est; nam imagines fregit, quia videbat eas à Christianis, tum recens conuersis, adorari pro Dijs. Vnde B. Gregorius laudat zelum eius & fidem, & solum reprehēdit temeritatem, quod ausus sit id facere, quod nullus vnquam Episcopus fecerat, & monet eum, vt populum instruat cur imagines ab Ecclesia teneantur, & præmissa institutione imagines in templis reponi sinat. Nec erat opus, vt Castro diceret, Serenum, & Epiphanium excusari ab hæresi, quia res nondum erat determinata. Satis enim res determinata erat vsu totius Ecclesiæ: sed nihil isti contra fidem, aut veritatem egerunt, vel docuerunt. Ac præsertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspicione erroris circa imagines in VII. Synodo, act.6. to.5. & nos infrà de hac re agemus. Et certè non sine temeritate, & præiudicio Catholicæ fidei tam crassi errores tā magnis viris tribuuntur.

Nicolaus Sanderus lib.1.c.vlt. de imaginibus dicit, primos Iconomachos fuisse Manichæos, tū q̄a id vī indicare Tharasius in VII. Synodo, tum ēt, quia Faustus apud August. lib.20.c.3. cōtra Faustū, gloriatur à suæ sectæ hominibus Deū sine simulachris coli: Sed an res ita se hēat, vehementer dubito; nā Tharasius in VII. Synodo, act.5. non dicit Manichęos respuisse imagines; sed dicit, Iconomachos dum imagines respuunt, similes esse Manichæis, qui asserebant, Christum non habuisse verum corpus; qui.n. negat Christum posse depingi, vī existimare, Christū non hēre verum corpus. Porro Faustus apud August. non loqtur de imaginib. Sāctorū, sed solū de imaginibus Dei. Vñ nec Faustus eo loco reprehēdit Catholicos, qđ hērēt imagines, nec August. reprehēdit Manichęos, quod imaginib. carerent: Ergo primi Iconomachi sunt Iudæi, qui in suo Thalmud qđ prodijt anno Chri CD. LXXVI. ord.2. tract.1. dist.2. diserte docēt, Chrianorū Ecclesias esse domos idololatrię, qđ pp imagines dictū esse patet, tū ex VII. Synodo. vbi frequēter Iconomachi dīr Hebræi: tum ex Dialogis Leontij, vbi altercatur Iudæus cum Chriano de imaginibus, habetur pars horum Dialogorū in VII. Synodo, act.5.

Circa idem tps Zenone imperante extitit Xenaias, quē principē Iconomachorū fuisse dicunt Nicephorus lib.16.c.27. & Cedrenus in compendio. Fuit aūt iste Xenaias hō Persa, & Barbarus, imò & seruus fugitiuus: & licet nō esset baptizatus, simulans tī se Chrianū irrepsit ad Epatum. Sed quamquā iste apertè suasit, nō esse venerādas imagines: non tī legim⁹, qđ psuaserit, nisi fortè aliq̄bus paucis. At post annos ferè centum, Iustino iuniore Imperatore, Samaritani quidam irruperunt in Ecclesiam quandam, & in imagines Christi, & Sanctorum ferocissimè grassati sunt, vt patet ex epistola Simeonis Eremitæ ad Iustinum Imperatorem, q̄ habetur in VII. Synodo, act.5.

Non diu postea post annum Dñi D C. exortus est Mahumetus, qui suæ sectæ hominibus nullas imagines in templis pmisit, vt ex Alcorano, c.15. & 17. & ex ipsa experiētia patet. Nec.n. Turcę imagines hnt, & nos idololatras putāt propter cultum imaginum.

Iterum post annos ferè cētum, i. post annū DCC. Dñi, Hebræus quidā maleficus Ezidi Regi Arabum Mahumetano pmisit XXX. annos vitę, si in suo imperio iuberet imagines Christi, & Sāctorum ex Christianorum Ecclesijs auferri & comburi. Iussit ille, sed cum Chriani non parerent, immisit Arabes, & Hebræos in Ecclesias, qui negotium impigrè pfecerunt: Sed Rex Ezides anno sequēti obijt, & Hebręus tanquā impostor à successore eius turpissima more mori coactus est. Narrat̄ histo. in VII. Synodo act.5. necnō à Cedreno, Zonara, & Niceta in vita Leonis Isauri.

Paulò pòst, Leo Isaurus Imperator à Iudæis similiter psuasus, publico edicto imagines deponi, & deleri ex tēplis oībus iussit: Et multos Christianorū resistentium neci dedit. vnde Iconomachi cognomē inuenit. Auctores sūt, Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, & alij. Atq. hic fuit primus Christianorum, q̄ bellum mouit cōtra imagines; nam etsi Philippicus, teste Paulo Diacono, deposuerat imagines sex Synodorū: tī id fecerat odio sextę Synodi, nō odio imaginū. Fuit.n. Philippic⁹ Monothelita, nō Iconomach⁹.

Vtrum autem Leo rectè fecerit, an malè, vel ex eo pspici pōt, qđ maluit in ea caussa Iudęorum maleficorum consilijs adhęrere, quā S. Gregorij Papę, S. Germani Patriarchę Constantinopolitani, qui tūc sedebant, & Imperatori apertè restiterunt, vt ex ijsdē auctoribus patet. Fuisse autē Gregorium illum, & Germanum, optimos & doctissimos Pontifices tradunt historici oēs eius temporis Greci & Latini. Restiterunt etiam Leoni duodecim sapientes, qui cum prępositō suo, qui dicebatur magister Oecumenicus, publicis sumptibus alebantur, & omnium optimi, & sapientissimi erāt: quos Leo vnà cum domo, & instructissima eorum bibliotheca combussit. Vide Zonarā in vita huius Leonis.

Impietatē porrò Leonis sequutus est Constātinus Copronymus huius Leonis filius, q̄ ī signum futurę improbitatis dū baptizaretur, sacrum fontē stercore fœdauit: & pterea Necromanticus fuit, & hereticus Nestorianus; nam non credidit B. Mariam esse Deiparam, vt ex Zonara & Cedreno cognosci potest.

Monet autē rectè Sāderus Gulielmū Xylādrum, nō fideliter vertisse in hac hist. verba Cedreni. vbi.n. Cedren⁹ scripsit, Cōstātinū istū exegisse iuramētum ab oīb. imperio suo subiectis, quo iuramēto cōfirmārēt, nullā se imaginē adorgaturos; illa verba, τὴν εἰκόνι μὴ προσκυνῆσαι τινι; ille vertit: nulli se simulachro supplicaturos; quasi videlicet Chriani idolis supplicent. Cū tī cōstet, vt ià ostēdim⁹, imagines nō rectè vocari simulachra; & vsus Chrianorū hēat, vt imagines venemur, nō vt eis quasi viuētib. & sentientib. supplicemus. Sed nimirū qui fidē Deo non habet, nihil mirum, si etiam fidem non seruet in libris trāsferendis.

Post annū deinde D.CCC. cū aliquādiu quieuisset bellū cōtra imagines; iterū renouatū est à Leone Armenio Imper. & q̄ ei successerunt, Michaele Balbo, & Theophilo, quos omnes improbissimos fuisse

postre-

postremum etiam Iudaicæ sectæ,& Necromātię addictum testātur Cedrenus & Zonaras in vita ipsorū.

Eodem tpe,quo Theophilus in Oriente imagines oppugnabat,exstitit in Occidēte sub Imperio Ludouici Pij Caroli Magni filij Claudius Hispanus, Epūs Taurinēsis Felicis Vrgelitani discipulus, q̄ imagines oēs,& cruces è templis omnibus suæ diœcesis abstulit. Fuit autē homo imperitus,& superbus,vt ex libello eius libris Ionæ inserto apparet, & hæresim Arianā,iam sepultā,rursus ad lucem reuocare conat⁹ est.

Post illa tpa circa annum Dñi M. CCCLXXII. exstitit Ioān. VViclef,q̄ obiter attigit imaginū reprehensionē,sed discipuli eius acrius postea imagines oppugnauerunt. Vide Thomā VValdensem,to.3.tit.19. Eundem errorem tribuit VValdensibus Claudius Coussordius lib.contra VValdenses, artic.vltimo.

Scribit ēt Ioann.Cochlęus lib.3.hist.Hussitarum, à Hierony.de Praga imaginē Chri crucifixi deiectā, & stercore fœdatam, cùm tñ ipse in cubiculo adoraret imaginem VViclefi diademate coronatam.

Deniq. hoc nostro seculo primus, qui imagines è templis abstulit, Andreas Carolstad.fuit,anno M.D. XXII.teste Ioanne Cochlæo in vita Lutheri. Lutherus autem quamquam rem probaret, reprehendit tñ auctorem,vt ibidem Cochlæus dicit,quia, vt id faceret,non à se potestatem & auctoritatem flagitauerat. Item Zvvinglianos contra imagines pugnasse scribit Cochlæus in act.Lutherianni M.D.XXVI.Philipp⁹ quoq. in locis cōibus explicans decalogum,reprehendit imaginum venerationem. Similiter Magdeburgenses Cent.8.passim,sed præcipuè Cen.9.& 10.

Denique Ioannes Caluinus lib.1.cap. 11. & lib. 4. c.9.§. 9. Institut. acerrimè imaginum cultum reprehendit.& Caluinistæ,vbicunq. possunt,eas frangunt, vel comburunt,vel abradunt.

CAPVT VII.

Licere imagines & facere, & habere.

His præmissis,vt ostendamus licere Christianis vsum imaginum,proponemus,& refutabimus varios,qui de hac re exstiterunt,errores.

Ac Primvs quidem est Iudæorum, qui quondam propensissimi erant ad idololatriam; at post Christi aduentum superstitiosissimi sunt contra imagines. Dicunt.n.iure diuino prohibitū esse imagines quasi libet efficere,teste Paulo Burgensi,addit 2.ad Lyranū sup c.20.Exod. qd idē docēt VViclefistæ apud VVal densem,to 3.tit.19.c.152.Rō eorum est,quia Exod. 20.dī: *Non facies tibi sculptile, neque oēm similitudinem, &c.* Cæterum hic est error manifestus. Et sine dubio nō prohibet in decalogo oīs imago, sed solùm illa, q̄ dici pōt idolum,id est,imago, quæ habetur pro Deo, vel q̄ repræsentat tanquam Deum eam rem, q̄ non est Deus. Cùm.n.dī: *Non habebis Deos alienos.* prohibetur actus interior idololatriæ.cùm autem additur: *Non facies tibi sculptile,&c.* Prohibetur actus exterior. Vide August.q.71.in Exod.

Probatur hęc sńia. Primvm,quia si prohiberetur oīs imago,sequeretur p̄cepta decalogi nō esse tm̄ 10. sed 11.vel 12.contra Scripturā, q̄ dicit esse 10.Exod. 31.& 34.Deut.4.9.& 10.nā constat vnū p̄ceptū esse. *Non habebis Deos alienos.* Alterum, nō assumes nomen Dei in vanum.III.Sabbatha sanctificęs.IV.Honora parentes.V.Non occides.VI. Nō mœchaberis. VII.Non furaberis.VIII. Non dices falsum testimonium IX Non concupisces.ista nouem sine controuersia sunt distincta.

Porrò illud: *Non concupisces*, vel debet diuidi in duo; vt nonum sit,non concupisces vxorem alienā; X. non concupisces rem alienam; vel ista oīa ad vnū ptinent. Si dēt diuidi in duo,ergo illud: *Non facies tibi sculpsile*, erit vndecimum,vel oportet dicere,illud non esse p̄ceptū distinctū à primo, vt reuera dicunt Clemēs Alex.lib.6.Strom. August.q.71. in Exod. & epist.119.cap.11.& cōiter Scholast.3.sent.dist.37.& Catechismi oēs Latini. Et tūc nō ꝓhibetur sculptile qdcūq. sed solùm sculptile, qd hētur pro Deo alieno.

Si autē: *Non concupisces*,est vnū tm̄, vt existimant Philo in lib.de decalogo ante mediū,Ioseph.li.3.Antiquit.c.6.& 8.Orig.hom.8.in Exod. Ambr.& Hier. in c.6.ad Ephesi.Procopius,& Ruptus in c.20.Exod. Tunc illa oīa verba erunt vnū præceptū: *Non facies tibi sculptile,&c. Et non adorabis ea,neque coles*, sed facere imagines absolutè,& adorare easdē, sunt res distinctæ,vt patet; qa pōt vnus adorare sculptile,quod nō fecit,& alius nō adorare,qd fecit. Ergò vnum tm̄ horū est ꝓhibitū,alioqui essent vndecim p̄cepta: sed certū est, ꝓhiberi cultum, ergo nō ꝓhibetur fabricatio per se,sed solùm in ordine ad cultū. Proinde peccat,qui facit,vt adoret,non qui facit ad alium vsum.

Secvndo probatur,lege diuina nō prohiberi imagines absolutè,ex eo, quod in ipsa Scriptura legimus imagines factas Dei iussu. siquidē Exod.25 Deus fieri iussit imagines Cherubim super arcā. Num.21.serpentem æneum,3.Reg.6.& 7.Cherubim,boues,leones,& alia. Respondent Iudęi, Deū præcepisse hominibus,non autē sibi ipsi. Porrò imagines templi ipsum iussisse fieri,sicut prohibuit furtum;& tamē ipse iussit vt Iudæi spoliarent Aegyptum,Exod.12.

At contrà. Primo,p̄cepta decalogi sunt explicationes iuris naturæ,excepto illo de Sabbatho: res autem prohibitæ iure naturæ sunt prohibitę,quia malę; non malæ,quia prohibitæ,& proinde nec à Deo p̄cipi possunt. nec iussit vnquam Deus furtum.sed donauit vt Dñs,Iudęis bona Aegyptiorum. Deinde,si imagines essēt ꝓhibitę,certè pp periculū idololatrię: at idē est periculū,si De⁹ iubeat eas fieri,imò eo mai⁹ quo illę hñr diuiniores,sicut accidit de serpēte æneo, 4.Reg.18.nō ergo ꝓhibuit Deus imagines absolutè.

Probatur Tertio,quia nunquā intelligitur prohibitum id,qd nullo mō aduersatur fini legis: finis autē p̄ceptorum primę tabulę est,vt seruetur Deo suus honor illibatus,vt patet ex initio decalogi: *Ego sum Dñs Deus tuus.* Itē ex illa comminatione: *Ego sum Deus zelotes.* Itē ex illa explicatione Exod.20. *Non facietis mecum Deos aureos,& Deos argēteos.* Itē ex Leuit.26. *Non facietis sculptile,& idolū, ut adoretis*. Deniq. ex illo Is.42. *Ego Dñs,gloriā meā alteri non dabo,& laudem meam sculptilibus.* At imago nō facta ad venerōnē,nō aduersatur honori Dei: Nō igit est prohibita.

Dices; Imago est occasio idololatrię. Rndeo, etiā Sol,& Luna,& alia multa sūt talia;sed per accidens.

Qvarto,ars pingendi & sculpendi bona est,& à Deo,vt patet Exod.31.& 35.vbi dicitur,Deus dedisse duobus viris Beseleel,& Ooliab spiritum suum,sapientiam,& scientiam ad sculpendum,& excogitandum multa pro ornatu tabernaculi.

Qvinto,Deus primus auctor est omnium imaginū,naturaliū,& artificialiū.nā genuit filium ad imaginē suā; & formauit hominem ad imaginem suam.

Sexto,imago est fm naturam,& necessaria; nam inprimis oīa naturalia producunt aliquid sibi simile, idest,imaginem sui, Homo quidquid cognoscit siue sensu,siue intellectu,p imagines cognoscit. Nō possumus in lumine versari,quin corpora nra vmbrā efficiant,q̄ imago est corporis. Vestes oēs imagines sunt eorum membrorum,ad quæ tegenda factæ sunt.

Denique Iudęi tempore Christi habebant imaginem Cæsaris in nummis,vt patet Matth.22.& nunc etiam retinent imagines Principum in pecunijs,cur ergo dicunt, non licere vllam imaginem habere? Certè si quis eis eripere vellet imagines,quas in nūmis,& aulęis habent,continuò mutarent sententiā.

Secvnda opinio est Ambrosij Catharini in opusculo de imaginibus, vbi docēt, Deū in decalogo

prohibuisse Imagines simpliciter: sed illud p̄ceptum fuisse positiuum, & temporale: nam ppea existimat ipse Deum iussisse fieri imagines Cherubim, vt indicaret, imagines non esse malas per se, sed solùm malas, quia prohibitas: & etiã ne p̄iudicaretur Testamẽto nouo, in quo permittendæ erant imagines.

Sed hęc opinio nobis non probatur, tum pp argumenta facta cõtra Iudęos, tum ẽt quia S. Irenæus li. 4. c. 31. & 32. disertè docet decalogum esse legem naturalẽ, excepto præcepto de Sabbatho. & Tertull. lib. de idololat. toto contendit, nunc maximè obseruãdũ hoc p̄ceptũ. idem docet B. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum. c. 59. & de exhortatione martyrij, c. 1. B. Augus. passim affirmat totum Decalogũ exceptalege de Sabbatho, à Christianis seruãdum, & nominatim illud: *Non facies tibi sculptile.* Vide lib. 15. contra Faust. c. 4. & 7. & lib. 19. c. 18. lib. 3. contra 2. epist. Pelagian. c. 4. Idem hẽt B. Tho. 2. 2. q. 122. art. 1. & 4. Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani habentes imagines.

DICES, in decalogo p̄ceptum Sabbathi est positiuum saltem ex parte; ergo nihil prohibet, quo minus etiam p̄ceptum de imaginib. sit ex parte positiuum. RESPONDEO, in p̄cepto Sabbathi posita esse multa quæ indicent illud esse positiuum. nam PRIMO, p̄mittitur, *Memento*, quia nimirum cùm non sit naturale p̄ceptum, poterant illius facilè Iudæi obliuisci. SECVNDO, additur rõ præcepti: *Quia Dominus quieuit ab opere die septimo*, non aũt additur rõ vlli alteri p̄cepto, quia cætera sunt simpliciter naturalia. Deniq. Irenæus, Augustin. & Thomas disertè solum Sabbathum excipiunt à naturalibus præceptis decalogi.

TERTIA opinio est Thomæ CAIETANI in c. 20. Exod. qui docet, non esse prohibitum facere vllam imaginem, vel idolum, sed solum prohibitum esse, ne quis faciat sibi imaginem, quã habere velit pro Deo suo, & probat, quia non est dictum: *Non facies sculptile*: sed, *non facies tibi sculptile*.

Hæc sententia displicet solùm in modo loquendi; nam Caietanus pro eodem habet idolum, & imaginem, cùm falsum sit, vt supr. ostendimus. Deinde vũ concedere licere facere idola, quæ habeant pro Dijs, modò nõ habeat pro Dijs ille qui facit. At Tertullianus toto lib. de idololatria, probat euidentissimis rõnibus, prohibitum esse Christianis pictoribus aut statuarijs facere idola Gentilibus. Et Ecclesia celebrat VIII. Nouemb. martyrium sanctorũ Claudij, Nicostrati, & sociorũ, q̄ necati sunt, quia noluerunt simulachra Gẽtilib. facere, cùm essẽt peritissimi statuarij.

Neque Caietanus hoc negaret, quippe qui in 2. 2. q. 10. art. 4. docet, non licere vendere idola Gentilib. ideo incautè loquutus est in cõmentario Exodi. Nec obstat illa particula, *tibi*, nam secundum Hebraicam phrasim redundat. Sicut Gen. 12. *Vade tibi de terra tua.* & in Canticis Canticorum passim.

CAPVT VIII.

Non esse prohibitas imagines Dei.

QVARTA opinio est CALVINI, lib. 5. Instit. c. 11. vbi dicit PRIMO, nefas esse Deo inuisibili & incorporeo imaginem visibilem, & corpoream collocare. SECVNDO, imagines Christi & Sanctorum non esse prohibitas simpliciter, sed non debere poni in templis. TERTIO, historias depictas habere aliquem vsum ad instruẽdum; imagines aũt solas Christi, vel Sanctorum sine vlla notatione rerum gestarum nullũ hẽre vsum, nisi ad oblectandũ, & ideò frustrà fieri.

Vt ergo incipiamus à primo cap. probat Caluinus nõ posse pingi imaginem Dei. PRIMO, quia Exod. 20. prohibetur ois Dei similitudo; nã postq̄ dixerat Scriptura: *Nõ facies tibi sculptile. neq. oẽm similitudinem*, subiungit infrà, explicans: *Deos aureos, & argenteos non facietis mecum*, i. nõ facietis imagines aureas, vel argẽteas, q̄ Deũ repsentẽt Et Deut 4. *Memento quod Dominus loquutus sit tibi in monte Horeb, vocem verborum audisti, imaginẽ nullã vidisti, obserua ergo teipsum ne fortè deceptus facias tibi vllã similitudinem.* Et Is. 40. *Cui similem fecistis Deum? aut q̄ imaginẽ ponetis ei?* Etc. 46 *Cui assimilastis me, & adequastis, & cõparastis me, & simile fecistis? Qui confertis aurum de sacculo, et argẽtũ statera põderatis, cõducentes aurificẽ, ut faciat Deũ.* Deniq. Act. 17. Paulus dicit: *Genus ergo cũ simus Dei, nõ est existimãdũ, auro, uel argẽto, aut lapidi artis sculpturę, et cogitationis hoĩũ diuinũ esse simile.*

SECVNDO, probat ex Concilio Elibertino can. 36. *Placuit in tẽplis nõ haberi picturas, ne quod colitur, vel adoratur, in parietib. depingatur.* Vbi palã est agi d imaginib. Dei, qui solus à Christianis colitur & adorat.

TERTIO, idem probat ex Patrib. nã Eusebius lib. 1. de prẽparatione Euangelica, c. 6. & lib. 2. c. 8. & Lactantius lib. 1 diuin. institutionum, c. 15. scribunt, oẽs quorum simulacra videmus, fuisse homines mortales; ergo nullum erat simulacrum veri Dei immortalis. Item August. de fide, & symbolo, ca. 7. dicit, nefas esse Deo simulacra collocare. Præterea idem August. lib. 4 ciuit. Dei, c. 19. & 31. refert Varronem dicentẽ, qui primi Deorum simulacra induxerunt, eos & timorem dempsisse, & errorem auxisse. Et lib. 6. c. 10. refert Senecæ quærimoniam, qui dolebat inuiolabiles Deos in materia vilissima, atq. ignobili dedicari.

Poterat addere etiam Origenem lib. 7. contra Celsum, in fine, & Io. Damascenum lib. 4. de fide, c. 17. q docent, Christianos nullam Dei imaginẽ habere, ut pote incorporei, & inuisibilis. Denique Patres VII. Synodi, act. 4. 5. & 6. qui dicunt, Christum rectè pingi, quia est homo: Deum autem pingi non posse.

QVARTO, probat ex periculo erroris: nam licet S. Gregorius scripserit, imagines esse libros idiotarum, tamen è contrario Scriptura vocat imaginem ligneã, doctrinam vanitatis, Hiere. 10. & conflatile, doctorẽ mendacij. Habac. 2. *Itaque*, inquit Caluin. *si Gregorius in schola spiritus edoctus fuisset, numquam dixisset imaginem librum idiotarum esse.*

QVINTO, rõne, quia non vĩ posse fieri verã imaginẽ corpoream rei incorporeę. Adde etiã, q̄ imagines fiunt rerũ absentium: Deus autem vbiq. est præsens.

Hæc opinio Caluini est etiam aliquorum Catholicorũ, vt Abulensis in c. 4. Deut. q. 5. Durãdi in 3. dist. 9 q. 2. & Peresij de traditionib. par. 3. in tractatu de imaginibus; qui docent, imaginem Dei nõ rectè fieri & ab Ecclesia fortasse tolerari, non tamen probari.

Ego dico tria. PRIMO, nõ esse tã certũ in Ecclesia, an sint faciẽdę imagines Dei, siue Trinitatis, q̄ Christi, & Sanctorũ; hoc. n. cõfitetur oẽs Catholici, & ad fidẽ p̄tinet, illud est in opinione. SECVNDO, mirã esse Caluini fraudẽ, & astutiã, q̄ posteaq̄ probauit nõ esse faciẽdas imagines Dei, ita digredit ad amplificationes, & triũphũ canit, quasi p̄basset, nõ licere colere, vel facere vlla imaginẽ. TERTIO dico, licere pingere ẽt imaginẽ Dei Patris i forma hoĩs senis; & Spiritus sancti in forma colũbæ: vt Caietanus docet in 3. p. q. 25. art 3. Ambrosius Catharinus in lib. de cultu imaginum. Dieghus Payua lib. vlt. cõtra Kemnitiũ. Nicolaus Sanderus in suo opere de cultu imaginũ. Thomas VValdẽsis, to. 3. tit. 19. c. 155. Id verò ita p̄bam°.

PRIMO, Angeli sunt incorporei, & tamẽ depicti & sculpti sunt in Testamẽto veteri, Exod. 25. 3. Reg. 6. quare Deus etiam licet incorporeus pingi poterit.

Caluinus rñdet id factũ esse ad pędagogiã veteris legis; nũc aũt p̄terijsse seculum illud puerile. AT nos nõ q̄rimus quorsũ facta sint, sed tm̃ disputamus pingi posse rẽ incorporeã: & sicut ad pædagogiã populi pinguntur Angeli, cur ad pædagogiã populi non poterit pingi Deus? Nã licet præterierit seculum illud, quod puerile dici poterat respectu nr̃i, tñ & nostrum

puerile

puerile dici poteſt reſpectu futuri ſeculi in cœlo.

SECVNDO, Deus viſus eſt corporea ſpecie: nã Adæ apparuit *tanquam homo deambulans in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Geneſ. 3. Iacob vidit Deũ *innixum ſummitati ſcalæ*, & proinde forma corporea, Gen. 28. Moyſes vidit *poſteriora Dei*, id eſt, terga & humeros, Exodi 33. Iſaias cap. 6. & Micheas 3. Reg. vlt. viderunt *Dominum ſedentem in ſolio* ad formã hominis Regis. & Amos c. 9. vidit Dñm *ſtantem ſuper altare*. Deniq; c. 7. vidit eum *ſedentem in throno*, & deſcribit caput, & capillos eius canos, & veſtimẽta eius alba. Spiritus ſanctus apparuit *in forma columbæ*, Matth. 3. Deniq; Angeli apparuerũt frequẽtiſſimè in forma humana Gen. 18. 19. & in lib. Tobiæ. Viſi ſunt etiã cũ alis, vt Iſaię 6. & Dan. 9. & in ſtola candida. Matth. vltimo, Lucę vltimo, & Ioan. 20. Quid ergo prohibet ſic pingi?

RESPONDET Caluinus, quod Deus interdũ ſe oſtẽderit ĩ humana forma, fuiſſe præludiũ incarnationis, columbã autem ſubitò euanuiſſe, vt indicaret Spiritũ ſanctũ inuiſibilẽ eſſe. Sed quorſum hæc? Non. n. quærimus ad quem finem, vel quamdiu Deus apparuerit in forma corporea, ſed contendimus poſſe Deũ pingi in ea forma, in qua ſeipſum demonſtrauit. Et prẽterea non eſt verũ, apparitionẽ Dei in forma humana ſemper fuiſſe prẽludiũ incarnationis; nam interdum apparuit Deus Pater, vel Spiritus, qui tñ incarnandi non erant. B. AVGVSTINVS lib. 2. Trinit. c. 11. exiſtimat, in illis tribus viris, qui apparuerunt Abrahæ, Geneſ. 18. apparuiſſe tres perſonas Trinitatis: & lib. eod. cap. vltimo, conuincit, Patris perſonam viſam eſſe in forma humana, ex Daniele, cap. 17. ibi enim legimus viſum eſſe *antiquum dierũ in throno, qui filio hominis*, id eſt, Chriſto, regnum tradebat. & tamen nec tota Trinitas, nec Deus Pater incarnandus erat.

TERTIO, Scriptura verbis tribuit Deo omnia mẽbra humana, dum eũ dicit ſtare, ſedere, ambulare; nominat eius caput, pedes, brachia; tribuit illi ſedẽ, thronum, ſcabellum, &c. Cur ergo nõ poterit pictura exhiberi, qualis depingitur in Scriptura?

RESPONDET, Scripturã ideo ſine periculo tribuere membra Deo, quia alibi eadẽ Scriptura Deũ incorporeum eſſe dicit. SED cur, quæſo, eadem Scriptura non poterit impedire errorẽ picturæ? Sicut. n. à Scriptura diſcimus, membra quę tribuũtur Deo in ipſa Scriptura, metaphoricè eſſe accipienda, ita etiam ab eadẽ diſcimus mẽbra quæ tribuuntur Deo in pictura, metaphoricè eſſe accipienda. Et idiotæ, qui vident picturas & non poſſunt legere Scripturas, poſſunt ac debẽt à prælatis & cõcionatoribus inſtitui, vt Concilii Trident. monet ſeſſ. 25. Alioquĩ fateor, non ſine periculo exhiberi imperitis eiuſmodi picturas. Hic enim tantùm defendimus, non eſſe in vniuerſum damnandas eiuſmodi imagines.

QVARTO, pinguntur ea, quæ minus videntur poſſe pingi quàm Deus, nimirum virtutes, quæ non ſolũ ſpirituales; ſed etiam accidentia ſunt, cur ergo non poterit pingi Deus?

QVINTO, homo eſt vera imago Dei, ſed hominis poteit pingi imago, ergò & Dei; nam quæ eſt imago imaginis, eſt etiam exemplaris. quæ enim ſunt ſimilia vni tertio, ſunt etiam inter ſe ſimilia.

DICENT, hoiem nõ eſſe imaginẽ Dei qua parte pingit, id eſt corpore, ſed qua parte nõ põt pingi, id eſt aĩa.

RESPONDEO, ſi ita eſſet, ſequeret, hoiem non poſſe depingi; nã homo nõ eſt homo rõne figuræ, & colorũ, q̃ ſola exprimũtur in imagine, ſed eſt homo rõne ſubſtantię & p̃cipuè rõne animæ, q̃ pingi nõ poſſunt; Dicitur tñ homo verè & propriè depingi, quia figura & colores imaginis nõ ſolũ figurã & colores hois repræſentant, ſed ipſum totũ hoiem, alioquĩ nunquam fieret, vt res depicta videretur res ipſa vera. quod tamen accidit vuis quas pinxerat Zeuſis, ad quas carpẽdas auiculę accurrebant, teſte Plinio lib. 35. cap. 10.

Ita igitur licet homo ſit ad imaginẽ Dei rõne intellectus, & volũtatis; tñ ipſe totus homo intelligens & volens, rectè dr̃ & eſt imago Dei; nam Geneſ. 1. nõ ait Deus: *Faciamus animam*, ſed, *faciamus hominem ad imaginem Dei* & cùm Imperator quidã ſquiret in eos qui cõfregerãt imaginem vxoris ſuæ, dixit illi ſanctus Macedonius (vt Theodoretus refert in hiſtoria religioſa, cap. 43.) eum malè agere, quod pro imaginibus ſuis, Dei occidat imagines. Et tamen Imperator non animas, ſed homines occidebat. Si autem ipſe totus homo eſt imago Dei, & totus homo verè pingitur: ergo imago Dei verè pingitur. Illud tamẽ verum eſt, quod ſicut homo eſt imago Dei valde imperfecta, obſcura, & diſſimilis: ita etiam homo pictus eſt imago Dei valde imperfecta, obſcura, & diſſimilis.

VLTIMO probatur ex vſu Eccleſiæ. Iam. n. receptæ ſunt ferè vbiq; eiuſmodi imagines. neq; credibile eſt Eccleſiã toleraturã vniuerſaliter aliquid illicitũ. Adde quod Conciliũ VII. act. 5. approbat imaginẽ Spũs ſancti in forma colũbæ, & Cõcil. Trident ſeſſ. 25. admittit imagines Dei præcipuè in picturis hiſtoriarũ.

Pro ſolutione argumentorũ obſeruandũ eſt tribus modis poſſe aliquid pingi. VNO modo ad exprimẽdã perfectã ſimilitudinẽ formæ, & naturæ rei ipſius, & hoc modo res corporeæ ſolũ pingũtur, quæ lineamẽtis, & coloribus præditæ ſunt. Et ſi quis hac ratione Deum pingere tentaret, is verum idolum cõſtitueret.

ALTERO modo ad hiſtoriam aliquam oculis exhibendam. quomodo ſi quis pingere vellet expulſionem Adami de Paradiſo, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem, & Adamũ atque Euã nudos inter arbores ſe occultantes, ac demũ Angelũ in forma humana gladiũ geſtantem, & Adamũ cũ coniuge expellentem. Qui autẽ ita pingeret, non vellet certè repræſentare Dei vel Angeli naturã, ſed ſolùm exhibere oculis per picturã, id quod auribus exhiberet alius recitando Scripturam. & hoc modo poteſt Deus pingi.

TERTIO, poteſt aliquid pingi extra hiſtoriã ad explicandã naturã rei nõ per immediatam, & propriam ſimilitudinem, ſed analogiam, ſiue metaphoricas myſticasq; ſignificationes. Quemadmodũ pingimus Angelos, iuuenes, alatos, formoſos, nudis pedibus, &c. ad ſignificãdũ eos ſemp viribꝰ pollere, celerrimè moueri, ſplẽdore gratiæ & virtutũ p̃ditos, &c. q̃ vide apud Dionyſiũ, cap. vlt. cœleſtis hierarch. Hoc etiã modo pingũtur virtutes: Et ipſe homo, imago Dei, eſt huius generis tertij. nõ. n. eſt inter hoiem & Deũ alia ſimilitudo, quàm analogica. hoc modo pingimus Deũ patrem, cùm extra hiſtoriam pingimus humana forma.

Hoc modo pingimus Chriſtũ in forma ouis, & Euangeliſtas repreſentamus per aquilã, leonẽ, bouẽ, & hoiem, & Spiritũ ſanctũ in forma colũbę, aut linguarũ ignis. Vbi tñ notandum, nõn debere eiuſmodi imagines multiplicari, nec tolerandũ eſſet, quod pictores audẽt ex capite ſuo confingere imagines Trinitatis: vt cùm pingunt vnũ hominẽ cum tribus faciebus, vel vnũ hominẽ cum duobus capitibus, & in medio eorũ columbã; iſta n. monſtra quędam videntur, & magis oſſendũt deformitate ſua, q̃ iuuent ſimilitudine. Vnde etiã Miniſtri Hũgarici in ſuo opere cõtra Trinitatẽ, lib. 1. c. 4. collegerũt multas formas imaginũ Trinitatis, & eas tanquã monſtra quędam accuratè depicta ridenda proponunt, eaſq; vocant Cerberos, Geryones, Ianos trifrontes, monſtra, & idola, quibus certè occaſionem blaſphemandi pictores noſtri dederunt.

Præterea notandũ eſt, errare Bartholomæũ Carranzam, qui in Summa Cõciliorũ dicit, can. 82. ſextæ Synodi, prohiberi imaginem Chriſti in forma agni, & Spiritus ſancti in forma columbæ. At Concilium non prohibet iſtas imagines, ſed anteponit tantùm iſtis

imagines

imagines Christi in forma humana. Vnde in VII. Synodo, act. 2. legitur epistola Adriani ad Tharasium, in qua laudata dicitur in VI. Synodo imago Christi in forma agni idem dicit Helias in VII. Synodo, act. 4. idem Epiphanius in VII. Synodo, act. 6. & præterea in VII. Synodo, act. 5. approbatur imago Spiritus sancti in forma columbæ.

Præterea ratio Bartholomæi contra ipsum videtur concludere, ipse.n. dicit prohibitas esse has imagines, quia præsente veritate cessare debent figuræ: At istæ imagines non fuerũt in vsu in Testamento veteri, sed cœperũt post Christi aduentũ. Imago.n. agni sumpsit occasionẽ ex illis verbis Ioannis: *Ecce agnus Dei*; Imago autẽ columbæ ex illa columba, quæ apparuit super Christum Matth. 3. Occasionem errandi videtur iste auctor accepisse ex ipso canone, qui nõ integrè habetur in illa Synodo, sed corrigendus est error ex VII. Synodo, vbi sæpius iste ipse canon integer adducitur.

Ex his ad argumenta aduersariorum facilè poterit rñderi. Ad PRIMVM posset vno verbo dici, in omnibus Scripturis citatis prohiberi imaginem Dei primi generis. Existimo tñ Exodi 20. cùm dicitur: *Deos aureos, & Deos argenteos non facietis mecum* Et similiter Isaiæ 40. & 46. vbi Deus conqueritur dicens: *Cui assimilastis me?* ad literam nõ agi de imagine facta ad repræsentandum Deum verum, nec enim tales à Iudæis fiebant, sed de quibuscũque simulachris, quæ haberentur pro Dijs. Vult enim Deus dicere, si vobis simulachrum ligneum est Deus, cùm ego etiam sim Deus, sequitur, me similem esse Deo ligneo secundum vos; nam Deus Deo non posset non esse similis.

Ad SECVNDVM dico, si Cõciliũ illud loquit' de imagine solius Dei (vt vult Caluinus) nullã esse difficultatẽ; nã intelligemus Cõciliũ de imagine Dei primi generis. At si loquatur Cõciliũ de omnibus imaginibus, etiam Sanctorum, est maior difficultas, de qua infrà.

Ad TERTIVM, Eusebius, & Lactantius loquuntur de idolis Gentiũ. volunt.n ostendere, Deos Gentiliũ fuisse homines, & probant, quia omnia idola Gẽtium sunt statuæ hominũ, quorum etiã sepulchra ostendũtur. Augustinus de fide, & symbolo, loquitur de imagine Dei primi generis. Varro apud Augustinũ rectè dicit, eos, qui simulachra Deorũ induxerunt, metum dempsisse, & errorẽ auxisse; nam quidã propterea crediderunt ipsa simulachra esse Deos, & videtes ea nec alijs, nec sibi prodesse posse, vel obesse, cœperũt Deos contemnere. At si nõ Deos simulachra, sed imagines Deorum esse credidissent, & imagines non proprias, sed analogicas, nec metum amisissent, nec errorẽ inuenissent, quemadmodum non minuitur metus Principum, nec error vllus oritur per imagines eorundẽ, quas videmus quotidie. Seneca apud eundem Augustinum conqueritur, simulachra Dijs poni propter eundem errorẽ, quia putabantur ipsa simulachra Dij, vel certè Dij simulachris illis similes iudicabantur. Origenes, & Damascenus, & Patres Nicæni loquuntur de imagine Dei primi generis.

Ad QVARTVM dico PRIMO, à Caluino iniuria reprehendi B. Gregorium; nam B. Gregorius, cùm ait picturas libros esse idiotarum, nõ agit de imagine Dei, sed de imaginibus Sanctorum, ac potissimùm de historijs depictis, quibus mysteria redemptionis continentur. Prophetæ autem, quos opponit Caluinus Gregorio, cùm dicunt, lignum esse doctorem vanitatis, vel mendacij, de simulachris falsorum Deorum, non de veris Sanctorum imaginibus loquuntur.

Dico SECVNDO, idola quidẽ esse doctores mendacij, quia volunt videri Dij; vel certè videntur referre Deorum effigiem, cùm verè non referant: At imago Dei, & Trinitatis, vt à nobis pingitur, doctor est veritatis, quia neq; habetur pro Deo à nobis, neq; fit ad referendã Dei effigiẽ, sed ad perducendũ hoiem in aliquam Dei notitiam per analogicas similitudines.

Ad QVINTVM, iam ostendimus quemadmodũ pingi possit res incorporea.

Ad VLTIMVM, pingi solent absentia, quia non videntur: Deus autem licet sit præsens, tamen nõ videtur, ideo pingi potest, ac si abesset. Alioqui nec oporteret orare Deũ voce exteriore; voces enim sunt propter eos, qui non intuentur cogitationes: Deus autem scrutatur renes, & corda.

CAPVT IX.

Imagines in templis rectè collocari.

ALTERVM Caluini dictum, quòd imagines non debeant poni in templis, probat ipse lib. 1. Inst. cap. 11. PRIMO, quia primis quingentis annis nõ fuerunt vllæ imagines in templis Christianorum.

SECVNDO, quia Cõcilium Elibertinum canon. 36. prohibet picturas in templis fieri.

TERTIO, quia non potest imago in templo, in sublimi loco statui, quin statim erigatur signũ quoddã ido-i lolatriæ. Nam, vt B. AVGVSTINVS ait, epist. 49. *Cum his sedibus locantur honorabili sublimitate, vt à precantibus, atque immolantibus attendãtur, ipsa similitudine animatorũ membrorũ, at q; sensuum, quamuis sensu, & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere, ac spirare videantur.* Item in Psal. 113. *Hoc enim facit, & extorquet quodãmodo illa figura membrorũ, vt animus in corpore viuens magis arbitretur sentire corpus, quod suo simillimum videt*, &c. Et paulo post: *Pius valet simulachra ad curuandam infelicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes habent: quam ad corrigendam, quod nõ loquũtur, neq; vident, neq; audiũt, neque ambulant.* Ibidem Augustinus dicit, in templis Christianorum esse quidem vasa aurea, & argentea, sed non talia, quę os habeant, & non loquantur. Confirmat etiam ex 1. Ioan. vltimo, vbi Ioannes non dicit, vt caueant à cultu simulachrorũ, sed à simulachris ipsis, quia nimirũ non possunt haberi in templa, quin adorentur.

QVARTO probat, quia tẽpla sunt instituta pro imaginibus viuis, & iconicis atque à Deo institutis, quales sunt Baptismus, qui est imago internæ sanctificationis, & gratiæ; & sacra Cœna, quæ est imago corporis Domini: sicut ergo templa ornantur istis viuis quodammodo imaginibus, ita dehonestantur imaginibus mortuis, &c.

QVINTO, probat lib. 4. cap. 9 § 9. ex Epiphanio in epistola ad Ioannem Hierosolym. vbi dicit, contra Scripturæ auctoritatem esse, quòd in Ecclesia pẽdeat imago hominis; & loquitur de imagine, quam ipse dicit fuisse Christi, vel Sancti alicuius.

SEXTO addũt alij, quod Adrianus Imperator (teste Aelio Lãpridio in vita Alexãdri Imperatoris) i gratiã Christianorũ tẽpla iusserit exstrui sine simulachris.

Hæc sunt illorum argumenta, quibus tamen nihil territi, asserimus, nusquam meliùs, quàm in templis imagines Sanctorum collocari. Probatur PRIMO, quia in Testamento veteri, quando Iudæi propensissimi ad idololatriam erant, in templo fuerunt imagines Cherubim, Exodi 25. & 3. Reg. 6.

SECVNDO, probatur ex consuetudine Ecclesię, quę fuit primis quingentis annis, vt appareat impudens Caluini mendacium. Tertullianus in lib. de pudicitia ante medium bis testatur, in sacris calicibus Ecclesiæ Catholicæ, depictum fuisse Christum in forma pastoris ouem errantem suis humeris reportantis ad ouile, & tam erat id commune, vt Catholici, contra quos in eo libro scribit Tertullianus, inde argumentum sumerent ad probãdum pœnitentiam, etiam grauium delictorum, in Ecclesia concedi. At certè calices sacri in Ecclesia, & in loco maximè sacro poni solent.

Sozo-

Sozomenus lib.5. cap.20. & Nicephorus libro 10. cap.30. scribũt tempore Iuliani Apostatę statuã Christi,quæ apud Paneadem fuerat,in templũ à Christianis introductam, quod certè factum est ante annum Domini CCCCC. cùm ad eum annum Sozomenus non peruenerit. Eusebius lib.3.& 4.de vita Constantini,dicit,in templis à Constantino extructis in Palęstina, fuisse maximam copiam imaginum aurearum & argentearum.

NAZIANZENVS epistola 49. ad Olympium, conqueritur, quod ciuitas Diocæsarienſis euertẽda esset, in qua ipse templum mirificè exornarat.& addit: *Neque enim si statuæ deijciantur, hoc nos excruciant, etiãsi alioqui excruciat, verum, &c.*

DAMASVS in vita Sylueſtri scribit, Cõstantinũ in loco, vbi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo,ad dexterã agni, statuam argenteam Saluatoris;ad lęuam autem,statuam argenteam Ioãnis Baptistæ. in Ecclesia autẽ ipsa Lateranensi posuisse imagines argenteas Saluatoris, Apostolis duodecim,& Angelis quatuor. In VII. Synodo, act.6. refertur, quemadmodũ discipuli S.Epiphanij, templũ Epiphanio erexerunt,& imaginem eiusdem in eo posuerunt.

BASILIVS oratione in sanctum Barlaam in fine, in ipsa concione ostendit imaginem sancti Barlaam alicubi in templo depictam, & ait, gaudere se,quod melius pictores expresserint manum eius pro Christo combustam, quàm ipse oratione descripserit: *Ab eo, inquit, fortiũ Martyris factorũ pictura à vobis superatus. Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoria hodie victo. Video manus ad ignẽ luctã exactius à vobis descriptã. Video luctatorem in vestra imagine illustriùs depictum.*

Gregorius NYSSENVS oratione in Theodorũ, initio: *Oblectatur,* inquit, *dum ædem, vt templum Dei, & magnitudine structurę, & adiecti ornatus decore splendido elaboratum intuetur; ubi & faber in animalium figuram lignum formauit, & pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus uiolentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem athletæ, certaminũ præsidis Christi humanę formæ effigiẽ, omnia nobis tãquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores Martyris nobis expressit, actanquam pratũ amœnum & floridum, templum ornauit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodesse.*

In Missa CHRYSOSTOMI, quam Erasmus Latinã fecit, sic habetur: *Sacerdos egreditur è paruo ostio portas Euangelium, præcedente ministro cum lucerna, & conuersus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite, cum exclamatione dicit, &c.*

EVODIVS li.2. de miraculis sancti Stephani scribit, in Ecclesia, vbi reliquiæ S.Stephani seruabãtur, fuisse quoq; imaginẽ eiusdẽ Martyris depictam, ad quã visendam frequentes homines concurrere soliti erant.

PRVDENTIVS in hymno de S.Cassiano scribit,se in tẽplo S. Cassiani vidisse super altare eius imaginem.

Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago Martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.

Item de sancto Hippolyto:

Picta super tumulum species liquidis uiget umbris,
Effigians tracti membra cruenta uiri.

PAVLINVS epist. ad Seuerum, conqueritur,quòd se vnà cum sancto Martino in templo depingi curauerat,& rogat,vt saltem ista carmina adscribi iubeat:

Adstat Martinus perfectæ regula uitæ,
Paulinus ueniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati,
Exemplar Sancti ille sit, iste reis.

Et natali 10.sancti Felicis, inquit, *Sanctasq; feramur in aulas,*

Miremurq; sacras, ueterum monumẽta figuras, &c.

Nicephorus lib.14.cap.2.scribit Pulcheriam Augustam posuisse in templo, quod Constantinopoli ipsa extruxerat,imaginem beatæ Mariæ, quàm è Hierosolymis ad eam miserat Eudocia.

VALENTINIANVS iunior admonitus à Sixto Papa (vt in vita Sixti scribũt Anastasius,qui suppleuit pontificale Damasi, Platina,& alij) posuit in Ecclesia sancti Petri supra tumulum, id est, super altare beati Petri, imaginem auream Saluatoris, gemmis pretiosissimis ornatam, & duodecim Apostolorum imagines item aureas.

B. AVGVSTINVS lib.1. de consensu Euangelistarũ, cap.10.testatur,multis in locis suo tempore cerni potuisse Christũ depictum inter Apostolos Petrum & Paulum: & idem dicit de historia Abrahæ mactare volentis filium,lib.22.contra Faustum,cap.73. Nõ est autem credibile Augustinum loqui de priuatis domibus,ad quas non omnibus patet aditus, sed de publicis locis, & locis non profanis, sed sacris; nã B. GREGORIVS lib.9.epist.9. dicit, in locis venerabilibus non sine ratione depictas imagines Sanctorum fuisse ab antiquis. vbi nomine antiquorum non potest intelligere homines sui seculi,sed superiorum;floruit autem ipse post annum CCCCC. Ergo loquitur de Patribus qui ante annum CCCCC. floruerunt.

Deniq; Adrianus I. in libro pro imaginibus,qui habetur post VII.Synodũ circa finẽ,refert Sylueſtrum, Damasum,Celestinum, Sixtum,Leonem,Ioannẽ,& Pelagium,Pontifices tẽpla picturis exornasse. qui tamen omnes ante annum Domini CCCCC. sederũt. Vides igitur,quàm egregiè mentiatur Caluinus,cùm ait in Institut. lib.1. cap.11.§.13.in templis Christianorum non fuisse imagines primis CCCCC.annis.

TERTIO, probatur ex quatuor Concilijs, duobus Orientalibus,& duobus Occidentalibus. In Oriente celebrata est VII. Synodus tota pro hac re. Item in VIII.Synodo,can.3. renouantur decreta septimę Synodi. In Occidente celebratũ est Concilium Romanum sub Gregorio III. quod quidem nationale fuit, sed cõcurrerunt ad id Concilium ferè mille Episcopi. In eo Concilio damnata est hæresis Iconomachorũ, imagines è templis deturbantium, sub ipsis initijs huius contentionis. Vide Sigebertum in Chronico anni DCXXXIII. Celebratum est etiam Concilium tempore Stephani,& Caroli Magni, pro eadem re, vt testatur Adrianus I. qui Stephano successit, in libro pro imaginibus ad Carolum.

QVARTO, probatur ratione; nam signa sacra nusquam melius,quàm in sacris locis poni possunt. Deinde nullum est ornamentum templorũ melius, quàm sacrarum imaginum, quia imagines simul templum ornant, & continent mentes hominum,ne vagentur inanibus cogitationibus. Præterea templũ est imago quædam cœli; nam Apostolus Hebr.9.comparat tabernaculum Mosaicum cum Cœlo;& Chrysostomus hom. 36. in priorem ad Corinthios dicit, templum Christianorum esse quasi regiam cœli, siue terrestre quoddam cœlum. Sicut ergo templum est imago cœli, ita decet, vt in ipso templo sint imagines eorum, qui in cœlo sunt,id est,Christi & Sanctorum. Denique,vbi melius ponentur imagines Sanctorum,quàm in domibus ipsorum id est, in basilicis Sãctorum, vbi reliquiæ ipsorum quiescunt.

Ad PRIMVM argumentum patet solutio. non enim illud argumentum, sed mendacium fuit.

Ad SECVNDVM Payua respondet, Concilium Elibertinum solum prohibere imaginem Dei, quæ pingitur ad ipsius Dei effigiem repræsentandam. Sed nõ videtur satisfacere, tum quia Conciliũ loquitur in

genere

genere de picturis, tum etiam quia non erat in vsu eo tempore, immò nec vnquam fuerunt in Ecclesia tales imagines, quæ sunt vera idola, vt ostendimus suprà testimonijs Origenis, Augustini, & Damasceni: Concilium autem loquitur de eo, quod fieri solebat, & interdicit ne deinceps fiat.

Nicolaus Sãderus lib. 2. de cultu imaginum, cap. 4. respondet, Concilium illud prohibuisse imagines in templis, quia tempus & locus id requirebat. tũc enim periculum erat, ne Gentiles existimarent, nostros adorare ligna, & lapides: ac denique periculum erat, ne in persequutionibus fuissent imagines contumelia affectæ à persequutoribus. Hæc solutio bona est.

Neq; obstat quod quidã dicunt, hoc Conciliũ celebratum fuisse post Conciliũ Nicænũ, & proinde non fuisse periculum persequutionum; nam reuera Concilium hoc celebratũ fuit ante Nicænũ, cùm adhuc durarent persequutiones, vt patet ex canone 25. vbi agitur de ijs, qui adferebant litteras à Cõfessoribus. Solebant enim ij, qui in persequutione cõfitebantur fidẽ, postea dare litteras commendatitias pro lapsis ad Episcopos. & in toto ferè Concilio agitur de ijs, qui labũtur ad idolatriam. Fateor tamen rationem illam canonis. *Ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur*) non multum quadrare huic expositioni.

Alanus Copus in Dialogis lib. 5. capite 16. dicit, hic prohiberi imagines, quia ab illis Christianis adorari cœperant tanquam Dij. & hunc esse sensum; Placuit in Ecclesia non esse picturas, ne aliquid in parietibus existens adoretur & colatur vt Deus. In quem sensum accepit istum canonem B. Iuo in suis decretis par. 3. cap. 40. sed huic etiam expositioni ratio canonis non omnino quadrat; nam debuisset dici potius, ne id quod pingitur, adoretur: quàm ne id quod adoratur, pingatur.

Alij ergo dicunt tantùm prohiberi, ne imagines depingantur in parietibus Ecclesiæ, non autem ne depictæ in tabellis aut velis in Ecclesia habeãtur. & rationem esse volũt propter honorem imaginum, quia in parietibus facillimè corrũpuntur, vel humore parietũ, vel situ, vel alia ratione, qua ratione fuit olim prohibitũ etiã, ne crux in pauimentis sculperetur, ne videlicet conculcaretur. & tum hic erit sensus; Placuit picturas in Ecclesia, id est, in ipsa fabrica, siue muris Ecclesiæ esse non debere, ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur, id est, ne contingat rem sacram & venerabilem, quales sunt sanctæ imagines, in parietibus esse, vbi facillimè corrumpantur. huic expositioni aptissimè conuenit ratio canonis.

Adde postremò, quidquid Conciliũ statuerit, magis illud Cõcilium esse pro nobis, quàm contra nos; nam contra nos tantùm esse potest Concilium XIX. Episcoporum, quod prouinciale fuit, & minimè confirmatum, & in alijs decretis videtur errasse, præsertim cùm in plurimis casibus, ne in articulo quidem mortuis velit absolui pœnitentem.

(Sic enim accipio, quod ait Conciliũ, cõmunionẽ dari quamuis non desint, qui per cõmunionem accipiant solã Eucharistiam. Moueor autem his rationibus. PRIMO, quoniam in ipso Elibertino Concilio pro eodem accipitur reconciliatio & communio. nam can. 69. sic legimus, placuit agere debere pœnitentiã, & sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tẽpus dare cõmunionẽ. vbi vides idem esse reconciliare, & dare cõmunionẽ, aut certè in ipsa cõione includi reconciliationẽ. Solebãt enim veteres Sacramẽtũ reconciliationis semper coniungere cũ Sacramẽto Eucharistiæ. Et ideo Tertullianus & Cyprianus, & alij scriptores eiusdẽ antiquitatis pro eodem accipiũt cõmunionẽ, reconciliationem, & pacẽ. SECVNDO, quia S. Innocentius in epist. ad Exuperium, c. 2. Corrigens obseruationem antiquã, qualis fuit tempore Concilij Elibertini, satis aperte indicat, cõsueuisse pœnitentibus nõnullis, etiã in fine vitæ, negari recõciliationẽ. Quæsitum est, inquit, quid de his obseruari oporteat, qui post baptismũ omni tempore incontinentiæ voluptatibus diditi in extremo fine vitæ suæ pœnitẽtiã simul, & reconciliationẽ cõmunionis exposcũt. De his obseruatio prior, dum rior, posterior, interueniẽte misericordia, inclinatior est. Nã cõsuetudo prior tenuit, vt concederetur pœnitẽtia, sed cõmunio negaretur: nã cũ illis tẽporibus crebræ persecutiones essent, nec cõmunionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos nõ reuocaret a lapsu, negata meritò cõmunio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem esse remissionẽ fecit tẽporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore, cõmunionẽ dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiã quasi viaticũ profecturis, & ne Nouatiani Heretici negãtis veniã, asperitatẽ, & duritiã subsequi videamur. Tribuitur ergo cũ pœnitẽtia extrema cõmunio, vt homines huiusmodi vel in suprẽmis suis, permittẽte Saluatore, à perpetuo exitio vindicẽtur. Hæc Innocẽtius, cuius verbis illud expendendũ videtur, nõ dixisse Innocẽtiũ, concessam fuisse aliquãdo lapsis reconciliationẽ, negatã cõmunionẽ: sed concessã pœnitentiam, negatã communionem. Cõcedebatur enim lapsis primò pœnitentia, id est, iniungebatur actio pœnitentiæ, deinde alio tempore reconciliatio tribuebatur. Vnde est illud Augustini in epist. 180. ad Honoratum, alijs baptismũ flagitantibus, alijs recõciliationem, alijs etiam ipsius pœnitẽtiæ actionem. Porro apud Innocentium nomine pœnitentiæ non reconciliationem, sed pœnitentiæ actionẽ esse intelligendã, perspicuum est ex eo quod ipse dicit, petentibus pœnitentiam, & recõciliationem cõmunionis, concessam fuisse pœnitentiam, ne totum negaretur, & negatam communionem, ne homines de reconciliatione securi non reuocarentur à lapsu, & quia remissionẽ duriorem fecit temporis ratio. Vbi vides apud Innocentium id esse negari communionem, quod negari reconciliationem, & remissionem. Quod clarius adhuc perspicitur in verbis sequentibus vbi dicitur, posteriorẽ tẽpore cõcessam fuisse cõmunionẽ, ne videretur Ecclesia imitari Nouatiani asperitatem, & duritiã, qui veniã negabat. Ex sententia igitur Innocentij negare cõmunionẽ est negare veniam, & Nouatiani duritiam imitari, qui, teste Cypriano lib. 2. epist. 4. Ambrosio lib. 1. de pœnitentia, cap. 2. & Socrate lib. 4. c. 23. pœnitentiã cõcedebat, atque ad eã hortabatur, sed reconciliationem à Deo petendam, non à sacerdotibus impertiendam docebat. Sed nihil apertius dici potuit eo, quod extremo loco adiunxit Innocentius, tribui videlicet hoc tempore cum pœnitentia communionẽ, vt homines in exitu de hac vita à perpetuo exitio vindicẽtur. Sequitur enim eos, quibus negatur cõmunio, à perpetuo exitio minimè liberari. quod non esset consequens. si negata communione non etiam reconciliatio negaretur.)

Pro nobis autẽ facit, quòd hinc apertè colligitur, eo tẽpore fuisse imagines in templis, non enim diceret Concilium: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere*, nisi iam esse cœpissent. Prẽterea hinc habemus, vel ipsas imagines, vel certè Sanctos, quorũ sunt imagines, coli & adorari; id enim significat illud: *Ne id quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Adde quod hoc ipsum Concilium can. 26. indicit ieiuniũ omni Sabbatho. & can. 33. prohibet vsum vxorũ Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis. quorum vtrunque execrantur aduersarij nostri.

Ad TERTIVM dico, Augustinum loqui de simulacris præsuppositio errore Gentilium. Vult enim Augustinus dicere, quando quis putat simulacrum esse Deũ, & accedit, vt adoret, & inuocet ipsum simulacrum, mirabiliter confirmatur, & fouetur in errore, ab ipsa membrorũ humanarum similitudine. Ita eum esse intelligendum probo ex verbis eius; nam in epist. 49. quæst. 3. ait: *Cũ his sedibus collocantur honorabili sublimitate, vt à precantibus, atque immolantibus attendantur*

dantur ipsa similitudine animatorum membrorum, atq; sensuum, &c. Vbi nota illud; *vt à præcantib. attendantur.* Et quod ibid. ait: *Accedente præsertim veneratione multorum, &c.* Experientia enim docet imagines quæ non habentur pro Dijs, neminem licet rudissimum ita decipere vt putentur viuere & spirare.

Ad illud de vasis Ecclesiæ aureis dico, Augustinum voluisse, ostendere simulacra Gentilium, cõtinere homines in errore, nõ ratione materię, quia pretiosa sint, sed ratione figuræ, quia figuram habent nostræ similem; id autem ostendit Augustinus dupliciter. PRIMO, quia multi dorsum conuertunt ad solem, & interim supplicant simulacro solis: nõ quia sol non sit longè nobilior, sed quia figura illa solis globosa, non tam facilè persuadet solem viuere & sentire, quemadmodũ figura simulacri, quæ est nostræ similis. SECVNDO, quia Catholici etiam habent in locis sacris vasa ex materia pretiosa, & tamen quia deest figura humana, ne Gentiles quidem putarent ea vasa viuere vel spirare.

DICES, si Calices non putantur viuere, quia carent humana forma, ergo imagines quæ habent humanam formam, si in templo sint, putabuntur viuere. RESPONDEO, Augustinus non dicit, imagines humanæ formæ putari viuere: sed si putentur, putari propter formam, non propter materiam. Non ergo Augustinus dicit, imaginem in Ecclesia non fuisse, sed solùm formam humanam simulacrorum, multum valere ad fouendum errorem in ijs, qui simulacra pro Dijs colunt. Ad confirmationẽ dico, Ioannem loqui de Idolis. Sic enim est in Græco: φυλάξατε ἑαυτὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων: ex quo textu Latinum interpretari textum licet.

Ad QVARTVM dico, PRIMO, Caluinum rectè imitari suos maiores; nam etiam antiqui Iconomachi dicebant, nolle se imagines istas mortuas, sed sufficere sibi Eucharistiã, quæ est imago corporis Domini. quibus Catholici responderunt in VII. Synodo, actio. 6. tom. 3. Eucharistiam nõ debere vocari imaginem, vel figuram corporis Domini, cùm ipsum Domini corpus reuera sit. SECVNDO dico, imagines viuas & mortuas non esse inter se contrarias, sed alias iuuari ab alijs, vt ostendimus. Denique imagines Sanctorum non rectè vocari mortuas. Imaginis enim vita, est repręsentatio: Illæ ergo sunt mortuæ, quæ nihil repræsentant.

Ad QVINTVM, Thomas Vvaldensis, tom. 3. tit. 19. cap. 157. dicit, Epiphanium propter hęresim Antropomorphitarum tunc vigentem hoc fecisse. Alij dicunt, Epiphanium loqui de imagine hominis profani, quæ ibi honorabantur instar imaginum Christi & Sanctorum. ita respondet Marianus Victorius in annotatione ad hanc epistolam. cõmunior & verior solutio est, verba illa esse supposititia. quod patet PRIMO, quia post finem epistolæ ista adiecta sunt; epistola enim planè finita erat, vt apparebit legenti.

SECVNDO, quia hæretici Iconomachi non obiecerunt hunc locum Catholicis, cùm tamen obiecerint omnia dicta Patrum, quæ vllum colorem habere poterant, vt patet ex VII. Synodo, act. 6.

TERTIO, quia Epiphanius Diaconus in VII. Synodo, act. 6. conuincit duo alia similia loca, Epiphanij scriptis fuisse inserta ab hæreticis.

QVARTO, quia vt ibidẽ dicitur, discipuli Epiphanij in eius templo imaginẽ eius posuerunt, quod certè non fecissent, si eorum præceptor dixisset, id esse contra Scripturæ auctoritatem.

QVINTO, quia tempore Epiphanij Basilius, Nyssenus, & alij viuebant, qui imagines in templis laudabant.

SEXTO, quia sententia illa, esse contra Scripturę auctoritatem pendere in templo imaginem hominis, indigna esset Epiphanio, viro doctissimo, cũ sit ineptissima. nusquam enim id legitur prohibitum, imò contra A rium legitur, vt patet de imaginibus Cherubin in forma humana, quæ erant in templo Salomonis.

SEPTIMO, quia Gregor. lib. 9. epist. 9. dicit, nullum vnquam Episcoporum ante Serenũ Massilienſem fregisse imaginem Christi vel Sanctorum.

OCTAVO, quia B. Hieronymus in epist. ad Pammachium, cõtra Ioannem Hierosolymitanum, totam ferè hanc epistolam Epiphanij à se Latinam factã recitat, & tamen non meminit huius veli. NONO, quia nec stylus conuenit cum reliqua epistola.

Ad illud de Adriani templis sine simulacris, dico, Adrianum iussisse fieri templa sine simulacris Gentilium. Christiani enim nolebant orare in templis Gentilium, quia plena erant idolis. Ideò Adrianus iussit eis fieri templa sine eiusmodi idolis. Vnde idem Lampridius ea simulacra ibidẽ appellat numina, numina autem non vocantur imagines, nisi proponantur adorandæ pro Dijs.

CAPVT X.

Imagines vtiles esse etiam extra historiam.

POSTREMVM Caluini dictum, quòd imagines sine notatione historiæ, non sint vtiles, est manifestè falsum; nam ipse non probat vllo argumento non esse vtiles, & nos probare possumus esse vtiles pluribus modis. PRIMO, quia Deus in templo suo iussit fieri imagines Cherubin, sine vlla historiæ notatione, Exodi 25. & certè non sine caussa.

SECVNDO, quia semper Christiani habuerunt imagines, etiam solitarias, & extra historias, cùm tamen primi Christiani non ducerentur sola delectatione. Tempore Christi tres imagines factæ leguntur. PRIMA est, quam Christus ipse linteo faciei suæ admoto fecit, & Regi Abagaro misit. Id enim refert Euagrius libro 4. capit. 26. & Metaphrastes in vita Constantini Magni, & Damascenus lib. 1. de imaginibus: & hanc non esse fabulam, testatur ingens miraculum factum Edessæ per hanc imaginem, vt ibidẽ scribit Euagrius. Testatur etiam dies festus, qui agebatur Constantinopoli, in die translationis huius imaginis ex Edessa Constantinopolim.

SECVNDA est, quam apud Paneadem mulier liberata à fluxu sanguinis Christo erexit. testis est Eusebius libro 7. histor. cap. 14. qui eam se vidisse asserit. meminit eiusdem Sozomenus libro 5. cap. 20. Damascenus lib. 1. de imaginibus, & Theophylactus in capit. 9. Matth.

TERTIA est, quam dicitur Nicodemus fecisse, & quæ à Iudæis per ludibrium crucifixa, innumerabilibus miraculis claruit. Refert hoc Athanasius in libello de passione imaginis Domini, cap. 4. Et quamquam dubium esse possit, an sit hoc opus Magni Athanasij: tamen certum est esse antiquissimi auctoris; quandoquidem citatur tanquam antiquissima historia in VII. Synodo, act. 4.

Præter has Christi imagines extant etiam B. Virginis, quas B. Lucas pinxisse dicitur, quarum meminit Theodorus Lector, qui ante mille annos floruit, lib. 1. Collectaneorum. Nicephorus lib. 14. hist cap. 2. & Simeon Metaphrastes in vita S. Lucæ. Tertullianus lib. de pudicitia, meminit imaginis Christi in forma pastoris ouem ferentis in humeris suis depictæ in sacris calicibus, vt suprà diximus. Aelius Lampridius in vita Alexandri Seueri refert Alexãdrum Imperatorem in suo larario imagines Christi & Abrahæ habuisse. At certè credibile est, eum à Christianis didicisse, quemadmodum Christus pingi deberet. Eusebius lib. 7. histor. cap. 14. dicit, passim consueuisse pingi imagines Apostolorum, & se multas antiquissimas vidisse. Ambros. in epistola de inuentione sanctorum Gerua sij & Protasij, quæ apud Surium extat, dicit se cognouisse eum,

qui

qui sibi apparuerat, fuisse B. Paulum, ex imagine picta quam apud se habebat.

Chrysostomus oratione in S. Meletium, dicit Meletij imagines adeò celebres fuisse, vt etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, atque vbique alibi conspicerentur. Similiter Theodoretus in historia religiosa, in vita Simeonis Stylitæ dicit, Romæ in omnibus officinis pro foribus pendere consueuisse imagines sancti Simeonis.

Augustini tempore frequentissimas imagines fuisse, colligitur ex lib. 1. de consensu Euangelistarum, c. 10. vbi dicit, passim inueniri imagines Christi inter Petrũ & Paulum depicti. Multa alia testimonia Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, & Cyrilli Alexandrini, & aliorum multorum Patrum, vide in VII. Synodo, actione 4. & libro 3. Damasceni Apologetico in fine. Addes etiam præter ista, omnia illa quæ paulò antè nos attulimus, ad probandum, imagines fuisse in templis primis quin gentis annis.

Tertio, probatur ab vtilitatib. Prima est instructio & eruditio. melius enim interdum docet pictura, quàm Scriptura; cuius vtilitatis meminit S. Gregorius Nyssenus, oratione in Theodorum, & S. Greg. Papa lib. 7. epist. 109. & lib. 9. epist. 9.

Dices, Historiæ quidem depictæ instruunt, at non imagines solitariæ. Respondeo etiã solitarias imagines, vt à Christianis pinguntur, semper continere quasi per compendium aliquam historiam. nam cùm pingitur Christus, semper pingitur vel in forma pueri in sinu matris, vel in forma viri alligati ad columnam, vel in cruce pendentis, vel resurgentis è tumulo, vel ascendentis in cœlum, &c. Sic etiam Sancti semper cum insigni virtutis, vel passionis, vel potestatis pinguntur, Petrus cum clauibus, Laurentius cum craticula, Andreas cũ cruce, &c. Martyres omnes cum palma, Sancti omnes cum diademate. ex quibus signis seu instrumentis docemur quasi per cõpendium, quid illi quos veneramur egerint, quidue passi sint.

Secvndo, vtiles sunt imagines, quamuis solitariæ, ad caritatem erga Deum, & Sanctos fouendam, & augendam. Qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, & inspiciendo magis inardescit. Hinc Seuerus Sulpitius, quia vehementissimè Sanctum Paulinum diligebat, nec tamen poterat apud eũ semper esse, rogauit eum per literas, vt imaginem suã ad viuum expressam ad se mitteret, cui modestissimè se excusans, respondit Paulinus epist. 8. ad Seuerum, se nondum habere perfectam imaginem secundi Adami, sed gerere adhuc primi Adami effigiem, & ideò nolle mittere. Gregorius quoque lib. 7. epist. 53. mittens Secundino imaginem Saluatoris, dicit, se scire eum imaginem cupere, vt in amore ipsius domini recalesceret.

Tertia vtilitas est excitatio ad imitandum. Explicatur prolixè hæc vtilitas in VII. Synodo, act. 6. extrema. de eadem loquitur Basilius oratione in quadraginta Martyres. Notum est apud Terentium in Eunucho, quàm vehemẽter iuuenem quendam conspecta tabella, in qua pictus erat Iupiter, stuprum inferẽs Dianæ, ad simile flagitium perpetrandum prouocarit. Contrà verò Nazianzenus in carmine de virtute, quod citatur in VII. Synodo, act. 4. dicit impudicam mulierem, cum ad quendam euocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis continentissimi hominis, & inde confusam erubuisse, & pœnitentia ductam redijsse domum suam.

Qvarto, vtiles sunt imagines, quia conseruant in nobis memoriam Christi, & Sanctorum, & simul in angustijs docent, nos habere patronos, quos inuocemus. Hinc Theodoretus in vita Simeonis Stylitæ, dicit Romæ frequentissimas fuisse imagines S. Simeonis, vt ea ratione sibi tutelam & præsidium multi pararent.

Qvinta vtilitas est confessio fidei, dum enim diligimus & honoramus imagines Sanctorum, testamur nobis placere eorum fidem, & doctrinam, & Sanctos mores: & simul nos detestari omnem impietatem, & idololatriam, contra quam ipsi vsque ad mortem pugnauerunt, & nunc præcipuè testamur, nobis non placere nouitates Lutheranorum, & Caluinistarũ, dum id religiosè veneramur, quod illi sacrilegè destruunt.

Sexta est honor Dei & Sanctorum; nemo enim vnquam dubitauit, quin erigere statuas, vel imagines magnis viris, ad honorem eorum pertineat. Certè Eusebius lib. 7. historiæ, c. 14. hanc præcipuam fuisse causam indicat, cur Christiani cęperint Sanctorum imagines desiderare.

Neque obstat, quod ait hoc ex Gentilium consuetudine natum; non enim loquitur de aliqua Gentilũ superstitione, sed de naturali, & proinde bona consuetudine, qua soliti erant statuas erigere ijs, quos honore dignos iudicabant, quamquam in eo postea errarent, quod sceleratis etiam hominibus, & falsis Dijs eas erigebant.

CAPVT XI.

Proponitur quæstio de cultu imaginum, cum argumentis aduersariorum.

Demonstrauimvs hactenus imagines Christi, & Sanctorum fieri, atque haberi, & in templis, alijsque sacris locis collocari posse: sequitur nunc controuersia de cultu, vtrum videlicet eiusmodi imagines aliquo genere cultus prosequendæ sint. De qua controuersia Damascenus in libro de hæresibus circa finem, duas extremas hæreses adducit. Vnam eorum, qui dicebant, imaginib. deberi diuinos honores, quos hæreticos vocat Christianocategoros. idest, Christianorũ accusatores, quia propter eos accusabantur Christiani, tanquam idolorum cultores. Eodem modo certum est Alexandrum Seuerũ coluisse imagines Christi & Abrahę, cum ceteris suis idolis, teste Aelio Lampridio. Hæc hæresis refellitur omnibus Scripturæ testimonijs, quæ prohibent ne cultum Deo proprium tribuamus creaturæ.

Alter error priori contrarius est eorum, qui nullum omnino honorem imaginib. Sanctorum deferri patiuntur. Refert hunc errorem Damascenus in libro de hæresibus in fine, & est eorũ omnium, quos recensuimus in secundo capite disputationis, qui quidẽ contendunt, non esse vllo modo colendas imagines, propter hæc argumenta.

Primo, quia Scripturæ vtriusque Testamenti seuerè interdicunt cultum simulacrorum, Exodi 20. Deuter. 4. Rom. 1. &c. Et quia Catholici respondent, Scripturas reprehendere cultum, qui tribuitur simulacris tanquam Dijs: Caluinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 9. & 10. conatur ostendere etiam Iudæos & Gentiles non habuisse simulacra pro Dijs, sed in simulacris Deum verum coluisse: & tamẽ reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum vllo modo communicari cũ imaginibus, & certè si Deus non debet coli in imagine, eodem modo Sancti, licet colendi essent, nõ essent tamen colendi imaginibus. Quòd Iudæi non habuerint simulacra pro Dijs, sed Deum verum in idolo coluerint, probat de vitulo aureo: *Isti sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Vbi fatentur se in vitulo colere eum Deum, à quo fuerant liberati de Aegypto, & ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, iussit præconis voce dici: *Cras solennitas Domini est*, vbi in Hebræo illud, *Domini, est* יְהוָה. Et Iud. 17. mulier quædam ait: *Sanctificauit, &*

voui Domino mille & centum argenteos, vt faciam sculptile atque conflatile. Vbi etiam pro, *Domino*, est nomen proprium Dei veri יהוה.

Quod autem Gentiles coluerint Deum verum in idolis, probatur PRIMO ex Augustino in Psalm. 113. qui refert Gentiles respondere solitos, cùm accusaban tur idololatrię, se nõ colere ipsa idola, sed numen quod per idolum significabatur. ITEM ex eo, quod Gentiles mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mu tabant. ITEM, quia vni Deo plura simulacra erigebãt, nam vnum Iouem esse dicebant, & tamen innumerabilia illi simulacra dicabant. DENIQVE, quia noua idola quotidie sacrabant, nec tamen dicebant, se nouos Deos facere.

SECVNDO, adducunt Concilia tria, Constantinopolitanum, sub Leone Iconomacho, teste Paulo Diacono lib. 21. Item aliud Constantinopolitanum Episcoporum CCC. XXXVIII. sub Constantino Copronymo, teste Paulo Diacono lib. 22. rerum Romanarum, vtrumq; definiuit imagines abolendas. vtriusque acta prolixè referunt Centuriatores, Cent. 8. c. 9. Tertium fuit Concilium Francofordiense, in quo reprobata fuit VII. Synodus, quæ imagines retinendas censuerat. ita referunt Ado in Chronico anni DCC. XCV. Abbas Vrspergensis in Chronico anni DCC. XCIII. Hincmarus Remensis lib. contra Episcopum Iandunensem, cap. 20. & Ioannes Auentinus in historia seu annalibus Boiorum, libro quarto, Rhegino libro secundo.

Porrò Magdeburgenses Cent. 8. c. 9. in fine, ex isto Concilio adducunt argumenta decẽ contra imagines, & soluunt argumenta 44. Nicænæ Synodi, & respondent ad XI. testimonia Patrum, quę allata fuerant pro imaginib. à Nicæna Synodo. Sed tam argumenta, quã solutiones sunt meræ nugæ; nunquam enim ea Nicæna Synodus exstitit, vt infrà suo loco dicemus.

TERTIO, adducunt libros quattuor Caroli Magni contra imagines, ex quibus Caluinus libro 1. Institut. cap. 11. duo deducit. PRIMO, Nicænum Concilium fuisse statim refutatum ab Orthodoxo Principe. SECVNDO, in Concilio illo Nicæno manifestam impietatem definitam. nam, vt ex lib. Caroli patet, in eo Concilio definitum est, imaginibus deberi honorem sacrificiorum, & eum cultum, qui tribuitur viuificæ Trinitati. prodijt iste liber anno M. D. XLIX. addunt Centuriatores Centur. 8. cap. 9. col. 645. exstare alium librũ adhuc acriorem contra imagines, Ludouici Pij, si tamen credere dignum est.

QVARTO, adducunt Patres; nam Irenæus libro 1. cap. 24. ponit inter hæreses Carpocratis, quod coleret imaginem Christi & Pauli. Epiphanius hæres. 79. dicit, hæreticos esse, qui imaginem Beatæ Virginis circumferunt & colunt. AMBROSIVS de obitu Theodosij: *Inuenit*, inquit, *Helena Crucem Domini, Regem adorauit, non lignum vtique, quia hic Gentilis est error, sed adorauit illum, qui pependit in ligno.* HIERONYMVS in cap. 3. Danielis: *Cultores*, inquit, *Dei imagines adorare non debent.* AVGVSTINVS de moribus Ecclesiæ, cap. 36. *Noui*, inquit, *picturarum adoratores.* GREGORIVS lib. 7. epist. 54. & 109. & lib. epist. 9. dicit imagines adorandas non esse. Alia quædam testimonia adducuntur ab Iconomachis, in VII. Synodo, act. 6. & ibidem refelluntur; sed facilia sunt.

QVINTO, adducunt exemplum Ezech. 4. Reg. 18. qui confregit serpentem æneum, quia coli iam cęperat.

SEXTO, adducit Caluinus experientiam, quæ docet, paulatim in cultu imaginum irrepere superstitionem, & errorem, quo putatur imagini alligata Diuinitas. nam cur alioqui vna imago Christi vel Mariæ, magis frequentatur, quàm alia? cur precaturi ad imagines accedunt? cur peregrinantur aliqui magno labore ad aliquam imaginem, cùm habeant domi suæ fortè meliores & pulchriores?

SEPTIMO, adducunt aliquot ratiunculas; nam imago, inquit, non est capax honoris, cùm sit res inanima, & sensus ac rationis expers. Item imago non est sancta ratione ligni, aut ferri, aut marmoris, aut alterius cuiusuis materiæ, sed nec ratione lineamẽtorum, aut colorum, aut alterius rei, quæ in ipsa sit; cur igitur colitur? Denique homo est imago Dei, & tamen non solet adorari: quantò minus igitur ligna, & lapides adorandi erunt, licet imaginem Dei, aut Sanctorum referant.

Atque hæc sunt illorum præcipua firmamenta, quibus respondebitur infrà c. 13. nam ceteras nugas Magdeburgensium libenter omittam, indignæ sunt enim quibus respondeatur. Christus, inquiunt, mortuus est pro hominibus, non pro imaginibus, ergo imagines non sunt colendæ. egregiè scilicet. Item si imagines necessariò colendæ essent, soli diuites saluarentur. qui eas emere possunt. Item Christus non dixit, qui imagines recipit, sed qui vos recipit, me recipit, ergo honor imaginis non refertur ad exemplar. quod quidem non argumentari, sed ludere est.

CAPVT XII.

Imagines Christi & Sanctorum rectè coli.

NOs cum Ecclesia asserimus, imagines Christi & Sanctorum honorandas esse, modò tamen (vt in Concilio Trident. sess. 25. declaratur) in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur vlla Diuinitas, sed solùm honorentur propter eos, quos nobis repræsentant. Quæ sententia probatur; PRIMVM, testimonio Scripturæ. habemus tria genera testimoniorum. Primò ea testimonia, quæ expresè agunt de imaginibus, nimirum Exod. 25. de Cherubin propitiatorij. Et Num. 21. de æneo serpente. Imagines enim Cherubin super arcam existentes Exodi 25. necessariò adorabantur ab ijs, qui arcam adorabant. Imò Hieronymus in epist. ad Marcellam, vt migret Bethleem, ideo dicit Tabernaculum fuisse veneratum à Iudæis, quia ibi erant Cherubin. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cũ in loco sublimi à Deo positus fuisset, & salutem miseris in se aspicientibus adferret. Vnde Augustinus lib. 3. Trinit. cap. 10. loquens de quibusdam signis, quæ venerationem tanquam religiosa merentur, ponit pro exemplo serpentem æneum. Præterea tam de imaginibus Cherubin, quàm de imaginibus serpentis, quòd honorari debuerint, patet ex regula B. Augustini lib. 3. Doctrin. Christ. cap. 9. vbi dicit, signa vtilia diuinitus instituta, veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit. Fuisse autem illas imagines Cherubin & serpentis à Deo institutas, & vtiles, certum est. Iam verò, si licuit, venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? Si licuit venerari imaginẽ Christi in forma serpentis (nam serpentem Christi fuisse figuram habemus Ioannis tertio,) cur non potius venerabilis erit imago Christi in forma hominis?

Deinde, habemus alia testimonia, quę docent, creaturas honorandas religiosè propter solam relationem ad Deum, vt Psalm. 95. *Adorate scabellum pedum eius.* Matth. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius.* Vbi nota, iuramentum esse actum religionis, quo honoratur primariò Deus, secundariò id, per quod iuratur. Prohibet ergo Deus iuramenta sine debitis circũstantijs, per cœlum & terrã, ne contumelia fiat eiusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem habent imagines: igitur eadem ratione colendæ sunt.

Vltimum genus testimoniorum est eorum, quę docent,

cent, creaturas dici sacras, vel sanctas propter relationem ad res sacras, Exod. 3. *Locus in quo stas, terra sancta est*; propter Angeli scilicet presentiam. Exod. 12. dicitur dies Paschæ, dies sancta & venerabilis propter significationem, & quia dedicata erat cultui diuino. Exod. 28. dicuntur vestes Sacerdotum Sanctę, propter eandem causſam. Isaiæ 11. sepulchrum Christi gloriosum. 2. Timoth. 3. dicuntur Scripturæ sacræ literæ: *Ab infantia*, inquit, *sacras literas nosti*. Cur literæ illæ dicuntur sacræ, nisi quia signa sunt rerum sacrarū? nec solùm literas, sed etiā verba ipsa prolata, venerari consueuimus, præsertim nomen IESVS; & Euangeliū audimus stantes detecto capite, imò etiam luminibus accensis; quamuis in meridie, vt Hieron. probat libro in Vigilantium: at imagines Christi & Sanctorum sunt etiam institutæ ad significandas & repræsentandas res sacras, cur ergo eas honorare non liceat? nam rē sanctam esse hoc ipso quod sancta est, venerabilem, patet ex illis verbis Exod. 12. *Dies prima erit sancta, & septima eadem religione venerabilis*. Vbi vides pro eodem accipi, rem sanctam & religiosè venerabilem.

SECVNDO, probatur ex Concilijs Ecclesiæ. Habemus in primis Can. 82. VI. Synodi, vbi dicuntur imagines venerabiles. tametsi enim isti canones non sint firmæ auctoritatis, tamen iste canon semper receptus fuit ab Ecclesia, & testatur vt minimū vsum Ecclesiæ antiquæ. Deinde habemus Synodum Romanam sub Greg. III. Episcoporum ferè mille, pro imaginibus celebratam, anno DCC. XXXIII. iuxta Sigibertum in Chronico. Item Synodū habitam in villa Gentiliacensi, anno DCC. LXVI. iuxta Sigibertum, vel DCC. LXVII. iuxta Adonem, in ea de imaginibus actum, & admoniti Græci, vt cum alijs pijs de imaginib. sentire vellent, vt Paulus Aemilius testatur lib. 2. Rursus aliam Synodum pro imaginibus Romæ celebratā sub Stephano III. anno DCC. LXVIII. iuxta Sigibertū, cuius Synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de imaginibus ad Carolum.

Post annum deinde DCC. LXXXVIII. septima Synodus act. 7. definiuit, imagines esse venerandas, non quidem cultu latriæ, sed honore illo, quo etiā prosequimur sacras literas, sacra vasa, &c. Testis Paulus Diaconus, Cedrenus, Zonaras, &c. Est autem hoc Concilium eiusmodi, vt nullo modo dubitari possit, quin generale & legitimum fuerit. Nam habuit in primis legatos Romani Pontificis, & trium aliorum Patriarcharum, Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymæ, necnon Patriarcham Constantinopolitanum, omnes consentientes, vt ex subscriptoribus patet. Præterea adfuerunt Episcopi CCC. L. teste Cedreno, ideſt, plures quàm in prima, secunda, vel tertia Synodo generali. Præterea consensit Imperator Constantinus. Ad hæc disputatum est acriter, & diu allatis in medium Scripturis, Concilijs, & Patribus. Si ergo vllum est Concilium generale legitimum, certè hoc est.

Neque obstat, quòd contrarium dicantur statuisse Constantinopolitana præcedentia & Francofordiense sequens. Nam etiamsi illa omnia fuissent legitima, tñ cedere deberent Nicæno; quia hoc plenarium & generale, illa particularia fuerunt. Est enim regula August. lib. 2. de Baptismo, c. 3. Concilia particularia plenarijs sine dubitatione cedere debere. Fuisse aūt illa tria particularia, patet; nam in Constantinopolitano sub Leone non fuerunt vocati, nec adfuerunt vlli Patriarchæ, excepto, Germano Patriarcha Constantinopolitano, qui tamen non consensit, & ideò depositus fuit.

In Concilio Constantinopolitano sub Constantino Copronymo nō sunt vocati, nec adfuerunt nec per se, nec per Legatos Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus Patriarchæ, sed solus Pseudoepiscopus, quē hæretici depositō S. Germano Patriarcham fecerant. Testantur hæc Cedrenus, & Zonaras in vita Constantini Copronymi, & ipsi etiam Magdeburgenses Cent. 8. c. 9. col. 551. & Paulus Diaconus, qui tunc viuebat, lib. 22. rerum Romanarum.

Denique Francofordiense omniū iudicio particulare fuit, & (si verum est, quod Centuriatores dicunt) adfuerunt quidem Legati Romani Pontificis, sed Synodō assensi non sunt.

Ad hæc accedit, quod ex euentu colligitur Nicænū fuisse legitimum, nam solum illud tandem obtinuit, imagines enim in templis permanserunt, & suum honorem in ecclesia semper habuerunt; imò etiam solius huius Concilij acta exstant, reliqua tria mox euanuerunt, & solùm in historijs aliqua eorum memoria seruata est, quod idem accidit primo Nicæno. Fuerunt enim plurima Concilia celebrata ab hæreticis contra Nicænum I. sed ipsa cum suis errorib. euanuerunt, sola fides & can. Nicæni nos ad peruenerunt. Habemus præterea VIII. Synodum generalem, act. vlt. can. 3. & Synodum Tridentinam, sess. 25.

TERTIO, probatur ex Patrib. BASILIVS in Iulianum, vt citat Adrianus Papa in epist. ad Imperatores, in VII. Synodo, act. 2. *Historias*, inquit, *imaginum illorum honoro, & palàm adoro, hoc enim nobis traditum à Sanctis Apostolis, non est prohibendum, &c.*

CHRYSOSTOMVS in liturgia: *Sacerdos*, inquit, *ad imaginem Christi caput inclinat.*

AMBROSIVS serm. 10. in Psalm. 118. *Qui*, inquit, *imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit, et qui statuā contempserit Imperatoris, Imperatori vtique feciſſe videtur iniuriam, &c.*

AVGVSTINVS lib. 3. Trinit. c. 10. loquens de signis sacris; quales sunt imagines, literę, & Sacramenta: *Sed quia*, inquit, *hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporē tanquam mira non possunt, &c.* Vbi nominatim ponit serpentem æneum inter ea, quæ merentur honorē religiosum. Item lib. 3. de doctrina Christiana, c. 9. dicit, eos seruire sub signis, qui honorant vtilia signa, nec sciunt quid significent, quales erāt olim Iudæi: qui aūt venerantur vtilia, & sciunt quid significent, dicit eos non tam honorare ipsum signum, quàm rem significatam, & ideò liberos esse. Quod autem imagines Sanctorum sint vtilia signa diuinitus institutа: & proinde veneratione digna tam à seruis, quàm à liberis, patet ex lib. 2. de doctrina Christiana, c. 25. vbi dicit, picturas, & statuas, pertinere ad superflua instituta hominum, exceptis illis, quæ ob finem bonum suo loco, & tempore proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem. Tales autem esse Christi, & Sanctorū imagines, certissimum est. DENIQVE lib. 10. Confess. cap. 34. reprehendit pictores, & similes artifices, quod necessarium, & moderatum vsum, & piam significationem longè aliquando transgrediantur. Vbi admittit, quasdam esse picturas necessarias, quasdam etiam piam significationem habentes, & proinde venerabiles.

PAVLINVS natali 10. S. Felicis, de imaginib. in templo depictis, sicait:

Miremurq́, sacras veterum monumenta, figuras.

Vbi cùm sacras vocat figuras, honorādas etiam docet, res enim sacræ omnes honorandæ sunt.

GREGORIVS lib. 7. epist. 5. ad Ianuarium Episcopū Caralitanum, loquens de imagine B. Mariæ, & Cruce quæ positæ fuerant in Synagoga Iudæorum, quas iubet inde auferri: *His*, inquit, *hortamur affatibus vt sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine, atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare.* Et lib. 7. epist. 53. ad Secundinum, docet imaginem sacram honorandam etiam prostratione ad terram, non tamen vt Deum: *Et nos*, inquit, *non quasi ante Diuinitatem, ante illam prosternimur, &c.*

DAMASCENVS lib. 4. c. 17. de fide, dicit esse Apostolicam traditionem, cultum crucis & imaginum.

PRÆ-

PRÆTEREA crucem, ideſt, crucifixi imaginem fuiſſe in Eccleſia ſemper honoratam, certiſſimum eſt. nam LACTANTIVS in carmine de paſſione Domini.

Flecte genu, inquit, *lignumq́, crucis venerabile adora.*

Et SEDVLIVS, lib. 5. carminis Paſchalis.

Neue quis ignoret, inquit, *ſpeciem crucis eſſe colẽdam.*

AMBROSIVS oratione de obitu Theodoſij: *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem Chriſti in capite Regum leuauit, & locauit, vt crux Chriſti in Regibus adoretur.* Et libro de incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 7. *Nunquid*, inquit, *cùm in Chriſto imaginem Dei, crucemq́, veneramur, diuidimus eum?*

HIERONYMVS in vita Paulæ: *Proſtrata*, inquit, *ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret adorabat.*

ATHANASIVS, q. 16. ad Antiochum, dicit, Chriſtianos imaginem crucis colere potius, quàm lanceæ, vel columnæ, & ſimilium inſtrumentorum paſſionis Dominicæ, quia ſi Gẽtiles accuſent nos, quòd colamus lignum, poſſumus mox ſeparare duo ligna crucis ab inuicem, & eo modo ſublata figura crucis, conculcare duo illa ligna, vt oſtendamus nos non ligna, ſed imaginem crucifixi venerari. Denique Patres teſtantur, Chriſtianos ſemper accuſatos à Gentilibus, quòd colerent crucem, quæ eſt imago crucifixi.

TERTVLLIANVS in Apologet. c. 16. dicit, Chriſtianos appellatos religioſos crucis: neque ipſe hoc negat eſſe verum. MINVTIVS Felix in Octauio reſpondet Gentilibus obijciẽtibus adorationem crucis. Nec obſtat, quod ipſe dicit: *Nos crucem neque adoramus, neque optamus*; nam loquitur de adoratione propria Deo, de qua accuſabantur. Interim ex obiectione conſtat, crucem aliquo modo honoratam à Chriſtianis. Iulianus apud Cyrillum, lib. 6. idem obijcit. At certè nunquam Gentilib. in mentẽ veniſſet, vt noſtris obijceret adorationẽ crucis, niſi vidiſſent primis illis, & ſanctiſſimis Chriſtianis crucem ſummæ venerationi fuiſſe.

Ridicula eſt autem reſponſio Magdeburgenſium, qui ex Concilio Francofordienſi Cent. 8. c. 9. in fine dicunt, non eſſe eandem rationem crucis, & imaginum aliarum; nam Chriſtus nos redemit cruce, non imagine. Iſta enim reſponſio primo iugulat ipſos Centuriatores, ipſi enim non admittunt crucem poſſe honorari. Deinde imperita ſolutio eſt, nam Chriſtus non redemit nos iſta cruce, quam modò auream, modò argenteam, modò lapideam, modò depictam in tabula, vel ſignatam in aere veneramur, ſed illa vna lignea, cuius imago eſt, quam veneramur. Nec enim habemus vbique crucem illam Chriſti veram, & multò minus eam veteres habebant tempore Tertulliani, & Minutij, cũ poſtea repertam eſſe conſtet temporibus Magni Conſtantini. Magis autem redemit nos Chriſtus corpore ſuo, quàm cruce lignea. Quare ſi licet venerari imaginem crucis, multò magis imaginem corporis.

Argumentum QVARTVM, à miraculis, Deus enim per imagines Chriſti, & Sanctorum multa miracula operatur, ex quo intelligimus placere illi, vt imagines honorẽtur. Illuſtre in primis eſt, quod Euſebius refert lib. 7. hiſt. c. 14. vbi teſtatur, ex baſi ſtatuæ Chriſti æneę, ab Hæmorroiſſa poſitæ apud Paneadem, herbã quandam omnibus incognitam oriri ſolitam, quæ vbi creuiſſet vſque ad fimbriam imaginis Chriſti, eamq́; attigiſſet, vim haberet omnes morbos depellendi. quod ét refert Theophyl. in c. 9. Matth. Addit Sozomen. lib. 5. hiſtor. c. 20. de eadem imagine aliud miraculum, quòd videlicet cùm Iulianus Apoſtata ſtatuam Chriſti inde amouiſſet, & ſuam in eodem loco poſuiſſet, mox ignis de cęlo ſtatuã Iuliani diſcerpſit, & caput à reliquo corpore diuulſit planè ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon, 1. Reg. 5.

Non eſt autem prætereundũ hoc loco inſigne mendacium Centuriatorum. quod enim Iuliani ſtatuæ accidit, id illi tribuunt etiam ſtatuæ Saluatoris. Sic enim loquuntur Cent. 4. cap. 13. col. 1447. *Videtur*, inquiunt, *etiam ea fulmine confracta eſſe, vt extaret teſtimonium, ſuperſtitionem illam, qua ſtatuis vis aliqua tribuitur; Deo non placere.* Et ibidem ſuperſtitioſam vocant herbæ illius vim, quæ morbos omnes curabat. At cum dicunt, imaginem Chriſti fulmine diſiectam, mẽtiuntur apertiſſimè contra fidem omnium hiſtoricorum. Cùm autem miracula teſtatiſſima Chriſti, ſuperſtitioni Diabolicæ adſcribunt, imitantur Scribas, & Phariſæos, qui eiuſdem Chriſti miracula in Beelzebub fieri, calumniabantur.

Multa alia miracula per imagines à Deo facta legi poſſunt apud ipſos Magdeburgenſes Centur. 6. & ſeq. cap. 13. qui tamen reſpondent ad hoc argumentum ex libris Carolinis, non ſequi, imagines eſſe adorandas, quia miracula faciunt. Multa enim ſunt alia, per quæ Deus miracula facit, quæ tamen non adorantur. Nam Heliſæus per aquas Iordanis curauit lepram Naaman. Chriſtus ſputo curauit cęcum; nec tamen adoramus aquam, vel ſputum, quin etiam per homines malos aliquando facit Deus miracula, & tamen eos homines omni honore indignos iudicamus.

RESPONDEO, ſpectãdum eſſe finem miraculorum; id enim, quod miraculo cõfirmatur, Dei teſtimonium habet. Iam Heliſæus, & Chriſtus non adhibuerunt aquam, vel ſputum in miraculis, vt aquam, vel ſputum honorarent, ſed vt oſtenderent, ille quidem ſe eſſe Prophetam Dei, iſte autem ſe verum Dei Filium. Similiter homines mali non faciunt miracula, vt ſe ac vitam ſuam commendent, ſed fidem. Quare non ipſi, ſed fides, quam prædicant, veneranda eſt.

Miracula autem per imagines facta, ideo facta ſunt, vt probarent, ac ſancirẽt imaginum cultum. Nam cur, quæſo, ignis cęleſtis diſcerpſit ſtatuam Iuliani, niſi vt vindicaret iniuriam factam ſtatuæ Chriſti? Et cur ab imagine à Iudæis cõfoſſa, ſanguis prodijt, qui infirmos plurimos curauit, ut eſt apud Athanaſium lib. de paſſione imaginis Domini, Gregorium Turonenſem de gloria Martyrum, cap. 21. Rheginonem in Chronico anni DCCC. IV. niſi ut oſtenderet ſe honorare id, quod Iudæi contumelia afficiebant?

Præterea beneficia, quæ per imagines à Deo conferuntur, cur illis dumtaxat conferuntur, qui imagines honorant, & qui exiſtimant Deo placere cultum imaginum? Nam illud miraculum factum Edeſſæ per imaginem Chriſti, ut refert Euagrius, lib. 4. cap. 26. factum eſt in ſalute eorum, qui Chriſti imaginem uenerabantur. Scribit etiam Zonaras in uita Michaelis Balbi, cũ Leo Armenius imagines perſequeretur, filiũ eius Sabbatium Conſtantinum, qui mutus erat, acceſſiſſe ad ſtatuam S. Gregorij Nazianzeni, & ſanctum ipſum mente precatum, loquendi uſum diuino miraculo recepiſſe. At ſi cultus imaginum eſſet idololatria, Deus certè tum maximè idololatriæ fauere uiſus fuiſſet. Scribit Paulus Diaconus, lib. 21. rerum Romanarum, cum Iconomachus quidam cõſpecta ſtatua B. Virg. lapides in eam iecciſſet, eamque comminuiſſet, per quietem uiginem ipſam ab eo uiſam, terribiliter his uerbis comminãtem: *In caput tuum hoc feciſti.* Deinde paulò poſt eundem lapide percuſſum, atque ita contritum eſſe, ut ipſe ſtatuam comminuerat.

Argumentum QVINTVM duci poteſt à ſimili, hoc modo: homo dignus eſt ueneratione, quia imago Dei eſt, ergo & cęteræ imagines Chriſti, uel Sanctorum dignæ ſunt ueneratione, quod enim uni imagini conuenit, quia imago eſt, id neceſſariò omnibus imaginibus cõuenit. Eſſe autem hominem uenerabilem quatenus Dei eſt imago, Cyrillus, & Auguſtinus teſtantur.

CYRILLVS Catecheſi 12. ſic ait: *Imago lignea terreni Regis honoratur, quãto magis rationalis imago Dei?* AVGVSTINVS epiſtola 203. ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtarum, explicat, cur in titulo epiſtolæ dixerit:

Honorabili fratri, & ait se non honorare Episcopatum eius, sed honorare imaginem Dei, quam in illo sciebat esse, cùm homo esset.

RESPONDENT Magdeburgenses ex lib. Carolino, argumentum nihil concludere, cùm non sint similes depictæ imagines homini, vt imago Dei est, imago enī Dei est in mente, similitudo autem inter hominem, & picturas est in exteriori figura. Imperitè; nam argumētum procedit à simili proportione, vt enim homo se habet ad Deum, cuius est imago, ita se habet pictura ad Christum, cuius est imago: si ergo homo ideo est honorabilis, quia est imago rei honorabilis, certè etiā imago picta est honorabilis, quia imago est rei honorabilis.

Respondent SECVNDO, hominem non adorari saltem religiosè, sed solùm ciuiliter. At licet homo, vt Rex, vel Imperator honoretur ciuiliter, tamen homo, vt imago Dei, honoratur religiosè; causa autem cur honoretur sacra res est, quemadmodum, qui honorat hominem, quia sanctus, vt Propheta, vel Sacerdos, vel Episcopus est, certè religiosè honorat, non ciuiliter, vt suprà diximus.

Argumentum SEXTVM, item à simili, imago Regis est venerabilis ciuili quodam honore, ergo imagines Christi, & Sanctorum sunt honorabiles cultu religioso. Et confirmari potest hoc argumentum ex insigni fraude Iuliani Apostatæ, quam describunt Gregorius Naziāzenus oratione prima in Iulianum. Paulus Diaconus in vita Iuliani, & alij; erat in more positum, vt imagines Imperatorum ab omnibus adorarentur, id quod etiam Christiani faciebant, quippe qui sciebant solùm ciuilem adorationem illam fuisse, qualem etiam ipsi Imperatori licet Ethnico deferebant. Iulianus igitur, vt cogeret Christianos saltem per errorem adorare idola, iubebat suam imaginem ita depingi, vt simul pingeretur Iuppiter de cælo coronam, & purpuram Imperatori deferens; pingerentur etiam Mercurius, & Mars Imperatorem respicientes, vt eo modo indicaret, se sapientem, & fortem esse. Itaque seipse inter Deos depictum proponebat, vt Christiani de more venerantes imaginem Imperatoris, simul venerarentur imagines falsorum Deorum. Monet autem Nazianzenus fuisse venia dignos Christianos simpliciores, qui non aduertebant dolum, nec putabant se adorare aliud, quàm Regis imaginem.

RESPONDENT, Centuriatores loco notato non esse hæc similia, quia imago Regis adoratur propter absentiam Regis, qui non potest esse simul vbique in toto regno: Deus autē vbique est præsens. AT in primis non quærimus, cur adoretur imago Regis, sed ex eo, quod adoratur, colligimus, rectè adorari imaginem Christi. Præterea Christus, vt homo, non est vbique, nec Sancti sunt vbique. Denique falsum est, imagines Principum non adorari præsente Principe; imò sicut contumeliam facere imagini grauius peccatum est præsente Principe; quàm absente; ita etiam honorare imaginem præsente Principe, res est illi gratissima.

Argumentum SEPTIMVM à contrario; Imago est capax iniuriæ, & contumeliæ, ergo & honoris, atque cultus. Euseb. lib. 9. hist. c. 10. scribit in dedecus Maximini, imagines eius fuisse, vel deiectas, vel atris coloribus fœdatas. Idem de imaginibus Domitiani scribit Suetonius.

THEODOSIVS quoque (optimus alioqui, & sapientissimus Princeps) cùm Antiocheni imaginem vxoris, eius deiecissent, ita iratus est, vt parum abfuerit, quin totam Antiochiā euerterit. Extant de hac re duæ orationes Chrysostomi, idest, secunda, & tertia ad populum Antiochenū, quibus deplorat scelus illud in Theodosium commissum. Vide etiam Theodoretum, lib. 5. cap. 19. historiæ. Denique Iulianus Apostata Christi statuam non deiecisset, nisi eo modo Christo iniuriam fieri credidisset. Neque Deus Iuliani statuam fulmine percussisset, nisi ab eo iniuriam accepisset, & nisi ad Iuliani contumeliam id pertinere visum esset.

Argumentum OCTAVVM, idola Gentium meritò execramur, & confringimus, & hinc laudatur valde Theodosius, quòd, teste Theodor. lib. 5. c. 20. historiæ, iusserit idola vbique destrui. at certè id non fit, nisi ratione significationis, quia sunt imagines falsorū Deorum, igitur è contrario imagines Christi, & Sanctorum, quia res verè bonas, & sanctas significant, honorabiles sunt.

Argumentum NONVM, ab improbitate Iconomachorum, & pietate eorum, qui imagines colunt, & coluerunt. Nam Iconomachi, vt ostendimus 2. c. disputationis, fuerūt omnes, aut Iudæi, aut Samaritani, aut Mahumetani, aut Necromantici, aut manifestè hæretici, quos impios esse negare nemo potest. At qui imagines defenderunt, fuerunt sancti viri, & docti, vt Gregorius, & Adrianus summi Pontifices, Germanus, & Tarasius Episcopi Constantinopolitani, Ioannes Damascenus, Methodius, Leontius, Ionas Aurelianēsis, Paulus Diaconus, & alij pij doctique viri omniū consensu. Non est autem credibile, Deum per hostes suos potius, q̄ p amicos, & sanctos Ecclesiā docere voluisse.

Quid, quod ipse etiā Diabolus odit imagines? nam vt in Prato spirituali, c. 45. legimus. Eremitæ cuidam conquerēti, quod spiritus fornicationis illum vexans, cum illo consenuisset, nec abscedere vellet, apparuit Diabolus, ac promisit se discessurum, si is imaginem B. Virginis, quam in cubiculo habebat, non amplius se veneraturum polliceretur. Sed fortè Diabolus fingit odium in imagines, vt homines decepti magis eas colant. At si ita est, cur Diabolus tam sæpe per Iudæos, & Mahumetanos procurauit imaginum euersionem, & confractionem?

Argumentum DECIMVM, ab infelici exitu Iconomachorum, & felicitate eorum, qui imagines defenderunt. Nam in primis tempore Leonis Iconomachi, posteaquam imagines Sanctorum in foro Constantinopolitano crematæ fuerunt, orta est pestilentia tam grauis, vt Constantinopoli trecenta hominum millia interirent. Vide Chronicum Matthæi Palmerij, anno DCC. XLI. Item eadem occasione amisit idem Leo, & successores eius imperium Italiæ, nec vnquam amplius recuperare potuerunt. Vide Zonaram, & Paulum Diaconum in vita eiusdem. Eo tempore Rex Arabum Ezides, qui imagines Christianorum confringi iusserat, non superuixit vnum annum, cùm tñ XXX. anni promissi illi fuissent ab eo, qui illum ad Iconomachiam incitauit.

Tempore Constātini Copronymi inauditæ calamitates Orientem inuaserunt; nam terræmotus ingentes integras vrbes deiecerunt, & multa millia hominum occiderūt. Item pestis grauissima orta est, ita vt vineæ, horti, putei, aliaq; loca vix sufficerent sepeliendis hominibus. Et ne dubitaretur quam ob causam ista acciderent, simul vbique in vestibus hominū, in velis sacris, indumētis sacerdotalibus diuinitus existebant cruces, paruæ, quasi oleo designatæ: Deus enim indicare volebat, velle se vbique conspici crucis imaginem, quam Constantinus Copronymus eo tempore omnino obliterare contendebat. Ad hæc tam horribile frigus accessit, vt mare Ponticum ad centum milliaria congelaretur, essetq; glacies profunditatis XXX. cubitorum, cui superuenit nix, quæ etiam in glaciē versa est, ad altitudinem XX. cubitorum super aliam glaciē XXX. cubitorum. Paulò post cepit solui glacies, & fragmenta ingentia instar magnorum montium, vel insularum, magno impetu discurrebāt, quędam etiam ad Cōstantinopolim allisa partē mœniū, & vicinas domos euerterunt. Testatur aūt Paulus Diaconus se vidisse hæc oia. Eodem anno tanta siccitas postea fuit, vt flumina, fontes, putei, ferè omnes siccarētur; ita vt omnes intelligerent,

rent, & dicerent propter impietatem in Deum, & Sanctos, quam exercuerant Iconomachi, ista omnia fieri.

Denique obstinatus Imperator Constantinus, ita periit, vt in morte clamaret, se adhuc viuum igni inextinguibili traditum comburendum. Testis Zonaras, & Paulus Diaconus in eius vita. E contrario Pipinus, & Carolus filius eius, qui cum Rom. Pontif. imagines defendebât, ad regnum, & imperium prouecti felicissimè vixerunt, & regnauerunt, vt ex ijsdē auctoribus patet.

CAPVT XIII.

Soluitur argumenta aduersariorum.

SVPEREST iam, vt argumenta aduersariorum soluamus. Ad PRIMVM Caluini dico, in illis Scripturis reprehendi idololatriam, ideſt; cultum imaginum, quæ habentur pro Dijs, vel per quas coluntur tanquam Dij ij, qui verè non sunt.

Ad probationem illam, qua Caluinus conatur ostendere, Iudæos, & Gentiles adorasse Deum in idolis; dico in verbis Caluini contineri multa mendacia. PRIMVM est, quòd Iudæi, & Gentiles nō vocauerint Deos sua idola; nam lib. 1. cap. 11. §. 10. Institut. obijciens sibi responsionem Catholicorum, ait: *Non vocamus*, inquiunt, *nostros Deos, nimirum imagines: deinde respondent; Neque illi, aut Iudæi, aut Gentiles, olim vocabant, & tamen Prophetæ passim illis fornicationes cum ligno, & lapide exprobrare non desinebant. At si Iudæi non vocabant idola suos Deos, vnde est illud Exo. 32. Fac nobis Deos, qui nos præcedant? & isti sunt Dii tui Israel? Vnde illud Michææ, Iudic. 18. Deos meos quos mihi feceram, abstuliſtis? Et 3. Reg. 12. de duobus vitulis Hieroboam, ecce Dii tui Israel.*

Quòd autem simulacra ab Ethnicis vocarentur Dij, nemo nescit, qui aliquid in Poetis, vel etiam Oratoribus legerit, Sed vnus locus nunc sufficiet ex Danielis 5. *Bibebant*, inquit, *vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ligneosq; & lapideos.* Et alter ex lib. Sap. cap. 13. *Appellauerunt Deos opera manuum suarum.* Poteratne clarius Scriptura diuina Caluini mendacium redarguere.

SECVNDVM mendacium est, quòd Iudæi, cùm fecerunt vitulum aureum, non sint obliti Deum verum. Nam planè è diametro pugnant verba Caluini cū verbis Scripturæ. Caluinus enim, lib. 1. c. 11. §. 9. sic ait: *Nec tam incogitantes erant Iudæi, vt non meminissent Deum esse, qui eos eduxerat de terra Aegypti.* At Scriptura Deuteron. 32. *Deum*, inquit, *qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Et in Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile: & obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Et Hierem. cap. 2. *Ambulauerunt post vanitatem, ideſt, post idola, & non dixerunt vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti?* Quid clarius?

TERTIVM mendacium est, quòd Iudæi in omnibus suis idolis Deum vnum, & verum colere voluerint. Sic enim ait Caluinus, lib. 1. cap. 11. §. 8. *Deum quidem esse nouerant, cuius virtutem experti erant. Sed à præeunte imagine volebant cognoscere Deum sibi itineris esse ducem.* Et §. 9. ait: *Deum æternum Iudæi, vnum, verumq; cali, ac terræ Dñm sub talibus simulacris persuasi erant se colere.*

At hoc esse mendacium probabo. PRIMO, quia si Iudæi volebant tantum signum corporeū, non erat opus, vt facerent vitulum; nam habebant nubem, & columnam ignis, quæ melius ducebant, quàm vitulus, qui portari necesse habebat: non ergo signum corporeum, sed Deum corporeum quærebant.

SECVNDO, quia nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quàm ouē, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Aegyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, quē ipsi vocant Apim. de quo Cicero, lib. 1. de natura Deorum, & August. lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 5. & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius, &c. Iudæi ergo, quia viderāt in Aegypto in summo honore vitulum, putauerunt ipsum Deum cæli esse vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli statuerunt.

TERTIO, quia Iosue, cap. vlt. datur optio Hebræis, an velint seruire dijs alienis, quibus seruiunt Thare, & Nachor idololatræ, an idolis Amorrhæorum, an Deo Israel? non ergo in idolis adorabant, vel putabant, se adorare Deum Israel. Nam alioqui potuissent respondere ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhæorum, & Thare, ac Nachor Deū verum colerent. Idem confirmatur ex 3. Reg. 18. vbi Elias dicit: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si Baal est Deus, sequimini illum.* Vbi clarè opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Iudæi colebant idolum Baal, certè non colebāt Deum verum. Adde illud Deuteron. 32. *Immolauerunt Dæmoniis, & non Deo, Dijs quos ignorabant.* Adde etiā, quod falsò accusarentur Iudæi seruisse Diis alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. AT, inquies, quomodo ergo de vitulo dicitur, Exo. 32. *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Quomodo etiam ibidem de vitulo dicitur: *Cras solennitas Domini* יהוה *est?* Et Iud. 17. *Sanctificaui hoc argentum Domino, vt faciam idolum?* Ad PRIMVM respondeo, significari illis verbis, putasse Iudæos beneficium liberationis de Aegypto se accepisse, non, à Deo Mosis, sed ab Api Deo Aegyptiorum. Ad SECVNDVM, & TERTIVM, duplex solutio est. VNA Caietani in cap. 32. Exo. quod verè nomen ipsum, Domini, tribuatur à Iudæis idololatris idolo, & hoc fortè significare Scripturam, Sapient. 14. cùm ait: *Incommunicabile nomen lapidibus, et lignis imposuerunt.* Nullum enim Dei nomen est incommunicabile, præter hoc יהוה, nam cętera tribuuntur aliquando etiam creaturis.

DICES, at nomen illud יהוה est proprium nomen Dei Israel, non ergo potuit cōmunicari. RESPONDEO, fortè Iudæos illos, qui plures veros Deos esse credebāt, non putasse hoc esse nomen proprium, sed appellatiuū. Fortè etiam communicasse illud nomen per similitudinem. Quomodo enim Aegyptij vocare solent Nilum, suum Iouem; & nos de homine strenuo dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: Ita Iudæi de vitulo dicebant, hic est noster יהוה habeat sibi Moses suum.

ALTERA solutio est Abulensis, Caietani, & aliorum in c. 16. Iud. qui dicunt duo genera idolorū fuisse apud Hebræos. VNVM sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Mich. Iud. 17. & fortè vitulus aureus, quem fecit Aaron. Exod. 32. & renouauit Hieroboam, 3. Reg. 12. non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal, &c. sed semper ait: *Hi sunt Dii tui Israel.*

ALTERVM genus fuit, cum certo nomine, vt Baal, Moloch, Astaroth, Chamos, &c. vt videre est 3. Reg. 11. & alibi. Igitur dicunt, nec improbabiliter, posse de primo genere admitti, quòd Iudæi in idolo putauerint, se colere Deum verum. Ceterùm in hoc etiam eos erasse grauissimè, tum quia idolo sacrificabant, & in ipso idolo diuinam vim inesse credebant: tum etiam, quòd imaginabantur Deum esse corporeum, & ipsi idolo similem. Ex quo sequebatur, vt putarent se colere Deum verum, sed reuera non colerent, nisi figmentum suum, Quemadmodum Manichæi dicebant se colere Deum Patrem, & Filium eius Christum: sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant solem istum corporeum; nihil habebant Dei, & Christi, nisi solum nomen.

Quod autem Iudæi Deum putarent corporeum, & idolo similem, secundum hanc sententiam, patet ex vitulo aureo. Nam ideo faciebant Deum in forma

vituli, quia viderant in Aegypto vitulum in summo honore; inde enim existimabant, summum Deum esse vitulum illum, & hoc etiam modo Iudæi verè obliuiscebantur Dei, licet non putarent se eius obliuisci. In idolis autem secundi generis adeò certum est Iudæos, nec coluisse, nec putasse se colere Deum Israel, vt id fateatur etiam Petrus Martyr Caluinista in c. 17. Iud.

QVARTVM mendacium est, Ethnicos non putasse idola esse Deos. Sic enim ait Caluinus, lib. 1. c. 11. §. 9. *Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerẽt Deum aliud esse, quàm ligna, & lapides.* Hęc ille. Licet autem aliqui non fuerint ita stupidi, vt putarent idola lignea, vel lapidea esse Deos; tamen plurimi ita stupidi erant, vt verè crederent ipsa idola viuere, & sentire, & Deos esse. Neque erat hæc tanta stupiditas, quãtam Caluinus videri vult. Nam mouebantur Ethnici ad credendum idola esse Deos propter quatuor causas. PRIMO, quia id eis dicebatur à Pontificibus suis. SECVNDO, quia videbãt totum ferè mundum id credere. TERTIO, quia Diaboli opera interdum idola mouebãtur, & loquebantur, & futura prædicebant, seu potius moueri, & loqui videbantur; nam reuera Diabolus ea mouebat, & in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa verè moueri, & loqui. Solita verò idola loqui, patet ex cap. 21. Ezech. & cap. 10. Zachariæ, & ex lib. 1. c. vlt. Valerij Maximi. QVARTO, quia erant forma humana prædita; & qui videt sua membra sentire, & viuere, facilè persuadetur viuere, & sentire etiam sibi similia, præsertim si id à sapientioribus affirmari audiat. Sed quæcunque fuerint causæ, probo multos Ethnicorum credidisse, ipsa idola esse Deos, & proinde mẽtiri Caluinũ.

Igitur credidisse idola esse Deos probo, PRIMO ex Scriptura; nam omnes Prophetæ laborant, vt doceant idola aurea, & argentea non esse Deos, & probant, quia non loquuntur, non vident, &c. Vide Isa. 46. Dauidem Psal. 113. & Psal. 134. & Abac. 2. sed præcipuè Epistolã Hieremiæ Baruch 6. vbi ad singula argumenta concludit: *Vnde notum sit vobis; quia non sunt Dii.* At certè stulti essent Prophetæ, si id refellere conarentur quod nemo assereret. Præterea Act. 9. de Paulo dicunt Ethnici: *Paulus hic suadet, dicens, quia non sunt Dii, qui manibus fiunt.* Ergo ipsi putabant esse Deos eos, qui manibus fiunt. Præterea Hierem. 2. & Sapien. 13. & 14. Scriptura dicit, Ethnicos solitos inuocare idola, & eis commendare salutem suam: nemo autem inuocat, aut orat simulacrum, inquit Augustinus in Psal. 113. qui non putet ab illo se exaudiri.

SECVNDO ex Patribus; AVGVSTINVS, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 7. *Fateor*, inquit, *alitus demersos esse, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei.* Et infrà: *Illi simulacra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa, & imagines Deorum.* Et epist. 49. ac in Psal. 113. dicit, Ethnicos multos putasse ipsa simulacra viuere, spirare, & audire, & proinde esse Deos viuẽtes, & in hoc errore foueri ex ipsa similitudine humanorum membrorum.

TERTVLLIANVS in Apologet. c. 12. dicit, Deos gentilium plura pati, dum fiunt ab artificibus, quàm patiantur Christiani cùm occiduntur, & eos nolint adorare.

EVSEBIVS, lib. 5. præparat. cap. 15. *Triginta*, inquit, *Deorum millia in terra esse censet Hesiodus, ego autem multò plures lapideos, atque ligneos hominum creatores esse video.* Denique Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Theodoretus, & alij, qui scribunt contra Gentes, ridẽt Ethnicos, & ligna, & lapides pro Deo colant. Et quid est, quod ait Horatius, lib. 1. serm. Satyra 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus faceret scamnum, anne Priapum,
Maluit esse Deum?

Nec solum Poetæ, sed etiam viri sapientissimi hoc senserunt; nam HERMES Trismegistus apud Augustinum lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 23. dicit, alios Deos factos à summo Deo, alios autem ab hominibus: Deos autem ab hominibus factos dicit esse statuas, quibus arte quadã magica alligantur Dæmones, ita vt statua sit quasi corpus Dei, spiritus autẽ inclusus sit anima, & totum idolum sit Deus, quomodo corpus, & anima est homo. Et ARNOBIVS, lib. 1. contra Gentes: *Venerabar*, inquit, *ò aduenas, nuper simulachra modò ex fornacibus prompta, incudibus Deos, & ex malleis, fabricatos.* Et infrà: *Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam.* Et infrà: *Deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia.*

Vide igitur, Lector, an non mentiatur Caluinus, cũ negat Ethnicos habuisse idola pro Dijs.

AT, inquit, Ethnici mutabant simulachra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. RESPONDEO, Ethnicos eadẽ stultitia, qua putabant aliquos Deos posse fieri manibus hominum, potuisse etiã credere Deos aliquos potuisse destrui manibus hominum.

SED rursum, ait Caluinus, vni Deo multa simulacra ponebant. RESPONDEO, Ethnicos habuisse alios Deos in cælo, alios in terra: nec putasse absurdum, si vnus Deus cælestis, vt Iupiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, idest, multa idola eiusdem nominis.

Denique addit Caluinus, Ethnici nouas imagines sacrabant, nec tamen putabant se nouos Deos facere. RESPONDEO, falsum esse, non putasse Gentiles, se nouos Deos facere, saltem terrestres.

QVINTVM mendacium est, lib. 1. Instit. cap. 11. §. 10. *Prophetæ*, inquit, *passim Iudæis, & Gentilibus fornicationes cum ligno, & lapide exprobrare non desinebant, tantum ob ea, quæ quotidie ab iis fiunt, qui Christiani haberi volunt, nempe quod Deum in ligno, & lapide carnaliter venerabantur.*

Hoc est maximum, & perniciosissimum mẽdacium. Nam in primis Iudæi, & Gentiles immolabant idolis, vt patet de Iudæis Exod. 32. & alibi, de Gentilib. 1. Corin. 10 & alibi. & hanc Scriptura vocat fornicationem: Christiani autem nunquam imaginibus immolarunt.

Præterea Iudæi, & Gentes, vel idola putabant Deos, vt ostendimus, vel certè in idolis creaturas pro Deo colebant, quod Christiani non faciunt. Quod autem Gentiles in idolis colerent creaturas pro Dijs, probatur; nam plurimi in simulachris colebant pro Dijs homines mortuos, quos & ipsi mortuos esse credebant, sed non facilè audebant id populis dicere. Probat hoc Lactantius, libro primo, capit. decimoquarto, & decimoquinto, vbi etiam refert, Ciceronem Tulliolam suã Deam facere conatum esse, erecto illi simulachro. Et Augustinus, libro octauo, capit. vigesimosexto, de Ciuit. Dei, probat, Paganorum Deos homines fuisse, & libro 18. cap. 5. docet Serapidis simulachrum digito ad os admoto indicare solitum, vt taceretur Serapidem fuisse hominem, imò & pœnam capitis constituram ait ijs, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cùm tamen verè hominem fuisse, & mortuum, ac sepultum constaret. Idem probat Cyprianus initio libri de Idolorum vanitate, & Eusebius de præparatione Euangelica, libro secundo, cap. septimo, & Tertullianus Apolog. cap. 11.

Alij non homines mortuos, sed dæmones in idolis pro Dijs colebant, vt patet ex Hermete apud Augustinum lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 23. Quamquam dęmones non solum inuitati magicis artibus, vt Hermes dicit, sed etiã sponte sua in idolis habitabant, & se supponebant pro mortuis hominibus, vt loco eorum adorarentur, vt docent B. Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, & B. Augustinus, lib. 8. de Ciui. Dei, cap. 24. & lib. 22. contra Faustum, cap. 17. & idem patet ex eo quod dęmones assumpserunt sibi nomina, vel idolorum, in quibus residebant, vel hominum mortuorum, quorum vice colebant-

bantur. Adiurauit enim, & rogati nomen, quidam dicunt, se vocari Beelzebub, quidam Moloch, quidam Chamos, &c. alij Iouem, aut Mercurium, aut Apollinem, &c. vt obseruarunt Origenes, lib. 6. contra Celsum paulò ante medium. Eusebius, lib. 4. præpar. cap. 6. Lactantius, lib. 2. cap. 16. & Sulpitius in vita B. Martini. hoc idem Scriptura testatur, cùm Deuteron. 32. dicit: *Immolauerunt dæmoniis, & non Deo.* Et Psal. 95. *Dii gentium dæmonia, &c.* Et 1. Cor. 10. *Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, & non Deo.*

Alij nec simulachrum, nec homines mortuos, nec dæmones in idolis colere se dicebant, sed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant Solem, in idolo Neptuni mare, in idolo Iouis ætherem, &c. vt referunt Euseb. lib. 3. præpar. cap. 2. & Aug. in Psal. 113. & lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 10. & lib. 7. de Ciuit. Dei, c. 5. & seq.

Alij denique, nec ipsas corporeas mũdi partes in idolis colere se dicebant, sed animas earum partium, ideſt, Solis, Lunæ, Terræ, &c. vt referunt Eusebius, lib. 3. c. 3. præpar. & August. loco citato. Sed omnes isti, vt patet, creaturas pro creatore coluerunt: nisi quis ita desipiat, vt homines mortuos, dæmones, elementa, stellas, creaturas esse neget. Id igitur Scriptura in Ethnicis reprehẽdit, quòd adorauerint creaturam pro creatore: quod sanè Catholici, nec faciunt, nec fecerunt vnquam, cùm imagines, nec Deos putent, nec imagines Deorum.

CAPVT XIV.

Soluitur argumentum secundum.

AD SECVNDVM argumentum ex Concilijs. Dico in primis Concilia duo Constãtinopolitana fuisse illegitima. Quod patet PRIMO, quia non adfuit Romanus Pontifex, nec per se, nec per legatos, vt ex Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, & ex Synodo Nicæna II. Act. 6. patet. Porro regula est Ecclesiastica Concilij I. Nicæni, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari, vt præter alios refert Socrates, lib. 2. cap. 13. SECVNDO, quia non consenserunt vlli Patriarchæ, nec per se, nec per legatos, vt ex ijsdem auctoribus patet. TERTIO, quia omnes auctores, qui de Concilijs generalibus scribunt, vt Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Nicetas, Paulus Diaconus, Rhegino, Ado, Sigebertus, Abbas Vrspergensis, & alij, ista Concilia Constantinopolitana, vel non numerant inter Cõcilia Ecclesiæ, vel apertè reprehẽdunt.

Dico SECVNDO, etiamsi legitima fuissent, tamen eis derogatum esse per Concilium plenarium, & verè generale, ideſt, secundum Nicænum.

Est autem hic notandum, Concilium istud Constantinopolitanum falsò vocari Ephesinum III. à multis recentioribus, vt ab eo, qui edidit Cõcilia in quadam admonitione præmissa VII. Synodo, & ab auctore summæ Conciliorum in principio VII. Synodi, à Sixto Senensi, lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annot. 247. & ab alijs. Causſa erroris fuit, quia Concilio isti profano præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus. Nam quod verè nõ Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, & ex ipso Concilio, quod insertum habetur Act. 6. Nicæni Concilij.

Notandum SECVNDO, Caluinum, & Magdeburgenses imprudenter laudare Concilium Constantinopolitanum prædictum; nam illud Concilium etiamsi de imaginibus impiè sensit, tamen de cultu, & inuocatione Sanctorum, & de meritis operum rectè sensit, & anathema dixit ijs, qui id docent quod nunc Caluinus, & Magdeburgenses docent. Nam cap. 15. anathematizat eos, qui non inuocant B. Mariam, Can. 17. eos, qui non colunt, & non inuocant Sanctos cæteros, Can. 18. eos, qui non credunt Deum redditurum vitam æternã pro meritis operum secundum iustam iudicij sui libram. Habentur autem hi canones inserti in Concilio Nicæno II. Act. 6. & eosdem fideliter recitant Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. ex quo sanè perspici potest eorum incredibilis, vel stupiditas, vel impudentia, qui id laudant, à quo anathematizantur.

De Concilio autem FRANCOFORDIENSI, quo præcipuò nituntur aduersarij, dico tria. PRIMO, quidquid illud Concilium definierit, non esse magni faciendum; nam sine dubio illi anteponendum est Concilium Nicænum II. quod certũ est fuisse vniuersalius, antiquius, & sine controuersia à summo Pontifice approbatum; nam constat ex ipso Concilio adfuisse legatos Papæ Adriani, & rursus approbatum à Leone III. patet ex Iuone 4. parte, cap. 147.

Dico SECVNDO, si verum est quod dicunt Centuriatores Cent. 8. cap. 9. col. 639. nihil nobis eam Synodum obesse, nam ipsi dicunt, Synodo Francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Adrianum, & legatos eius. At certum est Synodum, cui repugnat Romanus Pontifex nullius esse auctoritatis, vt patet tum ex Gelasio in tomo de vinculo anathematis, tum experientia. Nulla enim Synodus vnquam habita est legitima, cui Romanus Pontifex repugnauerit.

Quid, quod ipsa Synodus Francofordiensis hoc ipsum docet? nam (vt ex Carolinis libris patet,) Synodus Francofordiensis decreuit, iudicium vltimum controuersiarum ad Romanum Pontificem pertinere, & hoc præcipuo argumento refellit Synodum VII. quia existimauit sine auctoritate Romani Pontificis celebratam: Ergo Synodus Frãcofordiensis, testimonio Magdeburgensium, seipsam destruit.

Præterea ibidem Magdeburgenses dicunt, Synodũ Nicænam ab Adriano cõfirmatam; Concilium autem Francofordiense reprobat Synodum factam sine Papæ auctoritate, ergo iudicio Magdeburgensium non est Nicæna nostra, sed aliqua alia, quæ reprobatur in Concilio Francofordiensi. DENIQVE ibidem docent Magdeburgenses, in Synodo Francofordiensi non esse definitum, vt imagines tollãtur à templis, sed vt in templis quidem maneant, at non adorentur. Cur ergo ipsi è templis imagines tollunt? cur frangunt? cur non seruant Francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mendacium Apologiæ Anglorum, quæ docet, in Concilio Francofordiensi decretum, vt imagines delerentur. At è contrario Synodus Francofordiensis testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, & ipsorũ Magdeburgensium, anathema dixit ijs, qui imagines delere volunt. PRÆTEREA res ipsa idem ostendit; nam si ea Synodus id statuisset, cur non esset factum? Quis enim resisteret in Occidentali Ecclesia decreto Episcoporum omnium, & Regis potẽtissimi? Non esse autem factũ, certo certius est: nulli enim historici id referunt. Imò Ionas Aurelianensis tanquam rem nouam, & sacrilegam refert; quod Claudius Taurinensis in sua diœcesi imagines delere voluerit.

TERTIO dico, rem esse incertissimam, quid statutum sit de imaginibus in Synodo Francofordiensi. Nam antiqui auctores non sibi constant, nam in primis ipsum decretum Francofordiense, quod citatur in præfatione librorum Carolinorum, testatur in Synodo Frãcofordiensi damnatam Synodum, quæ Constantinopoli conuenerat, & imagines adorari iusserat. Vbi cùm nominat Constantinopolim, videtur loqui de Synodo hæreticorum contra imagines; at cùm dicit, ibi decretum, vt imagines adorentur, videtur loqui de Synodo Catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ facta fuerat Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate Papæ pro imaginibus adorandis. Vbi cùm nominat Constantinopolim, & dicit à Synodo abfuisse Papæ auctoritatem, videtur loqui de Synodo hæreticorum: Cùm autẽ dicit, in Bithynia, & pro imaginibus Synodũ illam ce-

lebratam, videtur loqui de nostra Nicæna. Nam Nicæa est metropolis Bithyniæ, Constantinopolis autem in Thracia est.

Iam verò Hincmarus Remens. c. 20. lib. cõtra Hincmarum Laudunensem, qui ipso ferè tẽpore floruerat, dicit, in Synodo Francofordiensi damnatã Synodum, quæ Nicææ conuenerat sine Papæ auctoritate. Vbi etiã duo contraria cõiungit, vt patet. Aimoin. lib. 4. c. 85. de gestis Francorum, & Abbas Vrspergensis in Chronico anni DCC. XCIII. scribunt in Synodo Francofordiensi damnatam VII. Synodum Græcorum, quæ conuenerat Constantinopoli sub Constantino, & Irene, vbi etiam ipsi contraria iungunt inter se.

Multi autem historici recẽtiores dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatã Synodum de tollendis imaginibus, quam Græci VII. generalẽ dicebant. ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis secundæ, lib. 1. Sabellicus, lib. 8. Aeneadis 8. Paulus Aemil. lib. 2. de gestis Francorum. Propter hanc cõfusionem Alanus Copus Dialogo 4. & 5. docet, in Synodo Francofordiensi solũ damnatam Synodum Constantinopolitanam hæreticam: Nicænam autem non solum non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarèm esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.

Primo, quia libri illi Carolini, licet falsò inscribantur Carolo, vt dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, vt patet ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus I. & scripti videntur in Concilio Francofordiensi, & acta continere Synodi Francofordiensis. id enim asserit Hincmarus eius temporis auctor, & ipsi libri hoc præseferunt: quòd autem Synodus, quæ in his libris refutatur, sit verè Nicæna II. dubitari non potest, si legantur, vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

Secvndo, quia auctores antiqui omnes conueniũt in hoc, quod in Concilio Francofordiensi sit reprobata Synodus VII. quæ decreuerat imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimonius, Rhegino, Ado, & alij passim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, vt Copus dicit, videtur mihi paulò durius.

Tertio, quia si isti auctores loquerentur de falsa VII. Synodo, ideſt, de Synodo Constantinopol. contra imagines, certè meminissent etiam in suis historijs Synodi Nicænæ verè septimæ. At nõ meminerunt vllius Concilij VII. nisi istius, quod reprobatum dicunt.

Neque obstat, quòd libri Carolini, & Abbas Vrspergensis, & Aimoinus dicunt reprobatã Synodum Constantinopoli habitam; nam Abbas sequutus est libros Carolinos, vt etiam Aimoinus: auctor autem eorum librorũ, vel lapsu memoriæ, vel ex imperitia posuit Constantinopolim pro Nicæa; nam alioqui cùm dicat Synodum celebratam in prouincia Bithyniæ, vbi Nicæa est non Constantinopolis; satis indicat, se de Nicæa loqui. Et similiter Abbas, & Aimoinus cùm dicant, Synodum celebratam sub Constãtino, & Irene, clarè demonstrant, se loqui de Nicæna Synodo, etiamsi per errorem nominet Constantinopolim. Neque etiam obstat, ꝙ Hincmarus, & libri Carolini dicant, Synodum reprobatam in Concilio Frãcofordiensi fuisse coactam sine auctoritate Papæ, quod est falsum de Nicæna, & verum de Constantinopolitana: Nam Hincmarus sequutus est libros Carolinos, vt ipse indicat. Auctor autem eorum librorum hoc mendacium finxit cum alijs multis, vt imponeret Synodo Francofordiensi, vt mox dicemus.

Neque obstat vltimo quod Platina, Blondus Sabellicus, & Paulus Aemilius dicãt, reprobatam Synodum de tollendis imaginibus; nam in primis isti omnes recentiores sunt. Deinde quod ipsi dicunt, non pugnat cũ antiquorũ historicorum dictis; nam in Synodo Francofordiensi duæ Synodi reprobatæ fuerunt, nimirum Constantinopolitana contra imagines, & Nicæna pro imaginibus, vt patet ex libris Carolinis, & ex Hincmaro. Et fortasse hæc est causa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Nicæam, aliqui Constantinopolim, cùm dicunt Synodum Græcorum reprobatam in Concilio Francofordiensi. Videtur igitur mihi, in Synodo Francofordiensi verè reprobatam Nicænam II. Synodum, sed per errorem, & materialiter, eo modo prorsus quo olim Synodus Ariminensis damnauit homousion. Nam auctor librorum Carolinorum imposuit Synodo, duoque mendacia illi obtrusit: Vnum mendacium fuit, in Synodo Nicæna definitum fuisse, vt imagines adorarentur cultu latriæ. Alterum, decretũ illud factum à Græcis sine consensu Papæ Romani.

His duobus mendacijs pro veritate habitis, Synodus Francofordiensis reprobauit, & meritò, Nicænam Synodum tanquam profanam, & illegitimam. Quòd illa duo fuerint persuasa Concilio, patet ex ipsis libris Carolinis; nam in præfatione disertè habetur hoc modo: *Allata est in medium*, (scilicet in Synodo Francofordiæ) *quæstio de noua Græcorum Synodo quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, vt qui imaginibus Sanctorum, ita vt Deificæ Trinitati seruitium, aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. qui supra, sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, & seruitutem eis impendere renuentes contempserunt, atque consentientes condemnarunt.* Hæc ibi. In ipso etiã opere introducitur Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in Concilio Nicæno anathema dicens ijs, qui non adorant imagines eo cultu, quo adoratur sanctissima Trinitas. Et clarè primum mendacium. Idem auctor clarè docet, ad summum Pontificem pertinere iudicium controuersiarum fidei, & ideo Synodum illam pro adorãdis imaginibus nihil valere, quod Pontificis auctoritate careat.

Præterea auctores illi antiqui, qui dicunt reprobatã esse falsam Synodũ, quæ decreuerat imagines esse adorandas, sine dubio per illud, *adorandas*, intelligunt adorandas cultu latriæ; nam ipsi quoque docent imagines esse venerandas, & tamen execrantur illam Synodum, quæ iubet imagines adorari. Ado in Chronico anni DCXCVI. dicit, Romæ in die exaltationis Crucis, à toto populo crucem osculari, & adorari solitam. Et in Chronico anni DCCXVII. vocat imaginem venerandam, quam euerterat Philippicus hæreticus, & restituerat Theodosius Catholicus Imperator. Rhegino, lib. 1. Chronici sub finem, agnoscit crucis adorationem, & deturbationem imaginum per Leonem Iconomachum factam scelus appellat. Iohannes Auentinus, lib. 4. Annalium dicit, Carolo Magno Imperatore designato imaginem eius in templo ab omni populo veneratam ipso præsente. Abbas Vrspergensis in Chronico, inuehitur in Leonem Isaurum, & Constantinum Copronymum propter imaginum deiectionem, eosq; vocat impios, & Antichristi præcursores, & è contrario Gregorium Papam laudat, & sanctum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi, & Sanctorum, Imperatorem excommunicauit, &c.

Quòd autem verè mendacia sint, quòd Synodus Nicæna caruerit Papæ auctoritate, & ꝙ decreuerit imagines adorandas cultu latriæ, certissimum est; nam in ipso Concilio Nicæno II. Act. 2. recitantur Epistolæ Papæ Adriani pro imaginibus, & in omnibus actionibus semper primi subscribunt Legati Romani. Deinde quod ad cultum attinet, in prima actione Basilius Ancyranus qui antea fuerat hæreticus, cùm resipisceret, & confessionem Catholicam ederet, toto Concilio audiente, & probante dixit, se imagines quidem colere, non tamen latria, cùm ea soli debeatur Deo. Similiter Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in VII. Synodo, Act. 3. loquutus est. Similiter loquuntur etiã cæteri Act. 4. & 7.

Neque

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorum tam manifesta mendacia obtruserit Synodo Francofordiensi de Nicæna Synodo paulò ante habita; nã si nunc Magdeburgenses, & Caluinus scribere audent, nos colere imagines diuinis honoribus planè, vt Deos, cùm tot libri Catholicorum, & ipsum generale Concil. Latinum, & in Germaniæ finib. Tridenti celebratum, disertè clamẽt cõtrarium: quid mirũ si idem confictum sit de Synodo Græca, q̃ paucissimi legere poterant, & quæ in Oriente celebrata fuerat?

Si dicas, ergo saltem Concilium Francofordiense, quod frequẽtissimum fuit, & legitimum, errare potuit. RESPONDEO, potuit errare, & errauit, nõ in iuris, sed in facti quæstione. Et præterea non mirũ, si errare potuit; nam non consensere Legati Romani, vt Magdeburgenses dicunt: Papa autem non solùm non consensit, sed etiam refutauit Francofordiense decretum, vt patet ex libro Adriani de imaginibus ad Carolum, vbi refutantur omnia mendacia illorũ lib. Carolinorũ.

CAPVT XV.

Soluitur argumentum tertium.

QVOD autem ex libris Caroli adferunt, in quibus præcipuum firmamentũ caussæ suę constituunt: Dico eos libros, neque esse Caroli, neque eiusmodi, quibus vlla fides haberi possit.

Quòd Caroli non sint, probatur PRIMO, quia extat liber Adriani Papæ I. ad Carolum, in quo libri isti accuratè refelluntur, ex quo Adriani libro perspicuè intelligitur libros istos ab aliquo hæretico compositos, & à Carolo ad Pontificem missos, vt eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui extat in 3. to. Concil. cùm aliunde, tum etiam ex Iuone intelligi potest; qui multa ex hoc libro nomine Adriani in 4. partem sui decreti transtulit.

SECVNDO, constat ex historijs Græcorum, & Latinorum, vt Zonaræ, & Cedreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli Diaconi in vita eiusdem, Romanos Pontifices, Gregor. III. Adrianum I. & Leonem III. defeciſse à Græcis Imperatoribus, eos excommunicasse, vectigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos tandem Imperium transtulisse, ea de caussa præcipuè, quòd Græci Imperatores hæresi Iconomachorum patrocinarẽtur, cùm è contrario Francorũ Reges in fide antiqua constantes essent: Quomodo ergo verisimile est Carolum Imperatorem eadem hæresi laborasse, & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse? Sed verba Zonaræ audiamus.

Igitur, inquit, *Papa Gregorius deserta Imperatoris obedientia ob peruersam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cùm prius sæpe dedisset operam, vt Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, atque ad cultum sacrarum imaginum reduceret.* Et infrà in vita Irenes: *Adriano veteris Romæ Papa mortuo Leo suffectus est, vir reuerendus, & honorabilis, qui cùm se ad Carolum Francorum Regem contulisset, ab eo tempore Roma Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato; nam Papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernatoribus, & pacem cum Francis fecit.*

TERTIO, scribit Ionas Aurelianensis, lib. 1. de cultu imaginum (floruit autem Ionas tempore Ludouici Pij Caroli filij) Claudium Taurinensem eius hæresis patronum, toto tempore quo vixit Carolus nunquam fuisse ausum mutire, idemque ibidem, virum pijssimũ, ac sanctæ memoriæ Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, viuente Carolo, non audebant hæresim suam prædicare; si defensores imaginum Carolum, vt pium, ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere?

A QVARTO, scribit Paulus Aemil. lib. 2. hist. Franc. necnon Rhegino in Chronico in Cõcilio quodã Gentiliaci coacto, Pipinum Regem, Caroli Magni patrem, Græcorum erroré contra sacras imagines Imperatoris Græci legatis præsentib. confutasse. Ex eodem quoque Paulo constat, non diu postea ad Concilium, quod Romæ Steph. Papa celebrauit cõtra eundem Græcorum errorem, misisse Carolum Magnum Episc. duodecim, ex præcipuis regni. qua ergo audacia aduersarij Christianissimum Principem in Iconoclastam transformare nituntur? præsertim cum Paulo Aemilio in hac parte assentiantur Magdeburgenses, Cent. 8. c. 9. col. 570.

QVINTO, cõstat ex historicis omnibus, & ex ipsius Caroli epistolis, & carminibus, imò ex ipsis rebus gestis, Carolum & Adrianum semper coniunctissimos B fuisse. Extat adhuc Adriani epitaphium ab Imperatore Carolo non minus eleganter, quàm piè descriptum apud Platinam, cuius hoc est initium:

Hic pater Ecclesiæ Romæ decus inclytus auctor,
Adrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita, Deus: pietas, lex: gloria, Christus:
Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum.

Et infrà:

Post patrem Carolus lachrymãs hæc carmina scripsit,
Tu mihi dulcis amor, te modò plango pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,
Cum Christo teneas regna beata poli.

Num credibile est igitur Carolum alterius religionis, ac fidei fuisse, quàm Adrianum? & in ipsum Adrianum tam acriter scripsisse, cùm eum tantoperè coluerit, & post obitum laudarit? C

Denique certum est Carolum hominem Græcè, & Latinè peritum, prudẽtem, & ingeniosum fuisse; libri autẽ isti, hominis barbari, imperiti, leuis, ac penè stulti esse videntur. Nam Constantinopolim vrbem notissimam in Bithynia esse dicit, cùm nemo nesciat esse in Thracia, nisi fortè, quia frequentes ibi terræmotus fiunt, solum mutauerit, deinde Concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicæ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit. & quod grauius est, per calumniam, & mẽdacium multa tribuunt isti libri Nicęnis Patribus, quę nunquam dixerunt, & interdum quæ aduersarij dixerant; quale est illud, quod Eucharistia sit imago corporis Christi; quod non solùm Patres Nicęni non defen- D dunt, vt iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Vnde accepit Caluinus alterius mendacij occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant vnam solùm imaginem adorandam, idest, Eucharistiam, atque hoc dictum Pseudocarolus Nicænę Synodo attribuerat, Caluino placuit ita rem totam immutare, ac dicere: *Cæterum ne suo solenni, plaudite, fabula careat, additur clausula (nimirum à Concilio Nicæno) gaudeant, & exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt*; quod est mendacium impudentissimum. Concilium enim Nicænum tantum abest, vt voluerit imaginibus sacrificium offerri, vt disertè in actione septima declarauerit nõ veram latriam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat POSTREMO, quod liber iste, tãquam alter E Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia; prodijt enim repentè in lucem, nec scitur quando, aut vbi, aut quõ, aut à quo repertus; nec habet nomen auctoris, nec impressoris, nec loci vbi impressus est. Quæ sunt omnia argumenta, atque indicia fraudum.

Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem aduersarij obtinebunt? prorsus nihil. Auctor enim huius libri disertè oppugnat omnia ferè dogmata Caluinistarum; apertè enim docet ad Romanum Pontificẽ pertinere vltimum iudicium de controuersijs fidei, & eũ non à Concilijs, sed à Deo ipso primatum habere; idẽ vult exorcismum adhiberi in Baptismo, templa de-

dicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, Sanctos inuocandos, reliquias venerandas, Chrismatis, aquæ, salisque benedicti vsum in Ecclesia retinendũ, in Eucharistia verè esse corpus Christi, idque adorandum, & tanquam verum, ac proprium sacrificium offerendum, quæ sunt omnes exploratæ hæreses apud aduersarios. Si ergo volunt nos credere huic auctori, cùm docet, Nicænam Synodum erraſſe, credant eidem ipsi, cùm asserit tam multa, quæ iam enumerauimus.

Quòd si etiam constaret Carolum ipsum hunc librum scripsisse, & in omnibus cum Caluinistis conuenire, quid haberent aliud, quàm testimonium vnius hominis laici, & militis? quod opponere velle Concilio generali Episcoporum, stultitia est manifesta. Nam, vt rectè ait Damascen. orat. 2. de imaginibus: *Christus non commisit Ecclesiam Regibus, & Imperatoribus, sed Episcopis, & Pastoribus.*

CAPVT XVI.

Soluitur argumentum quartum.

AD QVARTVM argumentum ex testimonijs Patrum, ordine respondeamus. IRENÆVS, libro 1. c. 24. non arguit Carpocratem, quod imaginem Christi haberet, sed quod eam coleret eo modo quo gentes colunt idola, nimirum sacrificijs, vt clariùs explicant Epiphanius hæresi 27. & August. hæres. 7. & præterea quod imaginem Christi, & Pauli eodem loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis. Epiphanius similiter hæresi 19. reprehendit Collyridianos, non quod imaginem B. Virginis, & ipsam Virginẽ honorarent, sed quod haberent pro Dea, eique sacrificium offerrent.

Iam AMBROSIVS, quando ait, oratione, de obitu Theodosij: *Helena crucem inuenit, Regem adorauit, non lignum vti q; qui est error Gentilium, &c.* Vult dicere, crucem non adorari propter se, sed propter Christum, qui in ea pependit. Licet enim ipsum lignum honoremus, non tamen honoramus, quia lignum est, sed quia Christum crucifixum repræsentat. Vnde Ambrosius ibidem, sic ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite Regum leuauit, & collocauit, vt crux Domini in Regibus adoraretur.*

Porro HIERONYMVS, in cap. 3. Daniel. cùm dicit, eos, qui Deum colunt, non debere statuas adorare; loquitur de statuis Regum, qui habebantur pro Dijs, & quorum statuæ diuinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone.

Ad locum Augustini de moribus Ecclesiæ, cap. 36. dico; PRIMO, fortè eum loqui de idolis gentium, cùm ait: *Nouæ picturarum adoratores.*

Dico SECVNDO, eum fortè loqui de quibusdã, qui imagines Sanctorum superstitiosè colebant, ita vt accederent ad idololatriam; nam fuisse aliquos Christianos, qui imagines quasi Deos adorarent, testatur Damascen. in fi. lib. de hæresibus.

Dico TERTIO, Augustinum scripsisse eum librum in primordijs conuersionis suæ ad fidem Catholicam, & ideo offensum quibusdam ritibus, putasse eos sapere idololatriam, quos tamen postea melius instructus excusauit omnino ab idololatria. id quod ostendimus cùm ageremus de reliquijs; nam in eodem loco dicit, eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, offerre solitos epulas cadaueribus, & inde vocat eos sepulchrorum adoratores: & tamen lib. 8. de Ciu. Dei, c. vlt. dicit, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis, epulas, sed solùm ponere cibos super tumulos Martyrum, sperantes eos à Deo sanctificari per Martyrum preces.

Ad loca Gregorij dico, Gregorium solum reprehendere cultum imaginum superstitiosum, idest, quo imagines coluntur vt Dij. Vt patet ex Epistola ad Secundum, lib. 7. Epist. 53. *Scio*, inquit, *quod imaginem Saluatoris non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, &c.* Quod autem aliqua veneratio debeatur imagini ex sententia Gregorij, patet ex lib. 7. epist. 5. *Sublata*, inquit, *quæ dignum est veneratione, imagine, atque cruce, &c.*

CAPVT XVII.

Soluitur argumentum quintum.

AD QVINTVM de serpente æneo confracto ab Ezechia; respondeo, non mirum esse, si id Ezech. fecerit. Hebræi enim illi adolebant incensum, vt Deo; nam etiamsi adolere incensum non sit necessariò sacrificium, cùm videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, & proinde sacrificiũ videtur tunc fuisse. vide 3. Reg. 12. & 2. Paral. 26.

Præterea Hebræi obliti significationis, propter quã serpentem erexerat Moyses, honorabãt illum propter materiam, quomodo cætera idola, hoc est, putabant beneficia sanitatum ab ipso serpente æneo profecta. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem נחשתן, idest, ænulum, vbi diminutiuum ponitur per contẽptum, vel, vt alij legunt, נחשתם, idest, ęs, eorum.

CAPVT XVIII.

Soluitur argumentum sextum.

AD SEXTVM argumentum Caluini, sumptum ab experientia, quia Catholici magis frequentant vnam imaginem, quàm aliam eiusdẽ rei; & quia peregrinantur ad imagines, cũ habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, nos credere in imaginibus inesse diuinitatem.

RESPONDEO, vnam imaginem magis frequentari, quàm aliam, propter varias causas. PRIMA, quia Deus per vnam operatur miracula, & non per aliam; quæ etiam causa est, cur magis frequentemus precib. vnum Sanctum, quàm alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

SECVNDA causa est, quia quædam imagines pictæ sunt à sanctis viris, vt Luca, Nicodemo, & alijs, aliæ à profanis. Certè autem deuotionem merentur imagines, quæ non solùm sunt sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago S. Stephani, quæ ab Angelo formata, & allata fuisse putatur, de qua Euodius, lib. 2. de miraculis.

TERTIA causa est, quia aliquæ magis excitant ad pietatẽ, quàm aliæ, cùm sint magis piæ, & religiosæ, &c. porro precaturi ad imagines accedimus, non vt inuocemus imaginem, sed vt memoriam eius, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinariè enim peregrinationes ad reliquias, & loca Sancta fieri solent, vt ad sepulchrum Domini, ad limina Apost. ad S. Iacob. ad domum Virginis Lauretanæ, &c. si qui tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quæ diximus.

CAPVT XIX.

Soluitur argumentum septimum.

AD SEPTIMVM argumentum, ad primam rationem, quod imago non sit capax honoris, cùm sit res inanima, & sensus, ac rationis expers. RESPONDEO, inde solum probari, imaginem non esse honoris capacem propter se, & ideo imagines non honorari absolutè, sed relatiuè ad prototypum.

Ad

Ad SECVNDVM dico, imaginem esse sanctam propter duo. PRIMO, propter significationem, & repræsentationem rei sanctæ, & hoc modo quælibet imago Christi, vel Sanctorum etiam in officina existens, potest honorari.

SECVNDO, propter Ecclesiæ institutionem; nam quemadmodum calices, & vestes, & ipsi homines eo ipso fiunt sacri, quod dedicantur cultui diuino, & sepa rantur à profano vsu; ita etiam imagines fiunt sacræ, cum ponuntur ab Ecclesia in templis, vel alijs locis sacris, non vt pascant oculos curiosorum, sed vt excitêt memoriam & amorem Sanctorum, & seruiant cultui rerum sacrarum, in cuius rei signum solent aliquando imagines benedici, & precib. sacerdotalibus quodammodo sacrari, antequam in templis collocentur.

Ad TERTIVM dico, PRIMO, hominem vt imaginem Dei esse dignum veneratione, vt suprà ostendimus ex Cyrillo Catechesi 12. & Augustino epist. 203. Dico SECVNDO cum Thoma VValdensi to. 3. de Sacramentalibus tit. 19. c. 154. hominem non proponi ab Ecclesia colendum vt imaginem Dei, quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur; nam etiam propter se homo capax est honoris.

CAPVT XX.

Proponitur quæstio; Quo genere cultus imagines sint honorandæ.

VENIO nunc ad postremam quæstionem, quo genere videlicet cultus dignæ sint imagines. Tres sunt sententiæ.

PRIMA, quod imago non sit vllo modo in se colenda, sed solùm coram imagine colendum exemplar. ita quidam, quos refert & refellit Catharinus: idem videtur sensisse Alexand. 3. part. q. 30. art. vlt. necnon Durandus lib. 3. Sent. d. 9. q. 2. & Alphonsus à Castro verbo, Imago. Fundamentum huius sententiæ est, quia secundum Basilij sententiam in VII. Synodo sæpius repetitam, honor imaginis transit ad exemplar; non ergo inquiunt hi Doctores, in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est quæ honoratur, sed solum per illam; & in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore VII. Synodi, quique visuntur Venetijs in æde aurea antiquissimo opere incisa, & referuntur à Sabellico lib. 8. Aeneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Quod aût dicitur de imagine Christi Dei, dici etiã posset de imaginibus Sanctorum, nimirum; Nam Petrus est quod imago docet, sed non Petrus ipsa, &c.

SECVNDA opinio est, quod idem honor debeatur imagini & exemplari, & proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ, B. MARIÆ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ. Ita Alex. 3. p. q. 30. art. vlt. B. Thom. 3. part. q. 25. art. 3. & ibid. Caietanus, B. Bonauentura, Marsilius, Almayn, Cartusianus, Capreolus, & alij in 3. dist. 9. idem etiam habet Henricus quodlib. 10. q. 6. quamuis addat, nullam imaginẽ adorandam esse latria; nam ipse putat quidẽ eundem esse honorem imaginis, & exemplaris, sed simul docet, imaginem Christi non esse imaginem Christi, vt Christus Deus, sed vt homo est.

Fundamenta horum auctorum hæc sunt. PRIMO, quia Ecclesia canit de cruce: *O crux aue spes vnica, auge pijs iustitiam, reisque dona veniam.*

SECVNDO, quia honor imaginis transit ad exẽplar ex Basilio, igitur idem est honor imaginis & exemplaris; quare, si exemplar colitur latria, & imago.

TERTIO, ex Ambrosio, qui libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento, c. 7. ait, eadem adoratione coli diuinitatem Christi, & eius crucem: *Num,* inquit, *cùm in Christo imaginem Dei, & crucem adoramus, diuidimus eum?*

QVARTO, ex Hieronymo epistola de obitu Paulæ: *Prostrata,* inquit, *ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Sed Dominum pendentem adorasset latria, igitur & ipsam crucem latrię cultu adorabat.

QVINTO, ex Aristotele, qui lib. de memoria, & reminiscentia dicit, eundem esse motum in imaginem, vt imago est, & in ipsum exemplar.

SEXTO, mensura adorationis vniuscuiusque rei est ratio, siue excellentia, propter quam adoratur; sed ratio, cur adoratur imago, non est alia, quàm excellentia exemplaris, ergo idem omnino debetur honor imagini, qui debetur exemplari.

SEPTIMO, qui imaginem Regis afficit contumelia, habetur reus læsæ maiestatis, ac si ipsum Regem contumelia affecisset, eadem igitur ratio est imaginis, & exemplaris, quod attinet ad honorem, & contumeliã.

TERTIA opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se, & propriè honorari debere, sed honore minori, quàm ipsum exemplar, & proinde nullam imaginẽ adorandam esse cultu latriæ. Ita Martinus Peresius in libro de traditionibus, tractatu de imaginibus, item Ambrosius Catharinus in tractatu de imaginibus. Nicolaus Sanderus lib. 2. capit. vlt. de imaginibus, idem videtur sensisse Gabriel, qui in 3. dist. 9. q. vnica, & in canonem Missæ, lect. 49. ait, imaginem adorari eadem adoratione cum exemplari, non tamen vnitocè, sed analogicè. Hoc enim est dicere, coli imagines cultu inferiore, quàm ipsum exemplar.

Pro solutione quæstionis, & opinionum conciliatione notandæ sunt tres distinctiones. Id enim, quod honoratur, potest honorari per se, vel per accidẽs: propter se, vel propter aliud: propriè vel impropriè. Per se honoratur suppositum, in quo inest ratio venerationis, per accidens id, quod est coniunctum rei, quæ adoratur, nec est ipsa ratio adorationis, vt cùm honoratur Rex, per se honorat homo ille, & qui est Rex, per accidens honoratur purpura, & reliqua illa adiuncta, & accidentia omnia eius, excepta regia dignitate, quæ licet nõ sit id, quod honoratur, est tamen id, quo homo ille honoratur. Itaque persona honorat per se, vt quæ, regia dignitas honoratur per se, vt quæ reliqua honorantur per accidens.

SECVNDA distinctio, põt aliquid honorari propter se, vel propter aliud. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis non dependentiam aliunde; & hoc modo sola natura rationalis est venerabilis. Propter aliud honoratur id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa causa tota pendet ab alio, & hoc modo signa rerum sacrarũ sunt venerabilia; habent enim in se relationem similitudinis, siue repræsentationem rei sacræ, & proinde quandam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra.

TERTIA distinctio, põt aliquid honorari propriè, vel impropriè. Id propriè dr honorari, quod verè ratione sui ipsius honoratur. Impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur vt Legatus, & tunc ipse propriè honoratur, licet propter alium honoretur: aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regibus, & tunc ipse impropriè honoratur; propriè aût Rex in ipso tunc honoratur. Id clarius apparet quando vnus pro alio accipit possessionem aliquam; vel cum funus celebratur absente corpore, circa statuam, & fiunt erga statuam omnia, quæ circa corpus fierent, vt cum aliquando, teste Sexto Aurel. Victore, Romæ triumphauit Traianus mortuus, & statua eius pro eo sedit in curru triumphali. Nec enim potest dici, statuam propriè triumphasse, sed Traianum à statua repræsentatum.

CA-

CAPVT XXI.

Imagines per se & propriè colendas.

NVNC iuxta positas distinctiones aliquot sententijs rem totâ explicabimus. Sit igitur hæc PRIMA sententia, siue propositio. *Imagines Christi, & Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens, vel impropriè, sed etiam per se propriè, ita vt ipsæ terminent venerationem vt in se considerantur, & non solum vt vicem gerunt exemplaris.* Probatur PRIMO, quia Conc. VII. act. 7. definiuit imagines Christi esse venerandas, sed non latria; vult igitur esse venerandas per se, & propriè aliquo cultu; nam si Concilium solum vellet imagines adorari per accidẽs, vel impropriè, ita vt terminus proprius adorationis non esset imago, sed Christus ipse, non diceret, non debere adorari latria; Christus enim latria adoratur, cum sit Deus.

Neque obstat, quod quidam dicunt, imaginẽ Christi non repræsentare Christum vt Deum, sed Christũ vt hominem, & proinde in imagine Christi non posse adorari Christum vt Deum, sed Christũ vt hominẽ: Nam imago Christi ipsum Christum, ideſt, hypostasim diuinam humana carne vestitam repræsentat: sicut imago cuiuslibet hominis non solum figuram, & colorem, sed etiam personam, & totum ipsum hominem repręsentat. Alioqui Apostoli videntes Christum in carne nõ debuissent adorare latria; nec Thomas dicere debuisset: *Dominus meus, & Deus meus.* Nam non videbant Christum vt Deum, sed vt hominem.

SECVNDO probatur, nam si imago non est venerãda nisi impropriè, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, certè licebit simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim nõ dicitur nisi impropriè, simpliciter negari potest, vt patet: at Concilium VII. act. 7. anathema dicit ijs, qui negant imagines esse venerandas.

TERTIO, Concilium idem ibidem, definit imagines venerandas eo modo, quo veneramur Euangelia & sacra vasa: Atqui ista honorantur per se & propriè, vt omnes fatentur, nec enim personam alicuius alterius gerunt: igitur & imagines per se, & propriè venerandæ sunt.

QVARTO, in ipsa imagine verè inest aliquid sacrũ, nimirum similitudo ad rem sacram, & ipsa dedicatio, siue consecratio diuino cultui; ergo ipsę in se, & nõ solum vt prototypi vicem gerunt, honore dignæ sunt.

Neque obiectiones suprà adductæ conuincunt. Ad PRIMAM dico, imagines siue honorentur propriè, siue per se, siue per accidens, semper honorari propter exemplar, & semper honorem earum transire ad exẽplar, sed alio atque alio modo; nam qñ imago adoratur impropriè, quia videlicet honor in ipsam non terminatur, sed per ipsam in exemplar, tunc immediatè, & formaliter honor imaginis transit ad exemplar. At qñ imago honoratur per se, & propriè, ita vt in ipsam verè terminetur honor, tunc honor eius transit ad exemplar non immediatè, sed mediatè, & quasi consequenter; nam qui honorat imaginem alicuius, sine dubio honorat propter eum, cuius est imago, & proinde honor imagini verè exhibitus redundat in prototypum. Quemadmodum qui facit eleemosynã pauperi, Christo illam feciſſe dicitur, non quod eleemosyna immediatè non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit, & Christũ honorat in paupere.

Ad SECVNDAM dico, illis versiculis solum doceri, non deberi imagini eundem honorẽ, qui debetur exẽplari, vt patet ex ratione, quæ in ipsis versiculis redditur. Quia videlicet imago non est Deus, sed imago Dei. Inde enim sequitur non deberi imagini honorẽ, qui debetur Deo, sed minorem. Nos autem hic non asserimus, eundem honorem, sed aliquem honorem deberi imagini. Et fortasse auctores primæ opinionis hoc solum dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris nõ posse exhiberi imagini, nisi impropriè: de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod si ita est, ab eis non dissentimus.

CAPVT XXII.

Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriæ.

SECVNDA propositio. *Quantum ad modum loquendi præsertim in concione ad populum, non est dicendũ imagines vllas adorari debere latria, sed è contrario non debere sic adorari.* Probatur PRIMO, Concilia non affirmant, sed simpliciter negãt imagines adorari latria, igitur & nos eodem modo loqui debemus; nam modus loquendi Conciliorum est modus loquẽdi Ecclesiæ, & proinde sequẽdus ab ijs, qui nolunt errare. Porrò Concilia non asserere, sed negare imagines adorãdas esse cultu latriæ, probatur; nam inprimis nullũ est Concilium, quod asserat imaginibus deberi cultum latriæ, deinde Concilũ Nicænum II. act. 7. clamat imagines adorandas, sed non latria, similiter nostro tẽpore Concilium Senonense, c. 14. & Concil. Mogunt. c. 41. dicunt, à cõcionatoribus debere moueri populum ne imagines adoret; quod sine dubio intelligitur de adoratione latriæ. Dicent fortasse: Concilia ista loquuntur de latria, quæ exhibetur alicui propter se, nõ de ea quæ exhibetur alicui propter aliud. Ad id nihil facit ad rẽ; hic enim non de sensu, sed de verbis agimus. satis nobis est, in Concilijs simpliciter negari, imaginibus deberi latriam, nos enim modum loquendi Conciliorum sequi debemus.

SECVNDO, nullæ sunt exactiores formulæ loquendi in materia fidei, quàm eæ, quibus vtuntur, qui hæresim abiurant: Atqui in VII. Synodo, act. 1. Basilius Ancyranus, & act. 3. Constantinus Cypri Episcopus abiurantes hæresim dicunt, se recipere & colere imagines, non tamen latria.

TERTIO, Patres passim dicunt imagines non esse adorandas, vt patet ex Augustino epist. 119. cap. 11. *Prohibetur*, inquit, *coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse.* Item ex Gregorio, qui lib. 7. epist. 109. & lib. 9. epist. 9. monet Serenum Episcopum, vt populum instruat, ne imagines adoret, & sæpius repetit, non debere imagines adorari. At certè loquuntur de adoratione latriæ; nam alioqui imagines venerabiles esse nõ negant. Porrò Ioan. Damascenus lib. 1. & 3. Apolog. sæpius repetit, imagines honorari debere, sed nullo modo latria. Adrianus Papa I. in epist. ad Carolum Magnum, can. vlt. quæ epistola habetur in tomis Cõciliorum post Nicænam II. Synodum imperfecta, magis autem integra habetur inter epistolas Pontificum nuper editas Romæ; multis verbis docet & repetit, imagines esse honorandas cultu, quo honoramus sacras Scripturas, sed non colendas cultu quo colimus Deum. Item habet Ioannes Aurelianens. lib. de cultu imaginum. Cur ergo, quæso, non loquimur, vt patres nostri loquuntur?

QVARTO, dicere populo, imaginem Christi, vel crucem adorandam esse latriæ cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo; nam qui defendunt imagines adorari latria: coguntur vti subtilissimis distinctionibus; quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.

QVINTO, iste modus loquendi offendit aures Catholicorum, & præbet occasionem hæreticis liberius blasphemandi.

SEXTO, secundum rei veritatem (vt ostendam paulò post) non potest dici, adorari latria imagines, nisi per accidens,

accidens, vel impropriè; per se autem, & propriè nullo modo. Et præterea illa adoratio per accidens, vel impropria rarissimè exerceri solet. Ordinaria enim adoratio est illa, quę exhibetur imaginibus externis per se, & propriè, at quod simpliciter dicitur, non intelligitur de eo, quod per accidens, vel impropriè, & aliquando conuenit rei, sed de eo, quod per se, & propriè, & vt in plurimum conuenit, ergo simpliciter loquendo nō est affirmandum, sed negandum imagines adorari latria. Est autem valde credibile S. Thomam, Alexandrum Alensem, & alios Doctores Scholasticos illius temporis non vidisse Nicænam Synodum secundam, neque octauam Synodum Generalem, neque epistolam Hadriani Papæ primi pro defensione Synodi Nicænę; nā hæc omnia longo tempore latuerunt, & hoc nostro seculo primum edita sunt, vt vel ex eo cognosci potest, quod in tomis Conciliorum paulò antiquiorib. nihil horum extat: & Sanctus Thomas, alijque Scholastici veteres nullam vnquam de hac Nicęna Synodo mentionem faciunt.

CAPVT XXIII.

Imagines Christi impropriè, vel per accidens posse honorari cultu latriæ.

TERTIA propositio. *Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.*

AC PRIMVM, quod imago possit coli impropriè eo cultu, quo ipsum exemplar, probatur; nam aliquando imago accipitur pro ipso exemplari, & ea, quæ fierent circa ipsum exēplar, si adesset præsens, fiunt circa imaginem, mente tamen defixa in exemplari. Sic concionatores alloquuntur imaginem crucifixi, eique dicūt, tu nos redemisti, tu nos Patri reconciliasti; ista enim non dicuntur imagini, nec vt lignum est, nec vt imago est, sed vt accipitur loco exemplaris, ideſt, dicuntur ipsi Christo, cuius tamen imago vicem gerit, quemadmodum etiam in die Parasceues cum crucifixus paulatim detegitur, & ostenditur, & adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo verò exhiberi intelliguntur, tunc autem propriè nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari: tamen impropriè dici potest ipsa etiam imago honorari.

Quod autē possit imago adorari adoratione ipsius exemplaris, propriè quidem, sed per accidens, probatur; nam aliquando nō accipimus imaginem pro exēplari, nec consideramus solam imaginem, vt solū exēplar, sed consideramus exemplar, vt obiectiuè relucet in imagine, & ipsum sic repræsentatum, & quasi vestitum imagine veneramur: tunc autem necessariò adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens; nam qui adorat aliquem, adorat etiā omnia, quæ cum illo coniuncta sunt, sicut qui adorat regem vestitum, adorat simul regē, & vestes; sed imago concipitur eo tempore coniuncta cum exemplari, quod adoratur; igitur etiam ipsa adoratur, per accidens tamen, quia ipsa nec est suppositum quod adoratur, nec ratio adorationis, sed quiddam adiunctum.

Videtur autem hæc fuisse mens auctorum secundæ opinionis; nam illi omnes cum explicant, quomodo imago adoretur eadem adoratione, qua ipsum exemplar, semper deueniunt tandem vel ad impropriā adorationem vel ad adorationem per accidens. Alexāder, & Bonauentura satis clarè indicant se loqui de adoratione impropria. Dicunt enim ideo imaginem Christi adorari latrię cultu, quia non tam ipsa, quam Christus in ipsa adoratur.

Porrò B. Thomas, & qui eum sequuntur, intelligendi sunt de adoratione per accidens; nam in primis hoc probat argumentatio eorum de vnitate motus in imaginem, & in exemplar, Tunc enim est idem motus in imaginem & in exemplar, quando exemplar consideratur vt obiectiuè relucet in imagine, vt diximus.

Deinde Capreolus disertè admittit adorationem istam imaginum esse per accidens, quomodo adorantur vestes Regis, cum Rex vestitus adoratur, immò B. Thomas ipse art. 4. eiusdem quæstionis dicit, ita honorari honore regio imaginē Regis, sicut vestes Regis, certum autem est vestes Regis nō honorari regio honore, nisi per accidens.

Denique eodem tendit speculatio Caietani, cum ille dicit, imaginem Christi adorari latria, non ratione materiæ, nec ratione formæ, seu figuræ, sed ratione actualis repræsentationis; non enim vult dicere, repræsentationem illam actualem esse rationem, cur imago adoretur latria: sed vult dicere, illam repræsentationem esse conditionem, ratione cuius imago concipitur coniuncta cum exemplari, & proinde per accidens adoratur.

CAPVT XXIV.

Imagines per se, & propriè non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur.

QVARTA propositio. *Imago per se, & propriè non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, & proinde nulla imago est adoranda cultu latriæ per se, & propriè.*

Probatur PRIMO ex Concilio VII. act. 7. vbi legimus imaginem Christi non esse adorandam latria. Id autem falsum esset, si imagini per se, ac propriè deberetur idem cultus, qui debetur exēplari, Christus enim cultu latriæ adorandus est.

DICES; Concilium loquitur de adoratione quæ exhibetur rei propter se; imago autem adoratur latria, sed propter aliud. CONTRA; nam Concilium dicit, imagines non aliter adorari, quàm adoretur liber Euangeliorum, & sacra vasa, quod idem repetit VII. Synodus, actione vlt. can. 3. At nemo vnquam dixit librum Euangeliorum, vel sacra vasa adorari latria vllo modo.

SECVNDO probatur ex Augustino, Gregorio, & Damasceno, & ex Concilijs Senonensi, & Moguntino suprà citatis, vbi habetur imagines non esse colendas cultu diuino.

DICES, loquuntur de cultu diuino, qui exhibetur alicui propter se. CONTRA; quia de hoc non poterat esse dubitatio. Concilia autem de his rebus definiunt, quæ in controuersiam veniunt.

TERTIO latria est cultus proprius Deo, sed nulla imago per se, & propriè est Deus, siue consideretur ratione materiæ, siue ratione figuræ, & colorum, siue ratione relationis, ergo per se, & propriè nō debetur vlli imagini cultus latriæ.

DICET aliquis fortasse, latriam esse cultum propriū Deo, quando exhibetur propter se, non autem quando propter aliud. CONTRA; nam de essentia veræ latriæ est exhiberi propter se: latria enim dicitur summus cultus, qui debetur verò Deo, vt primo principio omnium rerum, implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio, & propter aliud; nam si primo principio, non ergo propter aliud, si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idolatria, vel non exhibetur propter se, & tunc ille non est cultus veræ latriæ. PRÆTEREA vel ista latria, quæ exhibetur imagini propter aliud, est ideſt cultus cum eo, qui exhibetur Deo, vel alius minor; si idem, ergo æquè colitur creatura, atque ipse Deus: quæ certè idololatria est; nam idololatria non solum est, cum adoratur

ratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo. Exod. 20. *Deos aureos, & Deos argenteos non facietis mecum.* Si est cultus minor, non ergo est latria: nam latria est summus cultus.

QVARTA ratio, imagini non conuenit cultus internus, nec externus veræ latriæ; nam internus cultus est apprehensio rei, vt primi principij, & prostratio voluntatis cóueniens illi apprehensioni: actus autem externus proprius est sacrificium. Certè autem nec apprehendimus imaginem, vt primum principium, nec illi sacrificamus: non igitur illam adoramus cultu latriæ:

QVINTA ratio, imago, vt imago, opponitur exemplari, & est illo inferior, ergo non potest coli eodē cultu, sed minori; nam vnumquodque honorandum est pro sua dignitate. Certè autem longè maius est, esse Christum, quàm esse imaginem Christi.

SEXTA ratio, qui colebant imaginem Christi diuinis honoribus, inter hæreticos numerantur ab Iræneo, lib. 1. cap. 24. Epiphanio hæres. 27. Augustino hæresi 7. & Damasceno libro de centum hæresibus in fine: Atqui isti cum Christum colerent, sine dubio imaginem eius propter ipsum colebant, non igitur licet imagines colere diuinis honoribus, ideſt, cultu latriæ, etiam si quis dicat, id se facere propter Deū, vel Christum, non propter imagines; nam hoc ipso, quod eas colit diuinis honoribus, conuincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quidquid ipse verbis dicat.

Accedant POSTREMO illi antiquissimi versiculi:

Nam Deus est, quod imago docet non Deus, &c.

Satis enim aperte significant, non deberi imagini cultum Deo debitum.

Ex his ad argumenta proposita facilè respōderi potest. Ad PRIMVM: *O crux aue spes vnica, &c.* Respōdeo, vel ibi accipi crucem pro ipso Christo Crucifixo, vt diximus: vel illam esse prosopopœiam rethoricam, qua Ecclesia alloquitur crucem eo modo, quo Moses alloquitur cœlum & terram, cum ait Deuter. 32. *Audite cæli quæ loquor, &c.* Et quando B. Andreas eandē alloquebatur, cum diceret: *Salue crux preciosa, &c.* Significamus autem hac prosopopœia nos desiderare fructum crucis, ideſt, saluari per meritum Christi, qui in cruce passus est.

Ad SECVNDVM dicetur infrà in responsione ad quintum.

Ad TERTIVM dico, Ambrosium per crucem intelligere passionem Christi siue carnem patientem, sicut per imaginem Dei intelligit diuinitatem. Vult enim dicere, vnum esse Christum Deum, & crucifixum, & propterea cum adoratur Christus Deus, non separari ab illo humanitatem; & cum adoratur Christus crucifixus, non separari diuinitatem.

Ad QVARTVM respondeo, Hieronymum ibi non dicere, à Paula propriè adoratam crucē, sed quod prostrata ante crucem adorabat Christum, quem in cruce repræsentari videbat.

Ad QVINTVM de vno motu in imaginem, & in exemplar, variæ dantur solutiones. PERESIVS respondet, id non esse verum, quod eodem motu feramur in imaginem, & exemplar, cùm illa sint opposita, nec possint cognosci, nisi duabus cognitionibus, ait etiā nusquam haberi in Aristotele id, quod B. Thomas adducit. At certè Aristoteles libro de memoria & reminiscentia, cap. 2. id apertè dicere videtur; nam reddere volens causſam, cur memoria cognoscat absentia, dicit, causſam esse, quia in memoria sunt species rerum, quæ sunt quasi picturæ quædam, & si quidem homo speculetur illa phantasmata, vt res quædam sunt in se, non cognoscet præterita, sed rem præsentē cogitabit: at si speculetur eadem phantasmata, vt imagines sunt, tunc cognoscet præterita, quorum illæ sunt imagines, quia nimirum non potest cognosci imago vt imago, quin simul cognoscatur res, cuius illa est imago. Nec verum est, quod dicit Peresius, relatiua quia sunt opposita, nō posse cognosci vna cognitione; nam ita sunt opposita, vt vnum ab altero pendeat, & vnum sine altero nec definiri, nec cognosci possit.

DVRANDVS aliter respondet; admittit enim esse vnum motum mentis in imaginem, & in exemplar; sed negat propterea esse etiam vnam adorationem; nam licet mens vtrumque simul cognoscat, tamen nō dicit, vnum esse alterum, sed intelligit esse distincta, & disparia, & proinde non adorat illa vna & eadem adoratione.

Confirmāt alij hanc solutionem, quia licet sit vnus motus mentis, ideſt, intellectus in imaginem & exemplar, tamen possunt esse contrarij motus voluntatis. Nam qui videt imaginem Christi malè depictam, odit imaginem, vt imago est, & tamen diligit Christum: & è contrario, qui videt imaginem Iudæ pulchrè expressam, diligit imaginem, & odit exemplar.

Hæc solutio non satisfacit; nam B. Thomas non dicit, motum in imaginem, vt imago est, esse etiam in exemplar, sed dicit, motum in imaginem, vt imago alterius est, esse etiam in exemplar; & hoc est verū tam de motu intellectus, quàm voluntatis. Nam qui amat imaginem Christi, non quia imago est, sed quia imago est Christi, impossibile est, quin simul diligat Christum, quandoquidem Christus est ratio, cur diligat imaginem. Qui autem diligit imaginem pulchram Iudæ, & odit Iudam, non diligit imaginē illam vt Iudæ, sed vt pulchram imaginem simpliciter, ideſt, delectatur illa proportione, quæ est inter imaginem & exemplar, non curans quale sit exemplar.

Existimo ergo aliter respondendum, ac primum, admitto esse eundem motum etiam voluntatis in imaginem & exemplar: sed tunc vel exemplar concipitur & adoratur tanquam principale obiectum, vel nō, ideſt, vel concipio, & adoro ipsum Christum in imagine obiectiuè relucentem; vel concipio, & adoro imaginem ipsam, vt Christi imaginem, ita vt Christus in obliquo ponatur, non in recto: si PRIMVM, tunc adoratio quidem est latriæ, sed refertur in Christum per se, in imaginem solùm per accidens: & hoc videtur sibi voluisse Capreolus, & Caietanus. Si SECVNDVM, tunc adoratio fertur quidem in imaginem per se, & consequenter in Christum, sed non est adoratio veræ latriæ, sed longè inferior.

DICES; at Christo conuenit adoratio latriæ veræ, si ergo ista adoratio terminatur etiam ad Christū, erit veræ latriæ. RESPONDEO, Christo conuenire veram latriam, quando adoratur, vt est in se, non autem quādo adoratur, vt est in imagine per participationem. Quemadmodum qui honorat famulum Regis, certè honorat ipsum Regem; & tamen longè aliter honorat Regem ipsum in propria persona, quā in famulo suo, vt notum est, & hinc patet responsio ad SECVNDVM. Nam cū honoratur imago, honor eius transit ad prototypum, sed honor ille non est talis, qualis debetur prototypo in se, sed qualis ei debetur, vt ab imagine participatur.

Ad SEXTVM dico eodem modo, rationem, cum honoretur imago, esse ipsum exemplar, exemplar tamen aliter honorari debere, vt est in se, aliter vt participatur ab imagine.

Ad SEPTIMVM dico, eum, qui lædit statuam Regis, puniri vt reum maiestatis, quia verè læsit Regem: sed nego tam grauiter puniri, ac si læsisset Regē. Quòd si aliquis æquè grauiter puniretur, id fieret, quia constaret non læsisse statuam vt statuam Regis, sed accepisse statuam pro ipso Rege.

CA-

CAPVT XXV.

Quo genere cultus adorentur imagines.

QVINTA Concluſio. *Cultus qui per ſe, propriè debetur imaginibus, eſt cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductiuè pertinet ad ſpeciē eius cultus, qui debetur exemplari.* Explico; Imaginibus non conuenit propriè latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec vllus alius eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti. Non enim eſt capax res inanima, & rationis expers eiuſmodi cultuum: ſed cultus quidam inferior & varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus Sanctorum nō debetur propriè dulia, ſed cultus inferior, qui dici poteſt dulia ſecūdum quid, vel dulia analogicè, ſiue reductiuè. Similiter imaginibus B. Virginis non debetur hyperdulia ſimpliciter, ſed hyperdulia ſecundum quid, ſiue analogicè & reductiuè.

Denique imaginibus Chriſti non debetur latria vera, & ſimpliciter, ſed cultus ſine cōparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, vt imperfectū ad perfectum. Probatur, ſicut ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultū exemplaris, ſed imago eſt ipſum exemplar analogicè, & ſecundum quid; nam homo pictus eſt homo ſecundum quid, & analogicè, ergo etiam imagini debetur cultus ipſi exēplari debitus, imperfectus, & analogicus.

Præterea, imago reducitur ad ſpeciem exemplaris; nam homo pictus, & equus pictus differūt ſpecie, quia homo verus & equus differunt ſpecie: ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris, & fortè B. Thom. & B. Bonauent. & alij hoc ſolum dicere voluerunt, cum dixerunt, eodem cultu coli imaginem & exemplar. ita enim eorum ſententiā interpretatur Gabriel, quod ſi ita eſt, omnes conuenimus.

Ex his habemus etiam, quid ſit dicendum de vera cruce Domini, de clauis, ſpinis, alijsque reliquijs. Sunt enim hæc omnia honoranda minore cultu, quā Chriſtus, vel Sancti, quorum reliquiæ ſunt, ſed tamen tali, qui analogicè, & reductiuè pertineat ad ſpeciem cultus, quo Chriſtus vel Sancti coluntur: nam reliquiæ ideo merentur honorem, quia ratione contactus, vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorū ſunt reliquiæ.

CAPVT XXVI.

De adoratione Crucis.

ESTI CRVX Domini partim inter reliquias veneretur, partim inter imagines (nam crux illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactū ſacri corporis & ſanguinis, inter precioſiſſimas reliquias habenda eſt, nec ſolum ipſa integra, ſed etiam particulæ eius; at crux illa eadem, quatenus figuram crucifixi Domini repræſentat, & ſimiliter cæteræ cruces illi ſimiles, inter ſacras imagines numerantur) tamen quia peculiares errores, & peculiaria argumenta de cruce inueniuntur, peculiarem etiam de illa diſputationem inſtituendam putauimus.

Fuit igitur hæreſis inprimis Claudij Taurinenſis, qui præter cæteras imagines crucem Domini execrabatur, teſte Iona lib.1. vixit autem Claudius anno Domini DCCC. Idem eodem tempore in Oriente docebant Pauliciani, à quodā Paulo ſic appellati, teſte Euthymio in Panoplia, part.2.tit.21.

Deinde circa annum Domini M.C.XXX. exſtiterunt Petrus Bruis, & Henricus, qui ſimiliter crucem Domini, eiusq; cultū oppugnabant, teſte Petro Cluniacenſe, qui contra eos epiſtolam prolixam & eruditam illo ipſo tēpore ſcripſit ad omnes Epiſcopos. Circa idem tēpus, vel paulò poſt exſtiterunt in Oriente Bogomiles, qui idem ijſdem argumentis docebant, teſte Euthymio Panopl. part.2 tit.25.

A Non minus poſtea Crucis honorem deteſtati ſunt Vviclefiſtę, apud Thomam Vvaldēſem tom.3. tit.29. Caluinus lib.1. Inſtitut.c.11. §.7. Magdebur. Cent.4. c.4.col.302.c.6.col.458. & 459. vbi etiam impudenter mentiuntur, vſum ſigni crucis ſeculo IV. nouum fuiſſe. Nam Tertullianus lib. de corona militis, meminit ſigni crucis, cum tamen floruerit ſeculo II. Sicut etiam Cent.7.c.6.col.191. mentiuntur, Sergium Papā fuiſſe auctorem primum, vt crux adoraretur, & exoſcularetur. Nam Sergius Papa ſedit Anno Domini DC. LXXXVIII. at meminit adorationis & exoſculationis crucis Euagrius lib.4. cap.26. qui eſt centum annis Sergio antiquior. meminit eriā Hieronymus in epiſt. ad Marcellam, vt migret Bethlehem.

Argumenta Bogomilum, & Petrobruſianorum e- B rant tria. PRIMVM, quia crux dolorem & ignominiam Chriſto attulit, ergo deteſtanda eſt ijs, qui Chriſtum diligunt.

SECVNDVM, quia ſtultus & impius iudicaretur filius, qui patibulum amaret, & honoraret, in quo pater eius ſuſpenſus fuiſſet.

TERTIVM, quia ſi oportet adorare omnes cruces, quia Chriſtus in cruce pependit; oportebit etiam adorare omnia ſepulcra, quia in ſepulcro Dominus quieuit, & omnia præſepia, quia in præſepi reclinatus fuit; & omnes columnas, lanceas, ſpongias, flagella, &c. *Immò & omnes aſinos* (inquit Claudius) *quia Chriſtus aſino vectus fuit.*

QVARTO arguit Claudius, hoſtes Chriſti gaude- C bant de paſſione Domini, de reſurrectione dolebant: & contrà, amici eius de paſſione dolebant, de reſurrectione gaudebant, ergo qui crucem honorant, & illam amant, imitantur Chriſti hoſtes.

QVINTO argumentabant Vviclefiſtæ apud Vvaldenſem, ſi ratione contactus, vel quia inſtrumentum paſſionis fuit, crucem adoramus, oportebit etiam adorare labia Iudæ, quæ contigerunt os Domini oſculando, & manum illius ſerui, qui Dominum tetigit, cum alapam illi inflixit; nam hæc omnia tetigerunt Dominum, & inſtrumenta paſſionis fuerunt.

SEXTO arguunt Centuriatores, ſuperſtitio eſt cha- D racteribus tribuere virtutem; at Papiſtæ tribuūt figuræ crucis vim pellendi Dæmones, & omnia mala; ergo ſuperſtitioſi ſunt. Quæ obiectiones infrà cap.30. diluentur; antea verò rem explicabimus. Dicemus igitur tria: Primò, de ipſa cruce. Secundò, de crucis imagine. Tertiò, de ſigno crucis tranſeunte.

CAPVT XXVII.

De Cruce vera Domini.

QVANTVM ad PRIMVM, antequam veniam ad probationes, notanda ſunt aliqua de figura ipſius crucis. Sciendum igitur, crucem ex tribus lignis factam eſſe, quorum vnum erat longū, cui corpus adhærebat, alterum tranſuerſum ſuperpoſitum longo, quibus affigebantur manus, tertium lignum erat infixum in ligno longo, vt in eo pedes crucifixi ſtarent, & claues figi poſſent. Id teſtatur IRENÆVS lib.2. cap.24. *Habitus*, inquit, *ideſt, figura crucis fines & ſummitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, vnam in medio, in qua quieſcit, qui clauis affigitur.* E Idem habet Iuſtinus in Dialogo cum Triphone vltra medium.

Vtrum autem lignum tranſuerſum eſſet ſuprapoſitum ligno longo, ita vt non emineret lignum longum ſurſum verſus, non eſt certum; nam Beda in quæſt. in Geneſ. vbi de victoria Abrahæ loquitur, dicit crucem ſimilem fuiſſe literæ Græcæ τ, qualem etiam fuiſſe olim Hebraicum Thau, docet Hieronymus in cap.9. Ezechiel. At B. Auguſtinus epiſt.120. cap.26. dicit, lignum longum eminuiſſe ſupra tranſuerſum. Et hoc

eſt

est probabilius; nam est conformius verbis Irenæi, & verbis Apostoli ad Ephes. c. 3. vbi alludens ad figuram crucis, nominat sublimitatem, profundum, longitudinem, & latitudinem. Porrò qui dicunt crucem fuisse similem literę Thau, dicunt verum, quia parum differebat.

Quod autem scribit Beda in suis collectaneis & floribus, crucem factam ex quattuor generibus lignorũ, ex Cedro, Pino, Cypresso, & Buxo: & quod scribitur in historia scholastica de ligno eruto ex probatica piscina, &c. non habent veterum testimonia, nec videntur probabilia.

Illud autem non est ignorandũ, veteres aliquid addidisse mysterij gratia, quod etiã nunc ex parte seruat. Nam lignum longum producebant sursum versus, & flectebant ad modum baculi pastoralis, vt referret literam Græcã P, paulò inferius apponebant duo ligna transuersa ad similitudinem crucis S. Andreæ quæ referrent literã Græcam X. ita vt duæ illæ literæ per abbreuiationem significarent Christum; infrà illum ponebant lignum transuersum, quod verè perficit crucẽ, & inde pendebat velum expansum; infrà lignũ transuersum erat lignum longum in similitudinem hastæ; ad infimam partem addebant capulum ad commoditatẽ gestandi. Hæc oĩa significabant crucem esse vexillũ Imperatoris Christi; nã crucẽ testabatur ipsa figura: Christi nomen indicabant duæ literæ, X, & P, vexillum, ex velo, hasta, & capulo dignoscebatur. Vide Ioannem Pierium Valerianum, de signis hieroglyphicis, lib. 50. & Primasium lib. 4. in Apoc. vbi hoc ipsum signum vocat monogramma, & signum Christi. Tale ferè fuit & labarum Constantini. Nam vt Eusebius refert lib. 9. hist. c. 9. labarum, quod ante Imperatores gestari solebat & à militib. adorari, Constantinus in formam crucis redegit, sic tamẽ vt etiam vexilli formam non amitteret.



Describit autem ipsum labarum Eusebius lib. 1. de vita Constantini, vbi dicit, fuisse hastam totam auro circumdatã, in cuius summitate posita erat corona pretiosissima, infrà eam cornu transuersum ad formã crucis, ex quo pendebat velum purpureum auro, & gemmis ornatissimum, ad cuius partem infimam visebantur imagines Constantini, & filiorum. In ipsa verò hasta sub corona erant literæ nominis Christi.

Iam verò modus crucifigendi communis non erat, vt multi putant, funibus alligando, sed clauis figendo. Pictores verò solent solum Christum depingere clauis affixum, latrones autem, & Sanctum Petrum, atque Andream funibus, sed non ita est, omnes enim clauis figebantur, imò & omnes crucem suam ferebant, omnesq; antea flagellis cedebantur. Vide Plutarchum de tarda numinis vindicta; Marcũ Tulliũ act. 7. in Verrem; Nonium Marcellum verbo Patibulũ, qui sic ait: *Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde cruci figuntur.* Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 11. Iosephum libro 6. de bello Iudaico, cap. 12. & in vita sua. ADDE, quod ideo dubitatur, quænam ex tribus repertis crucibus, esset crux Dominica, quia omnes tres habebant similia foramina, & clauos, &c. Vide Ruffinum lib. 10. hist. cap. 8.

His ergo prænotatis, ad argumenta veniamus: ac primum, quod lignum crucis venerabile sit, probatur ratione ex Scripturis desumpta. Nam Scripturæ testãtur, Christum non crucifixum casu, vel inuitum, vel propter sua peccata, sed ipsum sponte elegisse crucem, & elegisse vt altare summi sacrificij, quo placaretur Deus; vt scalam sibi ipsi ad regnum, instrumentum liberationis generis humani; ac demum vt instrumentum, quo Diabolum vinceret, ac de eo triumpharet, ex quo sequitur, crucem illam veram à Deo mirificè fuisse honoratam, & nobis omnibus amabilem, & venerabilem esse debere.

Quòd sponte illam elegerit, patet Isaiæ, c. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, Io. 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam.* In Act. Apostol. c. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum interemistis.* Actor. 3. *Deus, qui prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic.* Actor. 4. *Conuenerunt verè in ciuitate ista Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populus Israel facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

Quòd crux fuerit ara summi sacrificij, patet, quia Christus ipse crucifixus est summum sacrificium, in epist. ad Hebr. c. 7. Vnde ad Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius*, idest, per sanguinem eius in cruce, quasi in altari fusum. Et hoc significauit lapis erectus, & inunctus, & domus Dei vocatus à Iacob, Gen. 20.

Quòd crux scala fuerit Christo ad regnum, Io. 12. *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus.* Ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.*

Quòd fuerit instrumentũ liberationis, docent plurimæ figurę, quas collegit Ioannes Damascenus, lib. 4. de fide, c. 12. id enim significauit lignum vitæ in paradiso, Genes. c. 2. arca lignea Noe domum eius saluans, Genes. 7. virga Mosis aperiens mare, Exod. 14. lignum aquas dulces reddens, Exod. 15. Sed præcipuè serpens æneus exaltatus in deserto, Num. 18. de quo Dominus Ioan. 3. *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hinc videlicet Ecclesia sequuta Paulum ad Galat. 6. dicit: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.*

Quòd cruce Diabolum vicerit, & de eo triumpharit, patet ex epist. ad Coloss. 2. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit, de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus & potestates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso.* Origenes homil. 8. in Iosue, dicit, in Græcis haberi; triumphans illos in ligno crucis: & licet nunc non habeamus in ligno, sed ἐν ἀυτῷ, idest, in ipso, tamen optimè referri potest ad crucem, de qua suprà dixerat, ἐντῷ σαυρῷ, vt refert Theophylactus. Dicit ergo Origen. in cruce duos fuisse affixos, Christum visibiliter, sponte sua, & ad tẽpus; diabolum autem inuisibiliter inuitum, & in sempiternum eius opprobrium; & hoc probat ex isto loco, vbi Paulus vtitur metaphora triumphi; indicare volens, crucem esse currum triumphalẽ, in cuius summa parte sedet Christus triumphans, & in parte ima trahitur Diabolus alligatus, & ostentatur quasi in põpa. Id enim significat verbũ ἐδειγμάτισεν & θριαμβεύσας.

Argumentum SECVNDVM sumitur à mysterijs in ipsa cruce significatis. Nam, vt ait Aug. epist. 120. c. 26. *Qui mortuus est, quia voluit; etiam mortuus est, quando voluit, nec sine causſa crucem potius, quam aliud instrumentum mortis elegit.* Quid autem crux mystica significet, docent Irenæus lib. 5. Greg. Nyssenus orat. 1. de resurrectione; Augustinus in epist. 119. & 120. Hieronymus & Theophylactus in c. 3. ad Ephes. vbi de cruce exponunt verba Pauli: *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum.* Nam latitudo vocatur lignum trãsuersum; sublimitas pars ligni, vbi est titulus suprà trãsuersum; longitudo ligni pars à transuerso vsque ad terram; profundum, pars eiusdem, quæ latet sub terra.

Significat autem ista figura. PRIMO totam perfectionem Christianam, vt August. docet; profundum, Fidem;

Fidem;sublimitas, Spem,latitudo,Charitatem;longitudo,Perseuerantiam.

SECVNDO,Christi passionis effectum;nam lignum supremum significat cælum Christi passione apertum, & Deum placatum;lignum sub terram infixam,infernum euacuatum,& Diabolum deuictum;lignũ transuersum respiciens Ortum & Occasum,totum orbem terrarum redẽptum. Itaque propterea Christum crucifixum adorent cœlestia,terrestria,& inferna,vt Nyssenus deducit.

TERTIO, duo brachia crucis sub vno titulo Saluatoris; significant duos populos (inquit Irenæus) sub vno capite Christo inter se cõnexos, iuxta illud Io.12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Addunt Minutius Felix in Octauio,& Ambrosius serm.56.crucis figuram esse etiam naturaliter salutarẽ. Nam aues nunquam volarent,nisi expansis alis crucis formam imitarentur: & nauis non moueretur,nisi ex malo & antenna crux fieret;& arator terram non scinderet,nisi ex aratro & stiua crucem faceret;& rursum aliam ex iugo & temone. Cœlum ipsum crucem facit, si lineæ ducantur ab Ortu ad Occasum, ab Aquilone ad Austrum.

Denique etiam Aegyptijs qui hieroglyphicis characteribus vtebantur, crux vitam vẽturam significabat, vt refert Ruffinus lib.2.hist.c.29.

Argumentum TERTIVM,ab inuentione crucis,ex qua multiplex testimonium sumitur, quod veneratio ligni crucis Deo placeat.

PRIMO, quòd non permiserit Deus lignum illud demergi in mare,vel flammis absumi. Quod enim hostes Christianorum conati sint abolere crucem,eiusq; omnia vestigia,patet ex eo, quòd altissimè crucem sub terram absconderunt,& in loco crucis, Veneris simulacrum;in loco resurrectionis, Iouis; in loco natiuitatis Adonidis posuerunt,vt refert B.Hieron.in epist.ad Paulinum de institutione Monachi. Cur,quæso, non cremarunt crucem, cum vellent & possent, nisi quia Deus abstulit illis mentem, vt ad solatium piorum lignum preciosissimum seruaretur?

SECVNDO,quòd Deus eo tempore crucem inueniri voluerit, quo tutò poterat coli, nimirum ad initium imperij Constantini; nam si antea reperata fuisset, regnantibus persequutoribus,magis ludibrio quàm honore excepta fuisset: si aũt diu post tempora Constantini fuisset inuenta,fraudata fuisset sancta crux debito honore. Tunc igitur primum diuina prouidentia crucem manifestauit,cum primum potuit coli.

TERTIO,quia per euidentia miracula demonstratũ est esse veram crucem, & proinde crucis inuentionẽ, reuelationem illam esse à Deo. Nam cum tres cruces simul inuentæ fuissent, nec posset planè crux Domini à crucib.latronum internosci, admotæ fuerunt omnes tres ad mulierem quandã in extremis agentẽ, & cum duæ priores nihil egissent, tertia admota mulieri,mox illam reddidit sanam. Scribit hoc Ruffinus lib.10.hist. c.8.Socrates lib.1.c.13. Theod.lib.1.c.18.Sozomenus lib.2.c.1. & Nicephorus lib.8.c.29. nec solum mulierẽ ægram sanauit, sed ẽt mortuum virum excitauit eodẽ tempore, vt scribunt Paulinus epist.11. ad Seuerum, Seuerus lib.2. hist.sacræ; & Sozomenus lib.2. c.1.qui & viri mortui & mulieris ægrotæ meminit.

Neque obstat,quod Ambrosius orat.in Theodosiũ, & Chrysostomus homil.84.in Ioan.dicunt,crucẽ Domini ex titulo cognitam, quo carebant aliæ duæ; nam Ruffinus indicat, ex titulo quidem fuisse cognitã crucem Domini, sed non omnino euidenter, quia titulus non erat affixus cruci, sed iacebat propè eam. ideò, vt nulla remaneret ambiguitas, ad miraculum confugerunt. Nec solum crux miraculo illo claruit, sed etiam clauus quem Helena ad Constantinum misit,de eo siquidem (vt Ambrosius testatur loco citato) Iudæi dicebant: *Ecce & clauus in honore est, & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili potestate Dæmones torquet.*

QVARTO,quia Helena nõ ex se incitata est ad crucem Domini quærendam,sed diuinis admonita reuelationib. Sic enim testatur Euseb. in Chronico, quod Hieronymus Latinum fecit: *Helena Constantini mater,*inquit, *diuinis monita visionibus,beatissimum crucis lignum in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymã reperit.* Et idẽ dicunt Ambrosius,Ruffinus,Paulinus, Sulpitius, & alij. Ex quo apparet impudens blasphemia Magdeburgensium,qui Centur.4. cap.6. col.458. Helenam superstitiosam vocant, quia Hierosolymam petijt, vt lignum crucis inueniret, quam tamen sancti Patres omnes mirificè laudant, & Spiritu sancto inspirante dicunt,eam crucis lignum quæsiuisse. Ipsam verò historiam licet celeberrimam conantur Magdeburgenses dubiam reddere Cent.4. cap.13. col.1438. & 1439.duabus coniecturis. PRIMA est,quia Ambrosius est antiquissimus omnium qui eam historiam referunt:sed illius orationem in Theodosium,vbi hoc habetur,Erasmus nõ recipit, vt germanam. SECVNDA, quia Euseb.lib.3.de vita Constantini de Helena multa narrat, & de repurgatione montis Caluariæ, & tamen non meminit inuentionis crucis.

Ad PRIMAM dico, primò non extare talem Erasmi censuram, imò ipsi Magdeburgenses Centuria 4. cap.13. in vita Ambrosij, ex iudicio Erasmi hanc orationem Ambrosio tribuunt, ex quo perspicere potes eorum constantiam.

Dico SECVNDO, si exstaret, non esse Erasmum diuinum oraculum,cui necessariò credi debeat, quando nullam affert rationem.

Dico TERTIO,falsum esse,quod Ambrosius sit antiquissimus eorum, qui hanc historiam referunt; nam Sulpitius,Paulinus,Ruffinus, Hieronymus,Chrysostomus, qui eandem recitant, æquales Ambrosij dici possunt, cum eodem tẽpore vixerint, licet Ambrosius esset fortasse paulò senior. Deinde eandem recitat Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosio antiquior,in epistola ad Constantium Augustum: item Constantinus ipse,Ambros. similiter antiquior, eiusdem meminit in epistola ad Macharium, quam refert Euseb. lib.3. de vita Constantini,vbi sic habet:*Tanta est Dei nostri benignitas,vt nulla verborum officia præsenti miraculo digna esse queant. Hoc enim admirationem omnem stuporemque præterit,indicium tormenti sacratissimi tot annis humo sepultum,vsque dum interfecto communi hoste, liberæ familiæ apparuit ignorari,&c.*Ibidem addit,nouis miraculis fidem esse declaratam.

Ad SECVNDAM obiectionem dicimus, Eusebium in Chronico huius rei meminisse: in libris autem de vita Constantini non feciſſe de hac rementionẽ, quia res erat notissima omnibus, & satis putabat esse,quòd eam attigisset in literis Constantini. Huic inuentioni sanctæ crucis addi potest inuentio sacræ lanceæ, quæ diuina reuelatione reperta est Antiochiæ,anno Domini M.XCVIII. & insigni miraculo nobilitata. Vide Gulielmum Tyrium lib.6.de bello sacro,Paulum Aemilium libro 4. de rebus gestis Francorum, & Dodechinum Mariani Scoti continuatorem in Chronico Anni M.C.

Argumẽtum QVARTVM, à testimonijs veterum, qui passim referunt,quanto desiderio tenerentur fideles habendi, aut certè videndi particulas veræ crucis, quod ad magnum crucis honorem pertinere nemo ignorat. Inprimis B.Cyrillus Hierosolymit.Catech.10. & 13.dicit,ex ligno crucis Hierosolymis inuento totũ mundum repletum, plurimis inde particulas petentibus & impetrantibus.Constantinus particulam crucis statuæ suæ inseruit,quam Constantinopoli collocauit,

existi-

existimans per eam crucis particulam totam vrbẽ custodiendam, vt referunt Socrates lib. 1. c. 13. & Eutropius, siue Paulus Diaconus, qui multa addidit Eutropio, lib. 11. rerum Romanarum. Greg. Nyssenus in vita Macrinę sororis, scribit, eam gestare solitã ad collum crucem argenteã, cui inserta erat particula veræ crucis.

PAVLINVS epist. 12. ad Seuerum, scribit, se mittere, tanquam summum donum, particulam crucis veræ auro inclusam. Idem etiam natali 10. S. Felicis, scribit, se restinxisse incendium maximum ostensa particula crucis, quod nulla arte extingui poterat.

Ipse, inquit, *domum remeans, modicum, sed grande salutis,*

De crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu aduersis procul ingero flammis, &c.

Chrysost. hom. quòd Christus sit Deus, scribit, eos qui potuerant potiri particula crucis, auro inclusam seruare, ac inde se valdè ornari, & custodiri, meritò credere. Euagrius lib. 4. hist. c. 26. & Procopius lib. 2. de bello Persico, narrant, Apameæ fuisse particulam Sanctæ crucis, quã sibi ostendi populus voluit, cum ciuitas diu obsessa iam iam capienda videretur, vt nimirum conspecta cruce Domini, alacrius morerẽtur. Sed cum ab Episcopo crux illa ostenderetur semel, & iterũ, & tertiò effulsisse semel, & iterum, & tertiò splendidum ignem non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes, obsidionẽ soluerint. GREGORIVS lib. 7. epist. 126. ad Recharedum Regem Visigothorum, mittit crucis particulam, vt eximium munus.

AMBROSIVS orat. in Theodosium, loquẽs de clauo inserto ab Helena galeæ Imperatoris; *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem (particulam videlicet crucis, nimirum clauum vnum) in capite Regum leuauit, vt crux Christi in Regibus adoretur.*

HIERONYMVS in Psal. 98. exponit de cruce, illud: *Adorate scabellum pedum eius.* Et in epist. 17. ad Marcellã, dicit: *Ergone erit illa dies, quãdo nobis liceat spelũcã Saluatoris intrare, crucis deinde lambere lignum, &c.*

AVGVSTINVS lib. 22. de ciuit. Dei, c. 8. scribit: Ad terram sanctam ex monte Caluarię allatam in Africã, miracula fieri solita, & se cum alio Episcopo eam infodisse, & orationis locum super eam constituisse. Quo honore Augustus prosequeretur crucem, quando sic honorauit terram, vbi fuerat crux?

His adde Sybillæ carmen, quod habetur lib. 6. carminum Sybillinorum, propè finem.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

Argumentum QVINTVM, ab exaltatione crucis. Constat enim ex Paulo Diacono, Zonara, & Cedreno in vita Heraclij, Heraclium in recuperatione crucis, quã Persæ ex Hierosolymis abstulerant, diuinitus adiutum, ita vt etiam de cœlo Deus lapidibus grandinis pugnaret contra Persas, vt olim fecerat cum Iosue. In ipsa etiam restitutione crucis in suum locum, miracula quædam contigerunt, vt refert Sigebertus in Chronico Anni DC. XXXI. vnde etiam festum institutum testantur Otho Frisingensis lib. 5. cap. 9. Beda & Ado in Martyrolog.

Argumentum SEXTVM, si locus, in quo Angelus stetit, terra sancta est, Iosue cap. 5. Exod. 3. cur non magis crux, vbi stetit Christus? si sudaria & semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis crux Christi sanguine respersa? Si Sacramẽta honorantur, quia instrumenta gratiæ, cur non crux, quæ instrumentum est redemptionis?

CAPVT XXVIII.

De Imagine Crucis.

IAM verò de Imagine Crucis habemus PRIMO testimonium Matth. 24. *Tunc apparebit signum filii hominis in cælo*; ex qua apparitione miro modo venerabile reddetur signum illud, ideſt, crux. Nam etsi Caluinus, Musculus, & alij quos refert ī sua Catena, ad hũc locum Marloratus, negent hic agi de cruce, ac velint hunc esse horum verborum sensum: *Tunc apparebit signum Filii hominis*, ideſt, tunc apparebit Filius hominis tam manifestè, ac si edito signo in se oĩum oculos conuertisset: omnes tamen veteres ad vnum exponũt de cruce, ita Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, Beda in c. 24. Matthæi: item Cyrillus Catech. 15. & Aug. serm. 130. de tempore. Ecclesia quoque canit in festo inuẽtionis: *Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

Sybilla etiam lib. 6. in fine:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

Et quidem Thomas Vvaldensis, to. 3. tit. 20. c. 158. non omnino improbabiliter dicit, ipsam veram crucẽ ligneam, quæ nunc diuisa est in multas particulas, tũc reformandam, & colligendam, & appariturum in cœlo; nam id videntur asserere Sybilla & Chrysostomus in sermone de cruce & latrone; nec alij Patres contradicunt.

Neque obstat illud Ecclesiæ: *Hoc signum crucis erit in cælo.* Nam ẽt vera crux dici potest signum crucis, ideſt, instrumentum habens figuram crucis. Sed si hoc non admittatur, saltem imago crucis lucida in cęlo apparebit ex aere, vel igne condensato, vt Abulensis & Iansenius, & alij docent.

Hinc autem multiplex argumẽtum ducitur ad probandum honorẽ crucis; nam PRIMO honorabilis est crux, quia ab ipso Christo vocatur signum eius, ideſt, vexillum Christi: si enim vexillũ Imperatoris milites adorãt, vt patet ex Sozomeno lib. 1. hist. c. 4. cur vexillum Christi non adorabitur? SECVNDO, honorabilis est, quia in cœlo apparebit, loco nimirum sublimi, & honorifico. TERTIO, quia manibus Angelorum feretur, vt August. docet serm. 130. QVARTO, quia splendebit clarius Sole, quod probãt Augustinus, & Chrysostomus, quia tunc apparebit, & conspicietur ab omnibus, quando Sol, & Lunæ, & Stellæ obscuratæ fuerint, vt patet ex Matthæo, cap. 24.

Argumentum SECVNDVM sumi potest à testimonijs Sacrorum Conciliorũ; nam Synodus VI. can. 73. Synodus VII. act. vlt. & Synodus VIII. act. item vlt. canones ediderunt de veneratione crucis.

TERTIVM argumentum ab vsu & testimonijs veterum. IVSTINVS in Apolog. 2. *Signa*, inquit, *& nota, quæ apud nos sunt, huius rei* (crucis) *virtutem declarãt.* Tertullianus in Apologet. c. 16. obiectioni Gentilium respondet de adoratione crucis ligneæ; idem facit Minutius in Octauio, ex quo apparet, ab ipso Ecclesiæ exordio, etiam ante crucis veræ inuentionem Christianos solitos habere, & venerari crucis imaginem. Origenes lib. 6. in epist. ad Romanos, dicit crucis figuram ante oculos positam, si attentè consideretur, valere ad depellendam omnem tentationem.

Constantinus Magnus labarũ in formã crucis redegit, vt patet ex Euseb. lib. 9. c. 9. hist. & ex lib. 1. de vita Constantini, quia verò labarũ adorabatur, nunquam Constantinus crucẽ in labaro posuisset, si putasset, esse idololatriam venerari crucem: imò Sozomenus lib. 4. c. 4. hist. scribit, ideo Constãtinum vertisse labarum in crucem, vt milites assuescerent crucem venerari.

DICES, etiam ante Constantini tempora labarum habuit formam crucis, vt Tertullianus in Apologet. cap. 16. Iustinus in 2. Apologia, & Minutius in Octauio testantur.

RESPONDEO, labarum ante Constantini tempora habuisse quandam crucis similitudinem, quia erat velum

lum in ligno suspensum, non tñ propriè crucis figuram habuisse, nisi tempore Constantini. Idē Constantinus, vt refert Euseb. lib. 1. de vita Constātini, Romæ deuicto Maxentio, in loco celeberrimo erexit crucē cum his verbis: HOC SALVTARE SIGNVM. Et rursum in manu dextera statuæ suæ crucem apponi iussit cū his verbis: HOC VNO VERÆ FORTITVDINIS SIGNO VRBEM VESTRAM LIBERAVI, &c. Idem ēt decreto cauit, ne deinceps vlli facinorosi cruci affigerentur, vt crux non amplius horrori, sed amori & venerationi omnibus esset, vt scribit Sozomenus lib. 1. c. 8. & Augustſerm. 18. de verbis Domini. Et è contrario in pecunijs, quas omnes amant, crucis figuram excudi iussit, vt ibidem Sozomenus refert.

Constantini pietatē imitatus Theod. prohibuit ne crux humi sculperetur, vel pingeretur, ne sacrum signum pedibus calcaretur: ita enim habetur, lib. 1. Codicis, titu. 8. L. Cum sit nobis, quod testimonium ex Petro Crinito lib. 9. cap. 9. aduersarij corruptè citant, quasi Theod. prohibuisset imaginem crucis, sculpi, vel pingi.

Theod. sequutus Arcadius filius, auream monetam cùm signo crucis cudi iussit, teste Prosp. de prædictionibus & promissionibus part. 3. c. 34.

Tiberius quoque optimus Imperator, Theodosij legem sequutus, cùm vidisset in palatio humi crucem in marmore incisam, mox erigi iussit, dicens: *Cruce Domini frontem & pectus munire debemus, & nos eam pedibus terimus?* Testis Paulus Diaconus lib. 18. rerum Roman. vbi etiam addit, sub illo marmore repertum ingentem thesaurum amplius centum millium aureorum, in remunerationem videlicet pietatis tam Religiosi Principis.

Constantini tempore scripsit Lactantius carmen de cruce, in quo inter cetera legimus:

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Non diu postea Athanasius quæst. 16. ad Antiochum reddidit causſam, cur Christiani faciant & colant potius imagines crucis, quàm lanceæ, vel spongiæ; quia videlicet si Ethnici dicant nos colere lignū, mox duobus lignis crucis disiunctis figurā crucis destruimus, nec amplius veneramur.

Ioannes CHRYSOSTOMVS in supplicationibus argenteas cruces cum ardentib. facibus præferri iubebat, vt Socrates lib. 6. c. 8. & Sozom. lib. 8. cap. 8. testantur. Idem etiam Chrysost. in lib. quòd Christus sit Deus, dicit, suo tempore crucis figuram omnib. in locis depingi solitam, in vrbibus, in domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine, in montibus, &c. AVGVSTINVS Tract. 36. in Ioan. & in Psalm. 36. *Qui tantum*, inquit, *honorem tribuit supplicio suo, quid seruat fidelibus suis?* Cyrillus lib. 6. in Iulianum, respondet Iuliano reprehēdenti Christianos, q̄ lignum crucis adorarent, eiusq; figuram ante domos suas depingerent. Ruffinus lib. 2. cap. 29. hist. testatur, apud Aegyptum, cùm ad fidē conuerterētur Aegyptij, vbique fuisse depictas cruces loco thoracis Serapidis, quē Ethnici venerabantur. Beda lib. 1. hist. Anglic. c. 25. scribit, Augustinū à B. Gregorio missum ad Anglorum conuersionem, crucē argenteam, & imaginem Christi in tabula depictam pro vexillo prætulisse. Ipse etiam Gregorius lib. 7. epist. 5. de crucis veneratione loquitur. LEO serm. 8. de passione Domini: *Pulchra specie*, inquit, *triumphi sui trophæum, & inuictissimæ patientiæ signum salutis adorandum populis omnibus inferebat.*

SEDVLIVS in carmine Paschali:

Pax crucis ipse fuit, violentaque robora membris
Illustrans propriis, pœnam vestiuit honore.
Supplicium q̄ dedit signum magis esse salutis,
Ipseq̄ sanctificans in se tormenta beauit:
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quæ Dominum portauit ouans, &c.

Argumentum QVARTVM ab apparitione, & miraculis crucis. PRIMO, apparuit Constantino crux lucidissima in aere cū illis verbis; ἐν τούτῳ νικᾶ. idest, in hoc vince, refert Euseb. lib. 1. de vita Constantini, vbi etiā addit, se id accepisse ab ipso Constantino iurante rem ita se habere. Neq; apparuit illi crux in somno, vt Sozomenus lib. 1. c. 3. & Paulus Diaconus lib. 11. rerum Roman. dicunt; sed planè vigilanti, & iter faciēti cum toto exercitu, vt Eusebius dicit.

Porrò non frustrà dictum esse Constantino: *In hoc signo vince*, apparet ex victorijs Constantini, nā lib. 2. de vita Constantini scribit Eusebius, in prælijs iussisse Constantinum semper deferri labarum crucē insignitum ad eam partem agminis, quæ magis laborabat; & quocunque labarum accessisset, mox etiam victoriā sequi solitam. Addit ibidem, eum, qui labarū deferebat, cum metu hostium irruentium reliquisset labarū, continuò necatum esse, qui aūt illud de manu abijcientis susceperit, nunquam feriri potuisse, etiamsi innumerabilia propè tela in illum iecta fuissent; omnia enim (mirabile dictu) in hasta cruci infigebantur.

SECVNDO, apparuit crux lucidissima suprà montē Oliuetum tēpore Constantij Imperatoris, de qua apparitione extat epistola Cyrilli Hierosolymitani ad Constantium.

TERTIO, apparuit tempore Iuliani Apostatæ, qui eā persequebatur, vt narrat Greg. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum. Nam cùm Iulianus inspiceret exta pecudum aruspicij gratia, inuenit crucem coronatā; & quidā aruspices periti, vt refert Paulus Diaconus in eius vita, dicebant, significari Religionem Christianā, quæ crucem venerabatur, fore perpetuam, nec posse vinci à Iuliano. Adulatores autem eius dicebant, significari angustias, & quasi carceres crucis; sed euentus priorē sententiam veram ostendit. EODEM tempore, cū Iudæi, Iuliani iussu exstruere vellent templum Hierosolymis in dedecus crucifixi, apparuit rursum ī aere circulus ingens lucidus, crucem splendidissimā ambiens; & præterea in vestib. ferè omnium hominum eius loci apparuerunt cruces quasi summo artificio elaboratæ, vt scribit idem Nazianzenus orat. 2. in Iulianum.

QVARTO apparuit crux in aere tempore Arcadij, cùm Imperator bellum susciperet pro fide contra Persas, Christianorum persequutores, in quo bello diuinitus adiutus fuit, testatur hoc B. Prosper in lib. de promissionibus diuinis, part. 3. c. 34.

QVINTO, apparuerunt cruces in vestibus hominū, tempore Leonis Iconomachi, cum Hæretici contra imagines sacras insanirent, vt testatur Paulus Diaconus in vita Leonis Iconomachi. Ad hoc genus referri potest apparitio crucis in Anglia in arbore, Anno M. D. LIX. de qua vide Alanum Copum.

Præter has apparitiones miracula sine numero per crucis figuram effecta referri possent. Insigne est illud Hilarionis, quod refert B. Hieron. factum apud Epidaurum. Nam cum mare egrederetur terminos suos, & periculū esset, ne ciuitatē obrueret, Hilarion in littore tres cruces pinxit; mare aūt cū eò peruenisset, cēpit intumescere, & in magnā altitudinem instar muri cuiusdā excreuit sursum versus, quasi fremens & indignans, quod progredi vlterius prohiberetur, tandem crucis virtuti cedens, fluctus suos in seipsum retorsit. Multa quoq; miracula facta narrat Beda lib. 3. c. 2. hist. Anglor. per ligneam crucem, ab Osvvaldo Rege Sancto erecta, ac illud omnium primum, quod ipse cū paucis contra innumerabiles hostes pugnauit, & vicit.

Argumentum VLTIMVM à ratione. Nam signa rerum sanctarum sancta & venerabilia sunt, vt suprà ostendimus: certè quælibet crux sancta & venerabilis est, quia gerit imaginem Christi crucifixi, idest, Christi in ipso opere redemptionis occupati, quo nihil sanctius cogitari potest.

CAPVT XXIX.

De Signo Crucis.

RESTAT signum crucis, quod in fronte, vel in aere pingitur, vel super quaſcunque res digito exprimitur. Quod ſignum ſacrum eſſe & venerabile, PRIMO oſtendi poteſt ex figuris Teſtamenti veteris. Nam ſanguis agni in poſtibus domorum, de quo Exod. 12. nihil aliud ſignificabat, niſi ſignum crucis in frontibus Chriſtianorum, Auguſtino teſte in libro de Catechizandis rudibus, c. 20. Item illud Tau, quod Ezechielis cap. 9. iubetur deſcribi in frontib. gementium, apertiſſimè ſignum crucis, quod in fronte potiſſimum pingimus, indicabat, teſte Cypriano in libro aduerſus Demetrianum, & Hieronymo in commẽtario Ezechielis. His adde illud Apocalyp. 14. *Habentes nomen eius, & nomen Patris eius in frontibus ſuis*; ideſt, ſignum crucis. Item illud Apocalyp. 7. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Hoc enim ſignum, eſſe ſignum crucis, docent Oecumenius, Beda, Anſelmus, & Rupertus in hunc locum. Iacob quoque cum cancellatis manibus benedixit filijs Ioſeph, Geneſ. 48. ſignificauit, fore aliquando tempus, quo benedictiones ſigno crucis fierent.

SECVNDO, probatur ex teſtimonijs veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Dionyſius c. 4. 5. & 6. Eccleſiaſt. hierarch. dicit, in omnibus Sacramentis adhiberi ſignum crucis. Iuſtinus q. 118. reſpondet Gentibus quærentibus, cur Chriſtiani ad Orientem orarent: & dicit, cauſſam eſſe, quia Deo dãda ſunt meliora: *Sicut etiam*, inquit, *dextera potius, quàm ſiniſtra ſignũ crucis exprimimus, cum alicui benedicimus.* Hippolytus quidam ſcriptor veruſtiſſimus, & Apoſtolis familiaris, cuius librum citat Palladius in hiſt. Lauſiaca, c. 148. ſcribit, virginem quandam ſigno crucis munitam ex proſtibulo illæſam euaſiſſe.

TERTVLLIANVS ita loquitur lib. de Corona militis: *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubicula, ad ſedilia, quandocunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Idem habet lib. 2. ad vxorem, & in principio Scorpiaci.

CYPRIANVS lib. 4. epiſt. 6. in fine: *Muniatur frons, vt ſignum Dei incolume ſeruetur.* Et libro de vnitate eccleſiæ, vltra medium, dicit, Oziam lepra in fronte percuſſum, offenſo Domino, in qua parte corporis ſignantur, qui Dominum promerentur. Et libro de lapſis, in principio: *Frons cum ſigno Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſeruauit.*

Cornelius Papa in epiſt. ad Fabianum, quæ eſt apud Euſebium lib. 6. hiſt. c. 33. dicit, Nouatianum à Dæmonio arreptum, quòd non recepiſſet in fronte ſignaculum Chriſti.

ORIGENES in Exod c. 15. homil. 6. ſic ait: *Timor & tremor cadunt ſuper eos* (Dæmones) *cum ſignum in vobis viderint crucis fideliter fixum*, &c. Gregoriũ Neocæſarienſem ſæpè vſum ſigno crucis cõtra Dæmones, teſtatur Gregorius Nyſſenus in eius vita. Lactantius lib. 4. c. 26. dicit, Chriſtum eis omnibus prodeſſe, qui ſignum crucis in fronte conſcripſerint.

CYRILLVS Catech. 4. *Non pudeat*, inquit, *nos crucis Chriſti, quòd ſi aliquis id occulet, tu manifeſtè ſignate cruce in fronte.* Et infrà: *Fac autem hoc ſignum, & manducans, & bibens, & ſedens, & ſtans, & loquens, & ambulans, & in ſumma in omni negotio.* Idem repetit Catecheſi 13.

ATHANASIVS lib. de Incarnatione Verbi: *Signo crucis omnia magica*, inquit, *compeſcuntur*, &c.

BASILIVS lib. de Spiritu ſancto, cap. 37. inter primas Apoſtolicas traditiones ponit, ſignare ſe ſigno crucis. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum dicit, etiam milites in mẽſa ſignum crucis adhibere ſolitos. Chryſoſtomus homil. 55. in Matth. cap. 12. ſigno crucis omnia Sacramenta perfici docet. Et homil. quòd Chriſtus ſit Deus, plurima de gloria huius ſigni, & eloquentiſſimè perſequitur.

EPHRÆM lib. de pœnit. c. 3. *Pingamus*, inquit, *in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum ſignum; armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura.* Item lib. de armatura ſpirituali, c. 2. *Scuti vice crucis ſigno teipſum muni; validiſſima enim armatura eſt.* B. Antonius, vt refert Athanaſius in vita eiuſdem Antonij, cõtra omnes terrores iubebat ſolo crucis ſignaculo tutos eſſe Monachos. Palladius in hiſtoria Lauſiaca, cap. 2. ſcribit, ſanctum ſenem quendam cum vidiſſet in puteo aſpidem, ſigno crucis muniuiſſe puteum illum, ac deinde ſine timore hauſiſſe aquam, & bibiſſe. Theodoretus in hiſt. religioſa, paſſim meminit crucis, & virtutis eius.

AMBROSIVS ſerm. 43. hortatur, vt omnia opera à ſigno crucis incipiamus. Et ſerm. 90. recitantur verba S. Agnetis, dicentis: *Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.* Id enim eſt ſignum crucis, quo dedicamur Deo.

HIERONYMVS in epiſt. ad Demetriadem: *Claudas cubiculum pectoris, crebro ſignaculo crucis munias frontem tuam.* Item ad Euſtochium: *Ad omnem inceſſum manus pingat Domini crucem.*

AVGVSTINVS Tract. 118. in Ioan. ad finem: *Quid eſt, quod omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur, ſiue frontibus credentium; ſiue ipſi aquæ, qua regeneranur; ſiue oleo, quo Chriſmate inunguntur; ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Item lib. 1. Confeſſ. c. 11. *Signabar iam ſigno crucis, & condiebar ſale Chriſti.*

B. Martinus apud Sulpitium: *Ego*, inquit, *ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.*

PRVDENTIVS in hymno ante ſomnum:

Fac cum vocante ſomno
Caſtum petis cubile
Frontem, locumque cordis
Crucis figura ſignet.
Crux pellet omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata ſigno
Mens fluctuare neſcit.

PAVLINVS Natali 8. S. Felicis:

Nos crucis inuicta ſignum, & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, & quamquam mẽbris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

TERTIO, probatur ex miraculis ſigno crucis factis. Tertullianus initio Scorpiaci dicit, Chriſtianos ſignãdo, vel adiurando nõ ſolum Chriſtianis, ſed etiã Ethnicis ſæpè prodeſſe. Lactantius lib. 4. c. 27. dicit præſente Chriſtiano, qui crucem fronte ſignauerat. Diabolũ non auſum Imperatori poſcenti reſponſa dare. Epiph. hæreſi 30. ſcribit, quendam Ioſephum nondum Chriſtianum ſigno crucis Dæmones expuliſſe, & deinde Chriſtianum effectum eodem ſigno incantationes Iudæorum deſtruxiſſe. Nazianzenus orat. 1. in Iulian. ſcribit, ipſum Iulianum, licet Ethnicum, cum ſpectra quædam videret, dum necromantici ſua myſteria operarẽtur, ſigno crucis ſeipſum munijſſe, & mox ſpectra omnia euanuiſſe. Nyſſenus in vita Gregorij Thaumaturgi, ſcribit, Diaconum eius, ſigno crucis munitum, exiuiſſe noctu incolumẽ ex balneis inter innumerabilia ſpectra, ex quibus balneis nemo vnquam viuus exierat eorum, qui noctu intrauerat.

Athana-

Athanasius in vita Antonij; Hieron. in vita Pauli primi Eremitæ; Theodoretus lib. 5. hist. c. 21. & Gregorius lib. 3. Dialog. c. 7. multa scribunt miracula, quę ad solum crucis signum Deus fecit, ac potissimum in Dæmonum expulsione. Palladius in historia Lausiaca, cap. 54. scribit, quendam signo crucis munitum in medijs flammis longo tẽpore illæsum permansisse. Theodoretus in vita Sancti Iuliani, & in vita S. Marciani, scribit, ab vtroque suo tempore signo crucis ingentes Dracones occisos. Item in vita Sancti Aphraatis, & Sancti Macedonij, & Sancti Petri, & aliorum, scribit, eos signo crucis varios morbos curasse. Quod idem Sulpitius in vita Beati Martini; Hieronymus in vita Hilarionis; Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. similiter scribunt. Victor Vticensis lib. 2. de persequut. Vvand. scribit, ab Eugenio Episcopo Catholico cæcũ illuminatum solo crucis signo. Quòd si addere vellemus miracula edita post primos quingẽtos annos, quæ referuntur à probatis auctorib. de S. Benedictio, Bernardo, Francisco, & alijs, nunquam finiremus.

CAPVT XXX.

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

EX his, quæ dicta sunt, facilè erit obiectiones hęreticorum, suprà notatas, soluere. Ad PRIMAM igitur, quæ sumebatur ex eo, quòd crux dolorem & ignominiam Christo attulit, respondemus, si solũ crux attulit Christo dolorem & ignominiam, meritò esse execrandam: atqui attulisse etiam lætitiam & gloriam, propter Diabolum deuictum, & genus humanum redemptum; quæ lætitia & gloria tanta fuit, vt dolorem & ignominiam illam priorem planè absorbuerit, vt patet.

Ad SECVNDAM, quæ sumebatur à similitudine eorum, quorum parentes in patibulis perierunt, qui impij videtentur, si eiusmodi patibula honorarent, dico illa non esse similia; nam qui nunc in patibulis suspenduntur ex sententia iudicis, culpa sua suspenduntur; aut vera, aut certè in iudicio legitimè probata; præterea inuiti suspendũtur; denique ex ipsa morte nihil lucrantur, nisi pœnam & infamiam. At Christus non propter culpam veram, aut probatam crucifixus fuit. Constat enim ipsum iudicem sæpius testatum, se nullã in eo caussam inuenisse. Ad hæc, Christus sponte sua se tradidit crucifixoribus, vt Patris obedientiam impleret, cum alioqui posset euadere, si vellet, vt notum est; quia cum diceret: *Ego sum*, omnes eius inimici ceciderunt retrorsum. Denique, Christus ex ipsa morte plurima bona retulit, vt diximus, & sibi, & nobis. Neque id solum in Christi morte videmus, sed etiam in mortibus aliorum, qui propter Deum, aut patriam occiduntur, amici enim libentissimè instrumenta passionis eorum tanquam monimenta virtutis conseruant.

Ad TERTIVM argumentum, quòd honorare crucem sit quasi lætari de morte Christi, quemadmodum inimici eius faciebant, dico nos nihil cum hostib. Christi habere commune; nam cum gaudemus de Christi passione, non gaudemus de eo, de quo hostes eius gaudebant, sed de eo, de quo ipse gaudebat, idest, de triumpho eius, non de ignominia. Alioqui enim etiam nouimus Christo patienti esse compatiendum, & dolores pijs lachrymis decorandos.

Ad QVARTVM argumentum dico, non sequi, si omnes cruces honoramus, oportere etiã nos honorare omnia præsepia, omnes spinas, omnes lanceas, omnes virgas, &c. nam omnes cruces adoramus, quia omnes sunt imagines veræ crucis, in qua Dominus pependit; & præterea etiã ipsius Christi crucifixi, at præsepia, spineta, lanceæ, & similia non sunt imagines Christi, nec etiam præsepij, spinarum, lanceæ, & similium, quæ Christum tetigerunt. Ad imaginem enim non sufficit similitudo, sed requiritur, vt vnum exprimatur ex alio. Quare frater non dicitur imago fratris, licet similes sint, quia vnus non est ab alio. Filius autem, quia non solum est similis patri, sed etiam ab eo prodijt, idcircò verè dicitur & est imago patris. Iam cruces omnes fiunt ad exprimẽdam illam primam, & sic imagines eius sunt: at præsepia, lanceæ, & similia, non fiunt ad illa exprimenda, sed ad alios vsus, & ideò nec imagines sunt. Quando autem pingitur vel sculpitur præsepe ad repræsentandam Christi natiuitatem, vel columna ad repræsentandam flagellationem, quia tunc præsepè, & columna sunt imagines, non carent sua aliqua veneratione.

SI petas vnde est, quod pingimus, & adoramus crucem, etiam sine Christo crucifixo; & non pingimus, nec adoramus præsepè, vel columnam sine Christo?

RESPONDEO, propter tres caussas. PRIMO, quia crux etiam sola refert ipsum Christum crucifixum: illa autem hoc non faciunt. SECVNDO, quia crux non habet alium vsum, quã repræsentandi, præsertim post edictum Constantini, de non crucifigendis hominib. at illa alia habent alios vsus; & ideo qui videret vnam columnam depictam, non facilè posset scire, quid illa significaret, an columnam Christi, an columnam Traiani, vel Hadriani, vel Herculis, vel aliorum. TERTIO, quia (vt Athanasius quæst. 16. ad Antiochum dicit) cum accusamur, quòd adoremus lignum, possumus statim ostendere, nos colere figuram, non materiam, separando duo illa ligna ab inuicem: quod in columna, lancea, spongia, & similibus, non tam facilè fieri posset.

Ad QVINTVM, de honorandis labijs Iudæ, & manibus eorum, qui Christum occiderunt, tum propter contactum sacri corporis, tum quia instrumenta fuere passionis, respondeo, inter crucem, & labia Iudæ, ac manus crucifixorum Christi, magnam esse differentiam, vt docet Thomas Vvaldensis, tom. 3. tit. 13. capit. 120. nam crucem Dominus elegit, & amanter amplexus est, vt rem innoxiam deseruientem redemptioni: at labia Iudæ, & manus impiorum Christus non elegit, nec amauit, sed execrabatur, vt res impias, & sceleratas. Nos autem illa solum amare & honorare debemus, quæ Dominus amauit & honorauit.

SED possent respondere Vviclefistæ, paria esse labia Iudæ, & crucem. Nam vt labia Iudæ fuerunt instrumentum sceleris Iudæ, & alioqui in se non erant capacia culpæ; ita & crux fuit instrumentum sceleris Iudæorum: & sicut Dominus elegit crucem, non vt instrumentum sceleris, sed vt instrumentum passionis; ita quoque elegit labia Iudæ & manus interfectorum, non vt instrumenta sceleris, sed vt instrumenta passionis. Vnde Augustinus in Psalm. 34. dicit, Iudam à Christo electum, vt per eum impleret redemptionem nostram.

RESPONDEO igitur, differentiam in duobus consistere. PRIMO, quia labia Iudæ, & manus interfectorum Christi, non solum instrumenta passionis erant, sed etiam partes illorum hominum impiorum, & ideò non poterant honorari, vt instrumenta passionis, quin simul ipsi impij homines honorari viderẽtur: at crux, spinæ, columna, & similia non sunt partes illorum hominum, sed sunt res per se existentes, & natura sua innoxiæ, &c.

SECVNDO, quia in passione Domini possumus considerare actionem & passionem, quarum prior scelerata, posterior Sanctissima fuit. Porrò labia Iudæ & manus impiorum fuerunt instrumenta propinqua & immediata ipsius actionis sceleste; remota autem & mediata passionis salutaris: è cõtrario crux, & claui, & similia fuerunt instrumenta propinqua, & immediata

passionis sanctæ, & remota ac mediata actionis scelestæ, vt patet, & ideo labia Iudæ magis participãt actionem, quàm passionem; & crux è contrario magis passionem, quàm actionem. Propterea crux simpliciter est venerabilis, labia Iudæ simpliciter detestanda.

Ad VLTIMVM, de magia & superstitione dico tantum abesse à magia signum crucis, vt potius eo signo omnis magia soluatur, vt ait rectissimè S. ATHANASIVS lib. de Incarnatione Domini, & salutari eius aduentu: *Signo crucis*, inquit, *omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt.* Et infrà: *Veniat, qui istorum dictorum experimentum capere velit, & in ipsis præstigiis Dæmonum, & impostoris vaticiniorum, & in miraculis magiæ vtatur signo crucis ab ipsis derisо, nomenque Christi inuocet; & videbit, quomodo eius rei motu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ, & veneficia iaceant.* Hæc ille. Scribit etiam Iacobus Sprenger in malleo maleficorum, part. 2. q. 1. c. 2. magos & sagas quando initiantur sacris Dæmonis, palã polliceri Diabolo pro tribunali sedenti, & coram testib. se crucem Domini conculcaturos, quia videlicet, vbi crux honoratur, nullæ magicæ artes efficaces sunt.

SCIENDVM igitur est, ideò esse superstitiosum, & prohibitum, vti characteribus & figuris ad effectus aliquos producendos, vt magi faciunt, quia effectus illi non possunt esse naturales, quia characteres & figuræ non sunt operatiuæ naturaliter: nec proueniunt illi effectus à Deo, cum nulla talis Dei promissio reperiatur, nec Deus ab illis inuocetur, sed fiunt illa omnia à Dæmone, & characteres solum deseruiunt pro signo fœderis inter Diabolum & magos. At signum crucis operatur mirabilia, non ex virtute sua naturali, quam habeat, vt figura quædam; nec vt signum pacti cum Dæmone, sed vt signum diuinitus institutum.

Ac, vt clarius id percipiatur, nota, tres esse effectus crucis mirabiles. Primò, terret, & fugat Dæmones. Secundò, pellit morbos, & omnia mala. Tertiò, sanctificat ea, quibus imprimitur. Et quidem primum effectũ ex tribus caussis habet; ex apprehensione Dæmonis; ex deuotione hominis; & ex instituto Dei. Nam Dæmon vbi crucem videt, mox recordatur cruce Christi se victum, spoliatum, ligatum, & eneruatum fuisse, inde crucem timet & fugit, quomodo canis fugit lapidem & baculum quo percussus fuit.

Deinde, vim habet crux ex opere operantis eo modo, quo vim habet oratio. Nam signum crucis est inuocatio quædam meritorum Christi crucifixi signo expressa. Loquimur enim corde, voce, & nutibus. Itaque opponere contra Diabolum signum crucis, est opponere meritum passionis Christi, idest, inuocare Deũ per Christi merita contra Diabolum. Vnde effectus tunc magis procedit ex fide, & fiducia, ac deuotione interiore, quàm ex ipso charactere crucis; sicut quando oramus voce, & impetramus, effectus tribuitur potius fidei & fiduciæ internæ, quàm sono vocis. Et de his duobus modis nullum est dubium.

Existimo tamen, etiam tertio modo, idest, ex instituto Dei, & ex opere operato valere signum crucis cõtra Diabolum. Nam videmus Iudæos, & Paganos sine vlla fide in Christũ, solum intendentes facere quod Christiani faciunt, fugasse Dæmones signo crucis, vt patet ex Nazianzeno orat. 1. in Iulianum. Epiphanio hæres. 30. & Gregor. lib. 3. Dialog. c. 7. ex quo apparet, A non deuotione aut fide operantis, sed ipso signo crucis fugatum Dæmonem.

Quare S. AVGVSTINVS lib. 83. quæstionum, q. 79. dicit, indictum à Deo Dæmonibus, vt cedant cruci, tanquam sceptro summi Regis, quomodo populi militibus cedunt, cum ab illis profertur signum Imperatoris: *Nec mirum est*, inquit, *quòd hæc signa valent, cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum atque vtile iudicat. Nam nullo modo* B *vlli spiritus audent hæc signa contemnere. Contremiscunt hæc vbicunque illa prospexerint.*

DICES; ergo erunt plura Sacramenta, quàm septẽ. RESPONDEO, signum crucis non esse Sacramentum propriè dictum; tum quia non confert gratiam iustificantem; tum etiam, quia non habet effectum infallibilem, vt Augustinus dicit, & experientia etiam testatur.

Quantum ad morbos & cetera mala, quæ non possunt percipere vim signorũ, dicimus ea fugari per crucem tanquam per signum fidei & fiduciæ, vel potius tanquam per inuocationem signo expressam. Christus enim promisit fidelibus se daturum quidquid peterẽt cum fide, & nominatim Marci vlt. de morbis dixerat: *Serpentes tollent, super ægros manus imponent, &* C *bene habebunt, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Fideles igitur contra morbos, & reliqua mala implorant Dei auxilium per Christi meritum, idque faciunt corde, ore, & nutibus. Et quia tunc effectus non producitur ex opere operato, more Sacramentorum, sed ex opere operantis, ideò non infallibiliter sequitur.

Quantum ad benedictiones, idem ferè dicendũ est. Nam cum benedicimus homines, domos, agros, & similia, illo signo commendamus Deo per Christi merita res illas, quas benedicimus: & similiter cum benedicimus aquam, oleum, ramos, candelas, &c. commendamus res eas Deo, eumq; precamur, vt velit illas nobis esse salutares, vtq; per eas tanquam per instrumenta nos adiuuet.

Denique id, quod explicitè petimus precibus, idem D implicitè petimus per signum crucis. Quamquam non potest, nec debet negari, quin etiã aliqua sanctitas accedat rebus cum signantur cruce: non quidem sanctitas quæ sit aliqua qualitas physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est crucis, clauorum, vestium, aliarumq; rerum, quæ tetigerunt Christum, aut Sanctos: & qualis est eorum, qui tangunt reliquias Sanctorum. Nam sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias, constanter docent Patres; Basilius in Psalm. 115. Gregorius Nyssenus in vita S. Theodori; Ioannes Chrysostomus in sermone de Sanctis Iuuentio, & Maximo, & alij. Si autem contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salu- E taris? Certè AVGVSTINVS lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 26. id asserit: *Catechumenos*, inquit, *secundum quendam modum suum per signũ Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, Sanctum est tamen.* Atque hæc de Reliquijs, & Imaginibus pro instituta nostri operis breuitate sufficiant.

APPENDIX AD TRACTATVM DE CVLTV IMAGINVM.

IN QVA CONTINETVR REFVTATIO LIBELLI, Qui falso Synodus Parisiensis inscribitur.

ANNO *M. D. XCVI. Prodijt Francofurti nouus libellus cum hoc titulo,* Synodus Parisiensis de imaginib. anno Christi DCCC. XXIV. ex vetustissimo codice descripta, & nunc primum in lucem edita. *Hoc autem præsenti anno cum mihi is libellus ab amico ostensus esset, animaduerti continuo, nec verè Synodum esse, nec scriptum luce dignum. Quare ne fortè inscriptio fallat incautos, operæprecium me facturum existimaui, si libellum breuissimè confutarem.*

CAPVT PRIMVM.

PRincipio igitur non esse Synodum vllã Parisiensem, quæ hoc libello contineatur, argumento esse potest, quod nulla in eo conspiciantur Decreta, nulli Canones: nulla extet Episcoporum subscriptio, nulla Synodi mentio, sed & ipse libellus apertè redarguit sui tituli vanitatem, sic enim legimus pag. 126. *Nos non Synodum congregando, sed quemadmodum à vobis postulauimus, licentiamque agendi percipimus, vna cum familiaribus nostris, filijs vestris, quantum pro multiplicib. Regni diuersis occupationibus impediti, per interualla potuimus, considerare studuimus, quid Almitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus.*

Ac vt verborum istorum sententia intelligatur, totius libelli argumentum exponemus. Scripsit Michael Balbus Imperator Græcus ad Ludouicum Pium Imperatorem Latinum epistolam benè longã, in qua, post alia multa, significauit, ecclesiã propter imagines Christi & Sanctorum in duas partes esse diuisam, cum alij adorandas, alij nõ adorandas esse contenderent, & simul petijt, vt Ludouicus in Occidente operam daret, vt sublato superstitioso cultu imaginum Ecclesia pacẽ & vnionem recuperaret.

Ludouicus his literis acceptis à Sũmo Pontifice facultatem obtinuit cõuocandi viros aliquot doctos, qui veterum Patrum testimonia de cultu imaginum diligenter colligerent. Quo facto scribi iussit epistolã, quã nomine Summi Pontificis, ipso consentiente Pontifice, cui primum ostendenda erat, ad Michaelem Imperatorem dirigere cogitabat. Denique tum epistolã prædictam, tum aliam à se ad ipsum Pontificem, qui Eugenius dicebatur, proprio nomine scriptam per duos Episcopos misit.

Hæc igitur quinque in libello nuper edito continentur. PRIMVM, Epistola Michaelis Balbi ad Ludouicũ Pium Caroli Magni filium: SECVNDO, collecta testimonia ex veteribus Patribus, quibus probatur, imagines, neque frangendas esse, vt volebant Iconomachi, neque colendas, vt Synodus Nicæna Secunda statuerat: TERTIO, Epistola Sũmi Pontificis nomine scripta à Francis Doctoribus ad Michaelem Imperatorẽ, A qua docetur, imagines neque iniuria afficiendas esse, neque etiam adorandas. QVARTO, Epistola Ludouici Imperatoris ad Eugenium Põtificem eius nominis Secundum, qua eum hortatur ad legationem in Græciam mittendam, & Ecclesiam pacificandam. QVINTO, Epistola eiusdem Ludouici ad Hieremiam, & Ionam Episcopos, quos Romam ad Summum Pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodum prudenter cum Pontifice se gerere debeant, vt eum ad suam sententiam pertrahant.

Ex his promptum erit intelligere, fucum facere voluisse eos, qui hunc libellum specioso nomine Synodi Parisiensis ornare voluerunt; qui quidẽ caussam Iconomachorum iuuare, & Catholicæ fidei detrimentũ aliquod adferre conati sunt; sed Deo iuuante, mox efficiemus, vt oleum & operam se perdidisse, doleant. B

CAPVT II.

NAm vt ad epistolam Michaelis, quæ primam partem libelli occupat, veniamus: ea quidem plena videtur religiosi studij, vt si quis aliundè quis iste Michael fuerit, ignoret, arbitretur eum vnum ex optimis, & Christianissimis Principibus fuisse.

Sed extant annales publici Ioannis Zonaræ, Georgij Cedreni, & aliorum, qui res gestas Græcorũ Principum literis mandauerunt. Ex his cognoscere licet, Michaelem non solum cognomine, sed etiam re ipsa Balbum, virum fuisse impium & sceleratissimum, quippe, qui magis Hebraicæ superstitioni, quam Christianæ Religioni addictus esset: qui Resurrectionem carnis pernegaret, & ob id Prophetas, & Apostolos, qui eam prædicauerant, irrideret: qui fornicationem licitam esse diceret, & sacrum cœlibatum adeò contemneret, vt è monasterio sanctimonialem iam Deo sacram sibi coniugem deligeret: qui septimam Synodum Oecumenicam, atque ab Adriano Pontifice Maximo approbatam respueret: qui sactas imagines nullo honore dignas arbitraretur: qui Iconomachis impensè faueret, & Constantinum Copronymũ Iconomachorũ Principem sibi præter ceteros imitandum proponeret: qui Sanctum Euthymium, sanctumque Methodiũ, aliosque pios veritatis defensores vel exilio, vel carcere, vel morte multaret. C

Hic igitur est ille Michael, qui ouinam pellem indutus, cũ esset re vera lupus rapax, quasi fidei zelo accensus nihil aliud optare se fingit, nisi Ecclesiæ reforma-

tionem & pacem, sed quemadmodum in illa ipsa epistola deplorat necem Leonis Imperatoris, cui proximè ipse successit, quem dicit ab improbis quibusdam coniuratione facta miserè necatum; cum satis apertè constet ex auctoribus suprà citatis, ipsum eundē Michaelem conspirationis Principem fuisse: sic etiam piè queri videtur, Ecclesiam ob dissensiones de cultu imaginū esse diuisam; cum ipse potissimum dissensionis, & diuisionis auctor esset, qui Synodum generalem, quæ dissensiones sustulerat, reiecisset, & Iconomachiam propagare studeret: & nō contentus dissensionib. Orientalibus, in Occidente quoque dissensiones serere, ac propagare satageret.

Quod verò in extrema epistola Catholicos reprehendit, quod viuificam crucem despiciant, quod imagines vt Deos quosdam adorēt, quod eis sacrificia offerant, quod ab eis nescio quo artificio de sacro fonte suscipi, & sacram communionem percipere velint, denique quod alias id genus superstitiones, vel ineptias in cultu sacrarum imaginum ostendant, meræ calumniæ, atque impostura sunt, neque mirabitur eiusmodi mendacia Græcum Imperatorē in sua epistola ad Latinos longè positos scribere potuisse, qui cogitare voluerit, quam crassa, & quam incredibilia mēdacia nostri temporis Hæretici de Catholicis in vicinis locis de gentibus fingant.

Sed ex Concilio Nicæno secundo verè legitimo, & Oecumenico, velit nolit Michael Balbus, illis ipsis tēporibus celebrato, luce solis clarius effici potest, illa esse commenta fraudesque Hæreticorum. Docuit enim Concilium illud, cui Catholici omnes assentiebantur, imaginibus sacris deberi quidem suam venerationē, sed non maiorem quam viuificæ Cruci, neque illis vllo modo sacrificandum esse, neque eos cultu latrię, qui Deo est proprius, adorandas. Legatur Synodus, & impostura subitò euanescent.

Quæ cum ita sint, vel Franci, qui Ludouico Imperatori à consilijs erant, fidē habuerunt litteris Michaelis, vel non habuerunt. Si fidem habuerunt, circumuenti sunt, atque decepti: si fidem non habuerunt, abusi sunt litteris illis ad permouendum Summum Pontificem, vt maiorum suorum acta rescinderet, & Synodum Nicænam ab Hadriano approbatam improbaret ipse atque damnaret.

Sed siue decepti fuerint, siue decipere voluerint, nihil attinebat istum vel errorem vel istud scelus ipsorū orbi terrarum prodere, præsertim, cum non sine caussa maiores nostri libellos eiusmodi, qui nihil vtilitatis, detrimenti autem plurimum adferre poterant, libenter delitescere passi sint.

CAPVT III.

VEnio nunc ad ea testimonia, quæ pauci illi viri à Ludouico Imperatore vocati, ex veterum monumētis collegisse se dicunt, multis enim nominibus viri illi peccasse videntur, ac primum quidem ante collectionem satis audacter iudiciū sibi de scriptis Apostolicis desumpserunt, nec solum de Summo Pontifice, sed etiam de generali Synodo à Pontifice approbata temerè iudicarunt. In qua re longè superarunt peccatum auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librū edidit aduersus cultum sacrarum Imaginum. Ille enim (quod ēt Patres Concilij Francofordiensis fecerunt) Nicænam Synodum secundam improbauit, quoniam celebratam fuisse existimauit sine consensu Apostolicę Sedis. At cōsiliarij isti Ludouici Imperatoris, quorum scripta discutimus, fatentur Synodum pro cultu imaginum, ideſt, Nicænam secūdam ab Hadriano Summo Pontifice coactam, & probatam, & tamen tum ipsam Synodum, tum epistolam eiusdem Hadriani ad Constantinum Imperatorem pro cultu imaginum, & rursum defensionem eiusdē Synodi ab Hadriano ad Carolum missam examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.

Hæc enim sunt ipsorum verba pag. 19. *Primum epistolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem pro imaginibus erigendis Constantino Imperatori, & Hirenæ matri eius ad eorum deprecationem in transmarinis partib. direxit, coram nobis legi fecimus, et quantum nostræ paruitati res patuit, sicut iustè reprehendit illos, qui imagines sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere & penitus abolere præsumpserunt: sic indiscrete noscitur fecisse, in eo quod superstitiosè eas adorari iussit, pro qua etiam causa Synodum congregari præcepit.* Et infrà pag. 21. de defensione Nicænæ Synodi ab Hadriano edita sic loquuntur. *Per singula capita in illorum excusationem respondere quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est, &c.*

Ita nimirum Iudicem suum, & totius Mundi iudicare; pastorem omnium Christi ouiū pascere; & Doctorem vniuersorum docere non erubuerunt, qua temeritate nulla maior cogitari potest.

CAPVT IV.

SEd fortasse noua aliqua, atque recōdita testimonia repererunt, quibus freti resistere in faciem Apostolico præsuli non reformidarunt. Imò verò notissima & vulgaria, & quæ nihil ad rem faciant sine vlla ratione, vel ordine collegerunt.

Ac, vt exempli gratia pauca discutiamus, primū testimoniū sumunt ex libro S. Augustini de hæresibus, vbi legimus Simonem Magum iussisse imaginē suam, & Helenæ meretriculæ suæ à discipulis adorari, atque hanc esse dicunt primam originem adorandarum imaginum. Quasi verò, si de falso cultu agatur, non ante Simonis tempora, vituli aurei ab Hebræis, & simulachra hominum mortuorum à Gentilibus adorata fuerint. Sed Ecclesia Catholica non discit cultum rerum sacrarū ab hostibus suis, & si ex eo testimonio liceret colligere non esse Christi, & Sanctorum imagines venerandas, licebit eadē ratione colligere, ne ipsum quidem Christum vllo honore dignum esse, propterea siquidem impium erat, Simonis, & Helenæ imagines colere, quod Simon, & Helena indignissimi essent qui colerentur.

Sed ridicula planè sunt, quæ ex epist. 56. eiusdē August. ad Dioscorum testimonia desumpserunt, ridicula inquam si ad id, de quo agimus referantur. Quæ namque S. August. disputat de imaginibus, quæ à corporibus defluentes in animum penetrāt, vt per eas aliquid cernamus, vel cogitemus, ea proferunt isti ad probandum non esse Christi, & Sanctorū imagines depictas vel sculptas vllo modo colendas. Quæ quam bene cohæreant cum præsenti disputatione, lectoris esto iudicium.

Quid? quod plurima testimonia, quę Sūmus Pontifex Hadrianus in epistola illa sua doctissima pro imaginibus posuit, isti rursum allegant, qui contra imagines pugnant.

Quod verò dicunt, & nonnullis ēt testimonijs probare nituntur, non esse consuetudinem, vel annorum numerum, aut quamlibet vetustatis auctoritatē præferendam veritati: tunc rectè diceretur, si probari posset, cultum, quem Ecclesia Catholica imaginibus exhibet, ex manifesto errore, non ex certa veritate descendere. Sed cum de re aliqua litigatur, multum valere consuetudinem, & venerandam esse antiquitatē, nec ipsi quidem negare possunt, quorsum enim tantoperè laborarunt in euoluendis antiquitatis monumentis, si nullū probabile argumentum ex antiquitate peti pōt? nonne vident, se hoc suo facto contra sua verba pugnare? & re ipsa destruere, quod verbis astruere nitebantur? Certè si liceret testimonia S. Aug. S. Basilij, aliorumq; veterum Patrum in medium adferre, quibus ipsi ex antiqui-

antiquitate, vel Ecclesiæ consuetudine probant Ecclesiastica dogmata, nullus finis esset.

Sed quod superat omnem admirationem, illud est, quod multa testimonia proferũt pro adoratione Crucis, & cum rationem reddere volunt, cur signum, vel lignum Crucis adorandum sit, & imagines Christi nõ sint adorandæ, dicunt eam esse causam, quia Christus in Cruce suspensus fuit, non in imagine: & quia per Crucẽ nos redemit, non per imaginem. Quod si refellere voluero, timeo ne nimiæ tarditatis lectores existimare videar. Certè enim Christus non in signo Crucis, quod in pariete, vel in tabella, vel in fronte, vel in aere pingimus, suspensus fuit, neque etiã in ligneis illis Crucibus, quæ passim cernuntur, & adorantur in Ecclesijs; sed in illa vna Cruce, cuius ista nostra signa, quę pingimus, vel erigimus, imagines sunt. Cũ ergo liceat per aduersarios Crucis imaginem colere, cur imaginẽ Crucifixi colere non licebit? & si iure Crucis adoramus imaginem, qui per Crucem redempti sumus à Christo, quæ causa fingi potest, cur non iure coli possit imago Christi, qui propriè nos redemit?

At, inquiunt, *nihil manufactum colere fas est*. Quid igitur? Lignum vel signum Crucis non est manufactum? Codex Euangeliorum, & sacra vasa, quæ horũ opinione veneranda sunt, quid sunt aliud, nisi opera manuum humanarum? Et tamen verũ est, nihil manu factum esse colendum eo genere cultus, quo Deus ipse qui omnino non est factus, sed omnium rerum factor colendus est.

Quare poterant Collectores isti maximam partem testimoniorum quæ attulerunt, omittere, quoniam ijs nihil probatur aliud, nisi solum Deum esse colendum cultu latrię sibi vni proprio, & non esse imagines ita adorandas, vt etiam sacrificia illis offerantur, quæ neq; nos negamus, neq; Sancta Nicæna Synodus negauit.

Ac, vt videas, Lector, quantas vires veritas habeat, ipsi quoque qui eam oppugnant, non raro, vel inuiti, vel imprudentes eam tuentur. Id accidit Collectorib. nostris. Nam inter alia testimonia colligunt ẽt nonnulla, vt probent imagines non esse frangendas, vel iniuria afficiendas. Sed in ijsdem testimonijs non habetur solum quod ipsi volunt, imagines videlicet non esse afficiendas iniuria, sed habetur ẽt quod nolunt afficiendas honore, quod quidem isti Collectores aliquãdo viderunt, & textũ audacter corruperunt; aliquando non viderunt, & testimonium contra se in ipso suo libello imprudentes reliquerunt.

Prioris rei exemplum habes pag. 87. vbi allegatur Sanctus Greg. qui in epist. 5. lib. 7. ad Ianuarium reprehendit acriter nonnullos, qui B. Virginis Imaginem, & Crucem Dominicam contumeliæ causa ad Iudæorum Synagogam detulerunt: & mãdat Ianuario Episcopo, vt sublatam ex eo loco cum ea qua dignum est veneratione, imaginem, atque Crucem, in Ecclesiam referat. Hic boni Collectores nomen imaginis simpliciter deleuerunt, vel omiserunt, ne videretur contra eorum dogma non solum Crux, sed etiã imago B. Virginis veneranda, nisi fortè librariorum errore nomen imaginis sit omissum.

Iam verò pag. 91. adscribunt hæc verba ex epist. Synodica GREGORII Papæ; *Nos non ob aliud nomen imagines facimus, & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei, &c.* Audis ne Collector, vocabulum, (adoramus?) & tamen ab ipsis hoc testimonium prolatum est. Sed habemus clariora.

Paulò infrà ponuntur hæc verba ex lib. S. BASILII ad Amphilochiũ de Spiritu sancto, c. 17. *Imaginis honor ad primam formam transit, &c.* Ecce tibi rursus honorem imaginis. Sed ad clarissima veniamus.

Paulò post adferuntur hæc alia verba ex epist. eiusdem Magni BASILII ad Imperatorẽ Iulianum. *Credo in vnum Deum patrem omnipotẽtem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum vnum Deum, hæc tria adoro & glorifico. Confiteor autem & filii Incarnati dispensationem, & Dei genitricem, quæ secundum carnem eum genuit, Sanctam Mariam. Suscipio verò & Sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad Deũ deprecationem, quæ per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum, pro quo & figuras imaginum eorum honoro & adoro, specialiter hoc traditum est à Sanctis Apostolis, & non prohibitum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorũ designari vel historias, &c.* Quid audiuimus? S. Basilius Magnus ab aduersario aduocatur testis, & verè testis est omni exceptione maior. Is verò palã affirmat, se honorare, & adorare Apostolorũ, Prophetarum, & Martyrum imagines. Idque affirmat, dũ fidei suæ confessionem edit, ac de rebus non dubijs, aut verisimilibus, sed certissimis, & exploratis loquitur, addit verò id ab Apostolis traditum, & ab omni Ecclesia susceptum, & obseruatum. Quid quæso responderi potest? Auctor grauissimus, apertè loquitur, & eius testimonium ab aduersarijs profertur. Neque desunt alia testimonia similia in eodẽ libello, Athanasij, Germani, Leontij, & aliorum, quæ imprudẽter ab aduersarijs contra se, & pro nobis, hoc est, pro cultu sacrarũ imaginum proferuntur. Sed ego breuitati studeo, neque libenter in his refellendis ineptijs tempus tero.

CAPVT V.

SEQVITVR pars tertia, idest, Epistola Eugenij Papæ ad Michaelem, & Theophilum eius filiũ Imperatores, quam epistolam ijdem Collectores scripsisse videntur, neque enim Eugenius vllam talem epistolam scripsit; sed (vt suprà diximus) scripta fuit, vt nomine Pontificis mitteretur, si ipse probaret. In qua re cogimur desiderare prudentiam Collectorum, qua enim fronte Romano Pontifici præscribere ausi sunt, quod ipsum scribere oporteret? qua verò fiducia sperare potuerunt, Romanum Pontificem scripturum ad Græcum Imperatorem contraria ijs, quæ prædecessores eius non semel scripserant?

Sed videamus, si placet, paulò diligentius, an epistola illa Summum Pontificem deceat. Omitto aũt, quod in hoc libello epistola illa caret principio, quod peccatum non primo auctori, sed ei qui nunc demum post tot secula libellum hunc in lucem edidit, tribuendum videtur. Nihil etiam dico quod epistola verbosa est ad modum, obscura, barbara, imperita, detur enim hoc tempori, taceo denique, quod dum conatur tollere repugnantiam, quę in verbis S. Gregorij esse videbatur, tanto se magis inuoluit, quanto magis conatur euoluere.

Sed tria quædam tacitus præterire nõ possum. Primum enim facit hæc epistola Pontificem Summum, adulatorem Imperatoris impudentissimum, dum ita loquitur; *O venerandi Mundi Principes, cum vniuersa sancta Dei, quam Domino disponente, & committente gubernatis, Ecclesia.* Et infrà: *Propter adunandam, quam Domino Deo ordinante regitis, Ecclesiam.* Quæ sędior adulatio? Michael Balbus interfecto legitimo Imperatore, cum esset ipse pro sceleribus suis iam morti adiudicatus, tyrannicè inuasit Imperium, & Pontifex Maximus affirmabit, Deo disponente, committente, & ordinante hunc ipsum Balbum gubernacula suscepisse non solum Imperij, sed etiam ecclesiæ, & si ecclesia Dei ab ipso Deo gubernãda Imperatori tradita est, quid faciunt in ecclesia Episcopi? quid ipse Summus Pontifex? *Imperator* (inquit S. AMBROSIVS) *in Ecclesia est, non supra ecclesiam, filius ecclesiæ, non Rector; ouis, non pastor.* Et S. Ioan. CHRYSOSTOMVS Diacono suo dixit: *Si is qui diademate coronatur, indignè adeat ad sacra mysteria percipienda, cohibe & coerce, maiorem tu illo habes potestatem.*

Deinde, in eadem epistola non semel repetitur hoc

argumentum; *Si nulla vnquam picta, vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide, spe, & charitate, quibus ad regnum peruenitur æternum:* Et tamen propter imagines orta est dissensio, & diuisio in ecclesia, turbata pax charitas violata. Et non animaduertunt, qui eam epistolam nomine Summi Pontificis scribunt, eo argumento nó solum effici quod ipsi volunt, imagines non esse adorandas; sed etiam effici (si quid tamen efficitur, quod mox videbimus) imagines omnino de medio esse tollendas, quod ipsi nolunt. Nec tamen argumentum illud aliquid valet.

Quamuis enim nihil periret de fide, spe, & charitate, si nulla picta, vel ficta esset imago, tamen quando picta, vel ficta est, peccat in fidem, qui eam negat esse venerandam, quoniam honor imaginis ad prototypū refertur, quod venerandum esse fides docet, & aduersarius non negat. Et potest hoc ipsum similitudine illustrari, si libellus aliquis diuinæ Scripturæ, vt epistola ad Philemonem, non extaret, nihil deperiret de fide, spe & charitate: & tamen quia nunc extat, qui eam negaret esse cum veneratione suscipiendam, peccaret in fidem, & si propterea dissensiones orirentur, non esset epistola abijcienda, sed imperitia dissidentiū coarguenda, & instruenda.

Postremò in eadem illa epistola reprehenditur Constantinus & mater eius Hirene, quod edicto suo iusserit sacras imagines iuxta Concilij generalis decretum, cum veneratione esse habendas. Quæ sanè reprehensio à Summo Pontifice, nisi planè amente, scribi non potuit, quid enim? Hadrianus Papa Constantinum, & Hirenam summis laudibus effert, quod sacrarum imaginum religioso cultui faueant: & Hadriani successor Eugenius eosdem Imperatores ob causam eandem reprehendet? & quæ maior stultitia fingi potest, quā vt Summus Pontifex molestè ferre se dicat, quod ab Imperatore decreta Conciliorum generalium à sede Apostolica approbata seruentur, ac defendantur?

Sed si parum prudentes Collectores fuerunt, non fuit inconstans Apostolicæ sedis Antistes, permansit enim in ijs, quæ prædecessores non sine magna deliberationis maturitate statuerant. Nam neque Eugenius eam epistolam misit: & paulò post Hadrianus II. Synodum Oecumenicam OCTAVAM Constantinopoli celebrādam curauit, in qua Synodus VII. de cultu imaginum iterum approbata est. Deniq; ANASTASIVS Bibliothecarius Romanus in præfatione septimæ Synodi ad Ioannem VIII. Pontificem, qui Hadriano II. proximè successerat, scribit, in eadem sententia fuisse omnes Romanos Pontifices. *Quæ*, inquit, *super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hac & Apostolica vestra Sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & vniuersalis ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus vtique nondum est horum veritas reuelata.*

CAPVT VI.

RESTAT pars vltima, hoc est, epistola Ludouici Imperatoris ad Eugenium Pontificem, & altera eiusdem Ludouici ad Hieremiā, & Ionam Episcopos. In quibus nihil obseruandum occurrit, nisi quod in eis quædam dicuntur, quæ redolere videntur fraudes recentium hæreticorum. Vnde venit in mentem suspicari, ne fortè vel totus hic libellus sit confictus, vel, quod est credibilius, deprauatus, & auctus ad inuidiam Romanæ ecclesiæ conciliandam.

Sed siue sit verus liber siue confictus, siue partim sincerus, partim adulterinus: illud vnum constat, non esse librum dignum, in quo legendo tempus conteratur. Titulus falsus, dictio barbara, sententiæ insulsæ, ordo peruersus, eorundem testimoniorum crebra repetitio, facilè potuissent persuadere Typographo, si is commune commodum, & non proprium lucrum spectasset, vt sibi ab edendo eiusmodi opere temperaret.

LIBER TERTIVS,

DE IIS REBVS,

QVIBVS SVPERNA HIERVSALEM

Ab Ecclesia in terris Peregrinante colitur.

ETSI *sequentes quæstiones de templis, votis, peregrinationibus, festis, & vigilijs, quæ fiunt in honorem Dei, & Sanctorum, non solùm ad hunc locum, sed etiam ad multa alia pertinere possunt: visum est tamen hoc loco eas integrè disputare; tum quia disputationes ita coniunctæ sunt, vt non facilè inter se disiungi possint; tum etiam, quia id quod non est proprium huius loci, hinc peti poterit, cùm alibi oportunitas de ea re disputandi dabitur. Excipio tamen vota, de quibus hoc loco non nisi breuissimè disseritur, quia iam alibi res tractata est.*

Vt igitur à templis ordiamur, septem erunt partes huius disputationis. PRIMVM *enim explicabimus, quæ fuerint hæreses de hac re. II. An sint templa erigenda. III. Qua forma. IV. Quos ob fines. V. De consecratione templorum, & dedicatione. VI. De ornatu eorundem. VII. De ijs, quæ in templis benedicuntur, vt aqua, oleo, cereis, palmis, &c.*

CAPVT PRIMVM.

De erroribus circa templa.

DVo genera hostium habuerunt Dei templa. Vnum eorum, qui re ipsa templa euertebant; non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis. Aliud eorum, qui templa ipsa, vel eorũ aliquid oderant tanquam malum. Primi generis fuerunt Nabuchodonosor, Antiochus, Pompeius, Cassius, Titus, qui templum Salomonis, vel incenderunt, vel profanarunt, non odio templi, sed gentis. Vide 4. Reg. vlt. 1. Machab. 10. Iosephum, lib. 14. Antiquitatis, & lib. 7. de bello Iudaico. Cornelium Tacitum, lib. 21. & August. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 45.

Christianorum Ecclesias Diocletianus iussit omnes solo æquari, non odio templorum, sed religionis Christianæ. Euseb. lib. 8. hist. c. 2. Idem facere voluisse Iulianum scribit Hieronymus epistola ad Riparium.

Ariani quoque, & Donatistę templa Catholicorum profanabant, & spoliabant, non odio templi, sed religionis. Vide Athanasium in Apologia pro fuga sua; & Theodoretum, lib. 4. hist. cap. 19. & 20. & Optatum lib. 6. contra Parmen.

Ad aliud genus pertinent in primis Manichæi; nam Faustus apud Augustinum, lib. 20. cap. 3. & 4. obijcit Catholicis, quod haberent templa, & altaria more Gẽtium, & Iudæorum. Manichæos sequuti Messaliani templa omnia, & altaria execrabantur, & solùm in suis domibus orare volebant Deum, vt Damascenus refert lib. de centum hæresibus. Eodem ferè tempore Eustathius templa omnia, & præcipuè Martyrum detestabatur, teste Socrate, lib. 2. hist. cap. 33. & in priuatis domibus conuenticula fieri volebat.

Petrobrusiani templa destruebant, nouasque templorum fabricas irridebant. Auctor Cluniacensis in epistola contra Petrobrusianos, & auctor vitæ B. Bernardi, lib. 3. cap. 5. Idem docuerunt postea Albigenses, vt Bernardus Lutzemburgensis in Catalogo refert. idẽ docuerunt Vvaldenses apud Claudium Caussordium libro contra Vvaldenses, cap. 6. idem Vviclefistæ apud Thomam Vvaldensem, to. 3. tit. 17. & 22. idem Taboritæ apud Aeneam Syluium de origine Boemorum, cap. 35. Idem Anabaptistæ Transsyluani in antithesibus Christi veri, & Christi falsi, editis Albæ Iuliæ anno M. D. LXVIII.

Porro Lutherani, & Caluinistæ admittunt templa, sed solùm ad concionandũ, & Sacramenta ministranda; reprehendunt autem quod fiant templa ad orandum, quod in honorem Sanctorum, quòd consecrentur certo ritu, quòd magnis sumptibus ornentur. Nam Magdeburgenses Cent. 4. cap. 6. col. 407. & seq. multa dicunt contra ritus consecrandi Ecclesias. & in præfat. Cent. 6. reprehendunt Catholicos, quod ingentibus sumptibus fabricent Ecclesias, easque in Martyrum honorem.

Ioannes Caluinus præfat. Instit. reprehendit ornatũ templorum ex auro, argento, serico, lapidibus preciosis, &c. & lib. 1. c. 11. §. 13. ornamenta templorum solũ esse vellet concionem, & Sacramenta, lib. 3. c. 20. §. 30. dicit, templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed non esse putandum vllam inesse templo sanctitatem. vbi apertè indicat, priuatas preces non fieri vllo modo melius in tẽplo, quàm alibi.

CA-

CAPVT II.

An templa sint erigenda.

QVI templa simpliciter erigi nolunt, nihil pro se afferre possunt, nisi Scripturas illas, quę Deum dicunt non habitare in locis manufactis, vt Matth.5. *Cælum Dei sedes est, terra autem scabellum pedum eius.* Et Act.7. *Sed excelsus non in manufactis templis habitat.* Et Act.17. *Neo in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur.* Hinc enim Manichæi, (vt testatur Aug. lib. contra Adimantum, c.10.) probabant Deum Testamenti veteris, qui iusserat sibi ædificari tabernaculum, & templum, non esse verum Deum, sed malum principium, & pugnare cum Deo Testamenti noui. Sed refelluntur elegantissimè ibidem ab August. nam Manichæi dicebant, Deũ Testamenti veteris voluisse templa: Deum Testamenti noui non voluisse.

At è contrario legimus in Testamento veteri, Is.66. dicentem Deum: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, et quam domum ædificabitis mihi?* Et contra in Testamento nouo, Ioan.2. dicentem Christum de templo manufacto: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Et Matth.21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Deus igitur vnus, & idem in vtroque Testamento approbat templa, in quibus adoretur, & non approbat tẽpla, quibus putetur includi: quomodo idola, ideſt, Dij gentiũ verè in templis continebantur, nec inde poterãt exire, nisi qui eos affixerant parietibus, inde detrahere, & asportare vellent. sed de hoc plura in cap.4.

CAPVT III.

De forma.

DE forma Ecclesiarum Christianorũ non est quod multa dicamus, cùm adhuc antiquissimę Ecclesię visantur. Duo tamen notanda sunt. VNVM, ad similitudinem templi Salomonis, in quo erat atrium, sancta & sancta Sanctorũ, Ecclesias ferè omnes habuisse tres partes. Primo porticus ante ingressum in templum, quem locum Græci πρόναον, nostri vestibulum dicunt: vbi manebant pœnitentes. Deinde erat νάος, ideſt, templum, siue nauis. Vltimo βῆμα, siue ἱερατεῖον, hoc est, sacrarium, siue sanctuarium, siue adyta, quę erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque diuisa erat à reliquo templo gradibus, cancellis, & velis, siue aulęis; neque eò penetrabant alij, quàm sacerdotes cum suis ministris clericis.

Præter has templi partes erat etiam domuncula annexa templo, quæ dicebatur ædicula salutatoria, vbi sedebat Episcopus, cùm se pararet ad sacra faciẽda. Vide Euseb. lib.3. de vita Constantini, vbi describit templũ, quod Hierosolymis ad sanctum sepulchrum Constantinus extruxit: item Theod. lib.4. hist. c.20. vbi meminit sacratij aulæis separati à reliquo templo, quò introduxit Basilius Valentem Imperatorem: ita lib.5. c.17. vbi meminit tam sacrarij, quàm ædiculæ salutatoriæ. Vide etiam Hieronymum in epistola de obitu Nepotiani, August. lib.22. de Ciuit. Dei, c.8. in fi. & Vvalfridum Strabonem, lib. de rebus Ecclesiast. c.4. & 6.

ALTERVM est Ecclesias Christianorum, vt plurimum ad Orientem conuersas fuisse, & quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes aspicerent, exceptis quibusdam, quę propter loci commoditatem aliter constitutæ sunt: id partim experientia constat: partim etiam testimonijs veterum. Nam Tertull. lib. contra Valentinianos non procul ab initio, dicit, Ecclesias Christianorum Orientem amare solitas. Vvalfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. c.4. dicit, maiorem partem Ecclesiarũ ita fabricari, vt qui in eis orant, Orientem respiciant. idem Paulinus epist.12.

A Idem testantur Iustinus q.118. Epiphan. hæresi 19. quæ est Ossenorum; Origenes hom.5. in Num. Basil. lib. de Spiritu S. c.27. Gregor. Nissen. orat.5. de oratione Dominica; August. lib.2. de serm. Domini in mõte, cap.5. Germanus in lib. de Theoria rerum sacrarum; Ioannes Damascenus, lib.4. de fide, c.13. & omnes illi veteres, qui scribunt Apostolicam esse traditionem, vt oremus conuersi ad Orientẽ. id enim præcipuè seruari par est in solẽnibus precibus, quæ funduntur in tẽplis.

Rationes autem huius cæremoniæ sunt quinque. PRIMA, quia ad Orientem erat Paradisus, Gen.2. secundum versionem LXX. vbi enim habet vulgata editio: *Plantauerat Deus Paradisum à principio*, Græca habet, ἐφύτευσεν παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς, & certè verbum Hebræum קדם vtroque modo rectè verti
B potuit, significat enim Ante, & Oriẽtem, quæ est pars mundi anterior. Vnde etiam noster interpres, Gen.4. vertit idem nomen, ad Orientalem plagam. Oramus igitur conuersi ad Orientem, quia profitemur nos peregrinos, & ad patriam nostram, vnde eiecti sumus, suspiramus. ita Gregorius Nyssenus.

SECVNDA ratio est, quia ab Oriente cęlum surgere, & moueri incipit, estque propterea pars illa totius mundi corporalis excellentissima. Ideò autem orantes conuertimus faciem corporalem ad corpus excellentissimum, tum, vt ait Iustinus, quia Deo sunt danda semper meliora, tum etiam, vt admoneamur conuertere faciem spiritualem animæ ad spiritum excellentissimum, qui est Deus. ita B. August.

TERTIA ratio est, quia Christus, quem oramus, est
C lux mundi, Ioan.8. *Et vir Oriens nomen eius*, Zach.6. vt igitur significemus, nos in oratione illustrari à Christo sole iustitiæ, sicut illustrantur à sole corporeo, qui ad Orientem respiciunt; ideò hac cæremonia vtimur. ita Vvalfridus.

QVARTA ratio est: quia Dominus ipse moriens in cruce, Occidentem respiciebat, nos ad Orientem oramus, vt quasi in faciem crucifixi intueamur: & quia ipse *ascendit in cælum cælorum ad Orientem*, Psalm.67. nos ad Orientem conuertimur, vt quasi eum ascẽdentem votis, ac precibus deducamus: ac demũ, quia ipse ab Oriente venturus creditur ad iudicium, Matth.24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus filii hominis:* nos ad Orientem
D precamur, quasi venturum iudicem expectantes. ita Damascenus.

Possumus addere QVINTAM rationem, quia Iudęi orabant, & orant ad Occidentem, vt patet Exo.26. vbi dicitur, ostium tabernaculi ad Oriẽtem versum fuisse, & Ezech.8. vbi dicitur: *Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum solis.* Reprehendit enim Scriptura quosdam, qui contra ritum eius temporis adorabant ad Orientem. Nos igitur ad Orientem respicimus dum Iudæi respiciunt ad occidentem, vt significemus, eorum esse literam occidentem, nostrũ autem spiritum viuificantem: & velamen adhuc manere super cor eorum, nos autem conuersos ad Dominum depositum esse velamen.

E

CAPVT IV.

De fine.

QVATVOR ob fines eriguntur sacræ ædes, vnde etiam quatuor nomina sortiuntur. PRIMO, ad sacrificandum Deo, & hinc dicuntur templa. SECVNDO, ad orandum, & hinc dicuntur oratoria. TERTIO, ad Martyrum reliquias honorificè conseruandas, & hinc dicuntur Basilicæ, seu Memoriæ, seu Martyria. QVARTO, ad populum verbo Dei, & Sacramentis pascendum, & hinc dicuntur Ecclesiæ.

Ex

Ex his finibus solum quartum agnoscunt Lutherani, & Caluinistæ: Anabaptistæ autem, & Vvaldenses ne illum quidem. Nam quod non debeant in nouo Testamento erigi templa ad sacrificia, constanter asserunt omnes huius temporis hæretici, & probant omnibus illis argumentis, quibus probare solent non esse in Ecclesia vllum externum sacrificium, vel sacerdotium. quæ argumenta non sunt huius loci.

Vnum inuenit Augustinus Marloratus, quod directè obijceret contra templa, nimirum illud Apocal. 21. *Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus templū illius est.* Vbi de Ecclesia agitur, vt patet ex sequētibus. *Ambulabūt gentes in lumine eius, et Reges adferent splendorem suum in illam.* Quæ verba mutuatur Ioannes ab Isaia, cap. 60. Isaiam autem certum est de Ecclesia ista militante loqui, & confirmatur argumētum ex eo, quod Deus voluit euerti templum Salomonis, quod ad sacrificia erectum fuerat. potest etiam confirmari ex Patrib. Patres enim ordinariè à vocabulo templi abstinent, cùm de Ecclesijs Christianorum loquuntur; imò etiam eas templis opponunt, vt Hieronymus, qui in epist. ad Riparium dicit, Iulianum Christi Ecclesias, aut euertisse, aut in templa conuertisse. Et Cœcilius apud Minutium Felicem obijcit Christianis, quod tāquam athei nulla haberent templa, vel altaria. & Optatus, lib. 6. *Quis nostrum*, inquit, *intrauit templum*?

Quòd autem ad orandum Ecclesiæ institui debeāt, quasi melius sit in vno loco orare, quam in alio, negant omnes huius temporis hæretici, & probant assertionē suam; PRIMO, ex illis verbis, Matth. 6. *Tu autem cum orabueris, intra in cubiculum tuum, &c.* SECVNDO, ex illis Ioan. 4. *Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Spiritus est Deus, & qui eum adorant, in spiritu, & veritate adorare oportet.* Non ergo oratio obliganda est certo loco. TERTIO, ex Paulo 1. Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.* QVARTO, Deus non est magis in templo, quàm alibi: *Non enim in templis manufactis habitat, sed cœlum, & terram implet.* Ergo vbique ex æquo adorari, & inuocari potest.

Quòd verò non sint templa Sanctis erigenda, probant, quia est manifesta idololatria; nam ad latriæ cultum pertinere templa, S. AVGVSTINVS docet libro contra sermonem Arianorum, cap. 20. vbi probat Spiritum sanctum esse Deum, quia Apostolus dicit, 1. Corin. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti. Si legitur*, inquit, *Ariani templum Salomonis ex lignis, & lapidibus Spiritui sancto erectum, non negarent illum esse Deum, cum templi constitutio ad latriæ cultum pertineat: Quomodo ergo negāt Spiritum sanctum esse Deum, cùm templum habeat longè nobilius?* Vnde idem Augustin. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. vlt. dicit: *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorū nobis est Deus.* Item lib. 1. contra Maximinum argum. 11. de Spiritu sancto, sic ait Augustinus. *Nonne si alicui sancto Angelo excellentissimo de lignis, & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutē, quæ vni tantum debetur Deo?* Hic autem ad marginem notauit Erasmus: *Hoc nunc fit quibuslibet Diuis.*

Quod denique non sint Ecclesiæ erigendæ ad conciones, & Sacramenta, non aliter probant Anabaptistæ, nisi exemplo Christi, qui concionabatur, nunc in montibus, nunc in desertis, nunc in mari ex nauicula, nunc in priuatis ædibus. Baptismum dabat in fluminibus; Eucharistiā instituit in priuata, & profana domo.

Vt igitur hæc omnia ordine refellantur, sit PRIMA propositio. *Recte instituuntur certa loca, in quibus verbum Dei, & Sacramenta populo ministrentur.* Hæc est contra Eustathium, Vvaldenses, & Anabaptistas, & eorum similes.

A Probatur PRIMO, exemplo Christi, & Apostolorum, qui etsi interdum data occasione in varijs locis verbum Dei seminarent, tamen ordinariè in templo, vel synagogis, quæ erant eius temporis Ecclesiæ, id faciebant. Matth. 26. Dominus sic ait: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Et Ioan. 18. *Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniūt, & in occulto loquutus sum nihil.* Item Act. 5. Angelus educens Apostolos de carcere, dicit illis: *Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ huius; qui cùm audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.* Act. 13. Paulus, & Barnabas missi ad prædicandum, primum intrant in synagogam, & ibi prædicant.

B SECVNDO, probatur exemplo primorum Christianorum; nam quòd primi Christiani habuerint Ecclesias à priuatis domibus distinctas, patet ex epist. 1. ad Corin. 11. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* Et quod ista Ecclesia non esset priuata domus, patet ex sequentibus: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Et rursus: *Si quis esurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Et cap. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.*

Idem confirmatur ex antiquissimis Patribus; nam CLEMENS libro 10. recognitionum. circa finem, refert Antiochiæ Petro prædicante conuersam fuisse Theophili domum in Ecclesiam, ibique Petro cathedram constitutam, vnde doceret populum. PHILO in libro
C de vita theorica supplicum, quem citat Eusebius, lib. 2. hist. cap. 17. scribit, primos Christianos in omnibus locis constituisse ædes sacras ad mysteria celebranda, & sacros libros legendos. IVSTINVS in Apolog. 1. ad finem, dicit Christianos die Dominico in vnum certum locum omnes conuenire ad verbum Dei, & Eucharistiæ communicationem.

TERTVLLIANVS antiquissimus Latinorum libro contra Valentinianos, non procul ab initio expressè meminit sacræ ædis ad quam Christiani conueniebāt. CYPRIANVS sermone de eleemosynis arguens mulieres opulentas, quæ in Ecclesiam sine oblatione veniebant. *In Dominicum*, inquit, *sine sacrificio venis, & partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* Vbi Dominicum Ecclesiam vocat, quia domus illa sacra,
D Domini palatium est.

GREGORIVS Neocæsarienſis Cypriani æqualis cū Ecclesiam extruere vellet, nec satis loci haberet propter vicinam quādam rupem, eam rupem precibus suis loco mouit, vt refert Eusebius, lib. 7. histor. cap. 25. qui etiam cap. 26. scribit Catholicos cum Paulo Samosateno de sacra æde apud Aurelianum Imperatorem contendisse. nec refert, vtrum narrationem istam de miraculis Gregorij Eusebius scripserit, an Ruffinus, qui Eusebium Latinum fecit, addiderit; vterque enim est antiquus auctor.

TERTIO, probatur ratione; nam populus Christianus debet aliquando necessariò conuenire ad res sacras: nec enim concio potest fieri ad singulos seorsim, nec etiam celebratio Eucharistiæ: & etiamsi posset,
E non expediret tamen, quia conuentus hominum vtilissimus est ad alendam animorum vnionem: igitur necesse est, vt aliquis certus locus cōstituatur, vbi eiusmodi conuentus fiant.

Præterea si habemus certa loca ad alia ministeria, vt ad iudicia, ad conuiuia, ad somnum, &c. cur nō etiam ad res sacras? Neque exemplum Domini contrarium ostendit. Nam viuente Domino nondum erat Ecclesia noui Testamenti constituta, sed tunc colligebatur, & constituebatur, & ideò non mirum, si non habuerit propria loca sacra. At postquā Christiani cęperunt esse populus aliquis, mox habuerunt Eccles. vt ostēsum est.

SECVNDA propositio. *Ecclesiæ Christianorum ad sacrificia offerenda institutæ sunt, & ideo vere & propriè templa appellari possunt.* Probari posset primò, omnibus argumentis, quæ probant Eucharistiam esse sacrificium. Sed hæc, vt dixi, ad alium locum pertinent.

PROBATVR igitur hoc modo; Ecclesiæ Christianorum semper habuerunt altaria, ergo semper vera tẽpla fuerunt; nam templum nihil est aliud, quàm locus altaris, & præterea magis indicat sacrificij ritum altare, quàm templum; nam sine altari non potest sacrificari, sine templo potest; quare si, vt excludant sacrificia, hæretici negant templa, multò magis deberent negare altaria, sed altaria nullo modo negare possunt, vt patet ex illo 1. Cor. 10. *Non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum participes esse.* Vbi Apostolus opponit mensam Eucharistiæ mensis Idolothytorum, mensæ autem Idolothytorum erant vera altaria. Vnde Ambrosius exponit mensæ Domini, ideſt, altaria. Item ex illo Hebr. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Quem locum aduersarij intelligunt de altari crucis, quasi dicat Apostolus, habemus Christi passionem, qua frui non possunt, qui adhuc in eius figura celebranda occupantur. At Patres intelligunt de sacrificio Eucharistiæ. Nam Theophyl. dicit, hic agi de incruento sacrificio; idem dicunt Chrysost. Sedulius, Theodor. Oecumenius.

ACCEDIT traditio omnium Patrum. nullus ferè est veterum, qui non meminerit altaris Ecclesiæ. Canon 3. Apostolorum, Dionysius, cap. 3. Eccles. hierar. Irenæus, lib. 4. cap. 34. Athanasius in vita B. Antonij, & in Apologia pro fuga sua, Tertullianus libro de pœnitentia, Optatus lib. 6. contra Parmenianum, Hieronymus in epitaphio Neapolitani, Augustinus epist. 50. & alij omnes sæpè altaris mentionem faciunt, vbi de Ecclesijs loquuntur.

TERTIO, probatur testimonijs Patrum, qui nomine templi vtuntur. Nam in primis Græci passim vtuntur hoc nomine, vt Eusebius lib. 3. de vita Constantini, Basilius in Psal. 114. Nazianzenus oratione in Gorgoniam sororem; Nyssenus oratione in Theodoretũ; Chrysost. homil. 51. in Matth. & alij; nec Latini ab hac voce omnino abhorent; nam LACTANTIVS in carmine de passione Domini, ait:

Quisquis ades, mediúq; subis in limina templi,
Siste parum, &c.

Et Saluianus, lib. 4. de prouidentia: *Ecclesia*, inquit, *vel potius templum.*

B. AMBROSIVS, lib. 2. de officijs, cap. 21. *Et maximè*, inquit, *sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* Et cap. 28. *Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humanis fidelium reliquiis, spatia laxata sunt.*

HIERONYMVS in cap. 7. Hierem. Ecclesiam vocat templum. & B. AVGVSTINVS, lib. 8. Ciu. Dei, cap. vlt. cùm dicit: *Nec nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* Apertè indicat, Deo ista omnia constitui. vnde infrà addit: *Non autem ista esse sacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum.*

Ex his ad PRIMAM obiectionem respõdeo, in c. 11. Apocalyp. agi de Ecclesia triumphante. Vbi non erit templum, quia tunc cessabunt oblationes, & preces, & Sacramenta, propter quæ templa eriguntur. ita enim exponunt omnes probati auctores, Primasius, Beda, Oecumenius, Richardus, Rupertus, Anselmus, necnon Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 17. vbi dicit impudẽtiæ nimię sibi videri, si quis istum locum Apocalypsis exponere velit de præsenti Ecclesia.

Ex quo intelligimus non esse August. expositionem Apocal. quæ habetur to. 9. operum eius vbi de Ecclesia huius temporis eum locum intelligere videtur. Et ipse contextus hoc declarat; nam in cap. 20. describitur iudicium, & damnatio impiorum, & concluditur caput illis verbis: *Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum, & infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. hæc est mors secunda. & qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Deinde sequitur, cap. 21. de gloria beatorum: *Et vidi*, inquit, *cœlum nouum, & terram nouã, &c.* Præterea paulò post illa verba: (*Et templum non vidi in ea*) subiungitur, *non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Quod certè non potest intelligi de Ecclesia huius temporis, in quam multi intrant, immundi, & coinquinati. vt patet ex parabola de *sagena missa in mare, & ex omni genere piscium congregante*, Matth. 13.

RESPONDENT, Scripturam loqui de Ecclesia interna, & prædestinata, quæ solũ admittit iustos. AT CONTRA; nam secundum ipsorum principia, quantumuis aliquis sit prædestinatus, & fidelis, semper tamen est immundus, & in omni opere peccat. peccatum enim non tollitur in hoc mundo per Baptismum, vt ipsi dicunt, aut fidem, sed solùm non imputatur. nec possunt dicere hic vocari incoinquinatos eos, quibus Deus nõ imputat peccata; nam Ioannes addit, aut abominationem faciens, & mendacium. Quæro igitur, aut Lutherani fideles, & prædestinati abominationẽ faciunt, & mendacium, aut non faciunt; si faciunt, ergo non sunt in Ecclesia; si non faciunt, ergo non peccant in omni opere suo. Fateantur ergo necesse est, Ioannem loqui de Ecclesia cęlesti, in qua nulli erunt, qui abominationem, & mendacium faciunt.

Ad probationem ex Isaia Hieronymus in eum locum tres indicat expositiones; vnam Iudæorum, & Hæreticorum Chiliastarum, qui omnia verba Isaiæ in illo cap. 60. referebant ad felicitatem mille annorum, quam se habituros putant cũ Christo hic in terris post resurrectionem; alteram Catholicorum, qui omnia intelligebant de Ecclesia triumphante; tertiam aliorũ Catholicorum, qui omnia intelligebant spiritualiter de Ecclesia huius temporis.

LYRANVS duas alias adfert; vnam quorundam, qui ea omnia intelligunt de felicitate Iudæorum post reditum ex Babylone; alteram suam, quòd intelligantur omnia de Ecclesia, sed non omnia de eodem statu Ecclesiæ; sed prima pars capitis intelligatur de Ecclesia secundum statum huius vitæ; secunda de Ecclesia secundum statum vitæ futuræ.

PRIMA expositio hæretica est, & fabulosa, & millies à Patribus exposa. SECVNDA probabilis est, & secundum eam nulla est in argumento nostro difficultas. QVARTA falsissima est, & rectè à Lyrano refellitur. QVINTA probabilis est, & secundum eam argumentum non habet difficultatem. TERTIA est maximè probabilis, & eam sequuntur Hieronymus ipse, & post eum Cyrillus in hunc locum. & secudum eam ad argumentum respondemus, ea quæ ad literam intelliguntur de Ecclesia militante, à Ioanne in Apocalypsi per anagogem intelligi de Ecclesia triumphante; id enim Apostoli sępissime fecerunt. vt illud, *Ex Aegypto vocaui filium meum*, Oseę 11. quod ad literam de filijs Israel intelligitur, Matth. cap. 2. in sensu allegorico de Christo intellexit. & quod de Agno Paschali ad literam dixerat Moyses, Exo. 12. *Os non confringetis ex eo*: allegoricè intellexit Ioannes de Christo, Ioan. 19. neque hoc repugnat Hieronymo; ipse enim ad finem cap. 60. dicit, gloriam Ecclesiæ, quæ describitur illo capite, impleri quidem in hoc seculo aliquando, sed plenius implendam in futuro.

Ad confirmationem PRIMAM dico, Deum voluisse, vt templum Salomonis euerteretur, vt intelligeremus, statum veteris Testamenti iam cessasse, non quòd ei templorum ædificatio displiceret.

Ad

Ad testimonia Patrum dico, primos Christianos, propter recentem memoriam sacerdotij Aaronici, abstinuisse non solùm à vocabulo templi, sed etiam sacerdotij, ne videretur adhuc durare Iudaicæ cæremoniæ. Itaque Apostoli in suis epistolis pro sacerdotibus Episcopos, & Presbyteros; pro templis Ecclesias dicunt: & similiter loquuntur Iustinus, Ignatius, & cæteri antiquissimi Patres.

Deinde tempore Tertulliani iam satis perspecta differentia inter Christianos, & Iudæos, cęperunt Christiani Presbyteros, & Episcopos nominare sacerdotes, vt patet ex Tertulliano libro de velandis virginibus; libro de monogamia, & alibi; & ex Cypriano in omnibus ferè epistolis; & ex sequentibus omnibus Patribus, adhuc tamen abstinebant à vocabulo templi, quia mundus plenus erat templis idolorum, & vsus loquēdi obtinuerat, vt nomine templi intelligeretur locus consecratus ad sacrificia cruenta; & in hoc sensu Octauius apud Minutium Felicem, Optatus, & Hieronymus negant Christianos habere templa.

DICES; At Octauius obiectioni Cecilij, quod Christiani non haberent templa, aras, sacrificia, respondit, ideò Christianos non erigere templa, quod sciant Deū non posse capi vllo loco; & ideò non sacrificare, quod sciāt Deum nulla re indigere; & seipsos loco templorū constituere, & sacrificare iustitiam, pietatem, aliasque virtutes: vbi videtur simpliciter admittere Christianos nulla tunc habuisse templa, vel altaria, vel sacrificia.

RESPONDEO, Octauium noluisse Sāctum dare canibus; & quia non videbat Cecilium capacē mysterij Eucharistiæ, quod est vnicum Christianorū sacrificiū, maluisse hoc tacere, & ad mentē aduersarij respōdere, qui de sacrificijs cruentis loquebatur. Nam ꝙ ante Minutij tēpora Christiani altaria, & sacrificia, & proinde etiam templa habuerint, patet ex Irenæo, & Tertulliano iam citatis; vterque enim Minutio antiquior est.

TERTIA propositio. *Ecclesiæ Christianorum rectè ad orandum, etiam priuata oratione, instituūtur.* Probatur PRIMO, Scripturę testimonijs; nam 3. Reg. 8. & 2. Paralip. 6. Salomon affirmat tēplum factū esse, vt sit locus orationis, & petit à Deo, vt quicunq; ibi orauerit, exaudiatur, 3. Reg. 9. Deus apparēs Salomoni pollicetur ita futurum, vt ille petierat. At si esset superstitio orare in templo potiùs, quàm alibi, neque Salomō ad hunc finē instituisset templum, neque Deus approbasset factum eius; superstitio enim nunquam fuit licita. Præterea Isa. 56. dr, domus mea domus orationis vocabitur. & cōfirmat hoc ipsum Dns, Matth. 21. Neque obstat verbum Domini: *Intra in cubiculum tuum*; vel, *venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis, &c.* Nam post illa omnia Dominus dixit de templo Salomonis: *Domus mea, domus orationis vocabitur.*

SECVNDO, probatur exēplis Scripturarū, 1. Reg. 1. Anna precatura Dominum ad tabernaculum accedit, vbi erat arca, ibique orās exaudita est, 2. Reg. 7. Dauid similiter precaturus perrexit ad tabernaculum, & corā arca Domini orare cępit. at certè nisi putasset, ibi Dominum magis esse præsentē, & facilius orationē exaudiri, domi suæ mansisset. idem etiam Dauid, vt habetur 1. Paralip. c. 21. voluit ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peste à populo, sed nō prævaluit nimio timore perterritus, ideò in ipsa Hierusalem extruxit altare. Daniel oraturus, quia non poterat ingredi templum, in Babylone existens captiuus, saltem aperta fenestra orabat ad eam partem conuersus, vbi fuerat tēplum Domini, Dan. 6. Luc. 2. Anna filia Phanuelis, *non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.* Luc. 18. Publicanus in templo orans iustificatur. Act. 3. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nouam. Act. 8. Eunuchus Reginæ Aethiopum venerat adorare in Hierusalem.

A TERTIO, probatur ex Patrib. ORIGENES hom. 2. in Exodum, Ecclesias Christianas domos orationis vocat. TERTVLLIANVS in Apolog. c. 39. dicit, in Ecclesiā conueniri primò ad orationē. Secundò ad lectionem. Tertiò ad exhortationem. &c. EVSEBIVS, lib. 2. hist. c. 17. ex Philone dicit, in singulis locis primorum Christianorum fuisse sacras ædes consecratas orationi.

CHRYSOSTOMVS hom. 30. contra Anomęos: *Orare*, inquiunt, *vel domi possumus; te, homo, decipis, & magno in errore versaris; nam etsi domi quoque datur orādi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quam in Ecclesia.* Idem repetit hom. 79. ad populum.

BASILIVS, lib. 2. de Baptismo, quæst. 8. dicit, locum non parum referre ad orandum, & soluit duo argumenta ab aduersarijs nobis obiecta ex Ioan. 4. & 1. Ti-
B moth. 2. & in quæstionibus fusè explicatis, quæst. 40. dicit, ad Ecclesias non oportere accedere propter negotia secularia, sed causa orationis.

AMBROSIVS in oratione de tradendis basilicis dicit, se quotidie solitum ire ad Martyres, idest, ad basilicas Martyrum orationis gratia. HIERONYMVS in Epitaphio Marcellæ: *Apostolorum*, inquit, *& Martyrum basilicas secretis celebrabat orationibus.* RVFFINVS lib. 2. hist. c. 33. de Theodosio scribit: *Circuibat omnia orationum loca.* Augustl. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. meminit multorum, qui in basilicis orantes miracula impetrarunt. & ibidem dicit, se cum alijs collegis suis quandam orationis domum dedicasse.

QVARTO, probatur ex nomine; nam Ecclesiæ à Græcis sæpe vocantur εὐκτήρια, & à Latinis oratoria.
C Vnde Augustl. epist. 109. in oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit.

QVINTO, probatur rationibus. PRIMA ratio, Deus est in templo magis, quàm alibi; nam alioqui non diceret Paul. 1. Cor. 3. *Nescitis, quia estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et 1. Cor. 6. nō diceretur: *Membra vestra templum sunt Spiritus S. quem habetis in vobis; glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Et 2. Cor. 6. *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo.* Apostolus enim accipit similitudinē à veris tēplis. quia enim templum est domus Dei, in qua ipse peculiari modo inhabitat; ideò ipse, vt ostenderet in nobis esse Deum peculiari modo, corpora nostra templum Dei appellauit. Vnde Augustl. lib. 2. ad Simplicianum, q. 4. dicit;
D Dauidem orasse ante arcam, quia ibi sacratior, & commendatior præsentia Domini erat. Cùm igitur in templis sacratior, & commendatior sit præsentia Domini, ibi certè magis orare expediet, quàm alibi.

SECVNDA ratio, Deus in templo citiùs exaudit, vt patet ex promissione Dei, 3. Reg. 9. quod enim Deus promisit templo Salomonis, sine dubio promisit etiam templis Christianorum; nam quod petijt Salomon cū templum dedicauit, idem petit ecclesia cùm noua templa dedicat, nimirum, vt aures Dei in eo loco sint apertæ. non est autem credibile Deum exaudisse preces Salomonis, & non exaudire etiam preces ecclesiæ suæ. Imò hic est modus, quo Deus est in templo peculiariter, nimirum, quia ibi est per exauditionem.

TERTIA ratio, quia oratio est res nobilissima, &
E proinde ei debetur locus nobilissimus, qualis est locus sacer. ita Basil. lib. 2. de Baptismo, q. 8.

QVARTA, quia in ecclesia sunt omnia accommodata ad excitandam deuotionem, quæ orationi maximè necessaria est. nam altaria, cruces, imagines, reliquiæ, ipsi etiam parietes Deo dicati mouent ad pietatem; quæ certè alibi non inueniuntur.

QVINTA ratio, quia in tēplis ordinariè præter Dei præsentiam, quæ est vbique, est etiam præsentia mediatoris Christi corporaliter in eucharistia; quæ certè auget spem, & fiduciam orantis; & præterea non potest non incutere menti religioſę horrorem, & reuerentiā.

nam

nam vt Ioannes Chrysost. dicit, homil. 36. in 1. ad Cor. vbi est Christus in eucharistia, ibi etiam non deest Angelorum frequētia; vbi autē est talis Rex, & tales Principes, ibi est cęleste palatium, imò cęlum ipsum.

Hinc ad argumenta contraria facilè responderi poterit. Ad illud igitur, quod obijciebatur ex euangelio, respondeo, illa verba: *Intra in cubiculum tuum*, non posse intelligi simpliciter de cubiculo materiali; nam alioqui Apostolus Domino contradiceret, qui ait: *Volo viros orare in omni loco*. Et nonne ipse Dominus legitur orasse frequenter in montibus, in cubiculo autem non legitur? Et Chrysost. hom. 79. ad populum dicit, vbique orari posse, etiā in foro: & adfert exempla quorundam, qui magistratu clamante, & furente pro foribus eius loci signo crucis muniti, & breui oratione solo corde ad Deum missa, mox immutauerunt cor magistratus, & propitium habuerunt, quem iratum habituri erant. Dominus ergo Matth. 6. iubet, vt in oratione non quæramus inanem gloriam, quemadmodū Pharisæi faciebant, qui orabant in angulis platearum, vt viderentur ab hominibus, sed quæramus Deo placere, & ab illo videri. Quando ergo sic oramus, vt non quæramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus, siue alioqui simus in ecclesia, siue in montibus, siue etiam in ipso foro. Quando autem intramus cubiculum ad orandum, & cupimus videri, tunc sanè extra cubiculum orare dicimur, vt pulchrè annotat Ioannes Chrysostomus in hunc locum.

Porrò Ambros. lib. 1. de Cain, cap. 9. Hieron. in c. 6. Matth. & Aug. lib. 2. c. 6. de sermone Domini in monte, intelligunt per cubiculum secretum cordis, ac volūt prohibitas euagationes mentis tēpore orationis. quod verum est. Sed prima expositio est magis literalis.

Ad Secvndvm dico, Dominum eo loco non loqui de adoratione ratione loci, sed ratione modi. nō enim vult dicere, tempore nouæ Legis neminem adoraturū Deum in Hierusalem, vel in monte Garizim, id enim falsum esset; nam Act. 3. Petrus & Ioannes etiam post acceptum Spiritum Sanctum ascendebant in templū, vt orarent. & ab eo tempore vsque nunc, qui peregrinantur ad loca sancta Palæstinæ, adorant Deum in Hierusalem, & in monte Garizim, & in alijs omnibus eius terræ locis.

Sensus igitur verborum Domini est: tempore nouę Legis non adorandū amplius Deum in monte Garizim, ideſt, non adorādum ritu Samaritanorum, quo vtebantur in eo monte adorantes; neque adorandum in Hierusalem, ideſt, non adorādum ritu Iudaico, quo vtebantur in templo illo adorantes, sed nouo ritu, qui erit in spiritu, & veritate, ideſt, qui non consistet præcipuè in externis, corporalibus, & vmbraticis cęremonijs, sed in interna, & spirituali cognitione, & dilectione Dei; in corde contrito, & humiliato. Quæ tamen adoratio nō excludit externum cultum, si ad internum iuuandum, vel exprimendum ordinetur. ita Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, & alij exponunt in comment. huius loci; qui illud, *in spiritu*, opponunt cęremonijs Iudæorum, quatenus corporales erant; illud, *in veritate*, opponūt ijsdem cęremonijs, quatenus vmbræ, & figuræ erant.

Non malè tamen Theophylactus, B. Thom. & Caietanus in hunc locum Ioannis, illud; *In spiritu*, opponunt cęremonijs Iudęorū corporalib. illud; *In veritate*, opponunt errori Samaritanorum, qui adorabāt quod nesciebant. Itaque solutio in hoc consistit, quod Dominus velit præcipuum cultum Christianorum esse spiritualē, & purum ab omni errore: cùm præcipuus cultus Iudęorum fuerit externus: cultus autem Samaritanorum fuerit non solùm externus; sed etiā impurus, quia simul Deum Israel, & Deos gentium adorabant.

Sed dices, nō videtur verum, præcipuum cultum Iudæorum fuisse externum. Nam Isa. 29. arguit Dominus Iudæos, quod labijs orarent, & honorarēt Deum, cor autem eorum longè esset ab ipso. Et Dauid Ps. 50. sacrificium Deo offert cordis contriti, & humiliati.

Respondeo, cultum internum, etiamsi is à Iudęis requirebatur, & in quibusdam inueniebatur, esse proprium noui Testamenti, quia internus cultus à spiritu fidei, & charitatis procedit, quæ est gratia noui Testamenti, & ex legē veteri nullo modo haberi potest: sicut enim dicimus, timorem esse legis, amorem Euangelij, & tamen amorem ex toto corde à Iudæis Deus requirebat, & S. Patriarchæ, & Prophetę Deum ex toto corde dilexerunt, & hac ratione ad nouum Testamētum pertinebant; non enim à litera legis, sed à spiritu gratiæ id habebant: ita dicimus cultum externum esse proprium legis, quamuis non placeat sine interno; cultum internum esse proprium Euangelij, quamuis sine externo esse non possit. & si aliqui in lege veteri cultu interno Deum coluerunt, vt Deus petebat, id non à lege, sed à gratia noui Testamenti ad quam etiam ipsi pertinebant, habuerunt.

Ad Tertivm locum facilis responsio est. cū enim Apostolus ait: *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione.* vel agit de publica, vel de priuata oratione. si de priuata, vt Ambrosius, Anselmus, Haymo, Thomas, & alij Latini exponunt, tunc sensus est secundum eosdem, non solùm in Ecclesia, quamuis ea sit præcipua domus orationis, sed etiam in alijs omnibus locis licitum esse orare Deum, modò turpitudo loci non videatur impedire. si autem de publica oratione agitur, tunc testimonium hoc pro nobis facit; illud enim, *in omni loco*, significat, in omni loco, vbi ad orandum publicè conuenitur, ideſt, in omni Ecclesia.

Quòd autem hæc sit vera expositio, patet Primo ex eo, quod secundum omnes Græcos, & multos Latinos Apost. ponit illud, *in omni loco*, propter Iudæos, qui solùm in vno loco, ideſt, in templo Salomonis orandū censebant. At priuatas orationes etiam Iudæi vbique faciebant, vt patet ex illo Matth. 6. *Amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare*. igitur de publica oratione, & de sacrificio agitur, quæ solùm in templo Salomonis Iudæi fieri debere existimabant.

Secvndo patet ex eo, quod statim subditur: *Similiter mulieres in habitu ornato, &c.* quæ non possunt intelligi, nisi de oratione, quæ fit in Ecclesia. cur enim necesse est mulierem conuenienti habitu vestiri, cùm ad orandum proficiscitur, nisi propter alios, cum quibus orat?

Tertio patet, quia cùm dicitur: *Volo ergo viros, &c.* illud, *ergo*, coniungit hanc sententiē cum initio capitis, vbi dictum est: *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, &c.* Quæ verba B. Aug. in epist. 59. ad Paulinū, & omnes Græci intelligunt esse dicta de publica oratione, quæ fit in Missarum celebratione. Adde, q. Basil. lib. 2. de Baptismo, q. 8. vtrumque locum sic exponit, vt velit Christum, & Apostolū docere voluisse, deinceps non fore locum orationis solùm in Hierusalem, sed in toto orbe erigenda templa, & oratoria.

Ad Qvartvm cōcedo, Deum esse vbique aliquo modo, sed non omnibus modis; nam certè si Deus esset vbique eo modo, quo est in cęlis coram beatis, frustrà diceremus: *Pater noster, qui es in cœlis.* At vt verba ipsa Caluini refellamus, sciendum est, Caluinum lib. 3. Instit. c. 20. §. 30. sic loqui: *Cauendum est, ne putetur templum propria esse Dei habitatio, vt ibi aures suas propiùs nobis admoueat, quemadmodum aliquot seculis ante putatum est.* Iam vel Caluinus vult Deum non ita propriè habitare in tēplo, vt ibi cōcludatur: vel existimat nullo modo posse dici, Deum magis in templo habitare, quā alibi. si primum, rectè dicit, sed mentitur, cùm ait: *Aliquot seculis aliter putatum fuisse*; nunquam enim Catholici tam stupidi fuerunt. si secundum, loquitur omnino

nino contra Scripturas; nã si Deus esset vbique eo mõ, quo est in tẽplis, frustrà tẽplum diceretur domus Dei, Isa. 56. & alibi passim. Frustrà Paulus diceret, nos esse templa Dei, quia Deus in nobis habitat. & si Deus non loquitur, & audit magis in vno loco, quàm in alio, cur, quæso, in Testamento veteri ordinariè responsa dabat solùm ex propitiatorio, quod erat super arcam?

QVARTA propositio. *Sacræ domus non solũ Deo, sed etiam sanctis rectè ædificantur, & dedicantur.* Probatur conclusio ista quarta ex Concilijs, & veterum testimonijs. Concilium GANGRENSE in epist. ad Episcopos Armeniæ, damnat Eustathium tanquam contemptorem basilicarum sanctorum Martyrum. & can. 20. nominat Martyrum basilicas. Concilĩ CABILONENSE can. vlt. Martyrũ basilicas appellat. Concil. CARTHAGINENSE V. can. 14. vetat, ne ædes vlli Martyri ædificentur, nisi ibi sit, aut corpus, aut aliquæ eius reliquiæ; aut ibi Martyr habitauerit; aut certè in eo loco passus sit. aliquid enim horum requiritur, vt memoria Martyris dici possit locus aliquis.

Præterea Patres idem docent, ac primũ Græci. CYRILLVS Catech. 16. meminit Ecclesiæ Apost. erectę in Hierosol. in loco, vbi Spiritus S. descenderat. ATHANASIVS in epist. ad solitariam vitam agẽtes, nominat templũ S. Quirini. BASILIVS in Psal. 114. in ipso principio vocat sacrum Martyrum templum. NAZIANZENVS orat. 1. in Iulianum scribit Gallum & Iulianũ ædem sacrã Mamæ Martyri ingentibus sumptibus erigere cępisse. & laudat Gallum, quia ex amore syncero id faciebat. Greg. NYSSENVS orat. in Theodorũ multa dicit de templo ipsi Martyri dicato. CHRYSOSTOMVS homil. 28. ad populum: *Ad veras*, inquit, *regias Ecclesias dico, & oratorias ædes, & Martyrum templa, &c.* Et hom. 66. dicit, Constantinum post mortem factũ ianitorem piscatoris, quia sepultus erat pro foribus basilicę S. Petri apud Constantinop. THEODORETVS, lib. 8. ad Græcos, templa olim idolorum, nunc Martyrum esse dicit. EVSEBIVS, lib. 4. de vita Constant. c. 58. 59. & 60. dicit, templum pulcherrimum Constantinopoli Apostolis à Constantino erectum. SOZOMENVS, lib. 6. c. 18. meminit templi S. Thomę, quod erat Edessę. SOCRATES, lib. 1. c. vlt. meminit Ecclesiæ Apost. EVAGRIVS, lib. 2. c. 3. meminit templi S. Euphemiæ. & lib. 3. cap. 8. templi S. Teclæ amplissimè à Zenone extructi. NICEPHORVS, lib. 13. c. 27. meminit templi S. Basil. DAMASCENVS, lib. 4. c. 16. asserit templa in Martyrum memoriam ædificanda. Denique extat liber Procopij de ędificijs Iustiniani, vbi plurima templa Martyrum aliorumque Sanctorum enumerat.

Ex Latinis. AMBROSIVS, lib. 1. epist. 5. ad Felicem Episcopum Comensem: *Ortus*, inquit, *est sermo de basilica, quam condidit, Apostolorum nomine dedicanda.* HIERONYMVS, libro contra Vigilantium: *Ingredere*, inquit, *basilicas Martyrum, & aliquando purgaberis.* Ibidem, & in epistola præcedente, & alibi passim meminit basilicarum Apostolorum, & Martyrum. GAVDENTIVS Ambrosij æqualis, tractatu de dedicatione Ecclesiæ: *Vt venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit. deinde vt hãc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est, &c.*

AVGVSTINVS, lib. de cura pro mortuis, c. 1. meminit basilicæ S. Felicis: *In beatissimi*, inquit, *Felicis basilica poneretur. &c.* Et lib. 1. de Ciuit. Dei, c. 1. *Testantur hoc*, inquit, *Martyrum loca, & basilicæ Apostolorũ, &c.* Et lib. 20. contra Faust. c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate cõcelebrat.* Et lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 26. *Sed hoc videtur dolere, quod memoriæ Martyrum nostrorum, templis eorum, delubrisq; succederent.* Auctor libri de Ecclesiast. dogmatibus, c. 73. Martyrum basilicas deuotè adeundas dicit. PAVLINVS natali 1. S. Felicis dicit, se optare, vt possit seruire S. Felici in eius basilica purganda, & custodienda.

A *Et foribus seruire tuis, tua limina mane*
Mundicie curare sines, & nocte vicissim
Excubias seruare pias, & munere in isto
Claudere promeritam defessо corpore vitam.

VICTOR Vticensis, lib. 1. persequutionis Vvandalicæ scribit, apud Carthaginenses duas amplas basilicas S. Cypriani fuisse. GREGORIVS, lib. 2. Dial. c. 8. scribit, à San. Benedicto in monte Cassino duo fana Apollinis versa in oratoria Sanctorum, vnum Martini, alterum Ioannis. Liber Pontificalis testatur Sylvestrum dedicasse basilicas à Constantino extructas, vnam Petro, alteram Paulo, tertiam Ioanni, quartam Laurentio, & alias. Liberium B. Mariæ; Damasum aliam S. Laurentio; Innocentium S. Gervasio, & Prothasio; Sixtum B. Mariæ, & S. Laurentio; Leonem S. Cornelio; Gelasiũ
B S. Euphemiæ; Symmachum S. Andreæ; Ioannem I. S. Philippo, & Iacobo; Pelagium II. S. Laurentio; Gregorium S. Agathæ; Bonifacium IV. B Mariæ, & omnib. Sanctis. Qui omnes Pontifices, excepto Gregorio, & Bonifacio, ante mille annos floruerunt.

SECVNDO probatur ratione à simili, ex diuinis literis. Templum Salomonis non solùm fuit erectum ad sacrificia, & orationes, sed etiam ad conseruandam arcam Domini, vt patet ex lib. 1. Paralip. c. 17. vbi Dauid volens ædificare templum, dicit ad Nathã: *Vides, quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei sub pellibus.* Item lib. 1. Paralip. c. 28. Dauid dicit: *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri.* Idem patet ex lib. 2. Paralip. c. 5. vbi templo extructo introduxerunt arcam
C in illud cum magna celebritate. & ex Psal. 131. vbi dicitur Dauid vouisse votum Deo de ædificanda domo arcæ Dei. vbi etiam legimus, ingredere Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.

Sed idem honor, vel etiam maior debetur sacris reliquijs Christi, & Sanctorum, quàm arcæ illi Mosaicę. nam de sepulchro Dominĩ Hieronym. ait epist. 17. ad Marcellam: *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erat arca. nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini?* Ergo sicut super arcam extrui potuit ædes, ita etiam super Christi sepulchrum: quod si super Christi sepulchrum, certè etiã super sepulchra Sanctorum; nam eadem est ratio omnium. solũ enim differunt secundum magis, & minus. PRÆTEREA, & reliquiæ Sanctorũ sint venerabiles eo modo, quo arca
D Domini, probatur; nam arca quatenus lignea erat, nullum honorem merebatur, sed ideò venerabatur, quia repręsentabat sędem Dei, & quia per eam Deus loquebatur; at corpora Sanctorum fuerunt viuæ sedes Dei, & viua organa, per quę Deus loquutus est; nam 1. Corin 6. dicitur: *Membra nostra templum sunt Spiritus S.* Et 2. Cor. 13. dicitur: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Ergo licebit etiam extruere sacras ædes ad Sanctorum sepulchra ordinanda, & conseruanda; & hoc est, Sanctis dedicare basilicas.

DICES; Ergo saltem Angelis, & B. Virg. & S. quorũ non habemus reliquias, non licebit extruere basilicas.

RESPONDEO, nomine reliquiarum non solùm intelligi ossa, & vestes, sed etiã loca, vbi Sancti passi sunt, vel vbi habitauerunt, aut aliquid præclari gesserunt.
E Et hoc modo extructæ fuerũt Cypriano duæ basilicæ, teste Victore, lib. 1. vna, vbi passus erat; altera, vbi iacebat corpus eius. Similiter hoc modo extructæ sunt multæ Ecclesiæ B. Mariæ, vel Angelis in locis, vbi apparuerunt, vel miracula aliqua ostenderunt. ADDO ĕt, posse erigi basilicas ad Sanctorum memoriam conseruandam per imaginem, per ipsum solum nomen. Nimirum potest erigi basilica S. Petro, vt qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso templi nomine, recordentur S. Petri, eumque in eo loco, tanquã patronum colant, & deprecentur. Neque hoc est contra Concilium Carthagin. V. can. 14. quod statuit, vt

nulla

nulla memoria acceptetur, nisi ibi sint reliquiæ eiusdē Sancti, vel constet ibi eum esse passum, aut habitasse; nam Concilium non vult prohibere simpliciter; ne extruatur basilica sine reliquijs eiusdem Sancti, cui basilica dicatur: sed vult, vt non habeatur pro tali memoria Martyris, in qua credantur esse eius reliquię, nisi fidelissima historia constet, rem ita se habere.

Iam ad argumentum in oppositum duæ solutiones sunt. PRIMA, quorundam recentiorum, qui quia non distinguunt inter templum, & basilicam, existimant sacras ædes non posse propriè erigi, nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur, nisi Deo. quia tamen plurima sunt templa, quę dicantur Deo, vt possint inter se aliquo modo distingui, denominari à Sanctis, non quod eis erigantur, sed quod in illis templis præcipuè colantur eorum memoriæ, & ipsi in illis locis patroni inuocentur.

Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari templum, vel basilicam S. Petri, vel Pauli, vel aliorum; dicunt debere exponi hoc modo, hæc basilica, vel templum est S. Petri, ideſt, est templum dicatum Deo in memoriam, & nomen S. Petri; vel dicatum est Deo, vbi oretur Deus per intercessionem S. Petri: quemadmodū Missa quædam dicitur S. Petri, non q̄ ipsum sacrificium offeratur Petro, sed quod offeratur Deo in gratiarū actionem pro gloria S. Petro collata, & simul interpelletur Petrus, tanquā patronus, & aduocatus apud Deū. Quæ sanè pia est expositio, & conformis ritui Ecclesię, qui seruatur in consecratione tēplorum; nam aliquoties Pontifex in ea cęremonia dum preces fundit, dicit, se cōsecrare templum in honorem Dei, & nomen talis, vel talis Sancti.

ALTERA solutio admittit sacras domos ipsis Sāctis verè, & propriè ædificari, non tamen sub ratione templi, sed basilicæ, vel memoriæ. Est enim obseruandum secundum veterum Patrum doctrinam, templum, & basilicam non esse synonyma, & licet de eadem domo sæpe dicantur, tamen dici sub diuersissimis rationibus. Nam sacra ædes propriè templū dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia; eadem sacra ædes dicitur basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulcri alicuius Sācti, & commoditatem visitantium eiusmodi reliquias. Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia: nam etiā Regum palatia dicuntur basilicæ, vt patet Hest. 5. imò ea palatia propriè dicūtur basilicæ, & inde nomen trāslatum est ad Martyrum ædes significandas. Quod etiā videmus in altaribus: nam vnus, & idem lapis dicitur altare, quatenus in eo sacrificatur Deo; & idem dicitur tumulus, vel sepulcrum, quatenus tegit ossa Martyris alicuius. Omnia enim altaria sunt sepulcra Sanctorū: & sicut lapis ille verè dicatur sancto, non sub ratione altaris, sed sub ratione sepulchri: ita domus aliqua verè dicatur sancto non sub ratione templi, sed sub ratione basilicæ. Et quemadmodum idololatria esset erigere Sanctis altaria, & tamen non est idololatria erigere illis lapideos tumulos: ita idololatria esset erigere Sāctis templa sub ratione templi; non tamen idololatria est erigere illis basilicas. sicut etiam non est idololatria donare Sanctis thecas aureas, vel argenteas, quibus includantur reliquiæ eorum. Nihil enim aliud sunt basilicæ, quàm magnæ quædam thecæ, quibus minores thecæ, & ipsa sepulchra clauduntur.

Ex quibus sequitur, aliter dici Missam S. Petri, aliter basilicam S. Petri; nam Missa non offertur vllo modo S. Petro, nec primariò, nec secundariò: at basilica verè ædificatur S. Petro, si nō primariò, saltem secundariò.

Esse autem hoc discrimen inter templum, & basilicam, probari potest ex Patribus. AVGVSTINVS enim clarissimè testatur, templi erectionē esse cultum latriæ soli Deo debitum, lib. 1. contra Maximum, & libro cōtra sermonem Arianorum: & idem Augustinus coniungit templum cum altari, & sacrificio, lib. 8. de Ciuit. Dei, c. vlt. docens cui conuenit vnum eorū, & alia conuenire, & contrà. & tamen in ijsdem locis Augustinus fatetur, memorias rectè Martyribus ædificari. & præcipuè locus notandus est, lib. 22. de Ciuit. Dei, c. 10. vbi sic ait: *Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut Deo, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.* Idem August. nusquam dicit templa Martyrum. & tamen passim dicit basilicas Martyrum. quod etiam in alijs Latinis Patribus obseruare licet.

Porrò Græci dicunt quidem templa Martyribus fabricari, vel dedicari, vt patet ex Basilio in Psal. 114. vbi vocat, ἱερὸν τῶν μαρτύρων, & similiter loquuntur Nyssenus, & alij. tñ certum est eos intelligere materialiter, ideſt, domum illam, quę dr templum, fabricari Martyribus, non tñ sub ratione templi ad sacrificia, sed basilicæ, ad ornandam memoriam ipsorum Sanctorum.

Quòd autem ipsi etiam intelligant, sacras ædes verè extrui Martyribus, & non solū Deo in eorum memoriam, sicut sacrificium offertur Deo in eorum memoriam, probatur; nam ipsi simpliciter asserunt ædes extrui Martyribus, & tamē nusquam dicunt sacrificium offerri Martyribus, imò hoc simpliciter negant, vt patet ex Theod. lib. 8. ad Græcos: ergo aliter existimabant ædes, aliter sacrificium ad Martyres pertinere. Neque obstat ritus consecrationis; nam cùm dicitur, templum sacrari ad honorem Dei, & nomen Martyres: agitur de consecratione templi, vt templum est.

CAPVT V.

De dedicatione, & consecratione Ecclesiarum.

MAGDEBVRGENSES Cent. 4. cap. 6. col. 407. & seq. tria in dedicationibus reprehendunt. PRIMO, quod templa à nobis cum ingenti lætitia, & celebritate dedicētur. qđ ortum esse dicunt ex κακοζηλία Iudaismi, & esse rursum introducere Iudaismum in Ecclesiam.

SECVNDO, quod vtamur tot cęremonijs in cōsecratione templorum; nam præter alias, quædam sunt quæ non videntur posse excusari à superstitione, & magia. nam primò pinguntur duodecim cruces, & ante singulas accenduntur singulæ lampades; deinde pulsatur templum, & aperitur. tum describitur in pauimento super cineres ad hoc sparsos, baculo pastorali alphabethum Græcum ab vno angulo ad alium; & rursus alphabethum Latinum ab alio angulo ad alium. ita vt inde crux fiat. tum fit mixtura ex aqua, vino, sale, & cineribus, & inde aspergitur templum; ac demum templum, & ara Chrismate inunguntur.

TERTIO arguunt, quod putemus, templa esse loca sanctiora cęteris: quod etiam reprehendit Caluinus, lib. 3. Instit. c. 20. §. 30. Nos ergo iuxta eorum reprehensiones, tres sententias subijciemus.

PRIMA sit, meritò templa Dei cum ingenti lætitia, & solennitate dedicantur. Probatur primò ex Testam. veteri, vbi legimus celeberrimam dedicationem tabernaculi, & altaris, Num. 7. Item ter legimus factam templi dedicationē cum ingenti lætitia, & celebritate. Primò à Salom. lib. 2. Paral. c. 7. Secūdò ab Esd. lib. 1. Esd. c. 6. Tertiò à Machab. cum post profanationem iterum esset renouatum, & sanctificatum, lib. 1. Machab. c. 4. ad quam solennitatem, quæ annis singulis iterum agebatur, Christum etiam accessisse scribit Ioan. c. 10.

Sed hoc argum. aduersarij putant esse potiùs contra nos, quia videmur Iudaizare, cùm id facimus quod illi faciebant, quantum ad eiusmodi cęremonias attinet. At reuera pro nobis est argumentū, siquidem cęremoniæ propriæ Iudæorum, & quæ cessauerūt, nec seruari possunt sine peccato, sunt illæ, quæ institutæ erant ad aliquid significandum futurū in Christo, vel in Ecclesia. Illæ enim, si nūc seruarētur, falsam haberent significationem, & proinde fallæ fidei protestationes essent.

Vt

Vt quia agnus Paschalis significabat Christi passionem futuram, si quis nunc agnum eo ritu immolaret, profiteretur Christum nondum esse passum. quod est cõtra veram fidem. At cæremoniæ, quæ fundantur in ratione naturali, vt flectere genua, tundere pectus, & similes, non sunt propriæ Iudæorum, etiamsi ab illis quoque adhiberentur; nec ad legem cæremonialem, sed ad moralem pertinere videntur.

Porrò talem esse tẽplorum dedicationẽ, patet PRIMO, quia nõ legitur Deus instituisse hanc cæremoniã: sed Salomõ, Esdras, & Mach. natura duce, putauerunt conuenire, vt de perfecto templo gratias Deo referrẽt, & cum publica lætitia auspicarentur vsum templi.

SECVNDO, quia verè natura hoc docet, vt ad finem magnorum operum homines gaudeãt, & Deo gratias agant; & similiter quãdo incipiunt re aliqua noua vti, Deum inuocent, & cum lętitia opus aggrediantur. hoc autẽ fit in dedicatione templi; nam exultamus, & Deo gratias ãgimus, quòd templi fabricam completam videamus, & rursum cum lætitia, & fausti imprecationibus aggredimur vsum ipsius templi.

TERTIO, quia natura docet, celebrandos esse dies natales magnorum virorum. id enim etiam Ethnici faciebant: & apud nos celebratur singulis annis creatio Pontificis Maximi. vnde sunt sermones aliquot B. Leonis in anniuersario suæ assumptionis. cur non eodem modo celebrari poterit natalis templi, quæ est res publica, & magna, & toti Ecclesiæ vtilissima?

Adde VLTIMO, quòd Deus ipse exemplum dedicationis dedisse videtur, cùm expleto opere suo, in signũ lætitiæ diem septimum benedixit, & sanctificauit, & nihil operando festum diem egit.

SECVNDO probatur ex praxi Ecclesiæ, & veterum traditione. EVSEBIVS, lib. 9. hist. c. 10. *Festiuitates*, inquit, *à nostris frequentissimè gerebantur, cum omni lætitia, & exultatione, per vrbes, & loca singula Ecclesiarũ dedicationibus celebratis. Congregabantur in vnum Sacerdotes, nec pigebat etiam longè positos conuenire, quia nullum longum videbatur spacium caritati.* Item lib. 4. de vita Constantini, scribit, Constantinũ ad consecrationem, & dedicationẽ ædis, quam Hierosolymis Martyribus extruxerat anno imperij sui XXX. conuocasse vniuersam Synodum, quæ Tyri conuenerat, &c.

ATHANASIVS in Apologia ad Constantinũ: *Illud*, inquit, *& à beatæ memoriæ Alexandro, aliisq; Patribus actum est, qui populi conuentus habuere, & absoluto opere agendis Deo gratiis dedicationem celebrauerunt. Huius ergo dedicationis te, Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille exædificatus præsentiam tuæ pietatis requirit; hoc enim ei solum deest ad plenum ornatum. Hoc igitur, vt adimpleas, vt ad vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota optant, & suspirant, &c.* Ibidem pro dedicatione Ecclesiæ adfert exẽplum Esdræ ex Testamento veteri.

BASILIVS in Psal. 114. initio reddit caussam, cur serius venerit ad Ecclesiam dedicandam, vbi populus à media nocte vsque ad meridiẽ expectauerat: *Si verò*, inquit, *oportet, etiam nos pro nobis ipsis rationem reddere moræ, ac longioris nostræ absentiæ, caussam adferimus, quod alteram huic æqualem Dei Ecclesiam non modico interuallo à vobis distatem, ministerio nostro curantes, tempus hoc diei consumpsimus.* Hunc locum, qui fortè ambiguus posset videri, fatentur Magdeburgenses Cent. 4. c. 6. col. 408. de templi dedicatione intelligendum.

GREGORIVS Nazianzenus orat. in nouam Dominicam, sic incipit: *De encæniis honorandis lex vetus est, eaq; præclarè constituta.* CHRYSOSTOMVS quoq; sermonem habuit in encœnijs, to. 3. SOZOMENVS, lib. 4. cap. 13. scribit, Basilium Ancyranum ad templi dedicationem plurimos Episcopos inuitasse.

AMBROSIVS, lib. 1. epist. 5. ad Felicem, dicit, se & ipsum Felicem ad Basilicę dedicationem à Bassiano inuitatum. Et in epistola ad Sororem, quæ habetur inter sermones, num. 92. *Cum*, inquit, *Basilicam dedicassem, multi tanquam vno ore interpellare cœperant, dicentes. Sic in Romana Basilica dedices. Respondi, faciã, si Martyrum reliquias inuenero, &c.*

GAVDENTIVS tractatu de dedicatione, dicit conuenisse multos Episcopos ad celebritatẽ dedicationis Ecclesiæ, quæ Brixiæ erecta fuerat in honorem reliquiarum Ioannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, Geruasij, Prothasij, Celsi, & quadraginta Martyrum.

AVGVSTINVS quinque sermones ad populum habuit in celebritate dedicationis templi, qui sunt inter sermones de tempore 251. 252. 253. 254. 255. & 256.

GELASIVS Papa epist. 1. ad Episcopos Lucaniæ, & Aprutij, c. 6. *Basilicas*, inquit, *nouiter institutas, non petitis ex more præceptionibus dedicare non audeat.* Itẽ c. 27. alia quædam constituit in dedicatione Ecclesiarum seruanda. FELIX IV. qui etiam ante mille annos sedit, in epistola sua decretali prolixè de hac re disserit, ac inter alia sic ait: *Solennitates verò dedicationum Ecclesiarum per singulos annos celebrandæ sunt, &c.*

PROSPER, par. 3. c. 38. de promissionibus Dei, testatur se interfuisse cùm apud Carthaginem dedicaretur insigne quoddam templum, quod olim Gentilium fuerat; in cuius frontispicio diuinitus scriptum inuenerunt magnis, atque æneis literis. AVRELIVS PONTIFEX DEDICAVIT. Quod præsagium omnes mirabantur, cum viderent ab Aurelio Episcopo Carthaginensi fieri, quod tanto antea prædictum fuerat.

GREGORIVS, lib. 3. Dialo. c. 30. scribit, tempore suo dedicatam Basilicam non sine diuinis miraculis, quib. indicaretur, Deo placuisse eam dedicationẽ. BERNARDVS sex sermones habuit de dedicatione templi. RVPERTVS in c. 28. Gen. probat, rectè fieri festiuas dedicationes. Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacramẽtis, par. 5. c. 2. & 3. Isid. lib. 1. de officijs, c. 35. Raban. lib. 2. c. 45. de Institut. Clericorum. Amalar. in lib. de ordine Antiphon. B. Iuo in serm. de consecratione templi, & Vvalfridus de rebus Ecclesiasticis, c. 9. qui omnes de dedicatione Ecclesiæ tractant, tanquam de re antiquissima, cùm tamen etiam ipsi antiqui sint auctores.

SECVNDA propositio. *Meritò ab Ecclesia variis precibus, & cæremonijs templa consecrãtur.* Probatur PRIMO, Scripturæ testimonio. Siquidem ex Scriptura habemus consecrationem templi, vel altaris, in statu naturæ, legis, & gratiæ. In statu naturæ Iacob, c. 28. Gen. erexit lapidem, vt ibi sacrificaret, eumque consecrauit fundens oleum desuper, & inde eum locum appellauit Bethel, ideſt, domum Dei. & cap. 35. monitus à Deo, vt faceret altare, rursum ibidem erexit lapidem, eumque inungendo cõsecrauit, & libauit super eum libamina. Certè hoc non pertinet ad magiam, cùm laudetur hoc factum ab omnibus, & constet placuisse Deo. Nec etiã pertinet ad cęremonias legis, quæ adhuc data non fuerat. Cur ergo non liceat nobis idem facere?

DEINDE in statu Legis videmus Mosem cõsecrasse oleo sacro, alijsque cæremonijs tabernaculum, altare, & omnia eius vasa. Exo. c. 40. Num. 7. quas etiam cęremonias certum est non fuisse magicas. Et licet cæremoniæ fuerint veteris legis, tamen quia nõ erant propriæ eius, quippe quæ in oratione fundantur, nihil obstat, quo minus à nobis etiam assumi possint.

IN statu Euangelij non habemus tam expressa testimonia Scripturæ, interim tamen ex eo, quod Paulus in priori epistola ad Cor. c. 11. Corinthios arguit tãquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesia comedebant, satis innuitur, tunc etiam Ecclesiam aliquo modo sacratam fuisse. Cur enim Ecclesiam cõtemnere dicitur, qui in ea actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam eius loci consecrationem? Et confirmatur ex Dion. Areop. qui tempore Apost. vixit, & libro de Ecclesiastica hierar. cap. 6. par. prima, apertè docet, altaria

sacro oleo inungi, & consecrari ab Episcopo debere.

SECVNDO, probatur ex decretis Conciliorum antiquorum. Nam Concilium Carthaginense V. can.6. sic habet: *Similiter & de Ecclesiis, quoties super earum consecratione hæsitatur, agendum est, ideſt, vt sine vlla trepidatione consecrentur.* Item Agathense Concil.c.14. *Altaria placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiã sacerdotali benedictione sacrari.* Idem patet ex Concilio II. Bracarensi, can.6. Item ex decretis Pontificum Gelasij, & Felicis IV. suprà citatorum, & Ioannis I. in epistola ad Episcopos Italiæ. Alia decreta vide apud Gratianum de consecrat.dist.1. vbi etiam adfertur canon Nicæni Concilij; & alius Concilij Hipponensis: quod plenarium totius Africæ fuisse testatur Augustinus, lib.1.Retract.c.17.quamquam isti canones modò non extant, nisi apud Gratianum.

TERTIO, probatur ex Patribus citatis in priore cõclusione: nam maior pars eorum meminit etiam consecrationis, & cęremoniarum, quibus vti solemus in consecratione templi, & altaris.

QVARTO, probatur ratione desumpta ex fine illarum cęremoniarum. Finis enim præcipuus est ad significandum templum illud Deo, & sacris actionibus dedicari, neque esse domum profanam, sed sacram. nã etiamsi ista dedicatio essentialiter cõsistit in voluntate, & intentione dedicationis: tamen necesse est, vt hæc intentio, & voluntas signis externis prodatur alijs hominibus, quomodo etiam humani cõtractus consistũt in intẽtione, & voluntate cõtrahentiũ: tñ vt inotescat voluntas, & vt firma, & rata sint, non solùm proferuntur verba, sed etiã multæ adhibentur cęremoniæ, vt patet in nuptijs, in coronatione Regum, in militia, &c.

Quoniam ergo templum dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum eius, ideſt, crux. Pinguntur autem cruces num. XII. ita inter se distantes, vt totum templum occupent; & ad singulas, lampades singulæ accenduntur, ad significandum, qd Apostoli XII. hoc vexillum Christi per totum orbẽ terratũ portauerunt, & sua prædicatione mundũ illustrarunt.

Et quia templum nõ debet esse profana, & communis domus, sed sacra; ideo ad hoc significandum inungitur. oleum enim est communissimum, & euidentissimum symbolum consecrationis. quia enim est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, & maximè omnium penetrat, & sanat, ac roborat; ac demũ res illustres facit: ideo placuit omnibus Gentib. & ipsi etiam Deo, illo vti ad consecrationem significandam.

Quia rursus templum destinatur diuinis sacrificijs, & orationibus, alijsq; sanctis, & puris actionibus, non autem sordibus, & tenebris negotiorum secularium, ideo ad hanc munditiem, & claritatem significandam aspergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur.

Quia sacratur etiam templum ad concionandum, & docendam fidem, quæ est fundamentum totius iustitiæ; ideo describitur alphabetum in pauimento. describitur autem Græcè, & Latinè, quia illis linguis prędicata est fides, & illis linguis vtebatur tota ferè Ecclesia eo tempore, quo hæ cęremoniæ sunt institutæ.

Et quia in templo non solùm docentur homines, sed etiam mouentur, & inflammantur ad virtutem, & vitæ nouitatem; idcirco fit illa mixtio aquæ, cineris, salis, & vini, vt infrà dicemus.

Quia denique ex templo diabolus eijcitur, neq; ibi habitare sinitur, sed è contrario oratur Deus, aduocantur Angeli, alijq; Sancti, vt in eo loco habitare dignentur, ideo pulsatur ostium, & iubetur diabolus recedere; & reliquiæ Sanctorum introducuntur.

ALIVS finis harum cæremoniarum est, ad significandum Christum, & Ecclesiam. Ecclesia enim materialis, Ecclesiam spiritualem designat: altare verò significat Christum; hinc igitur altare fit ex lapide, & inungitur, & summo loco ponitur, & sub ipso abscõduntur reliquiæ: quia Christus dicitur petra, 1.Cor.10. & vnctus fuit Spiritu S. *præ consortibus suis*, Psal.44. *Et caput est totius Ecclesiæ*, Coloss.1. *Et in ipso absconduta est vita, & gloria Sanctorum*, Coloss.4. Vnde etiam in cęlo vidit Ioannes animas Sanctorum sub altari, Apoc.6.

Porrò cęremoniæ, quæ fiunt in ipsa consecratione, totum progressum fidelium demonstrant. Nam PRIMO loco pulsatur, & aperitur templum baculo pastorali ab Episcopo, quia prædicatores potestate à Christo accepta, corda infidelium pulsant, & ad fidẽ suscipiendam aperitur.

SECVNDO, ingressus Episcopus eodem baculo describit in pauimento cinere cõsperso alphabetum, quia prædicatores eadem potestate in cordibus pœnitentium inscribunt rudimenta fidei, eosque Catechumenos faciunt.

TERTIO, aspergitur templum aqua, & cerei accenduntur, quia post Catechismum sequitur Baptismus, quod est Sacramentum illuminationis.

QVARTO, in parietibus pinguntur, & inunguntur cruces (nam etiamsi cruces ante initium consecrationis factæ sunt, tamen hoc tempore fieri debuissent; sed antea factæ sunt propter commoditatem, nimis enim diu expectaretur, si in ipsa consecratione pingerentur) ad significandam confirmationẽ, quæ post Baptismum cruce, & chrismate perficitur.

QVINTO, fit mixtio quædam aquæ, cineris, salis, & vini, quia tota vita fidelium consumi debet in mortificandis vitijs, & vitæ nouitate quærenda, & retinenda. Nam aqua significat hominem, qualis est ex se post peccatum; est enim frigidus, & insipidus. Cinis significat pœnitentiam, & mortificationem vitiorum. Sal saporem. Et vinum lætitiam, & feruorem nouæ vitæ.

SEXTO, agitur dies festus cum lætitia, finita consecratione, quia post finem huius vitæ fideles intrabunt in gaudium Domini, vbi perpetuò lætabuntur. Hæc & similia vide apud Augustinum, & Bernardũ in sermonibus de dedicatione; & apud Hugonem, Iuonẽ, & Rabanum suprà citatos, qui sigillatim explicant rationes harum cęremoniarum.

TERTIA propositio. *Templum consecratum, meritò sanctum, & venerabile, ac diuina quadam virtute, præditum existimari debet.* Probatur; PRIMO, ex relatione ad Deum; Templum est dedicatum Deo, ergo est res Dei, ergo sanctum est; nam omnis res Deo dicata, eo ipso est sancta, Leuit.vlt. *Animal quod immolari potest Domino, si quis vouerit, sanctum erit.* Et infrà: *Quidquid semel fuerit consecratũ Domino, sanctum Sanctorũ erit*, Matth.23. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis; Quicunque iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet: stulti, & cæci, quid enim maius est, aurũ, an templum, quod sanctificat aurum?* Vbi Dñs vult templum lapideum nobilius esse ipso auro, quod videlicet auro communicet sanctitatem; nam licet lapides sint absolutè inferiores auro, tamen ratione relationis ad Deum, lapides illi, qui templum efficiunt, sunt longè nobiliores, & sanctiores auro. Vnde Aug. lib.4.contra Cresc.c.40. *Deo*, inquit, *oĩpotẽti parietes cõsecratos, Ecclesiã venerandã, quasi quadã obsessione credidit retinendã.*

SECVNDO, probatur ex precibus, & benedictione Episc. nam vt ait Apost.1.Tim.4. *Nihil abutiendum est, quod cum gratiarũ actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Iam si cibi sanctificantur per verbum Dei, & orationem, cur non etiam templa sanctificabuntur, quæ per sacras personas publicis precibus, & benedictione consecrantur? Præterea sanctificante Salomone templum, Deus etiam sanctificauit, vt ipse dicit, 3.Reg.9. *Exaudiui*, inquit, *orationem tuã, & sanctificaui domum hanc, quam ædificasti.* At non minus efficaces sunt preces Ecclesiæ, quam Salomonis.

TERTIO, probatur ex ijs, quæ sunt in templo; nam locus rerum sanctarum sanctus quoque sit necesse est,

vt

vt patet ex illo, Exo. 3. *Locus, in quo stas, terra sancta est.*

Iam verò in templis sunt multæ res sanctæ. Primò, crux, & imagines Christi, & Sanctorum. Secundò, reliquiæ Sanctorum. Tertiò, præsentia corporis Domini in Eucharistia. Quartò, præsentia Angelorum; credibile enim est, aut semper, aut frequentissimè in tẽplis Angelos adesse. Quare Iosephus, lib. 7. de bello Iudaico, c. 12. scribit, in templo Salomonis paulò antè, quam euerteretur, auditas voces: *Migremus hinc*, quas Angelorum fuisse, deserentium eum locum, cõmunis opinio est. & B. Chrysost. homil. 1. super illa verba Isaiæ: *Vidi Dominum sedentem, &c.* dicit Angelorum multitudine vallari sacram mẽsam in Ecclesijs. Quintò denique, adest Deus ipse per singularem quandam protectionem, & virtutem. in cuius rei signum quando tabernaculum à Mose dedicatum est, Exod. vlt. mox caligo, seu nubes quædam gloriæ Domini tabernaculum texit. Similiter fecit, cùm templum à Salomone dedicatum est. *Nebula enim gloriæ, impleuit domũ Domini*, 3. Reg. 8. Idem etiam suo tẽpore accidisse Ecclesię consecratæ scribit Greg. lib. 3. Dial. c. 30. *In magna*, inquit, *serenitate aeris super altare Ecclesiæ nubes cælitus descendit, suoq; illud velamine operuit, omnẽq; Ecclesiam tanto terrore, ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis nullus illuc præsumeret intrare.* In libro quoque 2. Machab. cap. 3. legimus, dixisse Heliodorum: *In loco illo est verè Dei virtus quædam; nam ipse, qui habitat in cælis, visitator & aditor est loci illius.*

Quarto, probatur ex absentia Dæmonis; nam sicut templa Gentilium polluta sunt, & immũda, quia sunt Domicilia dęmonum, vt patet ex Greg. lib. 3. Dialog. cap. 7. ita è contrario, templa Dei sancta sunt, quia dęmonibus carent. Idem enim Greg. lib. 3. c. 30. Dial. scribit, post consecrationem templi, quod antea Arianorum fuerat, Diabolum inde egressum sensibiliter in specie suis, maximo strepitu excitato. & sicut domus Principum asyla sunt, nec ibi lictores vlli manus inijcere audent, ita etiam in templo Dei dęmones non sinuntur grassari eo modo, quo in alijs locis.

CAPVT VI.

De ornatu templorum.

ORnatus Templorum partim in ipsa fabrica consistit, partim in imaginibus, crucibus, calicibus, vestibus, alijsque id genus ornamentis. Reprehendunt hunc ornatum, tam veteres Petrobrusiani, & Vviclefistæ, quàm etiam Lutherani, & Caluinistę, locis initio notatis. Argumenta illorum hæc sunt.

Primvm, ex Hieremiæ septimo: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, templum Domini, templum Domini.* In quem locum ita scribit Hieronymus: *Præcepit*, inquit, *& tunc populo Iudæorum, & hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratisq; laquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus, templum Domini, templum Domini est.*

Secvndvm, ex Hieron. in epist. ad Nepotianum: *Multi ædificant parietes, & colũnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur.* Et infrà: *Neque mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, &c. ex auro fabrefacta. tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum. nunc verò cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias luum putabimus.* Et infrà: *Aut aurum repudiemus cum ceteris superstitionibus Iudæorum; aut si aurum placet, placeant, & Iudæi, &c.*

Tertivm, ex Ambrosio, libro 2. de officijs, cap. 28. *Melius fuerat*, inquit, *vt vasa viuentium seruares, quã metallorum. his non potest responsum referri. quid enim diceres? timui ne templo Dei ornatus deesset. respondêret, aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placẽt, quæ auro non emuntur. ornatus Sacramentorum redemptio captiuorum est.*

Qvartvm, ex Acatio, de quo Socrates, lib. 7. c. 21. refert, quòd cum accusaretur, quòd sacra vasa vendidisset propter pauperes, respondit: *Deus nostier, neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit.*

Qvintvm, ex Hilario in epist. contra Auxentium: *Malè*, inquit, *parietum vos amor cœpit, malè Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisq; veneramini.*

Sextvm, ex Lactantio, qui lib. 2. cap. 4. laudat Persium, quòd scripserit, non debere aurea vasa templis inferri: *Egregiè*, inquit, *sapienterq; sensit.*

Septimvm, ex Bernardo, in Apologia ad Guilelmum Abbatem prope finem: *O vanitas vanitatum, sed non vanior, quàm insanior. fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget: suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit.*

Octavvm, ex Chrysostomo, qui homil. 51. & 81. in Matth. docet, melius esse dare eleemosynam, quàm ornare templum, & refellit argumentum, quod pro nobis fieri solet.

His addunt rationes. Prima ratio est, quia Christus semper amauit, & docuit paupertatem.

Secvnda, quia ociosum, & superuacaneum est aurum in templis; nam nec ipsi parietes sentiunt ornatum illum, nec eo indigent ad finem, ad quem extructi sunt. Vnde Persius:

Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?

Tertia, quia non tantum non prodest, sed etiam obest splendor ille templorum; nam auocat mentem, & distrahit à spiritualibus cogitationibus.

Qvarta, quia melius est templa viua ornare, quã mortua; nunquam autem desunt pauperes, qui templa sunt viua, & qui egent nõ solùm ornatu, sed etiam necessaria sustentatione.

Qvinta, quia in iudicio non damnabitur, qui templum non ornauerit auro, & argento, sed qui in paupere Christum non aluerit. Hæc sunt igitur illorum argumenta, quæ etsi magnam vim habere videntur, nihil tamen aduersus veritatem poterunt; nihil enim potentius veritate. Porrò solutiones horum argumentorum in hoc eodem capite, post explicatam, & confirmatam sententiam Ecclesiæ adferentur.

Sit igitur Prima propositio. *Opus bonum, & pium ex genere suo est, ingentibus sumptibus templa Dei ædificare, aut ornare.* Probatur; Primo, ex Testamento veteri; nam Deus voluit tabernaculum ornatissimum esse, ita vt omnia ferè instrumenta sanctuarij aurea essent, vsque ad emunctiora Lampadum; cortinas autem tabernaculi, & vestes Sacerdotis esse voluit pretiosissimas, ex serico, byssо, purpura, gemmis, &c. & ne deessent artifices, donauit sapientiam, & artem ad omnia illa facienda certis quibusdam viris. Vide Exo. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 35. 36. 37. 38. & 39. Deinde Nu. 7. singuli Principes obtulerunt in ornatum tabernaculi immensa donaria auri, & argenti. Dauid parauit in sumptus templi tantum auri, argenti, & lapidum pretiosorum, vt incredibile videatur. Lege 1. Paral. c. vlt. & penult. & lib. 2. cap. 3. 4. & 5. At certè rationes, quæ fiunt contra ornatum templorum nostrorum, si quid valerent, militarent etiam contra tabernaculum Mosis, & templum Salomonis. nam tunc etiam non deerant plurimi pauperes: tunc etiam parietes nõ sentiebant ornatum suum: tunc etiam distrahere poterant mentes orantium; & tamen nõ propterea cessatũ est à magnificentissima ædificatione templi, & tabernaculi.

Secvndo, ex Testamẽto nouo; nã in primis Marci 12. Christus laudauit viduam, quæ in gazophylacium templi misit duo minuta, idest, omnem victum suũ. si

ergo vidua illa rectè fecit, in donaria Dei expendens omnem victum suum; quomodo argui possunt, qui donant saltem partem bonorum suorum, ad ornãdam Dei domum? Item cap. 13. dicentibus Apostolis: *Magister aspice, quales lapides, & quales structura.* Dominus occasionem habuit optimam reprehendendi magnificentiam illam templi, vel saltem instruendi discipulos; dicendo, licuisse in Testamento veteri ornare templa, at in lege Euangelica non fore licitum. at Dominus nihil tale dixit. Item cap. 14. cùm Iudas ægrè ferret, quòd Magdalena in vnctionẽ capitis Domini tantos sumptus faceret, ac diceret: *Vt quid perditio ista vnguenti facta est? poterat enim vnguentum istud venundari plus, quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus.* Dominus respondit: *Bonum opus operata est in me.* At si licuit prætermissis pauperibus tanto sumptu inungere caput Domini, cur non liceat etiam magno sumptu ædificare domum ipsi Domino?

TERTIO, probatur ex vaticinio Isaiæ; nam cap 60. vbi fatentur prȩcipui expositores ad literam agi de Ecclesia Christiana in terris existente, sic legimus: *Domũ maiestatis meæ glorificabo.* Et infrà: *Me enim insulæ expectant, vt adducam filios tuos de longè: aurum eorum, & argentum eorum nomini Domini Dei tui.* Et infrà: *Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.* Et infrà: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorũ glorificabo.*

Quæ prophetia ad literam impleta est tempore Cõstantini, aliorumque Principum, qui Ecclesias magnificentissimas extruxerunt, & ornarunt.

QVARTO, probatur ex Patribus. EVSEBIVS, lib. 9. hist. cap. 10. *Ex quo aderat,* inquit, *cunctis velut diuino munere infusa lætitia, maximè videntibus ea loca, quæ paulò antè impius tyrannorũ machinis fuerant destructa, reduiua constructione clariora, & celsiora consurgere, teplaq; excelsa pro humilibus conuenticulis eleuari.*

CYRILLVS Catechesi 14. *Isti qui nũc sunt Reges,* inquit, *pietatis ergo argento induentes, et auro sanctã hanc Ecclesiam resurrectionis, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monimentis splendidam effecerunt.*

ATHANASIVS in Apologia ad Constantium indicat, ab ipso Constantio extructam Alexandriæ tam ingentem basilicam, vt ea sola capere posset populum, quem aliæ capere non poterant. neque reprehendit, sed laudat hanc eius magnificentiam.

Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulianum, cum dixisset à Gallo, & Iuliano extrui cepisse maximis sumptib. basilicam S. Martyri Mamæ, subiungit munus Galli Deo acceptissimũ fuisse, vt quondam fuit sacrificium Abel.

Gregorius NYSSENVS orat. in Theodorum, dicit, templum S. Theodori magnificentissimum, & ornatissimum picturis, & sculpturis fuisse: & hoc ad gloriam sancti maximè pertinere, vbi apertè laudat vlum erigendi talia templa.

Ioannes CHRYSOSTOMVS hom. 66. ad populũ Antioch. *Seruorum,* inquit, *crucifixi sepulchra regus aulis sunt clariora, non magnitudine, et pulchritudine ædificiorum (nam & in hoc superant) sed quod multò maius est, conuenientium studio.* Idem hom. 51. in Matth. *Nec prohibeo,* inquit, *magnifica templa condere, &c.*

CYRILLVS initio libri de recta fide ad Reginas: *Valde sapienter,* inquit, *operam datis, vt quæ Christo probantur, & sentiatis, & faciatis: partim operibus, & irreprehensibili conspicuæ fide, & vestiras, & Regum aulas virginitatis gloria decoratis: partim sumptuosissima Christo templa erigitis; concessum enim, & hoc est cum alus, ab ipso, vestris animabus.*

THEOPHYLACTVS in cap. 14. Marci: *Confundãtur,* inquit, *hoc loco qui pauperes Christo præferunt.* Et infrà: *Audiant igitur quomodo Christus præferat sui curã pauperibus. Christi autem corpus proprie, quod in disco aureo, & sanguis, qui in poculo. qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit, vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit.*

Iam ex Latinis. OPTATVS, lib. 6. testatur, suo tempore habuisse Ecclesiam preciosa vasa Sacramentorũ, quæ Donatistæ diripientes conflarunt, & vẽdiderunt.

AMBROSIVS, lib. 2. de officijs, c. 21. *Et maximè Sacerdoti,* inquit, *hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.*

HIERONYMVS in epist. ad Demetriadem, postquã dixerat: *Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, &c.* subiungit: *Non reprehendo, non abnuo; sed tibi aliud propositum est, &c.* Et in c. 8. Zachariæ, refert in gloriam Ecclesiæ, & laudem Principum, quod cum aliquot Imperatores Ethnici Ecclesias euerterint, rursum alij basilicas extruxerint, & exaltauerit, summa fastigia, & laquearia, ac tecta auro decorarint, & parietes diuersi marmoris crustis vestierint.

AVGVSTINVS in Psal. 113. *Sed & nos,* inquit, *pleraq; instrumenta, & vasa ex auro, & argento habemus, in vsum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur.*

PRVDENTIVS in hymno de S. Laurentio inducit sic loquentem tyrannum:

Hunc esse vestris orgijs
Moremq; & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

PAVLINVS natali 3. S. Felicis:

Aurea nunc niueis ornantur limina velis, &c.

PROSPER libro de promissione. & prædiction. par. 3. c. 38. dicit, templum ampliſſimum Deo vero consecratum suo tempore, cuius tanta erat magnitudo, & excellentia, vt etiam plateã haberet, quæ ad ipsum ducebat, duorum millium passuum lõgitudinis totam precioso pauimento, & columnis, ac muris ornatam.

QVINTO, probatur ex pietate eorum, qui Ecclesias ædificarunt; nam præcipui fuerunt quattuor, Constantinus, Iustinianus, Carolus Magnus, & Carolus IV. De CONSTANTINI tẽplis vide Damasum in vita Syluestri, & Euseb. lib. 3. & 4. de vita Constantini. De templis à IVSTINIANO erectis, vide Procopiũ in libro de ædificijs Iustiniani. De templis CAROLI Magni, vide Abbatem Vrspergensem in Chronico. De templis CAROLI IV. vide Ioannem Cochlæum initio libri primi historiæ Hussitarum. Constat autem Constantinũ sanctum Imperatorẽ fuisse; nam in Kalendario Grȩcorũ eius nomẽ inter Sanctorũ nomina habetur: & ab Ambrosio in orat. de obitu Theodosij, ab Epiphanio hæresi 70. quæ est Audianorum, à Cyrillo, Catechesi 14. & alijs Patribus passim sanctus, & beatus appellatur.

Similiter Carolus Magnus, tanquam sanctus colitur, præcipuè Parisijs, & Aquisgrani, & ab omnibus historicis mirificè laudatur. Iustinianus, excepta hæresi, in quam incidit, in extrema ætate, laudatissimus Princeps fuit. Porrò Carolum IV. optimum, & religiosissimum fuisse, patet ex ijs, quæ adfert Cochlæus loco notato. Multas item ædificarunt, & ornarunt Basilicas sanctissimi Pontifices, Iulius, Damasus, Leo, Symmachus, & alij, qui & ante mille annos floruerũt, & verè sancti scriptorum omniũ consensu habiti sunt. Non est autem credibile, ita pios Principes, tum Ecclesiasticos, tum politicos, in eiusmodi opera conspirare potuisse, si ea Deo non placerent.

Probatur VLTIMO rationibus. PRIMA ratio ex magnitudine Dei; nam domus quò maiori Principi ædificatur, eò debet esse maior. Quis autem Deo maior? Quare Salomon, lib. 2. Paralip. c. 2. *Domus, quam ædificare*

care cupio, inquit, *magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos.*

SECVNDA ratio ex ipso genere operis; nam extruere Deo splendidum templum, est ex genere suo actus duarum excellentium virtutum, religionis, ac magnificentiæ. proinde bonus ex genere suo.

TERTIA ratio, quia non solùm est actus illarum virtutum, sed etiam est exercitium, & signum aliarum. Nam qui magnificum templum erigit, magnificum testimonium edit fidei suæ, & caritatis erga Deum: nec non pietatis, & gratitudinis. & quia pecuniæ summoperè diligi solent; qui eas liberaliter ad honorem Dei expendit, indicat se verè diligere Deum super omnia.

QVARTA ratio ab vtilitate; nam templum magnificè ornatum, multas habet vtilitates. PRIMVM enim attrahit homines faciliùs ad res pias, quę in templis geruntur. nec enim obscura, & sordida loca libenter frequentantur. DEINDE conseruat maiestatem Sacramentorum, & reuerentiam, quæ rebus diuinis debetur; nam quando videmus altare splendidum, & ornatum, facilè erigimus mentem, & cogitamus magnũ esse Deum, cui talia exhibentur: & è contrario facilè cõtemnitur, quod sine apparatu proponitur. TERTIO iuuatur pietas, & deuotio, maximè simplicium, quorum maximus est numerus.

Accedit etiam corporalis vtilitas, quòd magnifica templa diutius conseruantur; & magno splendori sunt ciuitati: multitudo quoque aureorum, atque argenteorum vasorum, sæpe fuit saluti toti Reipublicæ, dum in communi captiuitate, fame, aut peste, Ecclesiæ thesaurus multis millibus miserorum opem tulit, sic vt quasi in id tempus diuinitus datus, & seruatus videretur.

QVINTA ratio à contrario: qui Ecclesias vastauerunt, aut diripuerunt, semper sacrilegi, & perditi habiti sunt, sæpe etiam diuinitus puniti, vt patet de Balthasare, Daniel. 5. de Heliodoro, 2. Machabæorum 3. de Antiocho, 2. Machabæorum 9. Scribit etiam San. Ioannes Chrysostomus homil. 4. in Matthæum, quo tempore Iulianus Apostata iussit diripi templorum ornamenta, & præcipuè sacra vasa, mox quæstorem regium per medium diruptum expirasse, & Iuliani auunculum à vermibus corrosum interijsse. Scribunt quoque Cedrenus, & Zonaras, Leonem filium Constantini Copronymi, cùm abstulisset à templo insignem coronam, quam Mauritius Imperator donauerat ad ornatum tẽpli, mox sensisse in capite suo ignitos carbunculos, inde concepta febre ardentissima perijsse.

SECVNDA propositio. *Aedificare, vel ornare templa, licet sit opus pium, & bonum, potest tamen eiusmodi opus ex defectu circumstantiarum facilè vitiari.* Probatur; quatuor enim sunt circumstantiæ præcipuè, ex quarum defectu malum erit ornare templa, nimirum tempus, locus, modus, & persona. Nam in primis quando quis tenetur iuuare proximum, ac præsertim parentes, aut filios, & non potest simul prouidere proximo, & donare templo: tum non rectè facit, si neglectis parentibus, vel proximis ædificet templa. Ait enim Dominus Oseę 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Et Marci 7. reprehenduntur Pharisæi, qui docebant filios familias offerre templo donaria, cum detrimento parentum. Patet id etiam ex Paulo ad Rom. 3. qui docet, non esse facienda mala, vt veniant bona. Denique ex praxi Sanctorum, qui tempore magnæ necessitatis pauperum, conflarunt calices, & vendiderunt, vt patet ex Ambrosio, lib. 2. de officijs, cap. 28. Si enim tempore necessitatis rectè pastores detrahunt Ecclesiæ ornamenta, certè multò rectiùs non dantur Ecclesiæ, quæ essent auferenda, si data fuissent.

Neque obstat factum viduæ, quæ tribuit in donaria Dei omnem victum suum; nam non tribuit victum patris, aut filiorum, sed suum; & suum non multorum dierum, sed vnius tantùm; neque enim duobus minutis poterat diu sustentari.

DEINDE quantum ad locum, certum est, non omnia loca æqualem ornatum requirere; nam in magnis vrbibus, ad quas multi confluunt, splendida templa esse debent; at in locis desertis, vbi soli Monachi versantur, non videtur conuenire, vt tot sumptus fiant in ædificijs templorum. Et hoc est, quod B. Bernardus præcipuè reprehendit in Apologia ad Gulielmum, quod videlicet Monachi Cluniacenses vellent habere oratoria sua tam magna, & tam ornata, vt æquarent, vel superarent splendorem Episcopalium Ecclesiarum. vbi etiam meritò reprehendit, quod in pauimento sculperent, vel pingerent Sanctorum imagines, & cogerentur, qui in eorum Ecclesijs spuere necesse haberent, in faciem Angelorum, vel aliorum Sanctorum humi depictorum spuere.

Quantum ad modum, peccatur, cùm ornamenta templorum sunt vana, ac potius curiositati, quàm religioni deseruientia. qualia erant in oratorijs Cluniacensium, quæ B. BERNARDVS reprehendit in Apologia ad Gulielmum: *Quid facit*, inquit, *illa ridicula monstruositas? quid ibi immundæ simiæ? quid feri leones? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosæ tygrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas sub vno capite multa corpora, & rursus in vno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis: ibi bestia præfert equum, capram trahens retrò dimidiam: hinc cornutum animal equum gestat posterius. Tam multa denique, tamq; mira diuersarum formarum vbique varietas apparet, vt magis legere liceat in marmoribus, quam in codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in lege Dei meditando.*

Quantum ad personam, peccatur, quando quis supra suum statum, & conditionem vult ornare templa. Nam si qui paupertatem profitẽtur, & victum ab alijs emendicant, vellent ædificare templum marmoreum, & auro, ac gemmis ornare, etiamsi fortè possent eleemosynis, hinc inde conquisitis, id facere, tamen non deceret eorum professionem, magnificentia enim non est Monachorum, sed Principum. Quare hinc etiam meritò arguit S. Bernardus Cluniacenses in illa Apologia. quòd cùm Monachi essent, tamen sumptibus, ac magnificentia Reges æquare vellent.

Superest, vt ad argumenta initio proposita respondeamus. Ad illud igitur, quod obijciebatur ex Hieremia: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, templum Domini, templum Domini.* Respõdeo, à Propheta eo loco argui Iudæos, qui confidentes in externo templo, putabant apud se esse Deum; & se diligi à Deo, nec esse ventura ea mala, quæ prædicebantur à Prophetis, quia templum Dei apud se habebant, etiamsi ipsi interim malè viuendo essent templa diaboli. Nihil autem efficit ista reprehensio aduersum ædificationem ornatumque templorum; nam etsi reprehendatur nimia fiducia in externo templorum cultu, præsertim cùm negligitur cultus animi, tamen non propterea non sunt ædificanda, atque exornãda templa ad honorem Dei, & Sanctorum memoriam. Id ipsum respondendum est ad testimonium S. Hieronymi; ipse enim reprehendit eos, qui non curantes fieri templa Dei benè viuendo, putant sibi omnia tuta esse, si templum externum ædificent, aut ornent.

Ad SECVNDVM, quod ex Hieronymi verbis sumptum est, vt commodè respondeatur, quædam antea prænotanda sunt. Obserua igitur PRIMO, propositum Hieronymo esse, vt reprehendat eos, qui maiorem curam habent templi materialis, quàm spiritualis, idest, qui ædificia mirabiliter ornant, & tamen non curant an ad sacra ministeria eligãtur idonei, vel non idonei.

Sic enim incipit Hieronymus eam reprehensionem ornatus templorum: *Multi*, inquit, *ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt; marmora nitent; auro splendent laquearia; gemmis altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla electio est.* Hæc ille, quæ verissima sunt, & fuerunt semper.

SECVNDO nota, ornatum tabernaculi, & templi Iudæorum aliquo modo typicum, & cęremonialem fuisse; tabernaculum enim, & templum cum omni sua supellectile figuræ fuerunt Ecclesiæ Christianæ, vt patet ex Iacobi concione Act. 15. vbi de Ecclesia exponuntur verba Amos, c. 9. *Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud.* Item ex Paulo 1. Cor. 10. *Omnia contingebant illis in figura.* Denique idem patet ex illa accuratissima descriptione templi, quæ habetur Ezechiel. 40. & sequętib. & ex eo, quod dictum est Moysi, vt faceret omnia accuratè ad exemplar, quod in monte viderat, Exod. 25. Quia ergo tabernaculum, & templum figurę erant, ideo necesse erat, vt essent talia qualia fuerunt, nec poterant aliquid minus, vel magis habere, quia alioqui non rectè repræsentassent. Vt etiam in Scriptura, si vna litera mutetur, non amplius significat id, quod antea significabat.

Et quoniam figuræ Testamenti veteris iam sunt cōpletæ, & lex cęremonialis abrogata est: ideo qui nunc existimaret esse necessarium tale templum, quale fuit Iudæorum, superstitiosus esset, vt hoc tempore Iudæi verè superstitiosi sunt, dum existimant non licere sacrificare nisi in templo tali, quale fecerat Salomon. Et in hoc sensu reprehendit Hieronymus templorum ornamenta; nam etiamsi modò nulli sunt inter Christianos, qui reuera existiment templa necessariò requirere illum ornatum, vt existimabāt Iudæi, tamen dum anteponunt curam fabricę materialis ipsi electioni ministrorum, & ædificio spirituali, videntur factis aliquo modo affines superstitioni Iudæorum. quod etiam notauit B. Bernardus in Apologia ad Gulielmum Abbatem: *Mihi*, inquit, *quodammodo repræsentant antiquum ritum Iudæorum.*

Nota TERTIO, tabernaculi, & templi Iudæorum ornatum non solùm cęremonialem, & typicum fuisse, sed etiam mortalē; nam etiamsi nullius rei figura fuissent, tamen ratio ipsa naturalis dictasset, domum Dei ornatam esse debere: & hoc modò rectè trahimus ornatum tabernaculi, & templi Iudæorū, in exemplum nostrorum templorum. Neque hoc vnquam reprehendit Hieronymus, imò disertè dicit in epistola ad Demetriadem: *Non abnuo, non reprehendo.*

Ad TERTIVM ex Ambrosio (quod Caluinus adfert in epistola præfixa institutioni) dico, in verbis Ambrosij multa esse contra aduersarios, nihil contra nos. Nam PRIMO Ambrosius dicit, aurea vasa Ecclesię nō debere alienari, nisi in magna pauperum necessitate; Ecclesia igitur eo tempore vtebatur aureis vasis. SECVNDO dicit, si necesse sit alienare vasa Ecclesiæ, esse diligenter quærendum, an non sint aliqua nōdum initiata, & si talia inueniantur, non esse vllo modo attingenda vasa initiata; ergo tunc certo ritu vasa consecrabantur. TERTIO dicit, si necesse sit vendere vasa initiata, non debere vendi integra, sed prius conflari, & deinde per partes vendi. id qd fieri debere nos libenter admittimus. atqui hæc omnia pugnant aduersus hęreticos huius tęporis, qui nec pretiosa, nec certo ritu cōsecrata, & sancta, vasa Sacramentorum esse volunt.

Quod ergo Ambrosius ait (*aurum Sacramenta non quærunt*) non significat, Sacramēta nullo modo requirere aurum, sed non requirere ex necessitate, quamuis requirant ex decentia, quando haberi potest. & quod subiungit (*nec auro placent, quæ auro non emuntur*) non significat, in auro displicent, vel nullo modo placēt magis in auro, quàm in alia materia; sed non ideo principaliter placent, quia ministrantur in auro. Si enim in auro displicerent, vel non magis placerēt, quàm in alia materia, Ambrosius non seruasset illa vasa vsque ad eā necessitatem, sed nunquam illis vsus fuisset.

Ad QVARTVM, de Acacio, dico, verba illius Episcopi habere eundem sensum; nam cum Ecclesia illa abundaret eiusmodi vasis aureis, (vt ibidem scribit Socrates,) & occurrisset summa quædam necessitas redimendi captiuos, ille sanctus Episcopus vēdidit partem vasorum, & redemit captiuos ad quinque millia. illa autem eius verba (*Deus noster non eget discis, neque calicibus, quia non comedit, neque bibit*) significant, ista vasa nullam Deo vtilitatem adferre, sed haberi in Ecclesia ad honorem Dei, & nostram vtilitatem, & ideo quando occasio se offert, qua possint esse vtiliora nobis, si vē dantur, debent vendi, quia hoc etiam erit Deo gratius, & magis honorificum. Nam, vt Ambrosius ait, valde pulchrum, & honorificum Christo est, cùm dici potest, hos pauperes Christus redemit; vel etiam calix Christi non solùm sanguine, quem continet, captiuos redimit, sed etiam precio valoris. calix enim redimit ab hoste quos sanguis redemit à peccato.

Ad QVINTVM, ex Hilario, testimoniū Hilarij non est ad propositum; non enim agit ille de ornatu templi, sed eos reprehendit, qui in templo hęreticum Episcopum, ideſt, Auxentiū audiebant, eò quòd existimarent ibi tantum esse veram Ecclesiam, & verum Episcopū, vbi erat templum Deo sacrum: & non considerabant templa sæpe ab hæreticis occupari, & veros Catholicos, vel in cryptis, vel in desertis sæpe versatos.

Ad SEXTVM, ex Lactantio, Lactantius probare volebat, ineptè à Gentilibus offerri munera idolis, ideſt, Dijs non sentientibus: *Frustrà*, inquit, *homines auro, ebore, gemmis, Deos excolunt, & exornant, quasi verò ex his rebus vllam possint capere voluptatem. quis vsus est precioſorum munerum nihil sentientibus?* Hoc autem probat ex Persio, qui verè sapienter scribit, non debere aurea vasa templis inferri, quasi illis delectentur Dij lignei, & marmorei, cùm nihil sentiant; sed potiùs oportere Dijs viuentibus offerre, vt ipse dicit:

Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Itaque non reprehenditur aurum templi, quando bonum vsum habet, ideſt, excitandi ad pietatem; sed solùm reprehenditur, quando sic offertur Deo, quasi is corporeus sit, & rebus eiusmodi corporaliter delectetur.

Ad SEPTIMVM, ex Bernardo, dico, Bernardum nō reprehendere simpliciter ornatum templi, sed ornatū, quem templis suis Monachi Cluniacenses adhibebāt. Nam vt ex Apologia illa colligitur, reprehendit S. Bernardus. PRIMO, quòd Monachi, professione pauperes, erigerent oratoria in immēsam altitudinem, q̄ eorum professioni non conueniebat. SECVNDO, quòd dum templa sua ita ornarent, fatercntur se esse carnales, & infirmos. ornatus enim templorum illis Ecclesijs potissimū conuenit, ad quas populus confluere solet, quia simplices homines egēt eiusmodi rebus. Vnde ibidem ait: *Et quidem alia causſa est Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque, quòd illi sapientibus, & insipientibus debitores cùm sint, carnalis populi deuotionem, quia spiritualibus nō possunt, corporalibus excitant ornamētis.* TERTIO reprehendit, quod quæstus causſa ornarent templa, nimirum vt plures confluerent ad offeredum. QVARTO, quòd cum iniuria Sanctorum humi sculperent imagines. QVINTO, quòd bona, quæ acceperant distribuenda pauperibus, insumerent in illa ornamenta, quando pauperes valde indigebant. SEXTO, quòd ornamenta vana adhiberent templis, quæ solam curiositatem pascere, non autem pietatem excitare valerent. Porrò hæc omnia meritò reprehenduntur.

Ad

Ad OCTAVVM ex Chrysostomo, dico, eum non negare, licitum esse templa magnificè extruere, & ornare: sed solum anteponere huic ornatui curam pauperum. cuius oppositum docet Theophylactus Chrysostomi discipulus in caput 14. Marci; sed possunt facilè conciliari. Sciendum igitur, absolutè melius esse honorare Deum in seipso, quàm in pauperibus; nam caritas Dei semper anteponi debet caritati proximi. veruntamen, quia Deus nulla re indiget, & quæ illi offerimus, vult nobis vtilia esse, non sibi: ideo tunc Deus magis honoratur, & fit illi res gratior, quando quod illi offerimus, est hominibus vtilius. Hinc igitur quando alicubi templa satis benè se habent, pauperes autem notabiliter patiuntur egestatem: tunc melius est dare pauperibus eleemosynam, quàm templo addere ornamenta; & in hoc casu loquitur Chrysostomus. videbat enim homines pronos admodum ad offerenda Ecclesiæ donaria, & negligētes in cura pauperum, in quo sensu etiam videtur dixisse Oseas, c. 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*; idest, malo misericordiam, quàm sacrificium.

At è contrario, si alicubi pauperes mediocriter tractentur, sed templa sint inculta, & deserta, & propterea decrescat pietas, & deuotio: tunc melius est ornare tēpla, quia id est vtilius etiam proximo, cuius pietas, & deuotio iuuatur illo ornatu: & in hoc casu loquitur Theophylactus. quando autem esset æqualis indigentia, & templorum, & pauperum, modò non sit extrema, videretur melius dare templo, quàm pauperi, quia pluris facienda est indigentia spiritualis, quàm temporalis; & quia ornatus templi est bonum durabilius, & communius, quam sit eleemosyna data pauperibus: & quia magis immediatè datur Deo.

Ad PRIMAM rationem dico tria. PRIMO, Christum fuisse pauperem, nec requisiuisse propter se vllam pompam, vel delicias in hoc mundo: tamen non recusasse interdū sumptuosa obsequia, quibus videbat ali, & augeri piorum deuotionē, vt patet de ingressu eius in Hierusalem super asinum; in quo libenter admisit, vt multi sternerent vestes suas in via, quæ pedibus iumenti illius conculcabantur, & fortè etiam lacerabantur, Matth. 21. patet etiam de vnguento pretiosissimo, quo caput suum, & pedes inungi passus est, Matth. 26. & Ioan. 12.

SECVNDO dico: quòd Christus fuerit pauper, & stabulum, ac pannos, & ~~viles cibos~~ amauerit, ideo factum esse, quia ista congruebant tempori mortalitatis eius. Venerat enim, vt pateretur, & per labores, ac dolores, mundum redimeret: At nunc post mortem, & resurrectionem, cùm gloriosus regnat in cælo, conuenit illi domus magnifica, & splendidissima.

Adde TERTIO, templa dicari Christo præcipuè ratione diuinitatis: qua ratione semper fuit dies Rex Regum, & Dominus dominantium. Itaque rectissimè extruuntur illa templa magnifica, qualia Deo conueniunt, licet ipse idem in forma serui, humilitatem, & paupertatem verbo, & exemplo docuerit.

Ad SECVNDAM dico, non esse ociosa ornamenta, quia sunt signa reuerentiæ, & pietatis nostræ erga Deum, & excitant in animis hominum deuotionem. Vnde interroganti Persio:

Dicite Pontifices, in Sancto quid facit aurum?

Respondendum est, multa bona facit, quæ iam enumerauimus.

Ad TERTIAM dico, ornamenta illa non fieri, vt distrahant, sed vt excitent deuotionem. quòd si aliqui distrahuntur, est vitium illorum, qui abutuntur rebus bonis: nisi fortè ornamenta sint omnino vana, & inepta, quæ & nos reprehendimus.

Ad QVARTAM de pauperibus alendis, iam responsum est. adde, quòd si propter ordinarios pauperes non liceret extruere, vel ornare templa, multò minus liceret ornare palatia, instruere conuiuia, habere apparatum vllum equorum, famulorum, curruum, &c. quod si ista licita sunt ad tuendam dignitatem magnarum personarum, non obstante pauperum multitudine, cur non liceat etiam ad conseruandam rerum sacrarum maiestatem templa exornare, non obstante pauperum multitudine?

Ad QVINTAM dico, Matth. 25. numerari opera minora, vt inde colligamus quid de maioribus sentiendum sit; dicitur enim: *Ite in ignem æternum, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare:* & non dicitur, ite in ignem æternum, quia rapuistis aliena, sed hoc à maiori deducitur ex illo. ita etiam non dicitur, ite in ignem æternum, quia non ædificastis templum, sed deducitur hoc à maiori. Si enim damnabitur, qui non fecit eleemosynam, quando eam facere tenebatur: multò magis damnabitur, qui non ædificauit, vel non reparauit, aut non ornauit templum, quando id facere tenebatur. qui autem teneantur, & qui non, alia quæstio est, atque ad rem nostram nihil facit.

CAPVT VII.

De benedictionibus aquæ, salis, cinerum, cerei, &c.

PRIMI, qui eiusmodi benedictiones irridere cęperunt, Vvaldenses sunt, vt patet ex fragmento operis Reynerij, quod extat in fine libri Claudij Cousford contra Vvaldenses. Exorti sunt Vvaldenses, eodem Reynerio teste anno Domini M. C. XL. post eos Flagellantes exorti sunt circa annū Domini M. CCC. L. teste Bernardo Lutzemburgensi in suo Catalogo, qui quòd omnem pietatem constituerent in Baptismo sanguinis per flagellationem spontè effusi, simul asserebāt finem iam accepisse Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & cetera omnia, & cum eis omnes benedictiones aquæ, cinerum, salis, &c. Vnde etiam instrumentum, quo aspergimus aquam lustralem, vocabant clauam mortis; ipsas verò guttas aspersæ aquę scintillas infernales dicebant. Post eos Vviclefistæ (teste Thoma Vvaldensi, to. 3. tit. vlt. c. 68.) asserebant benedictiones aquæ, salis, vini, panis, olei, cereorum, & similium, esse veram practicam necromantiæ. Idem de hæreticis in Boemia grassantibus, scribit Aeneas Syluius libro de origine Boemorum, cap. 35.

Martinus Lutherus in libro de visione Danielis cōtra Ambrosium Catharinum, damnat etiam has omnes benedictiones. Magdeburgenses Cent. 2. cap. 6. col. 121. dicunt, aquæ consecrationem tribui à Catholicis Alexandro Papæ, & Martyri tanquam inuētori: sed rectiùs posse tribui alicui Gētilium Pontifici, cùm Ethnicus sit ritus, aquæ lustralis aspersio.

Caluinus lib. 4. cap. 10. §. 20. Institut. tria dicit contra aquam benedictam. PRIMO, Catholicos pugnare secum, dum dicunt, aquæ benedictionem esse Apostolicam traditionem; & tamen referunt eius institutionem in Alexandrum Papam auctorem, qui fuit VI. à Petro. SECVNDO dicit, institutionem hanc esse recentiorem multò, quàm vt Apostolis, vel Alexandro tribui possit. Nam Augustinus epist. 119. cap. 18. dicit, Christianos omisisse cęremoniam lauandi pedes in die cęnæ Domini, ne videretur ea lotio ad Sacramentum Baptismi pertinere. Quare manifestum est, nullam eo tempore fuisse in Ecclesia lotionem religiosam, excepto Baptismo. TERTIO dicit, aquæ lustralis institutionem nullo mō à spiritu Apostolico proficisci potuisse, quandoquidem nihil est aliud, quàm quędam Baptismi profanatio, & quasi repetitio.

Brentius in sua Confessione, cap. vlt. reprehēdit easdem cęremonias, quia non debent adumbrari mysteria fidei, ipso Euangelio iam toto orbe coruscante.

Denique Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Papistarum, loco 27. ponit inter errores,

aquam lustralem valere ad delenda venialia, & ad fugandos Dæmones, & morbos: & probat primum ex illo 1. Ioan. 2. *Sanguis Christi emundat nos ab omni delicto.* ergo etiam à venialí. Secundò probat, quia nusquam scriptum est, vt aqua consecretur ad fugandos Dæmones. Item, quia scriptum est Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et Deuteronom. 18. *Non sit maleficus, nec incantator inter vos.* Est autem manifesta magia, præter Dei verbum vti creaturis ad fugandos Dæmones. Hæc illi.

His non obstantibus sit PRIMA propositio: *Rectè benedicuntur aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami, & similia.* Probatur PRIMO ex Scripturis, quę continent exemplum, & documentum. Exemplum est Domini Matth. 14. & Luc. 9. qui panes multiplicaturus aspexit in cęlum, & benedixit eos: & ea benedictione multiplicauit. Certè quòd Dominus fecit, argui non potest. Documentum est Pauli, qui dicit 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* In quem locum Chrysost. & Theophyl. scribunt, Apostolum loqui ex hypothesi, idest, omnis quidem creatura bona, & munda est, tamen etiamsi esset immunda, facilè posses eam sanctificare adhibitio signo crucis, & oratione. si ergo etiam res immundæ sanctificantur per crucis signum, & orationem, quantò magis res alioqui bonæ fient meliores, & sanctiores per signum crucis, & orationem.

SECVNDO probatur ex traditione veterum. Ac primum de aqua, ꝙ solet benedici ab ipso tempore Apostolorum, sunt innumerabilia testimonia. Clemens, lib. 8. Apost. constitut. cap. 35. ponit ordinem consecrationis aquæ. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, capite de Baptismo, dicit, aquam sacris inuocationibus consecrari. Alexander I. epist. 1. similiter præcipit aquã benedici. Cyrillus Catechesi 3. dicit: *Sicut mundi cibi fiunt immundi inuocatione diaboli, ita aquam simplicem fieri sanctam inuocatione Dei.* Cyprian. lib. 1. epist. 12. *Oportet*, inquit, *mundari, & sanctificari prius aquas à Sacerdote, &c.* Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 5. docet, aquã debere consecrari. & lib. de his qui mysterijs initiãtur, cap. 3. dicit, aquam nisi crucis signo prius sacretur, nullum habere vsum in Ecclesia. Basil. libro de Spiritu S. c. 27. Apostolicam traditionẽ esse dicit, aquæ consecrationem. Epiphan. hæres. 30. & Theod. lib. 5. c. 21. hist. aquæ benedictæ meminerunt. August. hom. 27. ex lib. 50 homil. & serm. 19. de Sanctis, & lib. 6. in Iulianum, cap. 8. dicit, aquam signo crucis in Ecclesia consecrari. Adde Concil. Nannetense, can. 4. vbi iubetur presbyter cùm ægrotos visitat, primò aspergere aqua sancta ægrotum, & ipsum cubiculum.

Nec Caluini obiectiones aliquid valent. Ad PRIMAM dico, aquæ lustralis institutionẽ non tribui Alexandro, sed Apostolis. Alexandro autem tribui præceptum, vt hæc cęremonia frequentetur.

Ad SECVNDAM dico, Augustinum non damnare cęremoniam lauandorum pedum, sed solùm recensere varias opiniones: nec dicit Augustinus vllos fuisse quibus simpliciter displiceret cęremonia lotionis pedum: sed solum fuisse aliquos quibus displiceret lauari pedes Cathecumenis in die cęnæ Domini, ne videretur illa lotio ad Baptismum necessaria. Vnde ibidem dicit, multis placuisse differendam lotionem in octauum diẽ Paschæ; & Ambros. lib. 3. de Sacramentis, c. 1. defendit cęremoniam lotionis pedum.

Ad TERTIAM dico, per aquam benedictam non repeti Baptismum. Differt enim Baptismus ab aspersione aquæ sanctæ, forma, ministro, intentione, & effectu, vt patet. Quamquam non nẽgarim, per aquam benedictã refricari memoriam Baptismi, & admoneri Christianos, vt cogitent, se aliquando per aquam purgatos fuisse, & pactum cum Deo contra Diabolum iniisse.

A De benedictione olei habemus testimonia Clementis, Dionysij, & Basilij, vbi suprà, & Augustini tract. 118. in Ioan. De benedictione panis extra Eucharistiam, habemus testimonium August. lib. 2. de peccat. merit. c. 26. & Paulini in epist. ad Alipium, & Romanianum, quæ sunt 35. & 36. inter epist. August.

De benedictione cerei Paschalis, habemus testimonium Strabonis, c. 30. & Concilij IV. Toletani, can. 8. & Papæ Zozimi, vt ex Pontificiali patet. De benedictione palmarum, & cinerum, habemus testimonium B. Maximi, cuius extant homiliæ inscriptæ in die cinerum, & in Dominica Palmarum.

SECVNDA propositio. *Rectè ad effectus supernaturales efficiẽdos, & significandos vtimur aqua, oleo, aliisq; rebus benedictione consecratis.*

B NOTA, benedici illa omnia, quæ diximus, in Ecclesia propter tres fines. PRIMO, ad significandos spirituales effectus. Nam cineris aspersio significat pœnitentiam; palmæ, victoriam; cerei Paschalis, gloriam resurrectionis. Neque obstat ratio Brentij de adumbratione, nam istæ significationes non sunt propriæ adumbrationes futurorum, sed repræsentationes externę rerum prẽsentium inuisibilium, & spiritualium, vel etiam rerum præteritarum, quæ vtilissimæ sunt ad effectum excitandum. Alioqui etiam tollemus Baptismum, qui secundum Apostolum, in epistola ad Roman. cap. 6. continet repræsentationem mortis, & resurrectionis Christi, & nostræ etiam per Christum. Vnde etiam Augustinus epist. 119. dicit, Christianos diebus Dominicis, & à Pascha vsque ad Pentecosten,
C stando orare solitos, ad significandam ea cęremonia Christi resurrectionem.

SECVNDO, ad deletionem venialium peccatorum. de qua re vide S. Tho. 3. par. q. 87. art. 3. & Dominicum à Soto in 4. Sent. dist. 15. q. 2. & Gratianum can. Aquã, distin. 3. de consecrat. Neque argumentum Heshusij concludit: nam sanguis Christi emũdat ab omni peccato, sed si aliquo modo nobis applicetur. Et quemadmodum applicatur per Baptismum, & Pœnitentię Sacramentum, ad delenda omnia peccata: ita etiam applicatur per Sacramẽtalia, & orationem Dominicam, ad delenda venialia in eo, qui est in gratia.

TERTIO, ad fugandos dęmones, & curandos morbos, vt ex precibus patet, quibus consecrantur. Verum est tamen, quòd non operantur infallibiliter, sicut ope
D rantur Sacramenta; & ratio *est*, tum quia vim habent eiusmodi res non ex pacto Dei expresso, quomodo Sacramenta, sed ex precibus Ecclesię, & deuotione vtentium; tum etiam, quia aliquando non expedit nobis, vt liberemur, vel à morbo, vel à dęmonis vexatione.

Probatur nunc propositio, quoad istum tertium effectum, exẽplis Scripturæ, & Sanctorũ. Nam Num. 5. aquæ, super quas maledictiones à Sacerdote pronunciatæ fuerant, si ab adultera epotæ fuissent, mox ventrẽ eius inflari, & femur putrescere faciebant; nec tamen
E ista necromantia dici poterat. Num. 19. aqua cineribus mixta dicebatur aqua expiationis, eaque mundabãtur Iudæi non quidem à peccatis, sed à legalibus sordibus, vt Apost. dicit Hebr. 9. Nec dicere possumus eam fuisse incantationem. Similiter 4. Reg. 2. Elisæus ad sanandas aquas miraculo adhibuit salem. Et 4. Reg. 5. ad curandam lepram Naaman Syri adhibuit aquam Iordanis. Mar. 6. vngebant Apostoli ægros oleo, & curabantur. Hęc exempla satis ostendunt, non esse necromantiam, adhibere aquam, vel oleum, ad effectus supernaturales, tanquam signa diuinæ virtutis.

SECVNDO, probatur exemplis Patrum. nam apud Epiphan. hæres. 30. Ioseph aqua benedicta soluit incantationes. Similiter fecit Marcellus Apameensis apud Theod. lib. 5. c. 21. Item Macharius apud Palladium, c. 19. Porro Hilarion apud Hieronymũ pane, vel oleo benedicto plurimos curauit. Sicut etiã S. Bernardus,

vt

vt in vita eius scribitur, lib. 3. cap. 5. Greg. lib. 1. Dialogorum, cap. 10. scribit, S. Fortunatum curasse quēdam, qui cadens ex equo, femur confregerat, solius aquæ benedictæ aspersione. Beda, lib. 5. hist. cap. 4. scribit, nobilissimam fœminam grauissimè laborantem aqua benedicta mox ita conualuisse, vt ministraret mensæ, quemadmodum aliquando fecerat socrus Petri. Bernard. in vita Malachiæ scribit, à Malachia, per aquam benedictam hominem phreneticum esse curatum.

Ad hæc, & similia ita respondet Heshusius: *Mendacia*, inquit, *quæ finguntur de miraculis factis per aquam lustralem, retundenda sunt præcepto; Non dices falsum testimonium. Quod si contendant vera esse, nota est Christi admonitio, Pseudoprophetæ edent miracula, & prodigia, vt inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi.* Sed facile est iudicare, mendacia necne dici possint, quæ testimoniū habent ab Epiphanio, Theodoreto, Palladio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, & num sint Pseudoprophetæ sanctissimi illi viri, Ioseph. Marcellus, Macharius, Hilarion, Fortunatus, Malach. qui Christi nomine, aut diaboli artes dissoluerunt, aut morbos grauissimos curauerunt. Videat potius Heshusius, ne sit ipse temerarius, & blasphemus, & in spiritū Domini peccatum admittat. Quid enim temerarium magis, quàm tot sanctos Patres mendacij reprehendere, sine teste, sine ratione vlla? quæ est autē blasphemia in Spiritum S. si hæc non est, opera diuina Christi inuocatione, à sanctissimis viris perfecta, inter signa mendacia Pseudoprophetarum referre?

Ad rationes autem Tilmanni facile est respondere. Ad illam: *Non est scriptum, vt aqua sanctificetur, ad pellendos dæmones*, respondeo, falsum est; nam scriptū est, omnem creaturam posse sanctificari p verbū Dei, & orationem. Et rursus scriptum est: *Petite, & accipietis*. Ecclesia igitur Christum, & Paulum sequens verbo Dei, & oratione sanctificat aquam, & petit, vt valeat contra dæmones, & morbos, & Deus miraculis testatur se audire eiusmodi preces. Præterea etiamsi scriptum non esset, quid tum? Vbi nam scriptum erat, vt aquę sanarentur sale, & lepra curaretur aqua Iordanis? & tamen vtrumque fecit Helisæus.

Ad Secvndam: *Non assumes nomen Dei tui in vanum; & non erit inter vos magus*, respondeo, assumere nomen Dei in vanum, propriè nihil esse aliud, quàm peierare, vt rectè explicat Cōcilium Toletanum VIII. cap. 2. Malefici autem, & incantatores sunt, qui Diaboli potestate aliquid mirum operantur. At qui aquam benedicunt, nec peierant, nec Diabolum inuocant; sed solùm religiosè Deum precantur. Tota enim virtus aquæ lustralis nititur verbo Dei, & oratione, vt ex Apostolo demonstrauimus.

CAPVT VIII.

De peregrinationibus.

Disservimvs de templis, nunc de peregrinationibus ad templa, aliaque sacra loca, paucis differendum est. Error fuit Claudij Taurinensis, apud Ionam, lib. 3. de cultu imaginum, inanes esse peregrinationes ad loca Sanctorum. Eundem sequuti sunt Petrobrusiani, teste auctore vitæ S. Bernardi, lib. 3. cap. 5. Vviclefistæ autem, teste Thoma Vvaldensi, to. 3. tit. 15. idololatriæ damnabant eos, qui ad loca sancta peregrinabantur.

Ioannes Calvinvs, lib. 4. Instit. c. 13. §. 7. peregrinationes votiuas ad loca Sanctorum non solùm inanes, sed etiam plenas manifesta impietate esse dicit. Nō tamen aliter probat, quàm communi suo axiomate, φ omnis voluntarius cultus Deo displiceat.

Magdebvrgenses Cent. 4. capite 6. colum. 458. tempore Constantini cępisse volunt abusum peregrinationum ad loca Sanctorum, sed non diu postea refutatum fuisse longa oratione à Gregorio Nysseno. Quam orationem totam recitant eadem Cent. 4. c. 10. colum. 936. & sequentibus.

Ex qua oratione sumuntur hæc argumenta. Primvm Christus Matth. 5. inter ea, quæ homines beatos faciunt, non posuit peregrinationes. Secvndvm, multa sunt pericula spiritualia in itineribus, ac præsertim mulieribus, vt notum est. Tertivm, nihil inuenire possumus Hierosolymis, quod in nostra regione non habeamus, nam Deus non magis est ibi, quàm alibi, vt patet ex eo, quod homines regionis illius nō sunt meliores cęteris, sed fortè peiores. Porro res Dei, idest, templa, & altaria vbique inueniri possunt. Poterant addere Hieronymi epistolam ad Paulinum de institutione Monachi, in qua multis argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca sancta suscipere; & adducit exempla S. Antonij, & aliorum Monachorū, qui licet in vicinia Sanctorum locorum habitarent, tamen nunquam ad illa venerunt.

Sed nihil horum nos mouere debet. sunt enim peregrinationes ad loca sancta piæ, & religiosæ, vt Concilium Tridentinum, sess. 25. rectissimè docet. Id probatur Primvm Scripturæ testimonio Deut. 16. Deus instituit, vt omnes filij Israel ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinarentur. quod pręceptum studiosè seruabat Helcana, & Anna vxor eius 1. Reg. 1. necnon Christus ipse cum matre sua, & S. Iosepho Lucæ 2. Ioan. 12. etiam Gentiles veniebant adorare in Hierusalem propria regione relicta. Act. 8. Eunuchus Aethiops ex longinqua regione veniebat adorare in Hierusalem. Act. 20. Paulus ipse festinabat in itinere, vt in Hierusalem faceret Pentecosten. quem locum adducit Hieronymus in epist. 17. ad Marcellam, vt ostēdat bonum esse ad loca sancta peregrinari. Hęc igitur exempla ex Scripturis petita, quæ nullo modo reprehendi possunt, satis indicant, non esse inanem peregrinationem.

Secvndo probatur ex Patribus. Evsebivs lib. 6. hist. c. 9. *Alexander*, inquit, *Hierosolymam adorandi, & locorum Sanctorum videndi caussa properauit.* Idem refert Hieron. lib. de viris illustrib. in Alexandro. Porro iste Alexander floruit centum annis ante tēpora Constantini, & Martyr fuit sanctissimus, quem etiam mirificè laudant Magdeburgenses Cent. 3. c. 10. in princ. Ex quo apparet mendacium esse Magdeburgensium, quòd cęperint peregrinationes ad loca sancta tempore Constantini. S. Nicolaus quoque adolescens ante Constantini imperium voti caussa peregrinatus est in Hierusalem, auctore Simeone Metaphraste. Idem Euseb. lib. 3. de vita Constantini, & Ambrosius oratione de obitu Theodosij laudant Helenam, quod religionis caussa Hierosolymam iuerit.

Gavdentivs Episcopus Brixianus in sermone de dedicatione templi, scribit, se peregrinatum in Hierusalem, & in itinere, cùm transiret per Cęsaream Cappadociæ accepisse dono à duobus sanctis mulieribus, neptibus magni Basilij, reliquias XL. Martyrum.

Ioannes Chrysostomvs homil. 66. ad populum Antiochenum, circa finem, comparans sepulchra Martyrum cum sepulchris Regum: *Itaque*, inquit, *quo regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratia peregrinati sunt. futuri namque iudicii vestigia, & signa Sanctorum ades exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.*

Hieronymvs epist. 17. ad Marcellam: *Longum est*, inquit, *nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diē per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquētium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis,*

de

de quibus primũ Euangelium de patibulo coruſcauerat. Idem epiſt. 27. de obitu Paulæ: *Cuius*, inquit, *gentis homines ad loca ſancta non veniunt?* In epiſt. 46. ad Ruſticum, qui vouerat peregrinari ad loca Sancta Palæſtinæ: *Redde*, inquit, *quod præſente Domino ſpopondiſti, incerta eſt vita mortalium, ne ante rapiaris, quàm tuã impleas ſponſionem.* Denique epiſt. 154. ad Deſiderium, hortatur illum, vt veniat ad loca ſancta, & inter alia dicit: *Certè adoraſſe, vbi ſteterunt pedes Domini, pars fidei eſt.*

SVLPITIVS lib. 2. ſacræ hiſt. deſcribens acta Helenæ dicit, illud eſſe mirandum Hieroſolymis, quod in loco, vnde Dominus cęlum aſcendit, adhuc ſeruentur pedum eius veſtigia, & cum ad eum locum vndiq; fideles confluant, & rapiant aliquid calcati pulueris, dãnum tamen arena non ſentiat.

PAVLINVS epiſt. 11. ad Seuerum: *Non aliter*, inquit, *affectus homines ad Hieroſolymam rapit, niſi vt loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant, atque contingant.* Et natali 3. S. Felicis ſcribit, turbas innumerabiles ex remotiſſimis locis peregrinari ſolitas ad corpus S. Felicis.

PRVDENTIVS in hymno de SS. Hemiterio, & Chelidonio:

Exteri necnon & orbis
Huc colonus aduenit.
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix
Hic patronos eſſe mundi,
Quos precantes ambiant.

AVGVSTINVS epiſt. 137. ad clerum & populũ Hipponenſem; *Elegit*, inquit, *aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent, ad locum ſanctum ſe peregrinaturos.*

CASSIANVS lib. 4. de inſtitutis renunciantiũ, c. 13. meminit Monachorũ, qui orationis cauſſa ad loca ſancta pergebant: *Quidam*, inquit, *fratrum ad loca ſancta de Aegypti partibus orationis cauſſa conuenerant.*

SOCRATES lib. 7. cap. penultimo ſcribit, Eudociam Theodoſij iunioris vxorem ex voto Hieroſolymæ peregrinationem ſuſcepiſſe. Sanctum Alexium peregrinatum ad nobiliores eccleſias mundi, ſcribit Simeon Metaphraſtes in eius vita.

BEDA lib. 5. hiſt. c. 7. ſcribit Regem Ceeduallam peregrinationem ad limina Apoſtolorum ſuſcepiſſe, cupientem ibi Baptiſmum ſuſcipere, & mox à Baptiſmo ex hac vita migrare. Quorum vtrumque impetrauit; nam in Sabbatho S. à Papa Sergio baptizatus, in ipſa hebdomada Paſchę in albis poſitus, leui morbo correptus migrauit ad Dominum. Item c. 20. ſcribit Regem Cęnredum relicto regno peregrinationem ad Apoſtolorum limina ſuſcepiſſe, & apud eadem limina in ieiunijs, & precibus vſque ad vitæ finem permanſiſſe.

NICOLAVS I. in epiſt. ad Michaelem ſcribit, multa millia hominum ex omnibus terrę finib. confluere ſolita ad limina Apoſtolorum Religionis cauſſa.

PALLADIVS in hiſt. Lauſiaca, c. 113. ſcribit Philoromum Presbyterum bis voti cauſſa peregrinatũ Hieroſolymã, & item ex voto peregrinatum Romã ad limina Apoſtolorũ, & Alexandriã ad reliquias S. Marci, idem c. 118. ſcribit Melaniam Hieroſolymæ occupatã in ſuſcipiendis peregrinis ex toto orbe venientibus.

His adde Concil. CABILONENSE ſub Carolo Magno celebratũ, quod can. 45. docet eorum deuotionem omnib. probari debere, qui pęnitentię cauſſa ad limina Apoſtolorum, vel alia ſancta loca peregrinantur.

Probatur VLTIMO rõne, ſumpta ex vtilitate peregrinationum; nam tria bona adferunt. PRIMO cedũt in honorem Dei & Sanctorum non mediocrẽ. Eſt. n. manifeſtum ſignũ, Deum, & Sanctos à nobis magni fieri, cùm laborem, & pericula itinerum ſponte ſuſcipimus, vt Sanctorum reliquias inuiſamus. SECVNDO, eſt opus pęnitentiæ, & ſatisfactionis, quia laborioſum, & pęnale. TERTIO, auget deuotionem; nam præſentia loci Sancti vix dici pót, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reuerentiã, & licet vbique ſint aliqua ſancta loca, tñ ſæpè alibi ſunt loca ſanctiora, ad quæ vtile eſt peregrinari, vel ſi non ſint ſanctiora, ſunt tamẽ alia ab his, quæ in noſtra patria inueniũtur, & ipſa nouitas iuuat ad excitandam deuotionem, ſæpè ẽt peculiari amore ferimur erga Sancti alicuius memoriam, quæ procul abeſt à nobis, & eo accedere non parũ iuuat, licet habeamus domi memorias celebriores.

Ex his ad argumentum Caluini dico, cultum voluntarium dici eum, qui ſine rõne ſuſcipitur, vt ſi quis voueat ſe non iturum ad menſam, niſi bis lauerit manus. At cultus qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non ſit præceptus, vt patet Num. 30. vbi Dominus iubet impleri vota rerum non præceptarum.

Ad Magdaburgenſes dico duo. PRIMO, fortè non eſſe Nyſſeni illam orationem; nam nec habetur in operib. eius, nec ſcitur quis illam verterit in ſermonem Latinum, & fortè etiam Græcè non inuenitur.

SECVNDO, dico in ea orõne non reprehendi abſolutè peregrinationem in Hieruſalem, ſed reprehendi eiuſmodi peregrinationem in certis perſonis, i. Monachis, & ſanctimonialib. nam de talibus ſolum eo loco agitur, quamuis aũt peregrinatio ſit bona, tñ non omnib. conuenit, quidam enim ſunt quib. non conuenit peregrinari, quales ſunt mulieres, niſi magnũ, & tutũ habeant comitatum, item Monachi, qui in clauſtris in ſilentio, precibus, ac ieiunijs exercentur, illorum enim maius bonum impediretur minore bono peregrinationis, & hoc modo Ionas lib. 3. reſpondet ad calumnias Claudij cõtra Abbatem Theodemirum. dixerat enim Claudius Abbati laudanti peregrinationes ad vrbem: *Quare tu Monachos tuos retines in Monaſterio, & non mittis oẽs Romam?* Reſpondet Ionas pro Abbate, *quia peregrinatio eſt bona. ſed non conuenit Monachis; ſicut et nuptiæ bonæ ſunt, ſed non conueniunt profeſſoribus continentiæ.* Sic ẽt Hieron. qui tam multa dixit in laudẽ peregrinationum, tñ Paulinum Monachum dehortatur à peregrinatione, quia propoſito eius magis conueniebat quies, & ſtabilitas Monaſterij, vbi ẽt rectè monuit idem Hieron. S. Antonium, qui Monachus erat, nunquam peregrinatum ad loca ſancta. Hilarionẽ aũt quia in Palæſtina degebat, ſemel tñ loca ſancta inuiſiſſe, ne videretur contemnere religionem eorum locorũ, quæ in vicinia erant, ſic ergo & Gregorius Nyſſenus facit: nam alioqui quomodo credibile eſt Nyſſenum voluiſſe reprehendere, quod ſciebat factum à S. Alexandro Martyre ſuę regionis homine, & quod non ignorabat laudari ab omnibus Doctoribus ſuæ ætatis.

Sed diluamus obiectiones. Ad PRIMAM rationem dico, ea probari ſolum, peregrinationem non eſſe opus neceſſarium ad perfectionem, vel ad ſalutẽ. Et ad hoc ſolum probandum adfertur à Gregorio; nam Monachi illi putabant ſe non poſſe eſſe perfectos, niſi viderent loca ſancta, quod certè falſum erat.

Ad SECVNDAM dico, illa pericula rectè ꝓbare, peregrinationẽ nõ eſſe omnib. accõmodatam, ſed ſolum viris maturis, & quib. parum aut nihil periculi imminеat. Greg. igitur rectè argumentatur, quia de ſanctimonial. agit cũ dicit propter pericula debere omitti eiuſmodi peregrinationes, nulli enim hominum generi magis cauenda ſunt pericula tentationum, quàm ſanctimonialibus, quibus & ſexus, & profeſſio cautionem maximam indicit.

Ad TERTIAM dico, nihil eſſe Hieroſolymis quod non poſſit alibi inueniri, ſi agamus de reb. eſſentialib. & neceſſarijs ad religionẽ; Deus eſt vbique, Sacramenta, templa, altaria vbique ẽt inueniri pñt, & hoc ſufficiebat Greg. vt ſuaderet Monachis, & virginib. ne ſol-

licіti

liciti essent pro itinere Hierosolymitano: tamen interim negari non potest, quin aliquid sit Hierosolymis, quo deuotio iuuari possit, quod alibi nō inuenitur, nimirum sepulchrū Domini, & loca illa sancta, quæ toties Dominus calcauit, & in quibus tot mirabilia operatus est. Sed hęc non tanti facienda sunt, vt propterea oporteat deserere maiora bona.

CAPVT IX.

De votis quæ nuncupantur Sanctis.

ERASMVS in Colloquio, quod inscribitur Naufragium, miro modo irridet vota, quæ Sanctis nuncupantur. De hęreticis aūt omnib. nulla esse potest dubitatio, quin nos pro idololatris habeant ob ea vota q̄ passim Sanctis nuncupamus, & ratio esse potest, quia votum est actus religionis soli Deo debitus, qualis est etiam iuramentum, & sacrificium, vt patet ex diuinis literis, vbi perpetuò vota dicuntur fieri Deo, Num. 30. Deut. 23. in Psalm. passim, & præcipuè Isaiæ 19. vbi legimus: *Colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.*

Verumtamen, posse aliquo modo Sanctis vota nūcupari, certissimū est. Et probatur testimonijs antiquorum Patrum. EVSEBIVS lib. 13. præparat. Euang. c. 7. loquens de Martyrib. nomine omnium Christianorū: *Nos*, inquit, *veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorātes ad monumenta illorum accedimus, votaq; illi facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum nō parū iuuari profitemur.* THEODORETVS lib. 8. ad Græcos, vbi dixerat varia à Martyrib. peti, subdit: *Piè*, inquit, *fideliterq; precatos ea maximè consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persoluunt; nam alii quidem oculorum, alii verò pedum, alii manuum simulachra suspendunt ex argento, auroue confecta, &c.* PALLADIVS in hist. Lausiaca, c. 113. scribit, sanctū Philoromū ex voto Apostolis nūcupato venisse Romā ad limina Apostolorum, & deinde Alexād. ad S. Marcum.

PRVDENTIVS in Hymno de SS. Hemeterio, & Chelidonio:

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obseruantes
Voce, votis, munere.

PAVLINVS Natali 1. S. Felicis:

Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota, &c.

Et natali 2.

Coram vota tibi, coram mea corda dicauit.

Et natali 4.

Annua vota mihi remeant, simul annua linguæ
Debita, &c.

Gregorius TVRONICVS libro 2. hist. Francorum, cap. 37. meminit voti, quod nomine Clodouei Regis S. Martino fecerunt ministri eius: *Domino*, inquit, *gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes læti nunciauerunt Regi, &c.*

Accedat aduersariorū testimoniū: nam Faustus apud Aug. lib. 20. contra Faustū, c. 3. *Idola*, inquit, *vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis.* Ex quo Fausti testimonio discimus, vsitatissimum in primitiua ecclesia fuisse, vt Martyribus vota fierent.

Ad argumentū aūt, quod nos ipsi proposuimus, respondet B. Thom. in 2.2.q.88. art.5. vota q̄ fiunt Sanctis, vel Prelatis, includere duas promissiones: nā quæ fit Sanctis, & illam non esse formaliter votū, sed materiam voti: alterā q̄ fit Deo, & illam esse formaliter votū, vt cum quis dicit; Voueo B. Mariæ me ad eius domum peregrinaturum; promittit virgini hanc peregrinationē, sed hæc promissio non est votū: & simul promittit Deo, se impleturū promissionē virgini factā, & hæc secunda promissio verè est votum. At ista rectè se habent in votis, q̄ includunt ꝓmissionē homini mortali factam; nam qui vouet obedientiā prælato reuera votum nō prælato, sed Deo facit, licet ipsi prælato obedientiā promittat, non.n. illo voto prælatum, sed Deū colere & honorare intendit: similiter qui vouet perpetuò ministrare in Xenodochio, Deo facit votum, non Xenodochio, tamersi in vtilitatē & cōmodum Xenodochij faciat. At qui vouet ieiunium vel peregrinationem Sanctis, ipsos Sāctos religiosè honorare intēdit, & præterea Caiet. in eum art. B. Thom. probat ex ipsa professione Fratrum prædicatorū, vota verè fieri Sanctis: nā dum profitentur, dicunt: *Voueo Deo, & B. Mariæ, & omnib. Sanctis, me prælato tali vel tali obediturū.* Vbi ex duab. promissionib. vna dirigitur ad prelatū, & illa est materia voti; altera quę est formaliter votū, ad Deum, & Sanctos simul. Caiet. igitur adfert aliā solutionem, ac dicit, vota fieri Sanctis, non vt sunt creaturæ quædam rōnis participes, sed vt in eis Deus habitat per gloriam, ita vt vota, quæ fieri dicunt Sanctis, fiant Deo in Sanctis: qūo maledicta in Sanctos dicuntur blasphemiæ, quia Deus in Sanctis maledicitur.

SED obijciet fortassis aliqs. Aut vota, quę fiunt Deo in Sanctis, terminantur ad solum Deum, qūo sacrificium soli Deo offertur, licet in memoriā, & honorem Sanctorū: aut terminantur ēt ad ipsos Sanctos, ita vt reuera ipsis vota fiant, qūo eleemosyna, quæ dat Christo in paupere, verè datur ipsi pauperi, si primum accipiatur, ergo non verè fiunt vota Sanctis, si secundum, ergo idololatræ videmur.

RESPONDEO, secundo modo fieri vota sanctis, nec tñ nos esse idololatras; nam non eadem rōne fit votū Sanctis, & Deo; & solum votum quod fit Deo, est cultus latriæ. Animaduertendum est enim, inter omnes conuenire verè & propriè Sanctis aliquid promitti; sicut verè & propriè aliquid promittitur Deo: id enim & B. Thom. concedit, & per se patet; nam si licet Sanctis ædificare sepulchra, & basilicas, ornare eorum reliquias, accendere coram eis cereos, vt suprà ostensum est, cur non liceat eis ista promittere?

Rursum, inter oēs Catholicos conuenit aliter promitti munus Deo, aliter Sāctis; nam Deo promittitur in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum, & in recognitionem beneficij ab ipso, tanquā à primo auctore accepti, & proinde illa promissio est cultus latriæ; at Sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga mediatores, & intercessores, per quos à Deo beneficia accepimus; & proinde illa promissio non est cultus latriæ, sed duliæ.

Solùm vr̄ dubium esse, an ista promissio facta Sanctis possit dici votum. i. an votum, sit nomen generale, quod dicatur Analogicè de promissione facta Deo, & Sanctis, qūo nomen orationis, & nomen cultus se habent: an verò sit nomē speciale, quod solum dicatur de promissione Deo facta, sicut sacrificium non dr̄ nisi de munere, quod offertur Deo. Etsi aūt controuersia vocabuli, cum de re constat, nos torquere non debet; existimo tñ fm vsum ecclesiæ nomē voti esse generale; nā nullus dicere auderet, sacrifico Deo, & B. MARIÆ; vel ēt absolutè, sacrifico B. MARIÆ; & tñ dicimus, voueo Deo, & B. MARIÆ; & ēt sipliciter, voueo B. MARIÆ.

Præterea nomen voti ita est coniunctum cum nomine orationis, vt Græcè dicat votum εὐχή, oratio verò προσευχή, vt notat Greg. Nyss. orat. 1. in orationem Dominicam; Latinè aūt læpissimè accipitur uotum ꝓ oratione. Et ratio est, quia ut ibidem docet Nyss. uota ordinantur ad orationem; solemus.n. cum impetrare aliquid uolumus, prius uotis conciliare eum, à quo uolumus petere, deinde petere id, quod uolumus. Vnde est illud 6. Aeneidos: *Aenea cessas in vota, precesq;?* Sicut ergo orationis nomen non solum dr̄ de illa petitione, qua à Deo postulamus beneficia, quæq; est actus latriæ; sed ēt de illa, qua postulamus à Sanctis, ut nostrā orationem iuuent, quā fudimus ad Deum: ita ēt uoti

nomen

nomen nõ solum conueniet promissioni, quæ fit Deo, quæq; est actus latriæ, sed promissioni, quæ fit Sãctis, & quæ non est actus latriæ. Neque his repugnat, quod in Scripturis nomen uoti semper accipiat pro promissione facta Deo, nam cùm scriberentur Scripturæ sanctæ, nondum ceperat usus uouendi Sanctis.

SED obijcies; si promissio facta Sanctis mortuis potest dici uotum; cur non etiam promissio facta Sanctis adhuc uiuentibus nobiscum?

Respondeo PRIMO, quia promissio facta Sanctis cum Christo regnantib. est similior promissioni quę fit Deo, q̃ fit promissio homini mortali. Nam quẽadmodum id quod ꝓmittimus Deo, nõ est illi utile, sed nobis, & solum fit in signum honoris, & gratitudinis; ita ẽt quod promittimus Sanctis in cęlo regnantib. nõ est illis utile, sed nobis, neque. n. illi nostris reb. indigent, cum sint beati; & solum ista illis ꝓmittimus & offerimus in signum memoriæ, honoris & gratitudinis. At q̃ hominib. hic uiuentib. ꝓmittimus, illis utilia sunt, uel certè esse possunt, cùm ipsi multis rebus egeant.

SECVNDO, quia uotum non conuenit Sanctis nisi quatenus sunt Dij per participationem: at Sanctos cũ Christo regnantes certò scimus esse tales; de viuentib. nobiscum non scimus certò, sed suspicamur tantum.

TERTIO, quia Sancti in cęlo iam sunt reipsa beati, & glorioſi, & filij Dei, ac Dij quidam per participationem, quia sunt confirmati in illo statu, neque excidere possunt, at Sancti, qui viuunt nobiscũ, modò sunt Sãcti, modò non sunt, & magis in spe, quã in re sunt beati, & glorioſi, rectè igitur quæ mortalib. promittuntur, non dicuntur uota; dicuntur autem, si beatis hominibus in cęlo degentibus promittantur.

CAPVT X.

An sint festi dies à Christianis celebrandi.

POSTREMA restat quęstio de festis. Differemus aũt primò de festis in genere. Secundò, de die Dominica. Tertiò, de Paschate. Quartò, de cęteris festis Domini. Quintò, de festis Sanctorum.

Quod igitur ad primum attinet, de celebratione festorum in vniuersum, tres sunt errores. PRIMVS veterum Ebionitarũ, qui existimabant debere Christianos seruare dies festos noui, & veteris Testamenti, i. Sabbathum, & Dominicã, vt Euseb. refert lib. 3. hist. c. 27. Eundem errorem tempore B. Greg. quidam reno uare voluerunt, vt patet ex lib. 11. epist. 3. idem hoc tẽpore seruant Christiani, qui in Aethiopia degunt, qui in eodem honore habent Sabbathũ, & Dominicam. Argumentum eorum est, quia Exod. 31. de Sabbatho dicitur: *Pactum est sempiternum, signumq; perpetuum.*

ALTER error est Petrobrusianorum, vt patet ex libro 3. c. 5. vitæ B. Bernardi: & Vvaldensium, vt docet Guido in sua Summa: & Vviclefistarũ, vt refert Thomas Vvaldensis, tom. 3. tit. 16. cap. 140. qui omnia festa tollebant, tanquam si festi dies ad cæremonias Iudæorum solùm pertinerent.

Argumentum eorum erant tria loca B. Pauli, PRIMVS Rom. 14. *Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem*; i. alius putat vnum diem esse Sanctũ, alium profanum; alius verò oẽs dies putat esse æquales, & licet Paulus toleret in Romanis errorem illum de discretione dierum, quia nondũ erant instructi plenè; tñ clarè indicare videtur esse errorem. SECVNDVS est Galat. 4. *Dies obseruatis, & menses, & annos, timeo vos, ne frustrà laborauerim in vobis.* TERTIVS locus est Colos. 2. *Nemo uos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi.* Adhæc addunt ex Patribus rationem; nam Sabbathum, quod mãdatum fuerat Iudæis carnaliter obseruandum, nimirum, vt abstinerent ab operib. seruilibus, nobis mandatum est spiritualiter, vt scilicet vacemus à peccatis, quę sunt opera verè seruilia; quę sentia est Sanctorum Patrum; Ambrosij in c. 13. Lucæ; Hieronymi in cap. 4. ad Galat. Augustini epist. 119. & Gregorij lib. 11. epist. 3.

TERTIVS error est Lutheranorum, & Caluinistarum, qui admittunt dies festos, sed ita admittunt, ac si non admitterent. Summa doctrinæ eorum in his capitib. consistit. PRIMVM docent, festos dies celebrare esse iure diuino, & naturali præceptum, probant ex decalogo; nã licet prẽceptum de Sabbatho sit aliquo modo cæremoniale, est tñ aliquo modo ẽt naturale, alioqui in decalogo positum non fuisset. Præterea, quia natura ipsa docet, oportere nos aliquando feriari ab operib. corporalibus, tum vt vacemus Deo, & conueniamus in ecclesia ad verbum Dei audiendum: tum etiã vt aliquam remissionem concedamus famulis, & operarijs nostris; & in hoc primo non dissentimus.

SECVNDO docent, quia ius diuinum non determinauit certos dies, quib. Christiani feriari debeant, debere eos determinari ab ecclesia, ideſt, à pastoribus, cõsentiente populo, & in hoc etiam non multum dissentimus; solum enim displicet, quod putant necessarium populi consensum. Christus enim potestatem gubernandæ ecclesiæ non tribuit Apostolis cum ea conditione, si populus consentiret, sed simpliciter. verum de hac re alibi diximus.

TERTIO docent, dies determinatos ad feriandum nõ debere haberi cæteris Sanctiores quasi mysterij aliquid, vel piam significationem continerent: sed solùm haberi tanquam determinatos, disciplinæ, & ordinis, ac politiæ causſa, ita vt cum hac determinatione simul consistat æqualitas dierũ, & in hoc nos accusant, quasi habeamus discrimẽ dierum more Iudaico; & probant assertionem suam ex locis Pauli suprà citatis. Paulus enim reprehendit discrimen dierum: at certè non reprehendit discrimen necessarium ad ordinem, & politiam, ergo discrimen religiosum, & cęremoniale, quale erat Iudæorum, quale esse videtur (vt ipsi dicunt) Christianorum, qui ob similes significationes dies mysticos habent, & colunt.

QVARTO docent, determinationem dierum non obligare Christianos in conscientia, nisi ratione scandali, vel contemptus, & in hoc ẽt arguunt Catholicos, quod obligent fideles humanis præceptis. Porrò sententiam suam Centuriatores probant, quia festorũ observatio in primitiua ecclesia habebatur res indifferẽs, & media, vt reuera est, ergo non potuit imponi postea sub necessitate; nã Paulus, & alij, modò colebant Sabbathum, modò Dominicã indifferenter. nã Actor. 13. Paulus in Sabbatho concionatur. Ioannes autem Apocalyp. 1. mentionem facit Dominicæ.

Præterea quia Paulus, Gal. 4. resistit Pseudoapostolis volentibus introducere obligationem festorũ. Deinde Heshusius idem probat: quia cùm plura sint festa Christianorum, quam Iudæorum, si eorum obseruatio ad peccatum obliget, erit intolerabilib. iugũ Christianorum, quàm fuerit Iudæorum, de quo tamen Petrus ait Actor. 15. *Nec nos, nec Patres nostri portare potuimus.* Addit Caluinus testimonium Socratis lib. 5. c. 21. qui dies festos liberos esse voluisset, ac reprehendit impositam necessitatem.

QVINTO docent, non licere dies festos consecrare Sanctis vel Eucharistiæ, & multò minus conceptioni B. Mariæ, sed de hoc infrà suo loco. Hanc esse mentem hæreticorum, patet ex Magdeburgens. Cent. 1. lib. 2. c. 6. col. 503. ex Tilmanno Heshusio lib. de DC. errorib. Pontificiorum, ti. 26. ex Philippo in Locis, in expositione Decalogi; & ex Caluino lib. 2. Institut. c. 8. §. 28. & seq. sed notanda sunt etiam singulorum singula mẽdacia, siue ineptiæ.

Magdeburg. Cent. 1. lib. 2. c. 6. col. 504. dicunt, tempore Aniceti cępisse in Romana ecclesia laborare mysterium iniquitatis, & se prodere semina Antichristi, quia

quia nimirum Anicetus volebat Pascha non celebrari alio die quàm Dominico. At hoc ipsum statuerunt eo tempore ferè omnium ecclesiarum Concilia; & postea Nicænum I. & idem seruant etiam Lutherani, Quid igitur garriunt contra Romanam Sedem ?

Tilmannus dicit, apud Pōtificios pari honore cum celeberrimis festis totius ecclesiæ coli dies Sanctorum Innocentium, S. Gregorij, S. Annæ, & S. Catharinæ. At mendacium est. Hæc enim festa in plurimis locis nō seruantur ex præcepto, ibidem Heshusius probat, festum corporis Domini esse reijciendum, quia scriptū est: *Non adorabis Deos alienos.* Vbi apertè significat, Christum sibi esse Deum alienum; nam festum corporis Domini propriè ipsi Christo dicatum est, ob beneficium instituti Sanctissimi Sacramenti.

Philippus dicit, opera præcipua huius præcepti de sanctificatione Sabbathi, esse alere, ac honore afficere pios doctores, & peccata in hoc præceptum, esse, contemnere pios doctores, & nolle conferre ad eos alendos, & defendendos. Ita nimirum vtiliter seruantur festa pro ministris.

Caluinus dicit, cultum Sabbathi apud Christianos in eo consistere, vt ociemur ab operib. nostris, & Deū in nobis operari sinamus, ideſt, intelligamus nos carere libero arbitrio ad bonum, & quidquid agimus, esse peccatum. At certè, qui ita Sabbathizant, non intrabunt in requiem Domini, sed in ignem detrudentur æternum. Igitur aduersus hos errores aliquot sententias proponemus.

PRIMA sententia. *Nullo modo licet Christianis Sabbathum Iudæorum, aut alias ferias Testamenti veteris obseruare.* Hæc est contra primum errorem, & probatur. PRIMO ex trib. locis Pauli suprà citatis Rom. 14. Galat. 4. & præcipuè Coloss. 2. adeò enim apertè Paulus reprehendit obseruatores Sabbathi, vt Ebionitæ propterea Paulum non reciperent, sed apostatam esse dicerent, teste Epiphanio hæresi 30. & Irenæo libro 1. cap. 26. ex quo refellitur etiam commentum Magdeburgensium, qui dicunt, Paulum indifferenter coluisse Sabbathum, vel Dominicam.

SECVNDO probatur ex Concilio Laodiceno, c. 29. vbi anathema dicitur ijs, qui Sabbathum colunt, atq; in eo vacant ab operibus.

TERTIO probatur ex Gregorio, epist. 3. lib. 11. vbi ex professo hunc errorem refellit, ac dicit, Antichristū renouaturum Sabbathi culturam.

QVARTO rōne, quia Sabbathum erat præcipua cæremonia Iudaica, & præcipua figura Testamenti veteris, vt patet Coloss. 2. *Aut Neomeniæ, aut Sabbathorū, quæ sunt vmbræ futurorum, corpus aūt Christi.* Igitur vbi Christus venit, Sabbathum necessariò finē habuit.

Ad argumentum aūt factū ex illis verbis Exod. 31. pactum est sempiternū, respondet Augustinus in quæstionibus in Exodum, quæst. 46. 124. & 139. ac PRIMO dicit, Sabbathum, & sacerdotium, aliosque ritus Iudæorum dici pacta, & signa æterna, quia res æternas significant. Sicut cùm dicimus, Deus est æternus, non significamus illas duas syllabas, De, us, esse æternas, sed id, quod significant, esse æternum.

SECVNDO respondet, Sabbathum, & alias quasdā cæremonias dici æternas, quia nō fuerant imperatæ Iudæis vsque ad aliquod tempus definitum; vt cum dicebatur, qui tetigerit mortuū, erit immundus vsq; ad vesperā: sed imperatæ fuerant seruandæ quousque Deus vellet, & proinde in æternū ex parte ipsorum, qui non poterāt eas omittere pro arbitrio suo. Quod aūt sacerdotium Aaronicum, & cæteræ cæremoniæ non essent reuera duraturæ in æternū, sed essent mutandæ à Deo: probat Aug. ex Ps. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundū ordinē Melchisedech.* Cùm enim de sacerdotio Christi dī, *non pœnitebit eum*, indicatur pœnituisse Deum sacerdotij Aaronici, i. mutare illud constituisse. Nec enim in Deo est pœnitentia, nisi metaphoricè, quia videlicet mutat res aliquas, vt ij faciunt, quos earum rerum pœnitet. Possumus addere.

TERTIO cæremonias Iudaicas dici æternas, non simpliciter, sed donec duraret status illius Reipublicæ, id quod explicat Dominus, cùm addit, vobis, aut, in generationibus vestris, aut, filijs Israel, vt Exod. 12. *Celebrabitis hunc diem solennem in generationib. uestris, cultu sempiterno.* Similia habentur de sacerdotio, Exo. 28. & de Sabbatho, Exod. 31.

SECVNDA propositio. *Festa Christianorum non solū ratione ordinis, & politiæ, sed ēt ratione mysterii celebrātur, sunt q̄, dies festi verè alijs sanctiores, sacrati & pars quædam diuini cultus.* Hæc est contra 5m & 3tiū errorem; nam tertius ferè coincidit cum secundo. Probatur PRIMO ex die Dominico; nā diem Dominicū oēs celebramus tam nos, q̄ hæretici: at certum est diē illum celebrari in memoriam resurrectionis Domini, vt August. dicit epist. 119. & fatetur etiam Caluinus libro 2. c. 8. Instit. ergo non solum ratione ordinis festa celebrantur, sed etiam ratione mysticæ significationis.

RESPONDET Caluinus huic obiectioni, q̄ dicit fieri solere à suis ēt, qui crebrò mussitant, Dominicæ diei obseruationem ad distrimē dierum ab Apostolo prohibitum pertinere. Dicit aūt duo; PRIMO diem Dominicum non seruari nisi propter ordinem ecclesiæ, electum autē fuisse hunc diem, quia tali die Christus resurrexit. Cùm enim Christi resurrectione finitę sint omnes Iudaicæ cæremoniæ, hoc die admonemur, non esse amplius inhærendum vmbris, & figuris.

At hęc solutio nihil valet; nam, si hunc diē colimus, vt admoneamur finitas esse vmbras Iudaicas, ergo colimus pp significationē. Nec enim dies aliter monet, q̄ significando, & repræsentando, ergo non est sublata, sed mutata significatio, & discretio dierū. Præterea dies Dominicus, vt August. docet lib. 22. de ciuit. Dei, c. 30. non solùm est memoria resurrectionis, sed ēt vitam beatam præfigurat. Igitur SECVNDO respondet, se non subijcere ecclesiam seruituti huius diei, neque improbaturum, si ecclesiæ aliuīn diem sibi eligant. At hæc solutio apertè demonstrat, Caluinum agnoscere ēt apud suos coli festa ob significationē, & cupere quidem abrogare diem Dominicum, sed nō audere, quia nimis altè radicata, & stabilita sit hæc veritas.

SECVNDO probat, quia alioqui tollendi essent solēnes dies Natalis, Passionis, Resurrectionis, Ascēsionis Domini, & Pētecostes, quos de Apostolica traditione descendere, & in tota ecclesia seruari docet Aug. epist. 118. & 119. & quos ēt aduersarij colunt. Nam certum est, hos dies non seruari rōne ordinis, & politiæ, sed ratione significationis; nam inprimis si solùm rōne ordinis seruarentur, temerè constituti fuissent. Quis enim est iste ordo, vt inter diem passionis & resurrectionis non sit nisi vnus dies medius; inter resurrectionis, & ascensionis sint quadraginta? inter ascensionis, & Pētecostes sint decem, inter Pentecostē, & natalem sint plus q̄ sex menses: deinde si solum ratione ordinis celebrantur festa, cur sequimur lunam in festis mobilib. in ueniendis? item cur habent ista nomina, Pascha, Ascensio, &c. si nihil sacrum significant? Deniq; Patres diserte docent, festa ista celebrari ad significanda mysteria redemptionis, & ea externo ritu repræsentanda. Vide August. epist. 119. & in Psal. 110. vbi prolixè disputat de mysterijs Paschæ, & aliorum festorum.

TERTIO idem probatur ex eo, q̄ dies festi Patrib. dicuntur, sancti, sacri, mystici, & religiosè colendi, quę cum cæteris diebus non sunt communia. Ambrosius serm. 62. *Dominica nobis venerabilis est, atque solennis.* Augustinus præfatione in epist. Ioan. *Quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, &c.* Idem lib. 22. de ciuit. Dei, c. 30. *Dies Dominicus Christi resurrectione sacratus*

sacratus est. Lib. 20. contra Faustum, cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrũ religiosa solennitate concelebrat.* Et serm. 251. *Dominicum diem Apostoli religiosa solennitate habẽdum sanxerunt.* Et LEO I. serm. 4. de Quadragesima: *Ingressuri*, inquit, *dies mysticos, &c.*

QVARTO, si solùm ratione ordinis distinguerẽtur dies festi ab alijs, omnes dies festi essent æquales, nec vnus alio maior, vna enim esset ratio celebritatis omnium, at non ita est; nam Ignatius vocat diem Dominicam, diem regalem, & eminentissimum oĩum dierũ, epist. ad Magnesianos. Leo serm. 12. de Quadrag. vocat diem Paschæ festum festorum oĩum maximũ. Nazianzenus orat. 2. de Pascha, dicit Pascha esse festum festorum, & celebritatem celebritatũ, tanto cæteris omnibus maiorem, quanto sol syderibus omnibus excellit, & oratione de obitu patris sui, dicit, Paschæ diem esse regem dierum. Chrysostomus homil. de S. Philogonio, diem natalem Christi festum maximum, & festorum metropolim vocat.

QVINTO, ratione ducta ex Scriptura. Obseruatio festorum, quæ præcipitur Exod. 20. ad cultum Dei pertinet; nam est præceptum Dei, & præceptũ primæ tabulæ, sed illud præceptum est aliquo modo naturale, & ad nos pertinet, vt aduersarij concedunt; ergo etiã nos habere debemus aliquos dies, quorum obseruatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia festa, quàm dies Dominicos. Pascha, Pentecosten, & similia; ergo horum obseruatio est cultus Dei, sancta & religiosa. Licet enim determinatio huius aut illius diei sit facta ab hominibus, tamen ipsa substantia festi imperata est à Deo in prima tabula.

VLTIMO probatur hac rõne; Christus nascens cõsecrauit locum, i. præsepẽ, moriens consecrauit crucẽ, resurgens consecrauit tumulum, vnde exiuit, cur non ẽt consecrauit tempus, i. dies illos, quib. natus, vel passus, vel redditus fuit nobis deuicta morte? cur præ cęteris locis sanctus ille vocatur, vbi Dominus resurrexit? & præ cęteris non erit sancta dies illa in qua resurrexit? Præterea si templa, & altaria dicuntur domus Dei, & loca sancta, quia Deo sacrata sunt, nimirum vt in ijs colatur Deus, cur non etiam sancti, & sacri erunt dies, qui cultui diuino sacrati sunt? Neque argumenta concludunt in contrarium.

Ad PRIMVM Rom. 14. *Alius iudicat diem inter diẽ, alius oẽm diem.* Tres sunt expositiones. PRIMA Theodoreti, & Theophylacti, & fortè etiam Chrysostomi, vt sensus sit: *Alius iudicat diem inter diem*; ideſt, aliquo die abstinet à carne suilla, & alijs cibis in lege prohibitis, alius omni die ab illis abstinet, vel nullo die abstinet. Sed non placet hæc expositio; nam cibi secundum legem immundi nunquam edi poterant, & ideò nõ est verisimile aliquos fuisse Iudaizantium, qui ab illis modò abstinerent, modò non abstinerent. Nec tamen hęc expositio iuuat aduersarios.

SECVNDA expositio est Origenis, Ambrosij, Oecumenij, Primasij, & Anselmi in hunc locũ, qui hunc esse volunt sensum, Alius iudicat diem inter diẽ, alius omnem diem, ideſt, aliqui ieiunant certis diebus, vt feria IV. V. & VI. vel Sabbatho, alij ieiunant omni die, & vtrique rectè agunt. Hæc est vera, & literalis, & nobis maximè fauet.

TERTIA est B. Hier. lib. 2. in Iouinianum, ꝙ Paulus loquatur de festis Iudæorum, & sensus sit; Alius discernit inter diem festum & profanum ſm legem, i. feriatur, die Sabbathi, & in Kalendis, alius oẽm diẽ ducit profanum, quod attinet ad legem Iudæorum. Hæc ſnia non vr̃ mihi literalis, tum quia omnes veteres, qui ex professo hunc locum exponunt, de ieiunio exposuerunt, non de festis: tum ẽt quia Apostolus de cibis disputationem instituerat, tum denique quia postquam dixerat: *Alius iudicat omnẽ diem*, subiungit: *Vnusquisque in suo sensu abundet.* Quod certè non vr̃ fuisse dicturus, si de festis Iudæorũ ageret, quæ obseruare iam cęperat malum esse. Tamen si propter B. Hier. admittatur, dico Apostolum non loqui de festis Christianorum, sed Iudæorum tm̃; nam ipse etiam Paulus iudicabat diem inter diem, quod attinet ad festa Christiana, cum celebrabat Pentecosten, vt dr̃ Actor. 20. & cõsequenter etiã celebrabat Pascha; nam vt Epiphanius deducit hæresi 75. sine Paschate nulla est Pentecoste.

AT instat Caluinus; nam Paulus vr̃ eodẽ modo dãnare discrimen dierũ, quo discrimen ciborũ: sed discrimẽ ciborũ in lege Christiana nullũ est, quale erat apud Iudæos, i. pp significationẽ, igitur nec discrimen dierũ esse debet pp significationem. RESPONDEO, à Paulo similiter reprobari discrimen ciborũ, & dierũ ex lege Iudaica inductum: sed tm̃ in ecclesia non esse eandem rõnem ciborum, & festorum; nam ciborum delectus non est ab ecclesia inductus pp significationem; dies aũt festi instituti sunt ob significationem, non quidem talem; qualis erat Iudęorum, sed aliam, & diuersam.

Ad SECVNDVM locum ex epist. ad Galat. duæ sunt responsiones. PRIMA Ambros. in Galat. 4. & August. Enchirid. c. 79. & in epist. 119. c. 7. qui dicunt, Apostolum nõ loqui de obseruatione festorum, sed de obseruatione vana, & superstitiosa Gentiliũ, qui dicebant, cras non proficiscar, quia talis est positio syderum; hoc anno non plantabo vineam, quia bissextus est.

SECVNDA est omnium Grẽcorum, & Hieronymi, atque Augustini in hunc locum, qui dicunt, Paulum agere de festis Iudæorum. Quod etiam respondetur ad tertium locum ex epist. ad Colosſ.

SED contrà; nam licet Apostolus propriè Iudaizantes arguat, tm̃ simul ẽt illos videtur arguere, qui eodem modo tempora, & dies obseruant: atqui nos idem facimus. Non enim sustulimus obseruationẽ certorum dierum, sed mutauimus. Præterea Hieron. in hunc locum scribens, adfert duas solutiones, quæ ambæ videtur contra nos. PRIMO sic ait: *Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum oẽs pariter veneremur. Non quo celebrior sit dies illa, qua conuenimus; sed quo quacũque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur.* SECVNDO dicit, Christianis oẽs dies esse æquales, sed propter seculares oportuisse constituere aliquos dies, quibus conuenirent, ad ecclesiam.

Ad PRIMVM respondeo dupliciter. PRIMO cum Aug. contra Adimantum, c. 16. vbi sic ait: *Illi*, inquit, *ea seruiliter obseruabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes, & prænunciationes pertinerent: hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus qui seruiunt creaturæ potius quàm creatori; nam nos quoque & Dominicum diem, & Pascha solenniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festiuitates: sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significantur temporibus.* Exemplum de eo, qui adfert librum doctori, vel citharam magistro, cum ipse tamen nec legere, nec citharam pulsare sciat.

SECVNDO respondeo, magnum est discrimen inter nostra festa, & Iudæorũ; nam inprimis illa post Christum habent falsam significationẽ: nostra habent verã. Deinde illorum finis primarius erat significare futura, vt dr̃ Colosſ. 2. nostrorum aũt finis primarius est agnoscere Dei beneficia, pp quæ festa singula instituta sunt. Denique summa præcepti in illis erat, non operari corporaliter: in nostris aũt potissima præcepti pars est, interesse diuino sacrificio, vacare aũt ab opere corporali, nobis præcipitur solùm, ne distrahamur à Dei laudib. Itaque nostra festa succedunt Iudaicis, non sicut in eadem hæreditate filius patri, sed sicut lux vmbræ, & dies nocti, & exemplar figuræ, & illa dici poterant carnalia, nostra autem spiritualia.

Ad PRIMA verba Hieron. dico, eum in prima solutione sua duas causſas reddere feſtorũ Christianorũ.

Vnam,

Vnam, vt honoremus Christi resurrectionem, & alia mysteria, & ex hac parte nō potest negari quin sit dies celebrior Paschatis, quàm alij dies. Alteram vt habeamus certum diem ratione ordinis; & quantū ad istam causſam non est vna dies altera celebrior.

Ad SECVNDA verba eiusdem dico, eum in secunda solutione sua, cum dicit, Christianis esse dies oēs equales, non intelligere simpliciter, & quoad oia, sed solum quoad essentialia festi, & hoc remota ecclesiæ lege; nā, vt ipse ibi dicit, pōt Christianus quotidie habere Pascha, & Pentecosten, & diem Dominicum: si nimirū quotidie audiat sacrum, cōicet corpori Domini, recogitet diuina mysteria, & omissis operib. seruilibus totus Deo vacet. imò talis deberet esse vita Clericorum, & Religiosorum, pp quos oēs dies dicuntur feriæ. Hoc aūt Iudæi habere non pñt, non enim eis licet quotidie immolare agnum Paschalem, vel erigere tabernacula, & similia. Cum hac tñ æqualitate consistit, quod apud Christianos sit inæqualitas dierum; tum ex præcepto ecclesiæ determinantis dies; tum ex significatione, & representatione mysteriorū. dies enim Dominicus repræsentat resurrectionem, quod non faciunt alij dies.

Ad rationem illam ex Patrib. dico, Patres illos agere de ipso Sabbatho propriè dicto, non vt Sabbathum aliqñ accipitur pro omni die festo, sed vt accipitur propriè pro die septimo. Dicunt enim Patres, ipsum Sabbathum mandatum Iudæis carnaliter, nobis aūt spiritualiter; sed non sequitur, si non debemus celebrare Sabbathum ad literam externo ritu, nō debere ēt nos celebrare Dominicam, & alia festa Christiana. imò S. August. in eadem epist. 119. vbi dicit, nobis mandatum Sabbathum spiritualiter, ibidem dicit, nos agere debere diem Dominicam celebrem externo ritu.

TERTIA propositio. *Obseruatio certorum dierum festorum rectè præcipitur in ecclesia lege obligante conscientiam, ēt citra contemptum, & scandalum.* Hæc est cōtra Hæreticos huius temporis. sed antequā probetur, notandum est PRIMO, lege festorum duo quædam præcipi; Primò, vt oēs intersint Missæ sacrificio; Secundò, vt vacent ab opere seruili. Horum vtrumq; requiri ad festi obseruationem aduersarij fatentur, nam licet ipsi damnent Missam, quatenus sacrificium est, tñ fatentur die festo oportere conuenire ad ecclesiam, & interesse mysterio sacræ cœnæ. & quando etiam hoc negarent, facilè probari posset ex Iustino in fine 2. Apolog. ex Palladio cap. 69. histor. Lausiacæ, ex Hieronymo in vita Paulæ, & ex alijs antiquis auctoribus.

Pari ratione fatentur, festum diem requirere vacationem ab opere corporali. & si id negarent; probari posset ex Hieron. in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis, vbi dicit, Monachos sui temporis exercerī solitos in operibus manuum omnibus diebus, exceptis Dominicis, & similibus festis. Augustinus quoque serm. 251. & Gregor. lib. 11. epist. 3. dicunt, festis dieb. vacandum ab opere corporali.

SECVNDO nota, opus seruile posse trib. modis accipi; quædam enim opera, quib. homo seruit cupiditatibus suis, nimirum peccata, & hæc non dicuntur propriè opera seruilia, sed metaphoricè tm̄: nō enim sunt propria seruorum, sed cōia omnibus, & maximè diuitibus, & nobilibus, qui alijs dominantur: neque prohibentur hæc speciali præcepto, sed omnib. præceptis simul. Alia sunt opera, quibus homo seruit Deo, vt immolatio sacrificij, oblatio thuris, & hęc ita seruilia sūt, vt sint ēt regalia; nam seruire Deo regnare est, & hæc non modò non prohibentur, sed ēt præcipiuntur maximè die festo. Alia sunt, quibus homo homini seruit, qualia sunt quæ per se spectant ad eos, quos propriè vocamus seruos, qualia sunt omnia mechanica artificia, agricolarum labores, & similia, & hæc propriè seruilia dicuntur, & prohibita in festis intelliguntur.

TERTIO, nota quod licet sola ista opera per se prohibeantur in festis, tñ iustis de causſis quædā spiritualia, & liberalia interdicuntur ēt; & quædam corporalia, ac seruilia permittuntur. Liberalia, quæ prohibent in festis, sunt quatuor, mercatum facere, agere causſas, ius dicere, & iuramentum solenne in iudicio præstare, nisi ob causſam pacis, vel aliam necessitatem. Ita enim habetur c. Omnes dies, & c. Conquestus, de ferijs.

Corporalia, quæ permittuntur: sunt etiā quattuor. PRIMO ea, quæ ad opera religionis, vel spiritualia, per se ordinantur. Hoc modo licet in festis cāpanas pulsare, & olim licebat mactare oues & boues ad sacrificia, Matth. 12. *Sacerdotes in templo Sabbathū violant, & sine crimine sunt.* Sic ēt licet scribere in ordine ad intellectum, vt ad parandā lectionem, vel concionem, nō tñ licet trāscribere, sine necessitate, libros lucri gratia. SECVNDO, opera illa permittuntur, quæ vel propriæ, vel aliorum saluti necessaria sunt, vt est labor pharmacopolarum, chirurgorum, coquorum, &c. qūo ēt Iudæis licebat in Sabbatho educere iumenta de fouea, si fortè cecidissent, & ducere ad fontē ad bibēdum, Matth. 12. TERTIO, opera concessa à Prælatis. QVARTO, opera quæ ex consuetudine facta sunt licita. Nunq̄ enim ecclesia tam seuerè præcepit vacare ab opere, quā lex Iudaica; & ratio est, quia vacatio apud Iudæos erat figura futurorum, figuræ autē debent esse exactæ, alioqui non bene significant: nostra autē vacatio etiamsi interdum significat aliquid futurum, tñ non est hic eius principuus finis, sed non impedire opera spiritualia.

Probatur nunc propositio; PRIMO, omnibus argumentis, quibus aliàs probauimus, ecclesiæ præcepta obligare in conscientia.

SECVNDO, iure diuino præcipitur, vt aliqui dies festi obseruentur, & tñ nulli sunt certi dies à iure diuino determinati, ergo debuit esse in ecclesia potestas determinandi certos dies, & obligandi ad eorum obseruationē, quia alioqui nō seruaretur ius diuinum. si enim determinatio ecclesię non obligat, poterunt fideles nō seruare diē Dominicum, nec Pascha, nec alia festa indicta, & proinde nulla. nec enim vlla alia festa sunt, quæ seruari possint. festa enim debent esse communia toti ecclesiæ, nulla autem esse possunt communia, nisi quæ indicuntur à publica potestate.

TERTIO, Mardochæus & cæteri Iudæi cum Regina Esther instituerunt festum, quod Deus non præceperat, & obligauerunt, ad illud seruandum, Esther 9. *Non liceat hos duos dies absque solēnitate transigere, &c.* Ergo idem licebit ecclesiæ; nam tota causſa, cur credāt Hæretici non licere ecclesiæ obligare fideles ad istam festorum obseruationem, est, quia Deus hæc festa in particulari non præcepit, at nec præceperat festum illud Sortium, quod Mardochæus instituit.

QVARTO, antiqua Ecclesia festa cum imperio indicebat, nec fuit vnquam vllus præter Hæreticos, qui eiusmodi præcepta reprehenderit. Conc. AGATHENSE ante mille annos, c. 47. *Missas*, inquit, *die Dominico secularib. totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus nō præsumat. Quòd si fecerint, ab Episcopo publicè confundātur.* Cōc. LAODICENVM ante MCC. annos, c. 29. *Non oportet*, inquit, *Christianos Iudaizare, & in Sabbatho vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidē diei.* Concil. AVRELIANENSE III. ēt ante annos mille can. 27. præcipit, vt puniantur, qui dieb. festis operant, & simul tñ damnat eos, qui Iudaico more ita vacant, vt non putent licere, parare in die Dominico q̄ necessaria sunt ad victū. Similiter Conc. VI. generale can. 8. die Dominica iubet audiri sacrum, & nulla opera corporalia fieri præter ea, quę ad victum necessaria sunt, & alia similiter necessaria. Nec ē iste Can. ex Trullanis Canonib. ANTISIODORENSE ante annos DCCCC. c. 16. *Non licet*, inquit, *die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere.* Similia habentur in Concilio II.

MATI-

MATISCONENSI cap. 1. Concil. MOGVNTINVM ante annos DCC. can. 36. & 37. enumerat festa præcipua totius anni, & iubet oīno ab opere in eis dieb. vacare. Vide plura decreta Conciliorum, & Pontificum, extra de ferijs. Neque argumenta in contrariū concludunt; nam ad primum Magdeburgensium dico, festorū dierum cultum ex se indifferentē esse, sed posita lege esse necessarium. Ad exemplū Pauli, nego illum aliqñ coluisse diem Sabbathi. concionabatur enim die Sabbathi, quia tunc inueniebat Iudæos congregatos, nō quia ipse coleret Sabbathum. Porrò in epist. ad Galatas nō arguit Pseudoapostolos, quod obligarent ad festa, sed quod obligarent ad festa Iudaica.

Ad illud Heshusij, quod si festorum leges obligent, erit iugum Christianorum intolerabilius iugo Iudæorum, cùm nos plura festa habeamus, quàm illi habuerint. Respondeo PRIMO cum B. Augustin. libro contra Adimantum, cap. 16. seruare festa Iudaicè esse iugum, non autem more Christiano, quia illi non intelligebant finem vacationis, nos intelligimus.

SECVNDO dico, festa Iudæorum verè fuisse grauia, quia cogebant singulis Sabbathis non accendere ignē, non coquere cibos, nō iter facere, nisi ad modicū spacium. Item oportebat eos ter in anno ad quædam festa ire in Hierusalem, etiam si longissimè abessent: item in Paschate cogebātur per dies septem comedere azyma insipida, qui Deut. 16. ideò vocatur panis afflictionis, & lactucas agrestes plenas amaritudine, & alia multa, quæ festa onerosa reddebant. At nostra festa nihil laboris habent. quis enim labor audire sacrum, & vacare à quibusdam operibus?

Adde VLTIMO, q̄ cùm Petrus Actor. 15. legem Iudaicam, intolerabile iugum vocauit, non hoc pp festa, sed propter alias innumeras, & minutissimas cæremonias dixit, quas non tm̄ obseruare, sed etiam memoria retinere ferè impossibile erat. Ad testimoniū Socratis dico, Socratem hæreticum fuisse Nouatianum, neque eius testimonium in dogmatibus vllius esse momenti.

QVARTA propositio. *Non tenemur diebus festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, siue ad actum contritionis, vel dilectionis Dei.* Hæc est B. Thomæ in 2. 2. q. 122. art. 4. & contra Scotum in dist. 27. & 37. qui dicit, homines teneri die festo ad actum dilectionis Dei internum: & contra Abulensem, ac Lyranum in c. 20. Exodi. qui dicunt, hoc præcepto specialiter prohiberi opera seruilia, ideſt, peccata, & proinde omne peccatum factum in die festo esse duplex.

Probatur PRIMO, quia ius diuinum præcipiebatur solū abstinere ab opere seruili. si dicas, opus seruile est peccatum. contrà, quia præcepta debent intelligi propriè, nō metaphoricè, peccata aūt non sunt opera seruilia, nisi metaphoricè. SECVNDO, Ecclesia determinauit tempus, & modū obseruandi ius diuinum de obseruatione præceptorum: at ecclesia nusquam præcipit actus illos internos. TERTIÒ, id habet cōis sensus fidelium. Nulli enim sunt, qui putent se nouum peccatum cōmisisse, si die Dominico non habuerint contritionē. QVARTO, actus ille internus est finis huius præcepti, nō aūt finis, sed media propriè imperantur. QVINTO, cultus internus præceptus iam erat in primo mādato; nā hic est ordo primæ tabulæ; in primo præcepto mandat cultus cordis, in secundo cultus oris, in tertio cultus operis. SEXTO, præceptum de colendo Sabbatho est præceptum religionis, at contritio est actus pœnitentiæ, nō religionis. SEPTIMO, quia alioqui esset valdè noxium tot festa multiplicare; esset enim tendere laqueos animabus.

AT obijciunt; PRIMO, fornicari, vel occidere hominem in loco sacro est homicidium, & sacrilegium, ergo similiter occidere, vel fornicari in die festo.

RESPONDEO, circumstantiā loci, & temporis semper aggrauare peccatum, sed nō semper ita aggrauare, A vt censeatur nouū peccatū. Tunc enim solum fit nouū peccatum, qñ circumstātia loci, vel temporis est essentialis, & intrinseca peccato, i. qñ violatur ipsum tēpus, aut locus sacer. Verbi gratia, qui fornicatur, aut homicidium facit in tēplo, cōmittit sacrilegium, quia per ea peccata tollitur sanctitas loci. Violatur enim templum per effusionē seminis, aut sanguinis voluntariā ex lege Ecclesiastica: at qui in tēplo mentitur ēt perniciosè, aut blasphemat, non cōmittit propriè sacrilegium, quia mēdacium, & blasphemia non tollunt tēpli sanctitatem. Idem dico de tpe sacro. Non enim violatur tēpus sacrum per quæcunque peccata, sed solū per ea, quæ opponunt ipsi tpi sacro, qualia sunt, non audire sacrum, & operari corporaliter, quæ sunt specialiter prohibita.

SECVNDO obijciunt testimonia August. qui dicit, B præcepto Sabbathi prohiberi opera seruilia, ideſt, peccata. sic enim loquitur August. tract. 3. in Ioannem, & in Psal. 32. Conc. 1. RESPONDEO, eum loqui de præcepto Sabbathi, vt est generale præceptum, spiritualiter significatum per Sabbathum Iudæorum.

TERTIO obijciunt Augustinum, qui lib. de decem chordis, c. 3. dicit: *Melius faceret Iudæus in agro aliquid vtile, quàm in theatro seditiosus existeret: & melius fœminæ Iudæorum domi lanam facerent, quàm tota die in neomeniis suis impudicè saltarent.*

Respondeo, Aug. non velle dicere absolutè esse melius, seu minus malum, die festo operari aliquid vtile, licet prohibitū talī die, q̄ aliud peccatum facere. Potest enim fieri, vt aliqñ sit melius, aliqñ peius; nam minus malū est die Dominico operari in agro, q̄ blasphemare Deum, sed è contrario, maius malum est, operari in C agro die Dominico, q̄ mentiri officiosè. Et tm̄ August. vī velle, minus malum esse die festo operari aliquid ex genere suo vtile, q̄ peccatum aliquod committere. August. ergo vult dicere, magis pugnare quælibet peccata cum fine sanctificationis Sabbathi, quam opera ex se vtilia, quæ tamen prohibentur in Sabbatho; nam finis est quies mētis ī Deo, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatū, quā distractio operis corporalis, & ideò magna est cęcitas Iudæorum, qui abutuntur ocio Sabbathi ad multa peccata committenda, vt Aug. dicit.

OBIICIES, si peccata magis repugnant fini huius legis, quàm opera seruilia, ergo oia peccata prohibent hoc præcepto magis, quàm opera seruilia; nam hoc præceptum positum est ad remouenda impedimenta cul- D tus diuini interni. RESPONDEO, oia peccata prohibita esse, & magis, q̄ opera seruilia; nam peccata in nullo casu permittuntur: opera aūt seruilia ēt in festo sępe permittuntur. Non tm̄ oia peccata prohibentur hoc præcepto speciali de Sabbatho, quia non erat necesse; nam iam antea prohibita erant. Opera aūt seruilia prohibētur hac speciali lege, quia antea prohibita non erant.

CAPVT XI.

De Dominica die.

DE Dominica die tria dicenda sunt, Primò, de eius antiquitate. Secundò, de rōne institutionis. Tertiò, de ritibus antiquis in die Dominica seruatis.

E Quantum ad PRIMVM, sine dubio festū Dominicæ est antiquissimum oium Christianorum festū; nam Ecclesia Christiana ,ppriè cępit in die Pētecostes. Tunc enim impletis omnib. mysterijs redemptionis, promulgatum fuit publicè Euangelium. Post hunc aūt diem cęperunt omitti festa Iudæorum; & eis substitui festa Christiana; primus aūt dies festus occurrēs sine dubio fuit Dominicus; nam festum Natalis Domini, & Paschæ, quæ ēt antiquissima sunt, nō nisi post aliquot mēses occurrerunt. Attestantur aūt huic antiquitati primò Scripturę; nam Act. 20. dicitur, vna Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem, & 1. Cor. 16. per vnam Sabbathi vnusquisq; apud se reponat, &c.

Magde-

Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. c. 6. col. 503. & Calvinus in Cathena Aug. Marlorati dicunt, hæc loca intelligi de die Sabbathi, & eum diem à Paulo seruatũ. Quod ẽt probant Magdeburg. ex Act. 13. vbi Paulus die Sabbathi disputat in Synagoga. At fallũtur manifestè; nam inprimis locum illum Act. 20. Chrysost. & Beda exponunt de Dominica die: locũ aũt 1. Cor. 16. exponunt de die Dominica oẽs interpretes Græci, & Latini, Chrysost. Ambr. Theoph. &c. nec solũ Catholici, sed ẽt Petrus Martyr in eum locum; adde ẽt (cui hæretici multũ tribuunt) cõment. Erasmi tam Act. 20. q̃ 1. Cor. 16. Præterea Marci 16. dĩ Christus resurrexisse vna Sabbath. at constat resurrexisse die Dominica.

Præterea constat Paulũ multis Hebraismis abũdare: est aũt Hebraismus frequentissimus dicere vnũ pro primo. vt Gen. 1. *Factũ est vespere, & mane dies vnus*, i. primus. nam postea sequitur, *dies secundus, &c.* Deniq; Paulus arguit Colosſ. & Galatas seuerissimè, q̃ Sabbathum, & festa Iudæorum seruarent. qũo ergo credibile est eum seruasse Sabbathum Iudæorum? Quod aũt Act. 13. die Sabbathi prædicauit in Synagoga, non id fecit, vt coleret Sabbathum, sed quia non poterat habere alio loco, nec alio tempore Iudæos congregatos.

Habemus præterea Apocal. 1. *Ego Ioannes fui in spiritu in Dominica die.* Quem locum de nostra Dominica die exponunt ferè omnes, vt Oecumenius, Anselmus, Primasius, & alij, & ipsi etiam Magdeburgẽses, Cent. 1. lib. 1. cap. 6.

Ad hęc, habemus testimonia patrũ antiquissimorũ, Clem. can. 65. Apostolorum; Ignatij epist. ad Magnes. Iustini Apolog. 2. Tertul. de corona militis, & Apolog. c. 16. Clem. Alex. lib. 7. Strom. Orig. hom. 7. in Exod. Athanasij hom. in illud, omnia mihi tradita sunt à patre meo Ambr. epist. 83. Hieron. in c. 4. ad Galat. Aug. lib. contra Adimantum, c. 16. Greg. lib. 11. epist. 3. Leonis epist. 81. ad Dioscorum. Hilarij præfatione in psal. Quare nullo modo dubitare licet, quin festum Dominicæ diei sit vetustissimum.

Quantum ad Secvndvm, rõ institutionis fuit, vt succederet Sabbatho. Nam ius diuinum requirebat, vt vnus dies hebdomadæ dicaretur cultui diuino: non aũt conueniebat, vt seruaretur Sabbathum. Itaque Sabbathum ab Apostolis in diem Dominicum versum est.

Vt aũt intelligatur, quàm rectè id factum sit, notandum est, Sabbathum fuisse festum antiquissimum & præstantissimum apud Iudæos, & ideo solius Sabbathi mẽtionem factam in Decalogo. Erat aũt Sabbathum festum excellentissimum, quia cum oĩa festa celebrentur, vel in memoriam beneficij præteriti, vel ad significandum aliquid futurũm, Sabbathum in vtroque excellebat. Nam quantum ad præteritum, colebatur, in memoriam primi, & communissimi beneficij, i. creationis mundi. Nam, vt scribit Philo in lib. de opificio mundi, quemadmodum Reges coli iubent diem natalem filiorum suorum, ita Deus coli voluit diem natalẽ operis sui, i. mundi. quod etiam vtilissimum erat ad errorem Philosophorum excludendũ, qui dicturi erant, mundum non habuisse principium. Quantùm autem ad futurum, Sabbathum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quæ omnia alia reuocantur.

Primo, figura erat ī sensu allegorico quietis Christi in sepulchro. vt enim Deus Sabbatho quieuit ab opere creationis, ita Christus quieuit Sabbatho ab opere redemptionis, vt Apostolus obseruauit Hebr. 4.

Secvndo, figura erat in sensu tropologico quietis mentis humanę ab operib. seruilib. peccatorum. Iudæi enim dũ Sabbatho ociabant, significabant venturũ esse tẽpus gratiæ, quo liberati homines per Christum à seruitute peccati, quiete & ocio spirituali fruerentur, vt exponit Augustinus tract. 30. in Ioannem, & alibi.

Tertio, figura erat in sensu anagogico quietis sanctarum animarum, quam post morte in sinu Abrahæ exspectabant, vt Aug. docet epist. 119. & deducitur ex Apostolo Hebr. 4. Iam verò pp has ipsas causſas, quib. sabbathum fuit olim institutũ, decuit, vt post Christi aduentum mutaretur in Dominicã. Nam quantum ad memoriã præteritorum, dies Dominica longè excellit sabbatho. nã refert nobis memoriã Natalis Christi, & Resurrectionis eiusdẽ, & Aduẽtus Spiritus sancti, quo die quodãmodo nata est ecclesia. Nã Christus die Dominica natus est, vt patet, quia illo anno currebat litera Dominicalis B. vt oẽs Mathematici docent, & pót ostendi retrocedendo in Ciclo literarũ Dominicaliũ: constat aũt, literam B. hĩi die XXV. Decemb. quo die Christus natus est, quod aũt idem Christus resurrexerit die Dominica, ex Euang. constat. Quòd deniq; aduentus Spiritus sancti fuerit die Dominica, patet, quia fuit in die Pentecostes, i. quinquagesimo die à Paschate, qui necessariò est dies Dominicus. Itaque dies Dominica repręsentat nobis natalẽ diẽ Christi, & Ecclesiæ, & Christi non simplicẽ, sed duplicem. Et præterea dies Dominica representat ẽt memoriã creationis mũdi nõ minus, quàm sabbathum. Nã die Dominico cępit mundus fieri, imò eo die sunt factæ oẽs partes mundi principales, cęlum, terra, Angeli, lux, &c. vnde Iustinus Apolog. 2. & Leo epist. 81. ad Dioscorum, dicũt, diem Dominicã coli tam ob memoriam mundi creationis, quàm ob resurrectionem Christi.

Quantum aũt ad futurorum significationem, sabbathum planè cessare debuit, quia oĩa, q̃ per sabbathũ significabantur futura, iã sunt cõpleta, nam Christus iã in sepulcro iacuit, & quies animorum in Deo iam agitur. Portò quies spirituum defunctorũ in sinu Abrahã iam est mutata in gloriam & beatitudinem: & nũc non amplius exspectamus simplicem illam quietẽ, sed quietem glorioſam. gloria aũt melius significatur per diem Dominicum, quam per sabbathum. Et idcircò B. Aug. epist. 119. dicit. Sabbathũ rectè datũ Hebræis, qui post mortem ibant ad solam quietem; Christianis aũt datam esse diem Dominicã, quia iam reuelata est gloria resurrectionis in Christo; & quod præcessit in capite, etiam corpus totum exspectat.

Quantũ ad Tertivm, ritus ī Dominica erat quadruplex. Primo, cõueniebãt in ecclesiã ad lectionem, concionem, sacrificiũ, eũionem, &c. vt ex Iustino patet Apolog. 2. extrema. Secvndo, vacabant ab operibus seruilibus, vt patet ex Hieron. epist. ad Eustochium de virginitate, & Greg. lib. 11. epist. 3. Tertio, non ieiunabant, vt patet ex Tertull. de corona militis, & alijs, qui passim hoc docent. Qvarto, non flectebant genua, sed stantes precabantur. de quo extat Can. 20. Nicæni Concilij. Idem ẽt longè antea Tertull. docuit lib. de corona militis: *Die Dominico*, inquit, *ieiunare, nefas ducimus, & de geniculis adorare.* Item Hilarius præfatione in psalm. Ambrosius serm. 62. Augustinus epist. 119. cap. 15. & Alexand. III. cap. Quoniam, extra de ferijs idem docent. Ex quo intelligimus, nondum esse quingentos annos, ex quo ritus hic cessauit. nam tres priores adhuc in vniuersa Ecclesia obseruantur.

CAPVT XII.

De Pascha.

DVo dicenda sunt. Primò, quid sit Pascha. Secundò, de errorib. circa Pascha. Quantum ad Primvm, aliqui Patrum existimarunt, nomen Paschę deductum esse à verbo πάσχειν, i. pati, quia passionis Domini memoria in paschate celebratur, iuxta illud Apostoli: *Etenim Pascha nostrũ immolatus est Christus*, ita Ambr. in lib. de mysterio Paschæ, c. 1. Vnde etiam Tertullianus lib. cõtra Iudæos dicit, Pascha Domini significare passionem Christi. quorum sententiam refert, & meritò refellit Augustinus epist. 119. nam Pascha nomen est Hebræũ, non Græcum. Hebraicè autẽ dici-

tur פסח, qđ Græci verterunt πάσχα, Chaldæus פסחא. Hieron. legit Phase, nimirum ſecundum alia puncta: ſed eadem ſemper eſt vox. Dicitur autem paſcha à verbo פסח, quod eſt tranſilire. vnde primariò non ſignificat immolationẽ agni, vt auctor cõment. in c. 14. Marci apud Hieron. docet: nec tranſitum populi per mare rubrum ad terram promiſſionis, vt docet Nazian. orat. 2. de Paſcha, & Aug. tract. 55. in Ioan. Nec etiam ſignificat tranſitum Angeli per Aegyptũ, vt videntur ſonare illa verba: *Eſt enim Phaſe, ideſt, tranſitus Domini.* Exo. 12. ſed ſignificat tranſcenſionem Angeli, & quaſi ſaltũ ſuper domos Iudæorum, vt patet ex ratione, quæ redditur Exo. 12. nam vbi dixerat Moſes: *Eſt enim Phaſe*, ſubiungit rationem: *Tranſibo enim per terram Aegypti nocte illa, & percutiam primogenita Aegyptiorum: erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus veſtris, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga.* Vbi primũ, tranſibo, eſt רעברתי, ſecundũ eſt רפסחתי, & ab hoc dicitur paſcha. Similis ratio ter in eodẽ capite redditur. vbi ſemp פסח ſignificat tranſilire, ſeu tranſcendere, non ſimpliciter tranſire. Vnde Ioſeph. lib. 2. antiq. c. 13. dicit, paſcha ſignificare tranſcenſionẽ. idem docet Hieron. in c. 26. Matth. & Theod. q. 24. in Exo.

Veruntamen hoc ipſum nomẽ traducitur etiam ad alia tria ſignificanda. Itaque PRIMO, ſignificat, vt diximus, tranſilitionem Angeli. SECVNDO, ipſum agnũ paſchalem, qui per immolationem tranſibat de vita ad mortẽ. vnde dicitur Luc. 22. *Neceſſe erat occidi Paſcha.* TERTIO, trãſitum populi, qui illa ipſa nocte liberatus à tyrannide Pharaonis tranſiuit per mare rubrum, vt iret in terram promiſſionis. & hanc ſignificationem agnoſcunt Greg. Nazianz. orat. 2. de paſcha, & Auguſt. tract. 55. in Ioan. QVARTO, ipſum feſtum diem. nam Luc. 22. dicitur: *Appropinquabat dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha.*

Porrò hæc ipſa quatuor ſunt etiã apud Chriſtianos ſuo modo, ideſt, vt exemplaria illorum typorum. Nam Angelus tranſiliens, & occidẽs primogenita Aegypti, & ſaluans filios Iſrael, eſt Chriſtus magni conſilij Angelus, qui, dum tranſiret de morte ad vitam, ſaluauit omnes, qui eius ſanguine aſpergendi erant, relictis ceteris in manu vaſtatoris. Agnus paſchalis idem Chriſtus eſt pro nobis immolatus. Chriſtum enim repræſentarunt Agnus, & Angelus, quia Chriſtus occidi, & occidere debuit; Agnus autem occidi poterat, ſed non occidere. Angelus occidere, ſed non occidi. Tranſitus per mare rubrum, ſignificat tranſitum populorum per aquas Baptiſmi, & ideo in paſchate ordinariè olim baptizabantur Catechumeni. Denique, feſtus dies illorum noſtrum feſtum diem figurabat.

Quantum ad SECVNDVM; PRIMVS error fuit Aerij, qui paſcha ſimpliciter negabat eſſe celebrãdum, quod hoc Iudaiſmum ſaperet. Refert hunc errorem; & refellit Epiphan. hęreſi 75. non enim agimus paſcha Iudæorum, ſed quod illo ſignificabatur.

SECVNDVS fuit Blaſti cuiuſdam, qui, teſte Tertull. lib. de præſcript. docuit, paſcha neceſſariò debere celebrari ipſo die, quo à Iudæis celebrabat, ideſt, XIV. Luna, ſiue eſſet Dominica, ſiue non. In quo errore fuerũt eodem tempore multi Epiſcopi Aſiæ minoris; vt patet ex lib. 5. hiſt. Euſebij, c. 24. & 25. vbi refertur epiſt. Polycratis Epiſcopi Epheſini ad Victorẽ Papam, qua ille auctor aſſerit, oẽs ſuos prædeceſſores vſque ad S. Ioan. Euãg. ſemper celebraſſe paſcha die decimaquarta. Nec defuerunt poſtea multi alij, quibus hic error placeret, quos Epiphan. hær. 50. Quartodecimanos vocari affirmat. quin etiam ſõgo poſt tpe Audiani, ſeu Vadiani in eundem errorem inciderunt, eod. Epiph. teſte hær. 70.

Hic error illo ipſo tempore refutatus eſt à Concilijs ferè omnium Eccleſiarum, & à Romano Põtifice, qui omnes cõi conſenſu ſtatuerunt, paſcha celebrandũ eſſe Dominica proxima Lunę quartędecimæ poſt æquinoctium vernum, vt Euſeb. idem refert. Deinde Concil. Niceն. cùm adhuc error ille alicubi duraret, idẽ ſtatuit vt teſtantur Epiph. hær. 50. & 70. qui dicit, in Concilio eod. ab Euſeb. Cęſar. cõpoſitum aureum numerũ, qui oſtẽdit Nouilunia. De qua re extat epiſt. ipſius Cõcilij Niceni apud Theod. lib. 1. c. 9. hiſt. & eiuſdẽ rei meminit Athan. in epiſt. de Synodo Arimin. & Seleucienſi; Ambr. epiſt. 83. & Theoph. lib. 1. paſchali; itẽ Imperat. Conſtãt. epiſt. ad oẽs Eccleſias, apud Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini; vbi Conſtantinus tribus rationibus probat, debere paſcha celebrari die Dominico. PRIMO, ne concurramus cum Iudæis Chriſti interfectoribus.

SECVNDO, quia par eſt, vt in tota Eccleſia ſit vna ratio paſcha celebrandi, & par eſt etiam, vt pauciores pluribus cedãt. Porrò ab antiquis tẽporib. Romana vrbs, Italia, Africa, Gallia, Hiſpania, Britannia, Aegyptus, Lybia, Gręcia, Pontus, Cilicia, & magna pars Aſiæ celebrant paſcha die Dominico, ſoli autem pauci Orientales contra totum Meridiẽ, Occidentẽ, Aquilonẽ, & magnam orientis partẽ cum Iudæis Paſcha celebrant.

TERTIO, quia abſurdum eſt, vno anno bis paſcha facere, & alio anno nũquam, atqui hoc accidebat illis, qui paſcha quartadecima die agebant; nam illi nõ obſeruabant æquinoctiũ, ſed ſolũ menſes XII. Lunares, & celebrabant paſcha XIV. Luna menſis primi, non curantes, ſi illa decimaquarta eſſet ante æquinoctium, vel poſt. Itaque interdum accidebat, vt vno anno celebrarent paſcha poſt æquinoctium, & anno ſequẽti ante æquinoctium, & proinde bis in vno anno.

ADDE etiam, quod iſti falſo fundamento nitebãtur. Nam putabant, ſe ſequi legem Iudæorum, & reuera ſequebãtur delirium Iudæorum, ſui temporis, nam lex Iudaica Exod. 12. præcipit paſcha fieri poſt æquinoctiũ vernum; iubet. n. fieri Luna decimaquarta primi menſis; porrò menſis primus is erat, cuius decimaquarta dies incidebat in æquinoctium vernum, aut illud proximè ſequebatur. vnde etiam Ioſeph. lib. 3. antiq. c. 13. dicit, paſcha fieri Sole in Ariete exiſtente, & oppoſito ipſi Lunæ, Iudæi autem poſteriores, (vt Epiphan. dicit hær. 70.) non amplius obſeruabant æquinoctiũ, & eos tamen tanquam duces cęcos ſequebantur errantes illi Chriſtiani, qui cum Iudæis paſcha faciebant.

Ad auctoritatem autem S. Ioan. Euang. quam pro ſe adferebant illi Quartadecimani, reſpondet Beda, lib. 3. hiſt. c. 25. Ioan. celebraſſe paſcha XIV. die, vt ſe accõmodaret in illis initijs Iudæis ad fidẽ conuerſis, ſicut & propter eandem cauſſam Paulus circumcidit Timoth. tamen Apoſtolum Petrum Romę inſtituiſſe, vt paſcha die Dominico fieret: & hoc magis eſſe ſequendum.

TERTIVS error fuit quorũdã Cappadocũ, qui, teſte Epiph. hær. 50. ſemper paſcha celebrabant die XXV. Martij, ſicut Natalẽ Dñi ſemper celebram⁹ die XXV. Decemb. quia putabant, Chriſtum eo die paſſum fuiſſe, & ipſo die paſſionis paſcha agendũ credebãt. Similis fuit error Gallorũ in princ. Eccl. qui, teſte Theoph. Cęſar. apud Bed. lib. de ratione tẽporũ, c. 45. ſemp paſcha celebrabant XXV. Martij, qđ putarẽt, eo die Chriſtum reſurrexiſſe. Idem error ſummoperè placet Luthero in lib. de Cõcilijs, par. 2. vbi vellet eodẽ die celebrari iſta feſta, & nõ obſeruari curſũ Lunæ, ne videremur Iudaizare.

Ceterùm iſte error refellitur PRIMO, ex conſenſu totius Eccleſiæ, quæ ſemper die Dominico paſcha celebrandum ſtatuit. SECVNDO, quia ſecundum quoſdam nititur falſo fundamẽto. Chriſtus enim, vt illi docent, non potuit reſurgere XXV. Martij, nec etiam pati; nã paſſus eſt die Veneris, & reſurrexit die Dominico, ſecundum Euangelia omnia. conſtat etiam, Chriſtum paſſum, & reſurrexiſſe anno ætatis ſuæ XXXIII. vel XXXIV. ſecundũ alios. Porrò anno Chriſti XXXIII. die XXV. Martij, non fuit feria VI. nec dies Dominica, ſed feria IV. Anno autem Chriſti XXXIV. die XXV. Martij, fuit feria V. vt ex litera Dominic. patet.

Nam

Nam anno Christi XXXIII. currebat litera D. anno XXXIV. litera C. die aũt XXV. Martij, semper est D.

VLTIMO, refellitur à B. Aug. in epist. 119. vbi ostendit, hoc interesse inter diẽ Natalis & diẽ Resurrectionis; qđ ille celebratur solũ ob memoriã, & ideo semper ipsa die XXV. Decemb. at iste celebratur ob memoriã & Sacramentum, & ideò variatur. Vide ibidem pulcherrimam explicationem mysteriorum Paschæ.

QVARTVS error fuit Britonum, & Scotorũ apud Bedam lib. 3. hist. c. 25. & lib. 5. c. 22. qui contra cõem totius ecclesię vsum Pascha celebrabant prima Dominica post Lunam XIII. Martij, ita vt aliqñ ipsa XIV. Luna Pascha celebrarent, in quo neque Iudæis, neque Christianis consentiebant. Nã Iudæis primus dies solennis erat Luna XV. sed incipiebant festum à vespera prędente, i. Luna XIV. ad vesperam; istis aũt primus dies solennis erat decimus quartus, & cum etiam ipsi inciperent à primis vesperis, necessariò incipiebãt Luna XIII. sed hic error non eget alia refutatione; nam fundabatur in sola imperitia; existimabant enim, ita S. Ioannem celebrare solitum.

QVINTVS error est Nouatianorũ, qui, teste Socrate lib. 5. hist. c. 20. decretũ ediderunt, quod appellarunt ἀδιάφορον, quia in eo statuerunt, liberũ vnicuiq; esse debere, agere Pascha qñ velit. Quem errorẽ satis constat placuisse ẽt Magdeburgensib. ex Cent. 1. lib. 2. c. 6. col. 504. & Cent. 2. c. 6. col. 119. vbi dicunt, nec Apostolos, nec Apostolicos viros vllã legem dedisse ecclesię de celebratione Paschæ, sed reliquisse Christianis integram libertatẽ. Et ibid. arguunt Romanos Pontifices, quod propter rem indifferentẽ excõmunicauerint Asianos.

Iste aũt error refellitur; PRIMO, ex Can. 8. Apostolorum, vbi iubentur deponi Episcopi, vel Presbyteri, qui Pascha egerint ante æquinoctium cum Iudæis.

SECVNDO, probatur, quia eos, qui pertinaces fuerũt in opinione Asianorum, i. quod necessariò Pascha deberet agi Luna XIV. cum Iudæis, veteres Patres semper habuerunt ꝓ hæreticis, vt patet ex Tertull. de præscript. Epiph. hæres. 50. Aug. hæres. 29. & Theod. lib. 3. de hæreticis fabulis, & Damasc. lib. de hæresib. Et ne putemus eos esse hęreticos alia de caussa, imposuerunt illis nomen Tessarescedecatitas, i. Quartadecimanos. Non ergo sine caussa Romani Pontif. excommunicarunt Asianos.

TERTIO, si esse deberet res libera, & indifferens celebratio Paschæ, nunq̃ fuissent sancti Patres multum soliciti de hac re: at semper maximè solliciti fuerunt; nam in ipso initio huius cõtrouersiæ, vbique celebrata sunt prouincialia Conc. pro hac re, vt apparet ex lib. 5. hist. Euseb. c. 23. & 25. quod est signum magnæ solicitudinis. ADDE, ꝙ in illis Concil. non rem adiaphoram esse voluerunt. nam lib. 5. c. 25. sic ait Euseb. *Vnum*, inquit, *omnes Ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquãdo nisi in die Dominica, qua Dominus resurrexit, Dominicum Paschæ celebrare mysterium.* Et c. 25. dicit, hunc fuisse finem decreti Conc. Cæsar. de Paschate illo ipso tempore habiti: *Epistolæ autem nostræ exemplaria per omnes ecclesias transmittantur, vti ne rei efficiamur animarum, quæ diuersis errorib. immerguntur.*

QVARTO, Concil. Nicænum post quæstionem de fide contra Arium nihil putauit magis dignũ diligenti discussione & determinatione, q̃ de die Paschæ, vt patet ex epist. Constantini apud Eusebiũ lib. 3. de vita Constãtini. Imò Athanasius in epist. de Synodis Arimini & Seleuciæ, non procul ab initio, dicit, Conciliũ Nicænum propter duas caussas conuenisse; primò, propter controuersiam de Pascha; secundò, propter hęresim Arij, Epiphan. etiam hæres. 70. dicit, Constantinũ duo maxima bona contulisse in Ecclesiam; vnum, ꝙ congregari curauit Synodum Nicænam; alterũ, quòd in ipsa Synodo curauerit determinari quæstionem de Paschate. Quod autem Nicænum Concil. planè præceperit celebrari Pascha die Dominico, & non solùm cohortationem adhibuerit, vt Socrates dicere vĩ, patet ex Athanasio, qui in epist. de Conc. Arimini & Seleuciæ, sic ait: *In negotio de Paschate non abhorruerunt ab ista appendice, visum est, vt omnes obtemperarent.*

QVINTO, probatur ex Concilio Antiocheno cap. 1. vbi excommunicantur qui legem Nicænã de Paschatis die non seruant.

SEXTO, idem probatur ex magna sollicitudine, quã semper habuerunt Patres, ne erraretur in celebrando Paschate. Nam tpe B. Ambr. cum nata esset difficultas q̃dam, & ignoraretur, q̃ esset dies Paschę ſm Nicænũ Conc. vndique mittebant litteræ Episcop. vltro citroq; vnde etiam extat prolixa epist. 83. Ambros. de hac re.

Deinde tempore Innocentij I. cùm orta esset similis difficultas, scripsit Innocentius epist. quæ est vndecima ad Aurelium Episcopum Carthaginis, vt ipse quoque coacta Synodo, quæstionem illam discuteret, & ad se scriberet Concilij sententiam, vt ipse postea diem Paschatis de more omnibus præscriberet.

Rursum tempore Leonis, cum similis orta esset difficultas, scripsit inde S. Leo ad Imperatorem Martianum, ad Eudoxiam Augustam, ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, & alios. vnde epist. 63. 64. 65. & 95.

Præterea, idem. arguit generalis prouidentia Ecclesiæ; nam, vt scribit Leo epist. 64. ad Martianum, delegata fuerat ab Episcopo Alexãdrino cura semper supputandi & indagandi diem Paschatis, quem ille Apostolicæ Sedi Romanæ indicabat; ac deinde Apostolica Sedes vniuersæ Ecclesiæ diem illum præscribebat. cuius moris meminit etiam Concilium Arelatense I. c. 1. & Innocentius I. epist. 11. ad Aurelium.

VLTIMO, probatur ex diuino testimonio, quod refert Paschasinus Episcopus Lilibetanus in epistola ad Leonem, & est 63. inter epist. S. Leonis. Scribit aũt ille, tpe Zozimi Papæ ortam quæstionem de Paschate, ꝙ Occidentales dicerent, Pascha celebrãdum illo anno XXV. die Martij. Orientales aũt XXII. Aprilis. Porrò in quadam ecclesia Siciliæ solebat singulis annis sacer fons diuino miraculo per se repleri ipsa nocte Paschatis, qua Catechumeni baptizandi erant. Illo autẽ anno, cũ ex præscripto Zozimi Pascha ageret XXV. Martij, fons inanis & aridus mãsit: deinde XXII. Aprilis fons repletus est; atque ex eo intellectum est, errasse occidentales in celebratione Paschæ. Quale miraculum contigisse ẽt anno Domini D. LXXIII. scribit Sigebertus in Chronico. Siquidem annotauit eo anno fontem baptismalem in Hispania diuinitus impletum fuisse in Sabbatho veri Paschatis, quod tunc Galli rectè seruabant, Hispani autem malè. At certè si res esset omnino indifferens, nunquam Deus tali miraculo cõmissum errorem demonstrasset.

Magdeburgenses Cent. 5. c. 6. col. 692. dicunt, fabulas, & nugas esse, q̃ iste Paschasinus scribit. At constat, hunc Paschasinũ fuisse Episcopũ celeberrimũ quippè qui nomine Sancti Leonis præsedit Conc. Chalcedon. DC. XXX. Episcop. Constat ẽt eũ scribere rẽ sibi notissimam, nimirũ quę acciderat suo tpe, & in loco sibi vicino. Constat deniq; rẽ illam scriptã grauissimo Põtifici S. Leoni, cui certè fabulã & nugas pro diuino miraculo nunquam venditasset magnus ille Episcopus.

VLTIMVS error est, in quem à multis iam annis sępè incidimus, scientes quidem, & aduertentes, sed tn inuiti. Sciendum enim est, Conc. Nicænum tres regulas constituisse ad inueniendum Paschæ diem. VNA fuit, vt semper Pascha ageretur post diem XXI. Martij, quia illo die erat æquinoctium veris, & Pascha post æquinoctium agi debet. ALTERA fuit, vt post XX. Martij expectaretur Luna XIV. & post eam diẽ quęreretur Pascha. Pascha enim agi debet in tertia hebdomade Lunæ, ideſt, à Luna XIV. exclusiuè, vsque ad XXII. exclusiuè. Et ad inueniendam Lunam, compo-

fuerunt Ciclum aurei numeri. Vbicunq; enim in Calendario inuenitur aureus numerus illius anni, ibi est Nouilunium. TERTIA regula fuit, vt post Lunã XIV. occurrentem post vicesimum diem Martij, expectaretur dies Dominicus, & ille esset Pascha.

Istæ regulæ illo tpe & sequentibus annis multis optimæ fuerunt. Verè enim tunc erat æquinoctiũ XXI. Martij, & verè aureus numerus tunc indicabat diem Nouilunij. At à multis iam seculis experientia docet, æquinoctium non esse fixum, vicesimaprima Martij, sed semper anticipare: nunc enim est decimo Martij. Similiter experientia docet, aureum numerum antiquum nõ indicare amplius Nouilunia fideliter. Nunc enim Nouilunium inuenitur quattuor dieb. ante ipsum aureum numerum. Ex quo intelligimus, tempore Concilij Nicæni non fuisse exactè deprehensum motum nec Solis, nec Lunæ: Ecclesia autem semper antiquas illas regulas seruat, & inde sæpissimè cogitur errare, etiam si nolit. Sicut anno superiore, idest, M.D. LXXIX. celebratum est Pascha 19. die Aprilis, cum debuisset celebrari 15. Martij.

CAPVT XIII.

De Pentecoste.

MAGDEBVRGENSES Cent. 2. c. 6. col. 119. non solùm dicunt; Apostolos nullam legẽ de festis instituisse, sed ẽt addunt, primis illis seculis ecclesiæ nihil expresè legi de vllo festo, præterquam de Paschate. At hoc esse falsissimum, docet nos antiquitas Pentecostes. Nã inprimis meminit eius festi Paulus in priore epist. ad Cor. 16. *Manebo*, inquit, *Epheſi vſq; ad Pentecoſten.* Et Actor. 20. de Paulo inquit Lucas: *Feſtinabat, vt ſi quomodo poſſet, Pentecoſten ageret Hieroſolymis.* Et quãuis non sit oĩno certum, an loquantur hæ Scripturæ de Pentecoste Iudæorũ, an Christianorum: tñ Epiph. hæres. 75. exponit de Pentecoste Christianorum.

Præterea meminerunt huius festi, antiquissimi auctores; Clemens lib. 5. Constit. c. 21. Ireneus apud Iustinum q. 115. Tertull. lib. de Corona militis; Origenes lib. 8. contra Celsum; Hilarius præfatione in Psalmos; Theophilus lib. 1. Paschali; Hieron. in epist. ad Marcellum de errorib. Montani, & in cap. 4. ad Gal. Greg. Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Maximus, Leo, & alij, qui sermones de hoc festo scriptos reliquerunt. Denique August. epist. 118. dicit, festa Passionis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & alia, quæ in tota ecclesia celebrantur, sine dubitatione vel à generalibus Concilijs, vel ab Apostolis instituta: constat autem, non esse instituta in generalib. Concil. nam eorum mentio inuenitur in Clemente, Iustino, Tertulliano & Origene, qui præcesserunt omnia generalia Concilia.

Est autem grauis difficultas, an rectè celebretur festũ Pentecostes die quinquagesimo à die Resurrectionis. Nam certum est, celebrari hoc festum propter aduentum Spiritus sancti, vt Hieronymus dicit in cap. 4. ad Galat. & alij Patres suprà citati. Videtur autẽ Spiritus sanctus aduenisse die XLIX. vel ẽt ante XLIX. à die Resurrectionis Domini, & proinde non die Dominico, sed die Sabbathi, aut Veneris, aut Iouis. Nam vt habemus Actor. 2. Spiritus sanctus venit, *dum complerentur dies Pentecoſtes*, idest, ipso die Pentecostes Iudæorum, non enim ibi Lucas põt intelligi de alia Pentecoste, quàm Iudæorum. Pentecoste autem Iudæorũ aut erat festum datę Legis in Monte Sina, vt dicit Augustinus epist. 119. c. 16. aut erat festum Hebdomadarum, vt vult Hieronymus in c. 4. ad Galat. aut fortasse vtrumque simul: at neutrum in diem Dominicam incidisse videtur anno Passionis Christi, nam festum datæ Legis celebrabatur die tertio tertij mensis, vt habetur Exo. 19. ex quo deducit Augustinus dies L. numerari ab ipso Paschate Iudæorum, idest, à die XIV. primi mensis inclusiuè; fuit autem dies Paschæ Iudæorũ, anno Passionis Christi, die Iouis, ergo Pentecostes cõplebatur etiam die Iouis, nimirum triduo ante nostrã Dominicam Pentecostes.

Porrò festum Hebdomadarum, quod magis ꝓpriè dĩ Pentecostes, numerari incipiebat à secũdo die azymorum, vt colligitur ex lib. Leuit. c. 23. vbi præcipitur, vt altera die Sabbathi offerant manipulos primitiarũ, inde numerẽt septẽ Hebdomadas, q̃ sunt dies XLIX. & seq. die, idest, quinquagesimo, festum diem agant. Porrò hoc loco nomine Sabbathi intelligitur primus dies azymorum, qui solennis erat, & generali nomine Sabbathum dicebatur, vt exponunt Lyran. Abulens. Caiet. in hunc locum, & Ioseph. lib. 3. antiq. c. 13.

Cùm ergo primus dies azymorũ tpe passionis Christi fuerit die Veneris, si ab illo die excludiuè numeremus dies quinquaginta, inueniemus, Pentecostẽ completã fuisse die Sabbathi, non die Dominica. Neq; põt aliquis effugere difficultatem, si dicat; Spiritum quidẽ sanctũ non aduenisse die Dominico, qui est quinquagesimus à Dominica Resurrectionis: tñ Ecclesiam voluisse die Dominico celebrare memoriam huius aduẽtus. Nam Clem. lib. 5. c. 21. constit. Theoph. lib. 1. Paschalis Aug. epist. 119. Leo in serm. de Pentecoste, & alij omnes, docent, reuera die decimo ab Ascensione, & quinquagesimo à Resurrectione venisse Spiritum sanctum. Hoc ergo effugio prætermisso, respondeo, festum Hebdomadarum, & festum datæ Legis veteris, fuisse vnum & idem; & celebrari solitum tum in memoriam datæ Legis veteris, ac figurã dandæ Legis nouæ per aduentum Spiritus sancti, tum etiam in gratiarum actionem pro collectis frugib. & hoc vnum festũ anno passionis Christi incidisse in diem Dominicum, qui fuit quinquagesimus à Resurrectione Domini.

Vt autem ista omnia explicentur, considerãda sunt duo illa loca, Exod. 19. & Leuit. 23. Quãtum ad PRIMVM locum, sciendum, non posse euidenter colligi ex Scriptura, quo die data sit Lex vetus. Nam Scriptura dicit, venisse Mosem cum populo in desertum Sinai mense tertio egressionis ab Aegypto, ac deinde tertia die datam Legem; sed non explicat quo die mensis tertij venerint in desertum Sinai, & proinde non certò scimus, vnde numerentur tres illi dies, de quibus dicitur: *Eſtote parati in diem tertium.*

Inuenio aũt quattuor sniãs. PRIMA est, B. August. epist. 119. c. 16. & q. 70. in Exod. vbi dicit, venisse populum in desertum Sinai prima die mẽsis tertij, & tertia eiusdem datam esse Legẽ, & illam diẽ esse quinquagesimam à die primi Paschatis. Sed contrà sunt argumẽta.

PRIMVM, quia si ita numeremus, nõ coincidet festum datæ Legis cum festo Hebdomadarũ, quod propriè dicitur festum Pentecostes: nam festum Pentecostes est dies quinquagesimus à secundo die azymorũ, non à festo Paschatis, & tamen debent coincidere, vel nullum erit festum datæ Legis, quod est absurdum, & contra ipsum Augustinum, qui ipsum festum datę Legis, vult esse festum Pentecostes.

SECVNDVM, quia reuera non tollitur nostra prima difficultas; nã si Lex data est die quinquagesimo à Paschate Iudęorũ, & illa die est festũ Pentecostes, & Spiritus sanctus venit in die Pentecostes, certè sequitur, Spiritum S. non venisse die Dominico, sed die Iouis.

TERTIVM, quia B. Augustinus non videtur rectè numerare; ipse enim accipit ex primo mense dies septendecim, ex secundo mense dies triginta, ex tertio mense dies tres, & sic efficit dies quinquaginta. At non potuit accipere ex primo mense dies septendecim, & ex secundo dies triginta. Nam menses lunares, quales erant Iudæorum, non omnes constant ex triginta diebus, sed vnus ex triginta, alius ex viginti nouem; ergo debuit accipere August. ex primo mense dies septendecim,

decim, ex secundo dies viginti nouem; vel ex primo dies sedecim, ex secundo dies triginta, & sic non efficit quinquaginta, sed quadraginta nouem. Adde etiam, ꝙ Moses non dicit, mense tertio Paschatis, sed mense tertio egressionis de Aegypto: egressio autem non fuit decimoquarto die, sed decimoquinto, vt habetur Nu 33.

QVARTVM, quia si tertia die mensis tertij data est Lex, oportebit, prima die mẽsis multò plura esse facta, quàm patiatur tẽpus vnius diei: nam in primis dicuntur filij Israel mense tertio peruenisse in desertũ Sinai; ex quo apparet, aliquam partem diei illius primæ, consumptam in itinere. Non enim credibile est, eos peruenisse summo mane, cùm non consueuerint noctu iter facere. Deinde, vbi peruenerunt, fixerunt tabernacula sua, in quo plurimum temporis cõsumebatur, cùm essent in illa multitudine supra mille millia hominum. Deinde post fixa tabernacula, ascendit Moses in montem Sina, qui altissimus erat, & cum Deo loquutus, descendit, & conuocauit oẽs maiores natu, & concionem habuit ad illos, & per illos ad omnẽ populum. Deinde rursum in montem secundò ascendit, & iterum descẽdit, & cum populo loquutus iussit, vt omnes lauarent vestimenta sua: *Cumq; lauissent vestimenta sua*, inquit Scriptura, *dixit eis Moses; Estote parati in diem tertiũ.* Quis porrò credat, vna, atque eadem die tabernacula erecta, & Mosem bis ascendisse ad montem, bis descẽdisse, bis populo concionatum? quod si id credibile nõ est, certè sententia illa S. Augustini ægrè defendi potest.

ALIA expositio est Ruper. & Abul. in c. 19. Exo. qui dicunt, Legem quidem datam die tertio tertij mensis, sed eum diẽ non esse quinquagesimũ, vt Aug. dicebat, sed quadragesimum nonum à Paschate, & ideo festum Pentec. non celebrari propter Legem datã, sed propter fœdus ictum inter Deum, & populum, quod factũ est die quarta tertij mensis, vt dicitur Exod. 24.

Hæc expositio minus placet, quàm prior, nam in primis valent contra hanc sententiam argum. iam facta, excepto tertio, & præterea peribit figura pulcherrima nostræ Pentec. quã tamen Aug. Leo, & alij agnoscunt, nimirum, ꝙ Pentec. Iudæorum fuerit festũ datæ Legis veteris, & nostra Pentec. sit festum datæ Legis nouæ.

TERTIA, sententia est Caietani, qui dicit, Mosem venisse in desertum Sinai prima die mensis tertij, sed illa verba: *Estote parati in diem tertiam*, dicta esse die quarto mensis, & proinde Legem datam die sexta eiusdem mẽsis, qui fuit quinquagesimus à secundo die azymorum inclusiuè, & hoc modo coincidit hoc festum cum festo Hebdomadarum, & omnia cohærent.

QVARTA sententia est Rabbi Salomonis, & Lyrani, qui dicũt Mosem venisse in desertum Sinai die tertia mensis tertij, ac deinde die quarta dixisse: *Estote parati in diem tertiam*, & tãdem die sexta datam Legem. Quæ sententia coincidit cum sentẽtia Caietani quoad diem datæ Legis, de quo erat præcipua quæstio. Videtur autem hæc sententia magis conformis literæ; nam sic habet textus: *Mense tertio egressionis filiorum Israel de Aegppto, in die hac venerunt in solitudinem Sinai*; vbi illud: *In die hac*, videtur referri ad numerum antea nominatum, nimirum ad tertium, vt sit sensus. Mense tertio, & die ipsa, idest, eiusdem numeri, hoc est, tertia. quamquam potest etiam satis cõmodè illud, *In die hac*, referri ad initium mensis, vt sensus sit; In mense tertio, in die hac, idest, in ipso initio mensis. maneat igitur, vt sexta die mensis tertij data sit Lex, siue populus in desertum Sinai venerit die prima, siue tertia.

Quartum ad SECVNDVM locum ex Leuit. 23. duæ sunt expositiones. PRIMA est Isichij, & Ruperti in eũ locum, qui volũt, per alteram diem Sabbathi, intelligi primam Sabbathi, idest, Dominicam, quæ immediatè sequitur post Sabbathum, & sensum Legis esse, vt dies Pentecostes numerentur à prima Dominica, quæ occurrit post festum Paschæ, quæ sententia si vera sit, nobis maximè fauet. Nam eo modo semper Iudæorum Pẽtecoste venisset in Dominica die, & quia anno passionis Christi prima Dominica post Pascha Iudæorũ fuit Dominica resurrectionis, inde eo anno necessariò dies Pentecostes complebantur die quinquagesimo à die resurrectionis Domini.

ALTERA sententia est Lyrani, Caietani, Abulensis, Rabbinorum omnium, & ipsius Iosephi libro tertio antiquitatum, cap. 13. qui intelligunt per alteram diem Sabbathi primam diem post festum azymorum. Et sanè mouet me multum auctoritas Iosephi, quippe, qui nouerat praxim eius Legis, cùm ipse quoque esset Sacerdos, & vixisset in Hierusalem, cùm adhuc Lex illa seruaretur. Sed hac sententia, tanquam vera, admissa, sequitur dies Pentec. anno Passionis Christi numerari cẽpisse in Sabbatho; Sabbathum enim eo anno proximè occurrebat post festum azymorũ. Ex quo sequitur. vt dies Pentecostes complerentur etiam in Sabbatho.

Quomodo igitur nos Pentecosten in Dominica celebramus? Respondet Rupertus, vbi suprà, etiam hac sententia admissa, non potuisse Pentecosten incipere, aut compleri in Sabbatho, quia Iudæi habebant quandam consuetudinem, vt nunquam celebrarent duo festa duobus diebus continuis, & ideo, si quando occurreret primus dies azymorum feria sexta, solitos Iudæos illum diem festum transferre in sequentẽ; & die Sabbathi, celebrare tam festum Sabbathi, quàm festũ azymorum. Atque ita anno passionis Domini diem primum azymorum celebratum à Iudæis non feria VI. sed sabbatho, & proinde dies Pentecostes cẽpisse numerari die sequenti, qui fuit Dominicus.

Sed quia hęc sententia passim refelli solet, neque vacat nunc eam discutere: dicam quod sentio; & licet auctorem meæ sententiæ non habeam, spero tamen eam non facilè improbandam, cùm certa ratione niti mihi videatur.

RESPONDEO igitur, ordinariè quidem cẽpisse numerari dies Pentecostes à secunda die azymorum: sed tamen si secunda illa dies esset sabbathum, tunc cẽpisse numerari à tertia die azymorum: neque vllus hoc arguere potest. Nam causa, cur illi dies quinquaginta non inciperent à die primo azymorum, sed à secundo, est, quia oportebat illo die multa opera seruilia facere, quæ diè festo erant prohibita, nimirum oportebat metere manipulum frumenti, & exsiccare, & adferre ad Sacerdotem. At ista omnia magis prohibita erant die sabbathi, quàm die primo azymorum: ergo non licebat in secunda die azymorum, quando ea die erat sabbathum, incipere dies illos quinquaginta. Et hanc esse puto causam, cur Scriptura dixerit; *Altera die Sabbathi*; & non, altera die Paschæ, vel azymorum, quia nimirũ voluit generatim includere festa, quæ immediatè occurrerent post Pascha, siue esset vnum, siue plura. Itaque illud: *Altera die Sabbathi*; significat prima die profana post festum Paschæ. Et quia vt plurimum post Pascha non occurrebat festum, nisi primo die azymorum, ideo non malè Iosephus loquens de eo, quod vt plurimum accidebat, scripsit, incipere Pentecosten Luna decimasexta, quamquam anno Christi passionis cẽperit Luna decimaseptima, quia videlicet sabbathum fuit Luna decimasexta. Quòd si dies Pentec. eo anno numerari cẽperunt Luna decimaseptima, qui dies erat Dominicus, sequitur, vt complerẽtur dies Pentecostes etiam die Dominico. Atque hoc est quod quærebatur.

CAPVT XIV.

De Septuagesima, & sequentibus Dominicis.

DIXIMVS de Septuagesima, quæ celebratur post Pascha; nunc de ea breuiter differemus, quæ celebratur ante Pascha. Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ non inuenio mentionem ante tempora

pora B. Gregorij, sed in Antiphonario, & Sacramentario Gregorij annotantur expresè officia harum Dominicarum, & earundem meminerunt multi auctores Gregorio posteriores: nimirum Beda in libello de officijs diuinis; Alcuinus in libro eiusdem argumenti; Amalarius, lib. 1. c. 1. de officijs Ecclesiasticis; Rabanus lib. 2. c. 24. de Instit. Clericor. Iuo in serm. de Septuag. Rupert. lib. 4. c. 1. de diuinis officijs, & B. Bern. in serm. de Septuag. Ratio autem horum nominum nó est eadem apud omnes. Beda & Alcuinus dicunt, quosdam addidisse vnam hebdomadam ad ieiunium Quadragesimæ, & illam consequẽter vocasse Quinquagesimam; alios addidisse adhuc aliam, quia nolebãt die Iouis ieiunare, & tamen numerum dierum integrum seruari volebant. Itaque addidisse vnam hebdomadam ante Quinquagesimam, & eam hebdomadam consequenter vocasse Sexagesimam; alios denique, qui non ieiunabant die Iouis, nec die Sabbathi, addidisse adhuc aliam, & illam vocasse Septuagesimam.

Sed improbabilis est hæc sententia. nam non est verisimile propter abusum paucorum, qui non ieiunabant die Iouis, & die Sabbathi, Ecclesiam instituisse tã solennes Dominicas. Et præterea non inuenimus mentionem harum Dominicarum, nisi post tempora Gregorij, quando iam non erat ille abusus.

Alij volunt Septuagesimam dici à numero dierum, quia sunt dies LXX. ab ea Dominica vsque ad Sabbathum in Albis: Sexagesimam dici, quia sunt dies sexaginta ab ea Dominica vsque ad feriã IV. post Pascha: Quinquagesimam dici, quia tot sunt dies inde vsque ad Pascha. Inepta opinio; nam sic omnis Dominica poterit vocari Septuagesima, si numeremus LXX. dies & non curemus vbi terminentur. Adde, quòd per septuaginta dies volunt isti auctores significari captiuitatem spiritualem sub diaboli potestate, cuius typus fuerat captiuitas Babylonica LXX. annorum. Atabsurdissimum est, inter dies captiuitatis includere diem resurrectionis Domini, qui est dies perfectæ libertatis.

Alij prudentiores dicũt, denominari à Paschate has omnes Dominicas, sed per Synechdochem: nam à Septuagesima vsque ad Pascha sunt ferè LXX. dies, ideſt LXIV. à Sexagesima vsq; ad Pascha sunt circiter LX. dies, ideſt, LVII. à Quinquagesima vsque ad Pascha sunt quinquaginta dies. Sed videtur deficere ista opinio in nomine Septuagesimæ. nam sexaginta quatuor dies magis dici deberent sexaginta, quàm septuaginta.

Est ergo sententia Ruperti, quam puto verissimam, ista nomina nó esse desumpta à numero dierum, sed à numero Dominicarum, voluit enim Ecclesia, ante Dominicam passionis præmittere septem celebres Dominicas, quibus reuocaret nobis in memoriam, spiritualẽ nostram captiuitatẽ, sicut per Dominicam passionis, & sequentem commemoratur redemptio à captiuitate.

Itaque prima Dominica ex septem dicitur Septuagesima, quia est prima ex septem. Secunda dicitur Sexagesima, quia est prima ex sex. Tertia dicitur Quinquagesima, quia est prima ex quinque sequentibus. Quarta dicitur prima Quadragesimæ eadem ratione. Quinta dicitur secunda Quadragesimæ. Sexta dicitur tertia Quadragesimæ. Septima dicitur quarta Quadragesimæ. Deinceps autem non dicitur quinta Quadragesimæ, sed Dominica passionis. Et hinc etiam est, quod in Dominica Septuagesimæ, quia commemoratur captiuitas, legitur in officio, ex initio Geneseos peccatum primi hominis, & omittuntur omnia cantica læta, & ad Missam incipimus: *Circũdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me.* In Dominica autem passionis incipimus: *Vexilla Regis prodeuni, &c.*

De Dominicis Quadragesimę, & passionis frequentissima mentio est apud omnes Patres; sed de ea nos disseremus in controuersijs de ieiunio. Interim vide Epiphanium in compendiaria doctrina, quæ habetur ad finem librorum aduersus hæreses, Theophilum in epistolis Paschalibus, Cassianum collatione 21. & Augustinum epistola 118.

CAPVT XV.

De reliquis festis Domini.

NATALIS Domini meminit Clemens, lib. 5. c. 13. Chrysost. orat. in sanctum Philogonium, Ambr. lib. 3. de virginibus, initio; Item Basilius, Nazianzenus, Maximus, Augustinus, Leo, & alij, quorum extant sermones de Natali Domini.

CIRCVMCISIONIS festum videtur esse satis recẽs. Nam non solùm veteres Patres non meminerunt eius festi, verùm etiam Isidorus, Micrologus, Amalarius, Rabanus, Vvalfridus, Strabo, qui describũt officia omnium festorum; meminerunt quidem officij die octauæ Natalis Domini, sed nõ sub nomine Circumcisionis, B. Bern. tamen, & ante eum B. Iuo Carnotensis, sermones habent de ipso festo Circumcisionis.

EPIPHANIÆ meminit Chrysostomus oratione de S. Philogonio; Nazianzenus oratione in sancta lumina; Maximus, Augustinus, Leo, & alij recentiores. Obseruat autem Cassian. collat. 10. c. 2. apud Aegyptũ vna, & eadem die celebrari Natalis, & Epiphaniæ diẽ, cùm in Occidentis Ecclesijs, sint festa diuersa.

Dominicæ in ALBIS meminit Clemens, lib. 5. c. 20. Nazianzenus oratione in nouam Dominicam, & Augustinus serm. 1. de octaua Paschatis. qui etiam lib. 22. de Ciu. Dei, c. 8. meminit trium dierum Paschatis.

ASCENSIONIS festum antiquissimũ est, & ab Apostolis institutum, vt docet Clemens, lib. 5. c. 20. Apost. constitut. & B. Aug. epist. 118. In eodem festo extant sermones Nysseni, Leonis, & aliorum.

Festum TRINITATIS recens est. nam c. Quoniam, de ferijs, Alexander III. dicit, suo tempore fuisse quidẽ in vsu apud quasdam Ecclesias, non tamen Romæ. Micrologus etiam, libro de obseruationibus Ecclesiasticis, c. 60. reprehendit eos, qui hoc festum celebrant. & nè quis obijceret, videri hoc festum antiquum, quãdoquidem præfatio de Trinitate est vna ex nouẽ, quas Pelagius II. tanquã antiquissimas seruari præcepit: monet Micrologus, eam præfationem in Dominicis omnibus cantari solitam: neque esse propriam festi Trinitatis. Postea tamen etiam Romæ meritò receptum est, & quidem in die octaua Pentecostes, vt Deo specialiter agãtur gratiæ pro mysterio Trinitatis orbi terrarum, Apostolorum ministerio declarato.

Festum CORPORIS Domini cõstat ab Vrbano IV. institutum, post annum Domini M.CC. quod festum omnes Lutherani, & Caluinistæ oderunt, sed immeritò. Nam etiam si non esset verè Christus in Eucharistia, (vt Caluinistæ dicunt,) vel non deberet adorari, (vt dicunt Lutherani,) tamen adhuc iustum esset, habere certum diem, quo recoleremus memoriam institutionis eius Sacramenti, quod etiã Lutherani, & Caluinistæ maximum Sacramentorum esse concedunt.

Festum denique TRANSFIGVRATIONIS Domini antiquum esse videtur. Extant enim de eo sermones San. Leonis, necnon Cyrilli Alexandrini, & Andreæ Cretensis apud Surium.

CAPVT XVI.

De festis Sanctorum.

FESTA Sanctorum aduersarij non parum oderũt. PRIMO, quòd idololatriam sapere videãtur; nam Sabbatha sanctificare, est præceptum primæ tabulæ, & proinde ad cultum Dei pertinet.

SECVNDO, quia aliqua falso fundamento nitantur, vt Conceptionis B. Mariæ festum, quod festum B. Bernardus nominatim reprehendit in epist. 174. ad Canonicos

nicos Lugdunenses. vbi dicit, errorem, & superstitionem sapere hoc festum, quia eo vel peccatum honoratur, sine quo conceptio ista non fuit, vel falsa inducitur sanctitas. Et præterea apud nos etiam non est certum, an B. Virgo sine peccato originali concepta fuerit; Ecclesia enim vtrãque opinionem permittit, ergo saltem dubium est, an rectè hoc festum celebremus.

TERTIO, quòd plurima sint noua, ac præsertim festa B. Virgini dicata: nec enim ante Iustiniani tempora extabant.

QVARTO, quòd multa ab Imperatoribus seculi instituta sint. Nam festum Purificationis instituit Iustinianus, vt scribunt Paulus Diaconus, lib. 16. rerũ Romanarum, & Nicephorus, lib. 17. c. 28. Festum Assumptionis instituit Maurit. qui Iustiniano posterior fuit, vt idem Nicephorus ibidem refert.

QVINTO, quia cousque prolapsus est abusus festorum, vt etiam Imperatoribus non sanctis festi dies instituti sint, vt de Iustiniano refert Niceph. lib. 17. c. 31. Hæ sunt obiectiones Tilmanni Heshusij libro de erroribus Pontificiorum, tit. 26. & Magdeburgensium Cent. 6. c. 6. col. 342. 343. & 344.

Veruntamen pium, & bonum esse colere festos dies Sanctorum, facilè demõstrabimus auctoritate primũ, deinde ratione. AVCTORITAS est totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ omni tempore id seruauit. Ac vt solùm inspiciamus quinque prima secula. PRIMO seculo, id est, Apostolorum tempore habemus Clementem, lib. 8. Constit. cap. 39. vbi iubet seruari festa Apostolorum, & Martyrum.

SECVNDO seculo, habemus testimonium Ecclesiæ Smyrnẽsis, cuius epistolam refert Eusebius, lib. 4. hist. cap. 15. in ea epistola habentur hæc verba: *Quò in loco etiam nũc, præstante Domino, solennes agimus celebresq; conuentus, maximè quidem in die passionis eius; sed & cum eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur.*

TERTIO seculo, Origenes hom. 3. in diuersos Euangelij locos, dicit, festum Innocentium puerorum rectè in Ecclesia celebrari, propterea, quòd fuerunt illi Martyrum primitiæ. Item Tertull. lib. de corona militis dicit, vnam ex antiquis traditionibus esse, annuas oblationes facere pro natalitijs. Et clarius B. Cyprian. lib. 3. epist. 6. *Dies*, inquit, *eorum quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et lib. 4. epist. 5. *Sacrificia*, inquit, *pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrũ passiones, & dies anniuersaria cõmemoratione celebramus.*

QVARTO seculo, Basilius oratione in Gordiũ Martyrem; Nyssenus orarione in Theodorum Martyrẽ; Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, paulò ante mediũ; Ambr. serm. 76. 77. & 78. Hieronym. in c. 4. ad Gal. & epist. 19. ad Eustoch. Prudentius in hymno de sanctis Petro, & Paulo, festorum dierũ in Sanctorũ memoria & honorum institutorum apertissimè meminerunt.

QVINTO seculo, Chrysost. homil. 66. ad populum; Theod. lib. 8. de Martyribus; August. in Psal. 63. & 88. & alibi; Paulinus natali 2. & 3. S. Felicis. His accedunt Leo, Gregorius, Beda, & alij omnes posteriores, quorum libri testimonijs plenissimi sunt.

Probatur hoc etiam ex antiquis Concilijs diuersarum Ecclesiarum. Concilium LAODICENVM in Oriente celebratum ante annos M. CC. can. 51. vetat, in Quadragesima celebrari festa Sanctorum; ex quo sequitur, extra Quadragesimam fuisse in ea prouincia celebrata. Concilium CARTHAGINENSE III. ante annos MC. canone 47. *Liceat*, inquit, *legi passiones Martyrum, cùm anniuersarii dies eorum celebrantur.* Concilium TOLETANVM in Hispania III. can. 23. iubet, vt in diebus festis Sanctorum populi non dent operã turpibus saltationibus. Concilium LVGDVNENSE in Gallia, vt habemus cano. Pronunciandum, de consecrat. dist. 3. enumerat inter festa Ecclesiæ festum sanctorum Apostolorum, Assumptionem, & Natiuitatem B. MARIÆ, festum sancti Syluestri, S. Martini, & aliorum. Idem ex Germania habemus in Concilio MOGVNTINENSI, cap. 36.

VLTIMO probatur ratione, quæ fundatur in diuinis literis. Festi dies rectè instituuntur ad recolenda diuina beneficia, vt patet de festo Sabbathi, & festo Sortium apud Iudæos, & de festis Domini apud Christianos. Vnde August. lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 4. *Beneficiorum*, inquit, *Dei, solennitatibus, festis, & diebus statutis dicamus sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.* Sed non est paruum Dei beneficium beata consummatio alicuius Sancti, & præcipuè per martyrium; inde enim datur toti Ecclesiæ militãti exẽplum fortitudinis, & vnus nouus patronus apud Deum: datur etiam toti Ecclesiæ triumphanti nouum gaudiũ de accessione vnius ciuis: deniq; tunc agitur nouus, & perfectus triumphus de Diabolo.

Confirmatur; nam omnes causæ, propter quas homines etiam profani celebrant festos dies, concurrunt in obitu Sanctorum. Homines enim festa celebrant ob diem natalem Principum: item ob assumptionem alicuius ad summam aliquam dignitatem: denique ob partam victoriam. At cum Sancti moriuntur, tunc verè nascuntur, & nascuntur Principes cœlestes, vnde ab Ecclesia eorum obitus natalitia dicuntur: item tũc assumuntur ad summam dignitatem, quæ hominibus conferri queat, idest, ad æternam beatitudinem: deniq; tunc perfectam victoriam referunt de diabolo, & triumphum agunt.

Neque rationes aduersariorum aliquid efficiunt. Ad PRIMVM de idololatria dico; PRIMO, festa Sanctorũ Deo dicari, sed in Sanctorum memoriam, quemadmodum templa sacrẽtur Deo in memoriam Sanctorum. SECVNDO dico, honorem dierum festorum immediatè, & terminatiuè pertinere etiã ad Sanctos, quemadmodum diximus de basilicis, de votis, & de ipsa inuocatione: sed talem honorem dicimus esse cultum duliæ, non latriæ, & proinde religionis quidem cultum, sed religionis, non vt est nomen specialis virtutis, quæ hominem erga Dei cultum benè disponit, sed vt est nomen generale.

Ad SECVNDVM de festo Conceptionis, quod falsò fundamẽto niti videtur, dico; PRIMO, in maiori parte Ecclesiæ piè credi B. Virg. sine peccato originali conceptam, quod etiam ex aduersarijs fatentur Lutherus, & Erasmus; ille in sermone de festo Conceptionis; iste in Apologia ad Albertum Pium Carpensem.

Dico SECVNDO, fundamentum huius festi præcipuum non esse conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem matris Dei futuræ. qualiscunque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quòd conceptio fuit matris Dei, singulare gaudium affert mundo eius memoria. tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.

DICES, hoc modo etiam Ioannis Baptistæ conceptio celebrari posset. RESPONDEO, posset sanè, vt Græci faciunt. Nam in Kalendario Græcorum die 23. Septembris annotatur festum conceptionis Ioannis Baptistæ: sed Ecclesiæ Latinæ non est visum tot festa multiplicare. Et præterea magnum est discrimen inter matrem Dei, & præcursorem eiusdem, & inter vtriusque conceptionem. Nam quia maior pars ecclesiæ piè credit immaculatam cõceptionem, inde habuit eadem ecclesia occasionem instituẽdi hoc festum, quã occasionẽ non habuit ad instituendum festum de conceptione Ioannis Baptistæ.

Porrò

Porrò B. Bernardi sententia nobis sauet, ille enim reprehendit Canonicos Lugdunenses, quod sine exẽplo, vel præcepto Romanæ ecclesiæ nouum festum instituissent. Si ergo nunc B. Bernardus videret ex auctoritate Romanæ ecclesiæ festum celebrari, etiam ipse libentissimè celebraret.

Ad rationem autem Bernardi dico, nos nec peccatũ honorare, nec inducere falsam sanctitatẽ, etiamsi Virgo in peccato concepta esset, sed honorare officium matris Dei, ad quod ab ipsa conceptione designata fuit. Nam idem Bernardus ibidem dicit, meritò celebrari natiuitatẽ Ioannis Baptistæ, quia sancta fuit, & tamen ibidem dicit, se non audere asserere sanctificationem Ioãnis in vtero deleuisse originale peccatum, licet hoc pium sit credere. Si ergo ita aduersus Bernardum argumentarer; Colis festum natiuitatis Ioannis, quem non audes asserere natum sine peccato, ergo vel honoras peccatum, vel inducis incertam sanctitatem. Responderet Bernardus, nec peccatum se honorare, nec inducere incertam sanctitatem, sed honorare officium præcursoris, ad quod sanctificatus fuit adhuc in vtero matris existens: Idem ergo respondeo illi de conceptione B. Mariæ.

Quòd si ipse quæreret, vnde habeamus B. Mariam ab ipsa conceptione sanctificatam, saltem ad hoc, vt esset mater Dei designata, respõderem, inde nos hoc didicisse, vnde ipse didicit, B. Mariam ab ipsa natiuitate sanctam fuisse. Asserit enim ibidem, ex eo, quod ecclesia iam tunc celebrabat B. Virg. ortum, se nihil dubitare, quin ortus ille sanctus fuerit; & nos ergo ex eo, qd ecclesia celebrat festum cõceptionis, nihil dubitamus, conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officij, ad quod assumebatur.

Ad TERTIVM dico duo; PRIMO, non esse absurdum, quod aliqua festa sint recentia, quandoquidem etiam sæpe sunt recentia Dei beneficia, propter quæ festa instituuntur; vel saltem occasio festorum instituendorum potest esse recens. Vnde etiam tempore Iudęorum vario tempore varia sunt festa instituta, præter ea, quæ Deus ipse per Mosem instituerat, vt patet de festo Sortium, propter liberationem tempore Hester; & de alio festo ob victoriam Iudith, & de festis dedicationũ tempore Salomonis, & postea tempore Esdræ, & vltimo tempore Machabæorum, quod festum, licet recentissimum, Christus ipse honorauit, Ioan. 10.

Dico SECVNDO, festa Sanctorum antiquissima esse, vt iam ostendimus. Fatemur tamen prius cępisse celebrari festa Martyrum, quàm Confessorum; & nonnulla etiam festa B. Mariæ recentia esse. Nam festum CONCEPTIONIS tempore B. Bern. cępit, sed non fuit publicè receptũ à tota Ecclesia, nisi post decretum Sixti IV. Pontificis, quod habetur in Extrauaganti, Cùm præexcelsa, de reliquijs, & veneratione Sactorum. Similiter festum visitationis in Ecclesia Latina nouũ est. Fuit enim institutum ab Vrbano Papa VI. atque à Bonifacio IX. primùm confirmatum, deinde etiam à Cõcilio Basileensi sess. 43. quãquam vtrumque festum iam antea erat in Kalendario Græcorum.

Festum NATIVITATIS B. Mariæ longè antiquius est. Meminit enim eius Petrus Damianus, qui tres sermones de eo festo scripsit, & ante eum B. Greg. qui in Antiphonario, & Sacramentario annotauit officium, 8. die Septembris, pro natali B. Mariæ.

Festum ANNVNCIATIONIS adhuc est antiquius. Extat enim oratio San. Athanasij de sancta Deipara, vbi expresse meminit huius festi.

A Festum PVRIFICATIONIS est etiam antiquissimũ. Siquidem huius celebritatis extant orationes Amphilochij, Gregorij Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli Alexãdrini, & Andreæ Cretensis apud Aloysium Lipomannum, & Laurentium Surium.

Denique festum ASSVMPTIONIS est etiam antiquissimum. Nam eius meminit Gregorius in Antiphonario, & Sacramentario, & ante Gregorium Andreas Cretensis in oratione de hoc festo, quæ extat apud Lipomannum, & Surium. Atque ante Andreæ tempora extat inter opera B. Hieronymi insignis sermo de festo Assumptionis, qui quidem, vel ipsi Hieronymo, vel eius æquali Sophronio tribuitur.

B Ad obiectionem ergo ex Nicephoro, & Paulo Diacono, dico, eorum verba non posse intelligi de prima institutione horum festorum, nisi illi apertissimè mentiantur. quomodo enim instituit Iustinianus festum Purificationis, & Mauritius festum Assumptionis, si vtrumque festum erat institutum tempore Hieronymi, & Chrysostomi, qui ducentis annis Iustiniano antiquiores fuerunt? Præterea ijdem auctores ibidem dicunt, à Iustino Imperatore institutum festum Natiuitatis Domini. At constat ex Ambrosio, Augustino, Leone, & alijs, qui Iustinum præcesserunt, festum Natiuitatis longè esse antiquius. Solùm ergo Imperatores illi addiderunt aliquid ad celebritatem, & fortasse præceperunt ciuilibus legibus, ne vllus operaretur in illis solennitatibus, cùm tamen etiam antea legibus ecC clesiæ dies illi festi sanciti essent.

Ad QVARTVM, patet responsio. Non enim Imperatores festa instituerunt, sed instituta iam festa ab ecclesia, legibus etiam suis adiuuerunt, & ornarunt.

Ad QVINTVM respondeo, Nicephorum non dicere, institutum fuisse festum diem Iustiniano, sed solùm quotannis Episcopum quendam Constantinopolitanum solitum celebrare eius memoriam. Id quod non cogimur intelligere de aliquo festo die, sed solùm de laudatione Iustiniani, quam ille Episcopus admiscebat concioni suæ, propterea quod Iustinianus multa pia opera, & Ecclesiæ vtilissima fecisset. Addo prę-
D terea, quidquid illud fuerit, siue festus dies, siue simplex laudatio, fuisse vnius priuati Episcopi factum, quod non immeritò reprehendi posset, præsertim cùm eius successores mox omiserint eiusmodi celebritatem.

CAPVT XVII.

De Vigilijs.

IN professis magnorum dierum consueuerat ecclesia vigilare, & ieiunare, ac in primis Vigilia Paschæ, quæ nocte præcedente Dominicam Resurrectionis agebatur, semper celeberrima fuit; vt patet ex Clemente, lib. 5. constit. cap. 19. ex Tertull. lib. 2. ad vxorem; ex Eusebio, lib. 6. hist. c. 7. & ex alijs permultis.

E De Vigilijs autem in Sanctorum honorem meminit Basil. in Psal. 114. Hieron. in lib. aduersus Vigilantium, Burchard. lib. 13. decretorum, c. 16. Berna. serm. de Vigilia S. Andreæ; & de Vigilia sanctorum Petri, & Pauli. & Innocent. pontifex III. c. 1. & 2. de obseruatione ieiuniorum. Cęterùm quoniam paulatim occasione nocturnarum Vigiliarum, abusus quidam irrepere cęperant, vel potius flagitia non rarò committi: placuit ecclesiæ nocturnos conuentus, & Vigilias propriè dictas intermittere, ac solùm in ijsdem diebus celebrare ieiunia.

Finis quatuor Controuersiarum generalium Tomi secundi.

LAVS DEO VIRGINIQVE MATRI MARIÆ.

INDEX SCRIPTVRARVM EX VETERI TESTAMENTO.

In quo obiter aduertendum in posteriori hac editione indicem hunc duobus Tomis prioribus, vt subseruiret coniunctum fuisse.

Numerus Primus capita Bibliorum, Secundus verò columnas indicat.

GENESIS.

Cap. Colum.



Hic liber est historia quædam Patriarcharum, non liber dogmatum. 558.d
1. Factum est vespere, & mane dies vnus. 913.b
1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 702.a
1. Crescite, & multiplicamini. 407.b
2. Quacunque die comederis, morte morieris. 545.c
2. Non est bonum hominem esse solum. 336.b
3. Posuit ante paradisum flammeum gladium. 561.b
4. Ipse cepit inuocare nomen Domini. 236.d
9. Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. 475.b
21. Eijce ancillam & filium eius. 276.c
23. Surrexit Abraham ab officio funeris. 558.e
28. Votum vouit Iacob. 355.a
38. Producite eam vt comburatur. 475.c
44. Ego hunc in fidem meam recepi. 378.a
47. Sollicitudo Patriarcharum qui cupierunt in terra promissionis sepeliri. 516.d
48. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. 659.c
48. Inuocetur nomen meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum. 166.d

EXODVS.

3. Locus, in quo stas, terra sancta est. 715.a
12. Præcipitur vt comesturi agnum Paschalem renes suos accingerent. 254.d
12. Est enim Phase, id est, transitus Domini. 815.a
12. Celebrabitis hunc diem solennem in generationib. vestris cultu sempiterno. 398.a
18. Legimus Moysem sedisse tamquam principem, & caput illius Ecclesiæ, & ad omnia dubia respondisse. 301.a.b
19. Mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Synai. Et, Estote parati in diem tertium. 816.d.817.b
20. Non habebis Deos alienos. 697.d
20. Non facies tibi sculptibile, neque omnem similitudinem. 697.c.699.b
20. Non adorabis ea. 643.
20. Non assumes nomen Dei tui in uanum. 795.a. & 797.c
20. Non concupisces rem alienam, &c. 897.e
20. Deos aureos, & argenteos non facietis mecũ. 698.c.699.e.703.b.739.a
21. Qui percusserit hominem, uolens occidere, morte moriatur. 475.
22. Iudices populi vocantur dij. 459.
28. Aaroni, & filijs præcipitur, vt feminalibus lineis à renibus vsque ad femora tecti essent eum ingrederentur tabernaculum. 254.c
31. Pactum est sempiternum, signumque perpetuum. 803.d
32. Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Et. Cras solennitas Domini est. 140.d.141.e.712.e.721.c.722.b
32. Recordare Domine Aaraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum. 659.d
33. Moyses vidit posteriora Dei. 701.a

LEVITICVS.

19 Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane. 633.e
21. Non radent caput, neque barbam. 441.b.444.e
23. Numerabitis ergo ab altero die Sabbati. 821.e. & seq.
27. Iussu Dei dantur Leuitis decimæ. 281.a

NVMERI.

6. Vota Nazaræorum, qui seipsos Domino consecrabant. 315.a
6. Nazarei in die consecrationis suæ tondebantur. 443.d.444.e
12. Murmuratores puniuntur morbo lepræ. 545.a
18. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua. 287.a.b.c
18. Iubentur decimæ dari Leuitis. 281.b

20. Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem? 132.c
21. De serpente æneo. 690.c
22. Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via, euaginato gladio, adorauitque eum. 645.d
30. Si quis Domino votum vouerit, non faciet irritum verbum suum. 378.b
35. Ego Dominus hæreditas Leuitarum sum. 287.e

DEVTERONOMIVM.

4. Non vidistis aliquam similitudinem, &c. 699.c
6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c. 343.d
6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, 650.a
10. Non habuit Leui partem, nec possessionem. 287.a
15. Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos. 450.d.453.c
18. Non sit maleficus, nec incantator inter vos. 795.a. & 797.d
20. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem offeres ei primum pacem. 484.d
32. Nunquid non ipse est pater tuus qui fecit, & creauit te. 119.d
32. Mea est vltio, & ego retribuam. 419.c
33. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, fratribus suis, ignoro illos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. 252.d
34. Deus ipse corpus Moysis honorauit. 681.c
Illudque abscondit. 690.a

IOSVE.

5. Noster es, an aduersariorum? 645.e
13. Tribui autem Leui non dedit possessionem. 287.a

IVDICES.

3. Qui non nouerant bella Chananæorum, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. 477.b
17. Sanctificaui, & uoui Domino mille & centum argenteos, vt faciam sculptile atque conflatile. 713.a. 722.a
21. Non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat. 159.b

I. REGVM.

15. Vade & percute Amalech. 477.b
21. Noluit Abimelech sacerdos dare Dauidi panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab vxore aliquandiu se continuisse. 254.e
31. Habitatores Rabes Galaad, audita morte Saul, ieiunauerunt septem dies. 516.a

II. REGVM.

1. Dauid flenit, & ieiunauit pro Saule. 516.c
3. Dauid ieiunauit pro Abner. 516.c
12. Peccaui Domino, Deus quoque transtulit à te, etc. 545.c
12. Dauid ieiunauit pro filio suo infantulo, dum ægrotaret. ibid.d

III. REGVM.

8. Conuertitque Rex faciem suam, & benedixit Ecclesiæ Israel. Omnis n. Ecclesia Israel stabat. 132.a
8. Tu nosti solus omnia corda filiorum hominum. 669.d.671.c
17. Adfer mihi, obsecro, bucellam in manu tua. 454.d
18. Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si Baal est Deus, sequimini illum. 722.b
19. Relictus sum ego solus. Et: Reliqui mihi septem millia virorum. 140.d.142.a
22. Quadringenti Prophetæ errauerunt, ipso Domino protestante. 544.e

IV. REGVM.

22. Colligam te ad Patres tuos, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum in locum istum. 669.d.671.c

I. PARALIPOMENON.

23. Sacerdotes a domo & vxore abfuisse dicuntur tempore, quo erant celebraturi. 254.e
28. Parauidomum vbi requiescat Arca Domini. 674.d

II. PARALIPOMENON.

15. Transibunt dies multi in Israel sine Deo vero, sine sacerdote & doctore, & sine lege. 140.e. & 142

TOBIAS.

Vide auctoritatem libri huius. 64.b
4. Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. 516.a
12. Bona est oratio cum ieunio. 437.b
12. Ego obtuli orationem tuam Domino. 653.a

IVDITH.

Auctoritas huius libri. 64.b
6. Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt. 98.c.d

ESTHER.

9. Nulli liceat hos duos dies absque solennitate trãsigere. 810.d
13. Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem. 641.d.650.c
14. Ne tradas sceptum tuum ijs qui non sunt. 694.b

IOB.

5. Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere. 659.c
9. Verebar omnia opera mea. 347.e
14. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget. 699.d.671.c

16. *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* 125.d
19. *Miseremini mei amici mei.* 659.c
34. *Qui regnare facit hominem hypocritã propter peccata populi.* 468.d

PSALMI.

2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã.* 160.d
6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* 574.a
6. *Sana animam meam, quoniam conturbata sunt ossa mea.* 573.e
6. *Anima mea turbata est valde.* ibid.
6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* ibid.
15. *Non derelinques animam meam in inferno.* 536.c
17. *Et ero immaculatus cum eo.* 115.c
18. *In sole posuit tabernaculum suum.* 132.c
24. *Vnicus & pauper sum ego.* 363.c
25. *Ecclesia malignantium.* 98.a
31. *Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.* 114.b
36. *Non vidi iustum derelictum.* 454.c
37. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 516.d
39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* 451.c
47. *Deus fundauit eam in æternum.* 134.b
53. *Voluntariè sacrificabo tibi.* 390.a. 391.a
65. *Transiuimus per aquam, & ignem, & eduxisti nos in refrigerium.* 516.c
75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* 356.d. 357.b
76. *Numquid obliuiscetur misereri Deus.* 563.a
77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur.* 515.c
81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deus dijudicat.* 98.a. 459.a
88. *Ecclesia sanctorum.* 98.a
88. *Et ponam in secidum seculi semen eius.* 134.d
88. *Visitabo in virga iniquitatem eorum, & in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* 134.e
88. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* ibid.d
98. *adorate scabellum pedum eius.* 644.d
108. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent.* 454.b
108. *Quia persecutus est hominem inopem, & mendicum.* 451.c
109. *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* 534.e. 535.d
109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* 106.c
114. *Circumciderunt me dolores mortis, &c.* 573.e
114. *Placebo Domino in regione viuorum.* 574.b
120. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* 654.a
126. *Cùm dederit dilectis suis somnum.* 548.a
131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* 559.e
131. *Propter Dauid seruum tuum, nõ auertas faciem Christi tui.* ibid.
131. *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* 644.e
132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* 310.e
142. *Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo, &c.* 347.e

PROVERBIA.

8. *Per me reges regnant.* 459.e
11. *Vbi non est gubernator corruet populus.* 461.e
12. *Non contristabit iustũ quidquid ei acciderit.* 573.e. 574.a
16. *Sortes mittuntur in sinum, à Domino autem temperantur.* 317.e
30. *Mendicitatẽ, & diuitias ne dederis mihi.* 454.b

ECCLESIASTES.

7. *Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest videntibus solem.* 454.
9. *Viuentes sciunt se morituros, mortui nihil nouerũt amplius, nec habẽt ultra mercedem.* 565.c. 590.e. 669.d. 671.c
9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.* 548.c. 565.c
11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonẽ, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* ibid.

CANTICA.

4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* 115.a
4. *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium.* 111.b
6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ.* ibid.c

SAPIENTIA.

De hoc libro vide 64.b

3. *Felix sterilis, & incoinquinata, quæ nescium thorũ in delicto.* 329.c
3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* 400.d
8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det.* 268.a

ECCLESIASTICVS.

De libro hoc vide 64.b.c

10. *Regnum à gẽte in gentem transferetur propter iniustitiam.* 467.c
11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.* 616.b
18. *Ne vereris usque ad mortem iustificari.* 565.d
27. *Propter inopiam multi deliquerunt.* 454

ISAIAS.

1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem sprenerunt me.* 120.a

1. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit. Et: A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. 140.d
2. Conflabunt gladios suos in vomeres. 479.d.501.e
4. Purgabit Dominus sordes filiorū, & filiarum Syon. 516.e
9. Succensa est quasi ignis impietas, vepres, & spinas deuorabit. 517.a
10. Assur virga furoris mei, & baculus ipse est. In manu eorum indignatio mea (vsque ad id) cor eius nō ita existimauit. 464.e
11. Non occident, & non nocebunt in omni monte sancto meo. 502.a
11. In eum gentes sperabunt. 682.a
19. In illo die cognoscent Aegyptij Dominum, & colent eum in hostijs, & muneribas, & vota vouebunt, & soluent. 353.e
40. Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei? 700.a.703.b
42. Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. 698.e
45. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram (vsque ad) non cognouisti me. 467.d.468.c
46. Cui assimilastis me? 802.803.b
52. Non adiciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus, recedite, recedite, exite inde, pollutū nolite tangere, exite de medio eius. 117.c
56. Non dicat Eunuchus; Ego lignū aridum, &c. 328.c
56. Speculatores eius cæci omnes, neque quidquam nouerunt, omnes cani muti, &c. & Pastores eius nihil sciunt. 55.a.145.a
60. Ambulabūt gentes in lumine tuo, & Reges in splēdore ortus tui. 459.c.769.a.& 772.b
61. Et fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. 134.c
63. Tu es Pater noster, & Abraham nescuit nos, & Israel ignorauit nos. 669.d.671.d
64. Pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ. 347.e
66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum. 363.c
66. Assumas ex eis sacerdotes, & Leuitas. 218.d
66. Ignis eorum non extinguetur. 563.a

HIEREMIAS.

3. Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. 27.b
6. A Propheta vsque ad sacerdotem, quisque sectatur mendacium. 55.b
7. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes; templum Domini, templum Domini. 140.e.775.d. & 790.c.d
9. Circumtonsos in comam. 441.b.444.d
14. Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo. 55.b
15. Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. 655.c
23. Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. 474.e
27. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, &c. 465.a
31. Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. 138.c
35. De Rechabitis qui laudantur propter obedientiam. 315.c.335.b.367.d
48. Maledictus qui facit opus Dei negligenter. 349.e

BARVCH.

Habes auctoritatem huius libri. 64.b.c

EZECHIEL.

18. Cum auersus fuerit impius ab impietate sua, omniū iniquitatum eius non recordabor. 549.a
22. Coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens, qui rapit prædam, sacerdotes eius violauerunt legem meam, & prophanauerunt sancta mea. 55.b
29. Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna. 545.b
33. Speculatorem domus Israel dedi te. 52.a
44. Non radent caput, neque barbam. 441.c.444.e

DANIEL.

2. In diebus Regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur. 134.e
9. Deficiet hostia & sacrificium. 140.e

OSEAS.

8. Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui. 467.c
9. Speculator Ephraim cum Deo laqueus, aucupis, odium in domo Dei. 55.b
11. Ex Aegypto vocaui filium meum. 772.e

IOEL.

2. Veniet dies Domini, dies tenebrarum. 522.e

IONAS.

3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. 563.b

AMOS.

9. Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculū Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud. 791.a

MICHEAS.

7. Ne lœteris inimica mea, nā si cæcidi resurgā. 512.a

SOPHONIAS.

1. Iuxta est dies Domini magnus. 522.e

ZACHARIAS.

9. Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 517.b

MALACHIAS.

3. Ipse sedebit quasi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos. 510.a.517.c

I. MACHABAEORVM.

De primo, & secundo libro Machabæorum vide quæ dicuntur. 64.b. 513.c. 656.a

II. MACHABAEORVM.

12. *Si mortui non resurgunt, superfluum est & vanum orare pro mortuis.* 531.a
12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 512.d
15. *Iudas vidit Oziam & Hieremiam orantes pro populo Iudæorum.* 756.a

EX NOVO Testamento.

MATTHAEVS.

1. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. 438.d
2. *Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* 346.c
3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne.* 530.c
3. *Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem cõburet igne inextinguibili.* 109.d
4. *Dominum Deum tuum adorabis, &c.* 641.b. 650.c
5. *Beati pauperes spiritu.* 363.c
5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* 132.c
5. *Audistis quia dictum est antiquis, &c. ego autem dico vobis non resistere à malo, &c.* 488.e. 476.b
5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio (vsq; ad id) gehennæ ignis.* 535.a
5. *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es cum eo in via, ne forte, &c. (vsque ad id) quadrantem.* 531.c
5. *Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei est, neq; per terram, quia scabellum est pedũ eius.* 714.e
5. *Oculum pro oculo.* 468.e. 476.a
5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & tunicam tuam tollere, da ei & pallium, &c.* 468.e. 474.c
5. *Si quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium, &c.* ibid.
5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos, super iustos, & iniustos.* 468.c
5. *Estote perfecti.* 332.a
6. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum.* 769.b.c.d. & 775.a
6. *Pater noster, qui es in cælis.* 673.b
6. *Dimitte nobis debita nostra.* 114.c. 323.d
6. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, dicentes, quid mãducabimus.* 445.c
6. *Quærite primùm regnum Dei.* ibid.e
7. *Quàm angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam?* 347.c
10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, non duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* 451.a
10. *Nihil tuleritis in via.* 228.c
12. *Nõ remittetur ei neque in hoc seculo, neq; in futuro.* 517.d. 518.a
13. *Comparatur regnum cælorum terræ bonæ, cuius vna pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum.* 329.e
13. *Qui habet aures audiendi audiat.* 404.c
13. *Parabola de zizaniis.* 193.b
13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* 503.b
13. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari ex oi genere piscium congregati.* 109.e. 116.d. 134.c
16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 51.a. 85.a
16. *Et dabo tibi claues regni cælorum.* 221.e
16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* 51.a
16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* 368.b
17. *Reges gentium à quibus accipiunt tributa, &c. ergo liberi sunt filij.* 457.e
18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.* 222.b
18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 18.a. 50.a. 149.e
19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* 432.d
19. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* 267.d. 330.a. 398.d
19. *Sunt Eunuchi qui se castrauerunt.* 330.c. 375.b
19. *Qui potest capere capiat.* 398.d.e. & 403.e
19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.* 331.e. 332.c
19. *Si vis perfectus esse, nade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* 311.c. 330.e. 304.c. 367.b. 368.c
19. *Et sequere me.* 334.d
19. *Facilius est camelũ per foramen acus transire, quã diuitem intrare in regnum cælorum.* 342.a
19. *Quod impossibile est hominibus, possibile est apud Deum.* 349.b
39. *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis, &c. Omnis qui reliquerit domum, patrem, &c.* 261.e. 289.a. 332.e. 411.b. 451.d
20. *Paterfamilias ad uesperã omnibus operarijs simul reddit mercedem.* 620.e
20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* ibid.
20. *Multi sunt uocati, pauci uerò electi.* 109.e
21. *Domus mea domus orationis uocabitur.* 767.b. & 773.d
22. *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, etc.* 343.c. 345.d. & seq.
22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* 281.d. 282.d. 459.d
23. *Quæcunque dicunt facite, quæ faciunt nolite facere.* 116.a
23. *Væ uobis duces cæci, qui dicitis, quicunq; iurauerit per tẽplum nihil est, qui autem iurauerit in auro templi debet. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurũ.* 784.d

23. *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum.* 677.d.689.b
24. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* 56.a
24. *Ecce in deserto est, nolite exire.* 433.b.438.b
24. *Qui est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* 80.d.88.b.238.d.460.b
24. *Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus inuenerit sic facientem, amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.* 658.a
24. *Veniet Dominus eius in die qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius cum hypocritis ponet.* 116.a
25. *Simile est Regnum cœlorum decem virginibus.* 109.c
25. *Statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* 409.c
25. *Venite benedicti Patris mei (& de alijs) ite maledicti in ignem æternum, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.* 549.c.562.c.582.d.585.e.586.c
26. *Omnes vos scandalum patiemini in me.* 145.b
26. *Cœpit contristari, & mœstus esse. Et: Tristis est anima mea vsque ad mortem.* 574.b
26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 469.a.475.c.480.a
28. *Ego vobiscũ sum vsq; ad consummationem seculi.* 133.e

MARCVS.

10. *Intuitus eum, dilexit illum.* 331.b.
10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor baptizari.* 330.d
14. *Sacerdos cum omnibus sacerdotibus, & senioribus populi cõdemnauerunt Christum esse reum mortis.* 145.a.d
15. *Totus populus clamauit, crucifige.* ibid.
16. *Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* ibid.b

LVCAS.

1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* 371.c.& seq.524.b
1. *Et regni eius non erit finis.* 134.e
3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ.* 434.d
3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.* 485.c
5. *Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.* 37.a
6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* 358.c
7. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens.* 435.d
9. *Nescitis cuius spiritus estis.* 503.a
9. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* 426.d
11. *Illi prophetas occiderunt, uos autem ædificatis eorum sepulchra.* 689.c
12. *Sint lumbi vestri præcincti. Et: Vigilate.* 532.a
12. *Baptismõ habeo baptizari.* 530.d
12. *Esto consentiens aduersario tuo cito dum es cum eo in via, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* 531.c
14. *Cum facis prandium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, qui non habent retribuere tibi, & beatus eris.* 456.c
14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, &c. non potest meus esse discipulus.* 427.a
14. *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 287.b.343.b
16. *Redde rationem villicationis tuæ.* 566.a
16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* 535.d
16. *Narratio de Lazaro.* 613.c.623.c.633.c
16. *Diues autem cum in tormentis esset.* 633.b
17. *Cum feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, &c.* 348.d
17. *Regnum Dei non venit cum obseruatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnũ Dei intra vos est.* 138.c
18. *Putas inueniet fidem in terra.* 140.e.143.a
21. *Videte ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius mundi.* 252.d.
22. *Reges gentium dominantur eorum, uos autem non sic.* 534.a
22. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit uos, ut cribret sicut triticum, ego rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, cõfirma fratres tuos.* 51.d
23. *Memento mei, dũ veneris in regnum tuum.* 536.d
23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* 549.d.618.d

IOANNES.

1. *Tu quis es? Helias es tu?* 434.d
3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* 380.e
3. *Qui credit, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est.* 549.c
4. *Venit hora, & nunc est, quando neq; in monte hoc, neque in Hierusalem adorabitis patrem. Spiritus est Deus, qui eum adorant, in spiritu & veritate adorare oportet.* 771.b.c.& 775.a.b.c.d
5. *Filius, quos uult uiuificat. Item. Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* 571.b
6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam.* 445.c.d
6. *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* 404.e
6. *Vultis & uos abire?* 503.e
8. *Si manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis.* 113.e
8. *Qui facit peccatum seruus est peccati, seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum, si ergo filius uos liberauerit, uerè liberi eritis.* 470.d
9. *Me oportet operari, donec dies est, uenit autem nox in qua nemo potest operari, quamdiu in mundo sum.*

sum lux mundi sum. 565.c
10. *Alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili.* 112.d
10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* 112.c.149.d.154.b
10. *Illos dixit Deus, ad quos sermo Dei factus est.* 149.e
11. *Iesus moriturus erat pro gente, & non solùm pro gente, sed etiam vt filios Dei, qui erant dispersi, cõgregaret in vnum.* 112.c
12. *Anima mea turbata est.* 674.b
13. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* 349.c
16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* 50.d.137.a
20. *Sicut misit me pater, & ego mitto uos.* 219.c
20. *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* 140.c

ACTA APOSTOLORVM.

1. *Cecidit sors super Matthiã, & annumeratus est cũ vndecim Apostolis.* 217.c.223.e
2. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat, teneri eum ab illis.* 536.c
4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima vna.* 634.e
4. *Erant illis omnia communia.* ibid.
5. *Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate.* 318.c
5. *Cur tẽtauit Satanas cor tuũ mentiri Spiritui sancto? non es mentitus homini, sed Deo.* 365.c
6. *Elegerunt Stephanum.* 223.c.
6. *Et cum orassent imposuerunt illis manus.* 224.a
7. *Ecce video cęlos apertos, & Filium hominis, &c.* 620.c
10. *Surge nam & ego ipse homo sum.* 641.c.650.c
14. *Et cum cõstituissent illis per singulas ciuitates presbyteros.* 223.d
15. *Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc. Et infrà: Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia.* 28.c
15. *Visum est Spiritui sancto et vobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato, et sanguine, & fornicatione.* 50.c
15. *Paulus transiẽs Syriam, & Ciliciam præcipiebat populis vt custodirent præcepta Apostolorum & seniorum.* 33.d
20. *Vna Sabbati cùm conuenissemus ad frangendũ panem.* 812.e
20. *Festinabat ut si quo modo posset, Pentecosten ageret Hierosolymis.* 815.a.b
20. *Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos regẽre Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* 132.b.241.b
20. *Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi.* 56.a

EPISTOLA AD ROMANOS.

2. *Reddet unicuique secundum opera sua.* 550.c
3. *Non sunt facienda mala, ut ueniant bona.* 789.e
3. *Nũquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* 378.b
3. *Quid ergo, legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus.* 471.b
5. *Per unum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors.* 545.
6. *Vt in nouitate uitæ ambulemus.* 530.b
6. *Stipendium peccati mors.* 545.c
6. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.* 360.d.470.d
7. *Mente seruio legi Dei, carne aũt legi peccati.* 347.e
7. *Si quod nolo facio, iam non operor illud.* 393.d
7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* 393.d
8. *Si quis spiritũ Christi nõ habet, hic nõ est eius.* 110.d
10. *Qũo inuocabunt in quem non crediderunt?* 665.e
11. *Conclusit Deus omnes in fidelitate.* 563.e
12. *Qui præest in sollicitudine.* 460.b
12. *Non uos defendentes charissimi, mihi uindictam, et ego retribuam.* 479.c
12. *Nulli malum pro malo reddentes, & non uos metipsos uindicantes charissimi.* 480.a
13. *Si malè egeris time, non enim sine caussa gladium portat, minister enim Dei est, uindex in iram ei, qui malè agit.* 42.b.479.b.& 498.a
14. *Omnis anima potestatib sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. itaque qui potestati restitit, Dei ordinationi resistit, ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 459.d
13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributũ, etc.* 460.c
13. *Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis.* 457.d.& 460.c
14. *Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnẽ diem.* 803.d.& 807.c.d
14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* 355.c
16. *Salutant uos omnes Ecclesiæ Asiæ.* 98.c
16. *Obsecro uos, ut obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quã uos didicistis, faciunt, & declinate ab eis, nam per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentum.* 494.d

I. AD CORINTHIOS.

1. *Significatum est mihi, quòd contentiones sunt inter uos.* 116.b
3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* 519.520.521.& seq. usque ad 524.
3. *Nescitis, quia estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in uobis.* 774.c
3. *Si quis autem superædificat super fundamentum, ligna, fenũ, stipulas, &c. saluus erit, &c.* 544.c
5. *Cur non magis luctũ habuistis, ut tollatur de medio uestri, qui hoc opus fecit?* 107.d
5. *Auditur inter uos fornicatio, &c. tollatur de medio uestri.* 156.b
5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare.* 101.c
6. *Membra uestra templũ sunt Spiritus S. Item: Portate, & glorificate Deum in corpore uestro.* 774.c
6. *Delictum est in uobis, quod iudicia habetis inter uos.* 468.e & 475.a
7. *Propter fornicationem uuusquisque uxorem suam habeat.* 205.a.392.d.& 399.e
7. *Qui se non continent, nubant.* 265.b.& 396.c
7. *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* 398.e
7. *Melius est nũbere, quàm uri.* 392.d.& 393.e

7. Bonum est mulierem non tangere. 335.b.& seq. & 394.a
7. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. 335.b
7. Si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino. 60.c
7. Bonum est innuptis & viduis, si sic permanserint. Et qui nubit, bene facit, qui non nubit, melius facit. 277.b.& 335.b
7. Si nupserit virgo, non peccauit. 400.c
7. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitem, potestatem autem habens suæ voluntatis. 398.e.& seq.& 404.d.e
Pretio redempti estis, nolite fieri serui hominum. 370.e.& 457.d
7. Arbitror hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Et: Tribulationes tamen carnis habebũt huiusmodi. 337.b
7. Mulier innupta & virgo, cogitat quę Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta & corpore et spiritu. ibid.c
7. Non vt laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrãdi. ibid.d.& 391.b
7. Cui vult nubat, tantùm in Domino, beatior autem erit, si sic permanserit. 337.e.& 387.e
7. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, vnus sic, alius verò sic. 336.d.& 398.e
7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi & ieiunio, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet uos Sathanas propter incontinentiam vestram, hoc autem dico secundum indulgentiam. 427.c.d
7. Si quod nolo facio, iam non ego operor illud. 393.d
8. Scimus quia nihil est idolum in mundo. 693.b
9. Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? 262.a.& 277.a
9. Quæ est merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium. 338.a.& seq.
9. Melius est mihi mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. nam etsi euangelizauero, non est mihi gloria. ibid.
9. Vt non abutar potestate mea. Et: Ne offendiculum ponam. 339.d
9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. 394.e
10. Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. 260.c
10. Vnus panis, & vnum corpus multi sumus. 117.d. & 118.c
10. Non potestis mensæ Domini, & mensæ dæmoniorũ participes fieri. 771.a
11. Ideo inter vos imbecilles, & dormiunt multi. 545.e
11. Oportet hæreses esse. 502.c
12. Omnes nos uno spiritu in unum corpus baptizati sumus. 110.e.113.d.& 117.d
15. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? 259.b
16. Per unam Sabbathi. 529.b
16. Manebo Ephesi usque ad Pentecosten. 907.c

II. AD CORINTHIOS.

5. Scimus, quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus. 549.e.& 616.d
5. Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus exspoliari, sed superuestiri. 618.
5. Etsi nouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus. 690.d
5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. 550.b.& 565.e
6. Vos estis templum Dei uiui. 766.c
6. Et recipiam uos, dicit Dominus. 118.b
8. Vnus Dominus. 458.a
8. Propter uos egenus factus est, cùm esset dives. 451.d
8. Si uoluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. 455.d
9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 390.a.& 391.e
12. Virtus in infirmitate perficitur. 394.c
12. Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet, propter quod, &c. 394.b

AD GALATAS.

3. Non est Iudæus neque Græcus, &c. omnes uos unum estis in Christo. 210.c
3. Omnes filij Dei estis per fidem in Iesu Christo, quicunque enim baptizati estis, Christum induistis. 110.e
4. Dies obseruatis, & menses, & annos. 803.e.& 808.b
4. Quod si filius, & hęres per Deum. 113.e
4. Filioli mei, quos iterum parturio. 119.e
4. Ejice ancillam & filium eius. 276.c
4. Iis, qui natura non sunt Dij, seruiebatis. 641.c.& 650.c
5. Qui talia agunt, regnũ Dei non possidebunt. 563.a
6. Quę seminauerit homo, hęc & metet. 566.a

AD EPHESIOS.

1. Elegit nos in ipso, vt essemus sancti. 115.e
4. Posuit in Ecclesia primùm Apostolos, &c. 27.b
4. Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos, &c. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. 134.a
4. Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma. 457.d.& 460.c
4. Magis autem laboret operando manibus suis. 445.c.& 447.c.& seq.
4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. 619
5. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. 88.d
5. Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. 115.a
5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. 433.a
5. Mundans eam lauacro aquę, in verbo vitę. 149.e
6. Filij, obedite parentibus. 425.c

AD PHILIPPENSES.

1. *Qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconibus.* 239.c
1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* 620.
2. *Omnes quærunt quæ sua sunt.* 55.b.& 111.b
2. *Superiores inuicem arbitrantes.* 370.c
3. *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus. Et: Non quod iam acceperim, aut iã perfectus sim.* 115.c & 568.c
3. *Imitatores mei estote.* 55.e
4. *Germane compar adiuua illas.* 261.d
4. *Quæcunque sunt vera, & hęc cogitate, quę & didicistis.* 350.a

AD COLOSSENSES.

1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis.* 744.b
1. *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorũ.* 207.c
2. *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione Angelorum, &c.* 667.b.& 668.e
2. *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi.* 803.e
2. *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci.* 744.c
2. *Habeto honorem corpori.* 433.& 439.e
2. *Apostolus reprehendit omnem superstitionem.* 355.c
3. *Charitas est vinculum perfectionis.* 319.d
3. *Filij, obedite parentibus per omnia.* 368.a
3. *Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes.* 371.a

I. AD THESSALONIC.

1. *Consolamini inuicem in verbis istis.* 557.b
4. *Operamini manibus vestris.* 445.d
5. *Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete.* 496.c
5. *Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus conseruetur.* 310.d

II. AD THESSAL.

2. *Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Et: Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* 140.e
2. *In omni uirtute, & signis, & prodigijs mẽdacibus.* 193.d

I. AD TIMOTHEVM.

1. *Regi seculorum immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria.* 650.b
1. *Quidam circa fidem naufragauerunt.* 102.c
1. *Finis præcepti charitas.* 472.b
2. *Volo viros orare in ŏmni loco, leuantes puras manus.* 761.c.767.b.& 768.d
2. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* 667.a.b.c.d
2. *Iubet Apostolus nominatim orari pro Regibus.* 459.e
3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris uirum.* 260.e.271.a.274.e.& 276.e
3. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, vt scias, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei uiui. columna & firmamentum ueritatis.* 51.a.88.b.& 136.d
3. *Qui domui suæ bene præsit, & filios habeat subditos in omni castitate.* 252.e.& 289.
3. *Diaconi sint unius uxoris uiri.* 271.a.& 276.e
3. *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, &c.* 261.a
4. *Prohibentium nubere.* 260.a
4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* 164.d.213.d. & 240.e
4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per uerbum Dei, & orationem.* 785.a.795.b
5. *Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.* 377.c
5. *Volo iuniores nubere.* 394.b.& 397.a
5. *Adolescentiores viduas deuita, cùm enim luxuriatę fuerint, in Christo nubere uolunt.* 380.a.& seq. 422.e.& 423.e
5. *Aduersus Presbyterum accusationem noli accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* 238.e
5. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quę fuerit unius uiri uxor.* 271.e
6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* 311.d

II. AD TIMOTHEVM.

1. *Resuscites gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.* 213.d
2. *In magna domo, sunt uasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia.* 103.d
2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* 254.b
2. *Firmum Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sint eius.* 112.d.& 113.c
3. *Hos deuita.* 494.d

AD TITVM.

1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per ciuitates Presbyteros, &c.* 240.e
2. *Oportet Episcopum esse sine crimine, hospitalem, benignum, sobrium, iustum, continentem, &c.* 240.c.254.b.& 244.c
3. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem deuita.* 102.d.494.d.& 504.d

AD PHILEMONEM.

Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, & fidem quam habes in Domino Iesu, & in omnes Sanctos. 666.c

Ne ueluti ex necessitate bonum tuum sit, sed uoluntarium. 390.a

AD HEBRÆOS.

6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, iterum renouari ad pœnitentiam.* 553.e

9. *Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam.* 620.b
10. *Non deserentes collectionem nostram.* 433.d.& 439.a
10. *Adiuuemus nos inuicem.* 433.d
11. *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones.* 612.b.621.b
12. *Non accessistis ad montem Syon, &c. sed ad Syon montem, & Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & spiritus iustorum perfectorum, &c.* 138.c.620.b. & 656.d
13. *Honorabile connubium in omnibus.* 261.c
13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* 771.b
13. *Obedite præpositis vestris, et subiacete eis, ipsi enim pernigilant, tanquam pro animabus vestris rationem reddituri.* 460.b

IACOBVS.

1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, &c.* 554.b

I. PETRI.

2. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.* 138.d
2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* 370.c
5. *Non dominantes in cleris.* 208.a
5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, &c. neque vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* 211.a.& 241.b

II. PETRI.

1. *Dabo autem operam, & frequēter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* 656.c
2. *Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* 56.a

I. IOANNIS.

2. *Qui seruat verbum eius, uerè in hoc charitas Dei perfecta est.* 113.e.& 311.c
2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* 102.a
2. *Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* 112.d.& 123.c
2. *Quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ.* 311.e
3. *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus.* 612.b.& 621.c
4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 310.c
4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* 113.d
4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 568.a

II. IOANNIS.

Si quis uenit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. 494.e

APOCALYPSIS.

1. *Ego Ioannes fui in spiritu in Dominica die.* 813.c
2. *Qui uicerit, et custodierit usq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in uirga ferrea.* 657.c
2. *Ioannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, &c.* 116.b
4. *Virgines cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest.* 400.d
5. *Viginti quatuor seniores prociderunt coram throno Dei.* 656.b
6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter uerbum Dei.* 612.b.& 621.e
6. *Dantur singulis stolæ albæ.* 620.d
6. *Animæ sanctorum Martyrum petunt uindictam de interfectoribus suis.* 656.c
7. *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei.* 620.d
7. *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quo adusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* 761.b
12. *Peperit Filium, qui recturus erat omnes Gentes in uirga ferrea.* 657.d
14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* 339.e
14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Amodo iam dicit spiritus, requiescant à laboribus suis.* 550.c
14. *Habentes nomen eius, & nomē Patris eius in frontibus suis.* 400.c
14. *Vide ne feceris, conseruus tuus sum.* 641.d. & 651.a
21. *Et templum non uidi in ea.* 769.b.& 772.d

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Aaron.

AARON consecratus Pontifex à Mose. 391.b
Peccatum ipsius in adoratione vituli. 141.d
Aaronicum sacerdotium quale. 219.c & 238.e
Quanto tempore durauit. 166.b
Abnegatio sui duplex. 335.a
Abrahæ sinus. 629.b
Abulensis in 4. cap. Deut. q. 5. asseruit (& malè) non rectè fieri, vt imagines Dei ab Ecclesia tolerentur. 700.c
Adam fuit principium materiale & formale Ecclesiæ. 141.c

Adoratio.

Adoratio latriæ etiam Christo conuenit. 642.d
Adorationis species. ibid. & 737.b. & seq.
Adoratio in spiritu & veritate. 139.c
Aduersaris noster quis. 532.d
Adulterorum pœna. 266.a
Aerij hæresis. 537.b. 539.c. & 540.e
Ambitio. 186.c. & 411.c
Item hæresis. 915.d
B. Agnes excitauit quendam æternæ damnationis reum. 582.c
Alberto Imperatore fuit actum Concilium Florentinũ. 9.c
Alexandro Magno quid responderit Pyrata quidam. 458.b
Altarium consecratio. 237.c. & 782.d
Qui meminerint altaris. 771.c
Sub altaribus reconduntur reliquiæ sanctorum. 682.d. & 688.a
Amanti quomodo dulcescant pœnæ. 569.c
Ambitio hæreticorum. Vide v. hæresis, & in singulis fere nominibus hæreticorum.

B. Ambrosius.

B. Ambrosius in Psal. 36. videtur sensisse, omnes, tàm bonos quàm malos post hanc vitam transituros per ignem Purgatorij, quæ opinio nec improbatur vt error, nec asseritur vt vera. 562.a
Idem asseruit lib. 1. de Cain, Moysen adhuc viuere. 581.c
Idem asseruit in cap. 1. ad Rom. Deum non egere suffragatore, sed mente deuota, (intellige ex parte Dei, non ex parte nostra.) 666
Amor Dei habet multos gradus. 222.c. & 234.b
Vide etiam. ibid. & 748.b
Amor Dei ex toto corde, anima, &c. 334.c.d. & seq.
Anachoretæ. 233.c
Vide v. Eremitæ.

Angeli.

Angeli inuocantur. 659.c
Adorabantur loco Dei à Platonicis. 668.e
An rectè pingantur. 709.d
Visi sunt in forma humana. 701.a
Ipsorum præsentia in templis. 785.c
Angelis comparantur virgines. 388.a.b.c
Adhibetur adoratio. 645.d. & 651.a
An templa illis dedicanda. 779.c
Inter Angelos præfectura & subiectio. 466.a
An ex reuelatione Angelorum Sancti cognoscant preces nostras. 670.c

Anima.

Anima Samuelis apparuit Sauli. 577.c
Vide varias animarum apparitiones. 547.a. & 581.c.e
Anima quomodo dicatur tota pulchra. 115.b
Eli subiectum, est causa efficiens peccati. 583.d
Concurrit principaliter ad opera bona & mala. 635.a
Quod sine corpore nunc beatificetur, nulla est iniustitia. 634.e
Ipsius inclinatio ad corpus, secundum Augustinum & Bernardum, facit, vt ante resurrectionem non possit tota videri in Deum. 629.d. & 632.c
Animæ indicantur statim ac exeunt è corporibus. 571.e
Exempla. ibid.c
A quo, & vbi. 572.c
Animæ Purgatorij non possunt mereri, nec peccare. 565.b
Possunt dici perfectæ & imperfectæ. 567.c
Non sunt in via, sed in termino, & quomodo. 568.b
Quibus rebus iuuentur. 585.b. & 592.b
A quibus torqueantur. 587.d.
Orandæ pro nobis, cùm nesciant quid agamus in particulari. 590.d
Orant pro nobis. ibid. & 659.a
Aliquando fuerunt redditæ corporibus, & quæ. 581.e
Aliquando etiam animæ ex inferno fuerunt redditæ corporibus. 582.a
Vtrum idem dicendum de animabus Beatorum. ibid.c
Et de animabus in limbo. 581.d
Animæ quæ in cœlo sunt, orant pro animabus quæ sunt in Purgatorio. 580.e
Animæ gloria an maior futura sit post resurrectionem, quàm ante. 630.b
Immortalitas animæ, & resurrectio corporum, fuit habita eadem quæstio. 514.d.
De anima perfecta agitur in Canticis. 111.e
Anni lunares. vide de Paschate Iudæorum. 814.e. & seq.

Antichristus.

Antichristi miracula. 649.e
Antichristus etiam discessio appellatur. 143.a
Tempore ipsius pauci erunt fideles. 142.a
Antichristum quo tempore apparuisse dicant hæretici. 156.e

B. Antonius.

B. Antonius non fuit primus Monachus. 315.d
Sed primus Eremita. 318.e
Conuersio ipsius. 334.b. & 437.b
Antonij sententia in fine vitæ. 494.e
Pallium ipsius in veneratione habetur. 683.b

Apostoli.

Apostoli ordinati Episcopi à S. Petro. 216.b
An errauerint omnes circa fidem tempore Passionis Domini. 146.d
Primitiæ sacerdotij secundum ordinem Melchisedech, honorabant tamen illud Aaronicum. 166.c
Pauci homines contemptibiles totum mundum traxerunt. 184.a

Dicebantur

Diebantur omnes veri Episcopi tempore Apostolorum. 240.a
An vxores habuerint. 261.c
An fuerint virgines. 378.c.& 410.e
Primi Monachi Christiani fuerunt. 318.b
Vide etiam. 364.c
Primi Prædicatores. 522.a
Excitarunt aliquando Ethnicos. 582.a
Electi duodecim à Christo. 163.d
Apostolorum paupertas. 451.c
Angustia tempore passionis. 481.d
An more ipsorum uiuere teneamur. 327.c.d
An omnium Apostolorum finem ex diuinis literis habeamus. 674.c.d
Ipsorum Basilicas, qui ædificarint. 777.c.d.e
Ipsorum dies festi celebrari mandantur. 825.e.& 826.a.b
Apostolis quomodo succedant Episcopi. 164.a.& 238.b
Illis tribuitur manus impositio. 3.c.d
Apostolica dicitur Ecclesia. 162.c
Vide v. Catholicus.

Appellatio.

Appellatio Imperatorem non datur Episcopis. 43.d
Appellatio à Concilij Generalis decretis non datur. 52.c
Appellatio à Concilio ad Papam. 90.d
Appetitus concupiscibilis & irascibilis naturalis & animalis. 311.d.& seq.
Aquæ benedictæ institutio. 797.a
Miracula per illam. 795.a
Arca Noe comparatur Ecclesiæ. 111.c.& 117.b.& 158.e
Arcæ adoratio. 645.c
Arca vbi conseruabatur. 778.b.c.d

Arius.

Arij hæresis. 15.c.154.e.155.a.& 172.e
Ambitio. 186.a
Exilium. 498.d
Arios duos excogitauit Sulpitius. 5.c.43.a
Ascensionis festus dies. 820.c
Athanasius non fuit præses in Concilio Nicæno. 38.a
Athanasij causa apud Iulium Papam agitur. 63.a.& 90.e

B. Augustinus.

B. Augustinus institutor religionis Clericorum regularium. 313.c
Et monastici Ordinis. 319.b
Episcopatum fugiebat. 324.a
Eius miracula. 181.c
Augustinus ambigere videtur, an sinus Abrahæ in inferno fuerit, an alibi. 629.a
Idem quid dubitet de Purgatorio. 559.c.& 560.c
Idem aliquando dubitauit de loco vbi sint animæ Beatorum. 614.b.& 629.a
Idem Sanctorum animas, dixit, videre quidem Deum, sed non ita perfectè vt post resurrectionem. 629.d
Vide quare reprehenderit sepulchrorum adoratores. 692.a
Item picturarum adoratores. 733.c
Aureus numerus quando compositus. 816.a.& 819.a

B.

Baptismus.

BAptismus est vnum ex requisitis ad Ecclesiam sanctam constituendam. 119.c
Diluit peccata, non soluit coniugia. 278.b
Paruulis non baptizatis, qui moriuntur, inuenit Pelagius locum quendam. 552.a
Baptismus hæreticorum, & ab illis collatus. 162.c
Vide infrà V. Cyprianus. Per Baptismum homines fiunt membra Christi. 101.c
Et Ecclesia. 122.d
Errores hæreticorum circa Baptismum. 171.d.& 173.d
Miraculum factum in confirmatione veri Baptismi. 825.c
Inter Baptismum & religionis professionem quædam similitudo. 322.b.& 325.a
Promissio quæ fit in Baptismo, non est pro prius votum. 361.c
Baptizari pro mortuis quid sit. 528.c.& seq.
Baptismus lachrymarum & pœnitentiæ. 530.c
Baptismus ablutionis, & absolutionis quomodo variè remittant peccata. 553.c
Qui mox à Baptismo moriuntur, nullam sentiunt Purgatorij pœnam. 561.d
Basilicæ ædificantur, & dedicantur martyribus. 768.c.d.& 777.a.
Discrimen inter Basilicam & Templum. 779.c

Basilius.

Basilius Episcopus auctor cuiusdam ordinis monastici. 314.a.& 319.b
Episcopatum fugiebat. 324.a
Basilius Imperator, sub quo fuit actum concilium IV. Constantinopolitanum. 8.b
Bartholomæus Caranza in summa Conciliorũ Canone 82. VI. Synodi, errat dicendo VI. Synodum prohibere imaginem Christi in forma agni, & Spiritus sancti in forma columbę. 702.c

Beatitudo & Beati.

Beatorum animæ vident Deum ante diem iudicij. 641.e
Beatorum spiritus post mortem ante resurrectionem accipiunt potestatem in gentes. 657.e
Beatitudo an maior futura post resurrectionem. 630.b
Includit certitudinem de non amittenda vnquam felicitate. 582.c
Vocatur domus. 617.
Ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea quæ ad se pertinent. 671.d

Bellum.

Bellum Christianorum pro terra sancta recuperanda. 200.c
Bellum gerere aliquando licet Christianis. 476.e
Quot sint & quæ iusti belli conditiones. 483.b
Licere bellum gerere Christianis contra Turcas. 486.c

Benedictio.

Benedictio Aquæ, Salis, Cinerum, &c. 807.c
Rectè benedici Aquam, Oleum, Panem, Cereos, Cineres, Ramos, & similia. 795.a.b
Obiectiones Caluini, & solutiones. 794.c.795.c
Rectè ad effectus supernaturales efficiendos, & significandos, nos vti aqua, oleo, alijsque rebus benedictione consecratis. ibid.
Soluuntur obiectiones Heshusij. 796.c
Benedictus clarus Prophetiæ dono. 199.e
Laudatur. ibid.

S. Bernardus.

Bernardus clarissimus miraculis. 191.c
Prophetia. 197.d
Laudatur etiam ab hæreticis. 198.a
Defenditur cum loquiturr de die festo Conceptionis B. Virginis. 828.a
Bigami. Vide v. Digami.
Bona Clericorum tam Ecclesiastica, quàm secularia libera sunt ac meritò esse debent à tributis principum secularium. 293.a.& seq.
Bona Clericorum temporalia bona Dominica propriè dicuntur, & quare. 299.a

C.

CÆremonialium abrogatio, & ab eius vsu libertas. 33.d
Caiphas an verus Pontifex. 166.b
Caiphæ sententia de Christo. 144.a.145.c.d.e.217.c
Calendarij error. 819.a

Caluinus.

Caluinus breui inualuit. 88.b
In plerisque locis asseruit se toti antiquitati repugnare. 168.b.& seq.
Ipsius miraculum tentatum. 189.e
Mors. 614.c
Candela quæ sola accensa conseruatur in triduo ante Pascha, 146.c.d. Vide v. Cerei.

Canones.

Canones sex Conciliorum, quæ videntur asserere continentiam Clericis in sacris constitutis non esse præcipiendā. 265.c.
Canones sextæ Synodi falsò adscribuntur sextæ Synodo. 7.c.65.c.& seq.& 625.b
Explicationes diuersorum Canonum Iuris Canonici habentur infrà in tabula de locis Iuris Canonicis citatis in isto secundo tomo controuersiarum.
Canonistarum error de decimis. 283.a
Canonizatio Sanctorum. 636.c.& seq.
Cantica Canticorum quæ dicunt de sponsa, non necessario intelligenda sunt de Ecclesia. 111.c
Capacitas & incapacitas. 403.c
Caput Ecclesiæ post Christum Petrus & successores. 157.a

Cardinales.

Cardinalis nominis huius antiquitas & significatio. 245.e
Antiquitas & varietas officij. 246.e
Comparatio cum Episcopis. 248.a
Ratio eligendi summum Pontificem per solos Cardinales, est omnium optima & merito conseruanda, etsi absolutè posset Pontifex eam mutare si vellet. 227.b
Si casu aliquo omnes Cardinales simul perirent ius electionis ad Episcopos vicinos, & Clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio generali Episcoporum. 228.e
Cardinales eligunt summum Pontificem. 227.b

Caritas.

Caritas est vinculum perfectionis. 310.c
Est radix omnium bonorum. 311.d
Augetur in genere gratiæ & gloriæ. 667.d
Caritatis quatuor gradus. 310.e
Ad opera Caritatis non obligantur homines priuati, nisi quando se offert occasio. 439.c
Caritati an repugnet timor. 568.a
Carnis concupiscentia. Vide v. Concupiscentia. Item Tentatio. 267.e

Carolus Magnus.

Carolus Magnus & Pipinus pater. 70.e
Carolus Magnus Imperator constitutus. 70.b
Illi concessum ius eligendi summum Pontificem. 228.b
Ipso imperante fuit actum Concilium Francofordiense. 12.a
Basilicæ ab ipso fabricatæ. 788.c
Tanquam Sanctus colitur. 788.d.e
Adorauit Sepulchra Apostolorum. 459.d
Caroli IV. Basilicæ ab ipso fabricatæ. 788.e
Carpocratianorum errores. 181.e.533.c.713.d.

Catechumeni.

Catechumeni an sint de Ecclesia, & an possint saluari. 101.c
Non dicebantur Fideles. ibid.d
Ipsorum scrutinia in Quadragesima. 401.b
Pro Catechumenis an orandum & sacrificandum. 595.a
Cathedra Petri. Vide de ea. 167.d.& 177.a
Catholici nomen. 128.b.153.154.158.c.d. & 160.d.e
Catholici cum hæreticis conciliari non possunt. 491.c.d.e & seq.
Causæ Ecclesiasticæ quæ vocentur. 290.e
Cerei Paschalis benedictio. 796.b
Cæreorum & lampadum vsus. 688.a.& 691.e
Certitudinis tres gradus. 570.d
Character baptismalis an faciat hominem hæreticum esse actu in Ecclesia. 104.d
Cherubin veneratio. 714.c
Chorepiscopi. 250.e

Christiani.

Christiana perfectio. Vide v. Perfectio.
Christiani nomen. 176.c.& 153.b
In primitiua Ecclesia ex voto viuebant vitam communem. 364.e
Cur viribus in bello inferiores plerumque sint. 466.c
Christianorum Ecclesiæ quare non vocantur templa à Patribus. 769.b.& 772.e
Anima præcipua fides & oratio. 482.
Cultus spiritualis. 775.e
Christianorum tria genera, hæretici occulti, mali, & boni Catholici. 125.b
Christianis non licet pluralitas vxorum. 273.c
Non est illis illicitum iudicia publica exercere. 474.d
A Christianis cœpit initium persecutionis Diocletiani. 61.d
Christiani laudantur etiam ab ipsis Paganis, Iudæis, Mahumetanis, & Hæreticis. 197.b.& seq.
Christiano Principi licet leges condere. 469.c

Christus.

Christus descendit ad inferos. 635.b.c
Sumus sacerdos semel se obtulit pro nobis in cruce, & nunc se offert per manus Sacerdotum. 744.a
Dicitur altare. 642.b
Habuit omnem auctoritatem. 87.a
Non tenebatur soluere tributum. 197.d
Quomodo sequendus. 334.e
Viuens profuit viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus. 589.c
Sponte elegit sibi crucem. 743.& 753.c
Christus crucifixus est summum sacrificium. 743
Christi anima repleta scientia & gratia. 635.a
Eius paupertas. 486.b
In Christi nomine congregare Concilia quid sit. 19.a
Aduentus primus sine obseruatione. 139.a
Tempore Passionis Christi an fides remanserit in Apostolis, & ceteris. 145.e.& seq.
Natiuitas attulit pacem mundo. 481.c
Meritum ipsius quomodo applicetur. 553.d
Memoria humanitatis Christi. 690.e
Imago ipsius an pingenda, & quomodo. 700.e.& 702.d
Variæ imagines Christi variis modis depictæ in calicibus & alibi. 704.e.& 702.d
Imago Christi ænea erecta ab hæmorrhoissa. 717.e
Per Christum impetrant nobis Sancti quidquid impetrant. 654.e
Christus Saluator quare ad tributi solutionem non fuerit obligatus. 293.d.e
Christus Pilato fuit subiectus de facto, non de iure. 301.b
Cibi immoderata solicitudo. 445.e
Ciborum delectus. 173.b
Vide de sanguine & suffocato. 33.e.& 59.e
Cinerum benedictio. 587.a
Circumcisionis quæstio in Concilio Hierosolymitano. 33.d
Circumcisionis Domini festus dies. 824.a
Clauus quem Helena ad Constantinum misit. 745.e. & 747.c

Clericus.

Clerici sic dicti tanquam ad sortem Domini pertinentes. 298.d
Grauiter puniuntur decretis Conciliorum Mileuitani & Matisconensis, si ad terreni Imperatoris tribunalia causas Ecclesiæ deferant. 291.a.b
Quomodo ab obligatione legum ciuilium non eximantur. 291.c.d
Etiamsi leges ciuiles non seruent, non possunt à Iudice seculari iudicari. ibid.e
Eorum exemptio in rebus politicis tum quoad personas, tū quoad bona, introducta est iure humano pariter & diuino. 294.b.c.d
Clericos ob honorem Domini tributa non soluere, Diuus asseruit Hieronymus. 295.a.b
Clericos tum maiores tum minores iure subiectos esse debere seculari potestati asserere hæreticum est. 290.b.c

Cleri-

Clerici. In causis Ecclesiasticis iure diuino liberi sunt à secularium principum potestate. ibid.e.& 291.a
Non sunt exempti vllo modo ab obligatione legum ciuiliũ quæ non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali. 391.d.e
Etsi verò Clerici teneantur leges ciuiles seruare, non tamen possunt à iudice politico puniri, vel nullo modo trahi ad secularis magistratus tribunal. ibid.e
Soluuntur argumenta, quibus probatur Clericos posse puniri à secularibus. 292.b.c
Bona Clericorum tam Ecclesiastica quàm secularia libera sunt, & meritò esse debent à tributo principum secularium. 293.a
Exceptio clericorum in rebus politicis, tam quoad personas, quàm quoad bona, iure humano introducta est, pariter & diuino. 294.b.c.d.e
De nomine Clerici & Laici. 207.a
Clericis licet habere possessiones. 286.e
Licet illis retinere proprium patrimonium. 288.e
Clerici quomodo ad Concilium conuocentur. 27.a.& seq.
Clerici non debent domi suæ habere mulieres. 257.c.264.a & 268.a
Qui bona patrimonialia habent, an simul habere possint bona Ecclesiastica. 289.d
Dicuntur filij regni. 295.b
Clerici in sacris, tenebãtur olim alere suas vxores, licet se separauerint quoad thorum. 266.a
Clericorum continentia. Vide v. Continentia, & sequent.
Officium. 232.d
Pœna ducentium vxores. 268.e
Habitus. 442.b
Ordines. 229.c
Antiquitas. 232.a
Clericis in sacris, vxorum vsus non permittitur. 62.d.251.e 254.d.265.d.& seq.416.a
Debentur Decimæ. 280.d.& seq.
Licet habere possessiones, quæ dono laicorum possident. 286.c
Clericatus honor an prosit ad salutem. 209.d
Clerus an & quomodo habuerit potestatem eligendi Episcopos vel Pontificem. 227.a.& seq.
Clerus Christianorum fortè maior est quam sexagesima pars Christiani populi. 286.b

Cœlibatus.

Cœlibatus. Vide etiam v. Continentia. Sitne iure diuino annexus sacris ordinibus, an non? 251.e
Iure Apostolico rectissimè annexum ordinibus sacris. 253.b
Argumenta hæreticorum contra cœlibatum, ex Scripturis petita. 260.a.& seq.& 392.d.e.& seq.
Argumentum ex historia Paphnutij. 264.a
Alia de Paphnutio. 34.c
Ex epistola S. Vdalrici. 269.d
Ex Concilijs & Canonibus. 265.d.e
Ex difficultate cœlibatus. 267.d
Pœna incontinentium sacerdotum. 268.d
Cœlibatus in Ecclesia à Iudæis cœpit. 387.b
Cœlibatus possibilitas. 399.a.b.& seq.
Ex cœlibatu an sequantur absurda. 405.& seq.
Cœlum dicitur velum Deitatis. 618.e
Cogitationes hominum quomodo cognouerint Sãcti quidam. 670.d.& 671.c

Concilia.

Concilia. De Concilijs qui scripserunt. 1.d.& 2.a.b
De nomine Concilij atque origine. 2.c
Partitio Conciliorum duplex. 3.b
Concilia generalia approbata. 4.a
Item reprobata. 9.d
Item partim confirmata, partim reprobata. 11.a
De Concilio nec manifestè probato, nec reprobato. 12.c
Concilia ob sex causas celebrantur. ibid.d
Vtrum sint necessaria Concilia generalia. ibid.& 13.c
Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria. 17.d
Cuius sit congregare Concilia. 18.d
Soluuntur argumentà hæreticorum, quod non sit Papæ indicere Concilium. 22.a
An non liceat Concilium indici, ab alio, quàm à Papa, quando sit necessarium Ecclesiæ, & tamen Papa nolit illud indicere. 25.b
An non liceat Concilium indici ab alio, quàm à Papa, quando Papa non debet Indicere, eò quòd sit hæreticus vel schismaticus. ibid.c.d
An non liceat Concilium indici ab alio, quàm a Papa, quando Papa non potest illud indicere, eò quod sit captiuus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, vel renuntiarit. ibid.
Quinam sint ad Concilium conuocandi. ibid.e
Soluuntur obiectiones aduersariorum, quod etiam presbyteri & laici habeant ius suffragij decisiui in Cõcilijs. 28.c
Quot Episcopi requirantur ad generale Concilium. 31.d
Episcopos in Concilijs non cõsiliarios, sed iudices esse. 32.c
Argumenta hæreticorum. 34.c
Cuius sit generali Concilio præsidere. 35.c
Præsides antiquorum Conciliorum. 36.c
Argumenta hæreticorum, quod Papa non præsideat Concilijs. 41.d
Conditiones quas in Concilijs requirunt Lutherani. 46.b
Concilia generalia à Pontifice confirmata, errare non posse, neque in fide, neque in moribus. 49.d
Concilia etiam particularia, à Pontifice approbata, errare non posse. 54.b
Argumenta aduersariorum ex Scriptura. 55.b
Ex Patribus. 56.c
Ex Conciliorum erratis. 58.c
Ratione. 73.b
Concilia particularia non probata à Summo Pontifice, non omnino certam fidem facere. 75.a
Concilia generalia ante confirmationem summi Pontificis, quænam errare possint. 76.c
An sit maior auctoritas Concilij quam Scripturæ. 79.c
An Concilium sit supra Pontificem. 81.e
Summus Pontifex est supra Concilium. 84.b.& 87.e
Non esse in Concilio summam potestatem. 86.c
Pontifex nec à Concilio, nec à quoquam mortalium iudicari potest aut puniri. 87.e
Neque potest seipsum subijcere sententiæ coactiuę Conciliorum. 91.c
Soluuntur argumenta. 92.b
Concilium generale errare potest in quæstionibus facti, nõ iuris. 57.c.& 59.b
Ad generale Concilium quatuor conditiones requiruntur. 51.e
Concilio generali repræsentatur vniuersa Ecclesia. 51.b
Concilij generalis sententia in causa fidei, est vltimum Ecclesię iudicium. 52.c.& seq. 53.b
Vbi multa de proprietatibus & attributis Concilij generalis.
Concilium generale cur errare non potest. 75.c.d.77.d
Concilijs plenarijs qui non acquiescunt, excommunicandi. 52.d
Decreta legitimorum generalium Conciliorum sunt à Spiritu sancto. 53.a
Potius moriendum, quam recedendum à decretis generaliũ Conciliorum. ibid.c
Concilia generalia postularunt Lutherani, & postea cõtemserunt, & damnarunt. in præfatione.
Concilia prouincialia absolutè possunt errare, & quæ errauerint. 75.b
Concilia particularia an possint censere de hæresi secundum se, & definire dogmata verè dubia. 75.e
Concilium particulare non expressè confirmatum, an faciat argumentum probabile. 76.b
Concilia particularia plenarijs cedere debent. 715.e
Concilia Episcopalia ordinaria non instituunt dogmata fidei. 557.d
Concilia prima fiebant sumptibus publicis. 24.a
Concilium debere constare ex verè pijs & electis falsa sententia est. 26.e
Concilium legitimum potest errare in ijs, quæ non legitimè agit. 57.d
Concilia possunt emendari quoad præcepta morum, non quoad dogmata fidei. ibid.e
Concilia varia quæ hæretici errasse dixerunt. 58.e.& seq.
Concilia priora an emendentur à posterioribus. 57.c.64.e & 72.b
Concilia legitima fuisse, vnde cognoscamus. 74.b

Conciliorum decreta in multis differunt à Scriptura sacra. 79.d
Conciliorum canones an eiusdem auctoritatis cum epistolis decretalibus. 81.b
In Concilijs quæ pars ad fidem pertineat, & quæ non. 80.ff
Missio legatorum ad Concilia. 76.d.& 78.c
Concilia varia. Antiochenum. 9.d
Ariminense. 10.b.15.e.35.a.& 144.b
Basileense. 12.b.72.e.77.d.82.a.96.a.& 143.c
Chalcedonense. 6.c.& 39.c
Constantinopolitanum I. 5.e.22.e.38.c.& 64.b
Aliud Constantinopolitanum. 7.b.& 40.c
Constantinopolitanum III. sub Constantino IV. 40.e
Constantinopolitanum IV. 8.b.& 41.a
Constantinopolitanum sub Leone Isauro. 10.c
Constantinopolitanum aliud sub Constantino Copronymo. 10.c.66.c.713.b
Constantiense. 12.a.73.a.94.e
Ephesinum I. 6.b.23.a.38.e
Ephesinum II. 10.c
Ephesinum III. non datur, contra quosdam qui dicunt, Constantinopolitanum sub Copronymo, fuisse Ephesinū III. 825.d
Florentinum. 9.c
Francfordiense. 12.a.66.e.713.b.725.c
Hierosolymitanum tempore Apostolorum. 33.d.59.d
Lateranense I. 8.e
Lateranense II. 8.e
Lateranense III. 9.a
Lateranense IV. 9.a.72.c
Lateranense V. 9.c.89.d
Lugdunense I. 9.b
Lugdunense II. 9.b
Mediolanense. 10.b.56.d
Nicenum I. 4.a.36.e
Vide etiam de auctoritate & laudibus Nicæni Concilij quæ dicunt Patres. 52.c.& seq.
Item 57.a.61.c.80.a.& 208.d
Concilium Nicænum statuit quo cultu Imagines sint adorandæ. 759.b.c
Nicænum II. 8.a.41.a.66.b.713.c.715.e
Pisanum. 10.e.12.c.81.e
Quinisextum. 11.c.253.c.266.e
Sardicense. 11.a.23.d.63.a
Syrmiense. 11.a.63.a
Tridentinum. 9.c
Trullanum. 253.c.266.e
Viennense. 9.b
VVittembergense. 10.e
Concilium Pontificum Iudæorum contra Christum. 59.a
Concordia est signum Regni Dei. 142.a
Concubinæ nomen quomodo accipiatur interdum. 64.d
Episcopi vel Presbyteri concubinarij. 275.e

Concupiscentia.

Concupiscentia carnis an peccatum. 171.c.393.a.549.e
Concupiscentia & membrorum inobedientia ex peccato nata est. 327.b
Edomatur ieiunio. 438.c
Concupiscentiæ motibus non consentiendum. 323.c
Item illius motus inuoluntarij pœnæ sunt. 348.a

Coniugium.

Coniugium prohibetur tamen sacerdotibus, atque hominibus in sacris constitutis. Monachis, & ijs qui se voto virginitatis obstrinxerunt. 34.c.62.c.251.& seq.
Item. 375.vsque ad 389.
Item. 398.a.b.c.d
Vide v. Clericus. v. Sacerdos & v. Matrimonium.
Coniugium an aliquando necessarium. 466.d
An in præcepto. 264.d.319.e.392.d
Non æquatur virginitati. 173.d
Dicitur honorabile. 261.b
Post votum est peius adulterio. 412.a
Sacramentum non pollutio vocatur. 323.d
Confirmationis Sacramenti ordinarius Minister est Episcopus. 227.c
Conscientia nostra dicitur noster aduersarius. 532.c

Consilia Euangelica.

Consilium quid sit, & quomodo differat à præcepto. 326.e
Variæ sententiæ de ijs rebus, quas Catholici vocant Consilia. 327.b
Asseruntur consilia Euangelica testimonijs Scripturæ. 328.c
Exemplis. 340.c
Testimonijs Patrum. 341.
Soluuntur obiectiones. 343.
Consilia Euangelica nobis demonstrata à Christo. 324.d.& 329.c
Quæ sint. 327.
Consilia an præponantur præceptis. 323.e
Constantinopolitana Ecclesia non est Apostolica. 167.a

Constantinus Magnus.

Constantinus Magnus professus est de Episcopis se iudicare non posse. 292.b
Quid Ecclesiæ donauerit. 288.d
Laus ipsius in defensione Ecclesiæ. 199.b
Tempore ipsius celebrari cœperunt Concilia generalia, & primò Nicænum. 16.a.23.e.& 25.a.
Humilitas ipsius. 36.e
Abrogauit legem qua prohibebantur successione hæreditaria homines steriles. 382.d.& 414.c
Vocatus à Deo singulari miraculo. 461.b
Vicit in bellis, miraculis ei ostensis. 478.d
Initio Imperij permisit libertatem religionis: tamen postea reuocauit. 490.b
Tempore illius translatæ sunt Reliquiæ multorum Sanctorum. 685.b
Quid posuerit in loco vbi fuit baptizatus. 705.b
Tempore ipsius inuenta crux Domini nostri. 745.c
Et honorata. 748.e
Eique apparuit. 750.a
Quæ templa ædificauerit. 770.780.& 790
Ad consecrationem ędis cuiusdam conuocauit Synodū, &c. 723.c
Sepultus ad fores Basilicæ sancti Petri. 539.d.& 684.a
Constantinus, qui primus fuit Imperator apertè Christianus, natura docente Ecclesiasticos immunes à communibus Reipub. oneribus declarauit. 298.d.& 299.a
Quod & multi alij Imperatores post eum fecerunt. 299.a.b
Item Episcopum Eusebium Nicomediensem in exilium relegauit, antea tamen à Concilio Nicæno depositum propter hæresin. 292.c.d
Constantini IV. tempore coacta est VI. Synodus apud Constantinopolim. 7.c.d
Constantinus V. dictus Copronymus, omnes reliquias Sanctorum, vbique deleri iussit. 677.c
Item omnes imagines. 696.b.& seq.
Infelix exitus ipsius. 720.d
Concilium sub ipso congregatum, reprobatum est. 10.e
Constantius Imperator sub eo congregata sunt Concilia Antiochenum, & Mediolanense, & Ariminense reprobata. 10.a
Item Sardicense, & Syrmiense partim confirmata, partim reprobata. 11.a.& 23.b
Superbia ipsius. 37.b
Consuetudine communi Christianorum, præterquam quod ex sacris literis & libris Sanctorum Patrum habetur, nominibus patris, & pastoris sacerdotes ornantur. 298.d

Continentia perpetua.

Continentiæ votum asseritur illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud? 371.c
Item ex illis Matth. 19. Sunt Eunuchi qui se castrauerunt. 375.
Item ex illis 1. Tim. 5. Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. 377.a
Asseritur etiam Concilijs. 381.b
Responsus Pontificum & Imperatorum. 382.c
Testimonio Patrum. ibid.e
Ratione. 387.d
Soluitur I. obiectio contra votum castitatis, sumpta ex ratione libertatis. 389.c
Soluitur II. ex Scripturis, quæ imperant coniugium ijs, qui stimulum carnis patiuntur. 392.d

Soluitur III. ex locis Scripturæ, qui docent continentiam esse donum Dei, quod non omnibus datur. 398.d
IV. Ex ratione naturali. 405.d
V. Ex Concilio. 409.d
VI. Ex Patribus. 410.d
Quod iuniores possint vouere continentiam. 422.e
Licere coniugatis ex consensu vouere continentiam. 427.c
De possibilitate continentiæ. 399.a. 418.b. & seq.
De difficultate. 326.c. 401.a. 405.e
De vtilitate. 337.a
De dono continentiæ. 267.e. 399.d. & seq. 420.b
Nemo est qui continere non possit si velit. 267.d
Continentia Religiosorum. 319.c
De continentiæ voto fusissimè. 371.c. & seq.
Continētia clericorum, & ab vxoribus. 254.a. & seq. 266.a 421.b. 428.a
Continentiæ votum an annexum ordinibus sacris, & quo iure. 251.c. & seq.
Continentiam esse relinquendam in arbitrio clericorum nullam habet apparentiam ex historijs. 263.d
Qui post votum continentiæ ad Matrimonium transeunt pro bigamis habentur. 409.d
Continentia consilium Euangelicum. 327.b. 328.c. & seq. vsque ad 335.
Continentia cur coli cœpit in Ecclesia. 387.a
An incommoda quædam pariat. 405.d. & seq.
An liceat propter sanitatem continentiæ votum frangere. 466.d
Continentes debent esse humiles. 410.b
Illis datur gloria singularis. 329.a
Incontinentia & vstio idem significant apud Paulum. 393.c & seq.
Cordis cogitationes quomodo cognouerint Sancti quidā. 670.d.e
Corpori humano comparatur Ecclesia. 100.e
Corpus nostrum appellatur domus terrestris. 616.e
Corpus Christi in Sacramento altaris. Vide v. Eucharistia.
Correptio fraterna facta Iudæis. 108.a
Creatio. In memoriā beneficij creationis celebrabatur Sabbathum, & nunc dies Dominica. 813.c.d
Cruci figendi modus. 743.d

Crux.

Crux. Proponitur disputatio de adoratione crucis. 741.d
De vera cruce Domini. 742.d
Vera crux Christi veneranda. 743.a
Imagines crucis venerandæ. 747.a
Signum crucis quod digito exprimitur sacrum est & venerabile. 751.
Soluuntur obiectiones. 753.b
Crucis adoratio. 717.a.b.c.d. 741.d. & 749.c
Etiam adoratur crux quæ pingitur sine Christo. 754.b
Crucis figura. 742.d.e
Crux Christi, & figura eius crucis. Vexillum Imperatoris Christiani. 743.b
Venerabilis. ibid.
Electa spontè à Christo. 744.a. 753.d
Ara summi sacrificij. 744.a
Scala fuit Christo ad Regnum. ibid.b
Instrumeutum liberationis. ibid.c
Figuræ pro cruce. ibd.
Hac cruce Diabolus vincitur. ibid. & 755.b
Mysteria in ipsa significata. 744.e
Inuentio crucis. 745.b
Exaltatio. 747.d
Attulit lætitiam, & gloriam Christo. 753.c
Tres effectus ipsius. 755.c
In loco crucis, hostes Christiani nominis posuerunt Veneris simulachrum. 751.a
Crucis particulæ gestantur ad collum. 747.a
Crucis honor. 746.a
Crucis signum in cœlo apparebit. ibid.c. 747.d
Crux non amplius horrori est. 749.a
In pecunijs, crucis figura excuditur. ibid.b
Huic non sculpitur. ibid.
In supplicationibus præfertur. ibid.c
Omnibus locis depingitur. ibid.d
Appariciones & miracula ipsius. 750.a
Crucis signum. 742.a
Eius figuræ & honor. 751.a
Antiquitas & miracula. ibid.d. 752.d
Expelluntur Dæmones & omnia Magica compescuntur. 755.a
Tres effectus huius signi. ibid.
Aliqua sanctitas accedit rebus cum signantur cruce. 755.c
Crucis contactus aliquo modo sanctificat. 756.c
Crucis imaginem cùm colere liceat, multò magis imaginē crucifixi. 761.b.c
Crucem tantum esse adorandum, non autem reliquas imagines, impiè blaterant hæretici. ibid.
Cultus diuinus præcipuè circa fidem, spem, & charitatem. 137.b
Cultus Dei præcipuus in Ecclesia internus est. 139.a
Cupiditas ad tria capita reuocantur. 312.a

Cyprianus.

Cypriani error de Baptismo. 16.d
Defenditur Cyprianus. 53.a
Cypriano duæ Basilicæ extructæ. 778.e
Cyrus acquisiuit sibi Monarchiam ex cupiditate dominandi. 465.a

D.

Damnati.

Damnati, nec actu, nec potentia sunt membra Christi. 104.e. & seq.
Puniuntur citra condignum. 563.e. & 594.c
Ad pœnas æternas damnati, non possunt reuocari ad vitā 581.d
Non possunt iuuari precibus Sanctorum. 594.e
Damnatos saluandos somniauit Origenes. 562.b

Dæmones.

Dæmones nunc torquētur ante diem iudicij, etiamsi in aere nostro caliginoso aliqui versentur. 635.b
In die Iudicij ex hoc aere in abyssum præcipitandi sunt, & adhuc expectant futura tormenta. 636.a
A dæmonibus torquentur animæ Purgatorij. 587.a
Vide paulò pòst v. Diabolus.
Decalogum esse legem naturalem, excepto præcepto de Sabbato. 698.b. & 699.b

Decimæ.

Decimæ sacerdotibus persoluendæ. 280.d
Etiam malis. 282.d
Præceptum de Decimis soluendis, quantum ad determinationem talis quantitatis, non esse nunc de iure diuino. 282.d
Et an possit contraria consuetudine abrogari. 284.d
An laici pauperes teneātur decimas dare Clericis diuitibus. 285.b
An excusari possint à peccato, qui nullas decima soluunt, vbi nulla est consuetudo soluendi. ibid.c
Quia ratione ostendi possit iustam esse determinationem Ecclesiæ, quod Christiani decimam partem suorum fructuū Ecclesiæ tribuant. 286.a
Dedicatio templi, eiusque dies festus solennis. 780.b

Defuncti.

Defuncti non immoderatè deflendi. 558.e
Statim iudicantur, & exempla huius rei. 571.c.e
Ex limbo Patrum vel Purgatorio ad vitam reuocari possūt: at ex inferno & loco Beatorum non possunt. 582.b
Possunt huc venire, & nobis opem ferre. 672.a
Prosunt defunctis, & viuentibus. 589.e. & seq.
Nesciunt naturaliter quid viuentes agant. 671.b. & seq.
Iusti defuncti sunt membra Ecclesiæ. 580.c
Defuncti iuuantur precibus Sanctorum. 536.a
Defunctorum funus. 596.b. & 691.b
Vbi de cereis accensis. Iustorum defunctorum laus. 622.e
Defunctis prodest sacrificium Missæ, & alia bona opera fidelium. 585.a. & 592.a.b
Vide contra hoc hæresim. 173.b

Laborantes

Laborantes in sepeliendis defunctis. 230.e
Oratio & suffragia pro defunctis. 514.a.& seq. 537.c. 559.b
Item epulæ & conuiuia. 516.a.& 692.a
Ieiunia. 516.c
Baptismus lachrymarum & pœnitentiæ. 530.d
Desertum duplex in Iudæa. 435.c
Desertum mysticum dicuntur dogmata hæreticorum. 438.e

Deus.

Deus non est vbique omnibus modis. 774.d.e
In cœlo propriè esse dicitur. 619.e
An possit videri à creatura. 613.c.& 626.d
Visus est corporea specie. 701.a
Quarundam rerum quomodo pœnituisse dicatur. 806.d.e
Dei dilectio in quatuor gradibus. 310.e
Item in tribus. 312.d
Dei dilectio in toto corde & anima. 343.c.& seq.
Dei dona multiplicia. 399.b
Dei imagines non sunt prohibitæ. 699.d.& seq.
Licet eas pingere. 700.e
Honor qui eis debetur, vide v. Latria.
Deo propinquaturis requiritur continentia. 254.c
Deo debentur omnia nostra. 359.b.c.d
Cum Deo componendum in hac vita, quando facilè impetramus remissionem pœnæ. 534.e
Iudæi putarunt Deum esse corporeum. 752.e
Scriptura, verbis, tribuit Deo omnia membra humana. 701.c

Diabolus.

Diabolus, nunquam saluandus, contra Origenem. 662.c
Odit imagines. 720.b
Victus est cruce Domini. 744.c
Eamque timet. 755.b
Expellitur signo crucis. 751.c.753.a. & 755.b.& seq.
Eiicitur è templo consecrato. 784.a.& 785.c
Fugatur per aquam benedictam. 796.c.d.e

Diaconi.

Diaconi sunt Principes & Præsules. 231.b
Diaconi nostri sunt vt Leuitæ in Testamento veteri. 232.a
Diaconorum officia. 234.e
Diaconorum & Subdiaconornm continentia. 421.a. vide v. Continentia suprà.
Diaconissæ. 230.e.& 261.a
Dies Domini quæ sit. 523.c

Digami.

Digami non admittendi ad sacros ordines. 271.a
Digami, qui frangunt votum virginitatis. 381.b
Qui post votum continentiæ, ad Matrimonium transeunt, pro Digamis habentur. 279.c.& 409.d
An censendus Digamus, qui vnam vxorem habuit ante Baptismum, & alteram post. 278.a
Digamis communio datur. 63.c
Digamię tres species. 279.d
Diocletianus. 198.d
Priuauit multos cingulo militari. 480.d
Iussit omnes Ecclesias solo æquari.
Dionysius Carthusianus malè opinatus est animas Purgatorij ignorare certitudinem suæ salutis. 670.c
Discipulis LXXII. succedunt Presbyteri. 238.b
Discordiæ malum. 482.b

Diuitiæ.

Diuites an debeant permittere mendicos. 453.e
Diuitię & mendicitas an postulanda. 454.b
Diuitiarum commoda vel incommoda. ibid.e
Renunciatio. 330.c.& 343.b

Doctores & Doctrina.

Doctorum Ecclesiæ sanctitas. 185.b
Quod non dici potest de Doctoribus Ethnicis & Hæresiarchis. ibid.d
Doctrina tempore Adæ, Henoch, & Noe traditione conseruabatur. 658.d
Doctrinæ sanctitas in Ecclesia. 181.a.b.c.d.e
Conspiratio cum Ecclesia antiqua. 167.e.& seq.
Doctrinæ filij qui dicantur. 119.e
Dolor de peccatis. 567.c
Dominica dies. 806.c.& seq. & 812.a.b
Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimę & Passionis. 823.a.b.c.& seq.
Dominica in Albis. 824.b
Dominicus Sotus temerè asseruit, neminem manere in Purgatorio ad decem annos. 585.b
Idem temerè asseruit Sanctorum defunctorum animas, quæ cum Christo regnant, non orare pro Sanctorum animabus in Purgatorio laborantibus. 690.a
Domitianus. 198.d
Libenter audiebat sibi acclamari in Amphiteatro: Domino & Domine feliciter, & iubebat de se scribi. Dominus & Deus noster sic fieri iubet. 460.e
Eius imago deiecta. 720.a
Dominus verus quis sit. 460.d
Dominus comparatur Beatitudo. 617.d
Dona Dei. 399.a
Donatistarum hæresis. 172.c.& 182.a
Miracula contra se. 189.b
Visiones seu potius somnia. 194.a
Dulia quæ sit. 643.d.& 750.b
Duplicitas per rugas designatur. 125.d
Durandus asseruit non rectè fieri, vt ab Ecclesia tolerentur Dei imagines. 700.d

E.

Ecclesia.

Ecclesia. Ecclesiæ nomen. 98.a
Definitio, & quos comprehendat. 100.a
Vtrum Catechumeni sint in Ecclesia. 101.d
Hæretici & Apostatæ non sunt in Ecclesia. 102.c
Neque Schismatici. 105.a
Neque excommunicati. 107.d
Prædestinati & reprobi ad Ecclesiam pertinent. 109.d
Non perfecti etiam. 114.b
Item magni peccatores. 115.d
Item, infideles occulti. 122.e
De Ecclesiæ visibilitate. 130.d
Est visibilis. 131.e
Ecclesia visibilis non potest deficere. 133.d
Ecclesia non potest errare. 136.a
Non esse eas notas veræ Ecclesiæ, quas hæretici statuunt. 148.a
Veræ notæ Ecclesiæ quæ sint. 152.b
Notæ veræ Ecclesiæ.
I. Ipsum Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum nomen. 154.c
II. Antiquitas. ibid.b
III. Duratio diuturna, nec vnquam interrupta. 158.d
IV. Amplitudo. 160.c
V. Successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta vsque ad nos. 162.c
VI. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. 167.e
VII. Vno membrorum inter se, & cum capite. 176.c
VIII. Sanctitas doctrinæ. 180.e
IX. Efficacia doctrinæ. 183.a
X. Sanctitas vitæ auctorum siue primorum Patrum nostræ religionis. 185.b
XI. Gloria miraculorum. 187.e
XII. Lumen Propheticum. 195.d
XIII. Confessio aduersariorum. 197.a
XIV. Infelix exitus, seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnant. 198.c
XV. Felicitas temporalis diuinitus ijs collata, qui Ecclesiā defenderunt. 199.d
Contra id quod vniuersa Ecclesia facit, disputare insolentissimæ insaniæ est. 65.538.b
Ecclesia est corpus quoddam viuum. 101.a. vide 119.b
Ecclesia est vna non plures. 106.d.116.e. 122.b. 128.a. & 176.c
Ecclesia comparatur exercitui ordinato, corpori humano Mulieri speciosæ, Regno, Ouili, Domui, & Naui, seu Arcæ Noe. 86.c.d.e
Aliæ comparationes Ecclesiæ. 109.e. 110.e. 132.e. 159.a
Assimilatur pani. 118.b
Item corpori humano. 125.e
Item soli. 152.b
Ad Ecclesiam constituendam tria requiruntur. 118.

Ecclesia inchoata ab hominibus pauperibus, & vilibus. 183.e.& 458.b
Ecclesia ex latere Christi. 276.b
Ecclesia Christiana propriè cœpit in die Pentecostes. 904.e & 906.a
Antiquitas ipsius. 154.c
Duratio. 158.
Vide de notis Ecclesiæ suprà.
Ecclesia maximam partem orbis occupauit. 161.c
Persecutionibus creuit. 158.e
Vide de persecutionibus Ecclesiæ. 151.b.c.d.e.158.c
Et infrà v. Persecutio. Sustentare Ecclesiam propriè Martyribus conuenit. 757.a
Ecclesia an errare possit. 52.c.136.& seq.
In Ecclesia Romana semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus. 162.d
Ecclesia debet habere vnum caput. 84.b
Ecclesiæ nomine aliquando intelligitur Episcopus. 93.a
Non potest esse sine Pastoribus & Episcopis. 163.b
Hoc argumento de successione episcoporum tanquam indissolubili probatur apud hæreticos non esse Ecclesiam. 165.a.& 215.b
An aliquando gubernabatur á Presbyteris. 242.e
Ecclesiæ Pastores omnes an possint errare. 145.a
Ecclesia iudicat de sensu sacræ Scripturæ. 149.a
Quomodo dicatur tota pulchra, gloriosa, sine macula & ruga. 115.a.120.e
Dicitur sancta, & quare. 119.b
Est regnum Christi. 86.c
Ecclesiæ vniuersa repræsentattur Concilio generali. 51.b
Ecclesiæ vniuersalis simul congregatæ caput & Pastor est summus Pontifex. 84.e
Ecclesia significatur per vestem Christi inconsutilem. 105.c
Ecclesia spiritualis, & quomodo. 139.c.d
Ecclesia interdum obscurata tantum est. 143.e
Particularis Ecclesia erat populus Iudæorum. 141.e
Ecclesia est simpliciter prior & notior quam Scriptura. 156.d
Ecclesia Testamenti veteris, figura Ecclesiæ Testamenti noui. 276.b
Ecclesia sancta breuissimo tempore totum mundum traxit per homines contemptibiles. 183.e
Christi sponsa est & virgo, & filios parit. 276.b
Ecclesia Testamenti veteris non repudiatur sed renouatur. ibid.
Ecclesia legere solet totum aliquem locum Scripturæ propter vnam aut alteram sententiam, quæ ad aliquod propositum faciat. 673.e.& seq.
An petat in orationibus gloriam Sanctis. 694.b
Bona Domini, Ecclesia. 758.a
An sit summa potestas Ecclesiastica in Ecclesia. 86.a
Ecclesia ex se nullam habet auctoritatem. 87.a
Ecclesia cum Papa quam auctoritatem habeat. 93.d
Ecclesiæ auctoritate nititur fides nostra quoad nos. 136.e
Ecclesiæ forma est fides externa. 127.d
In Ecclesia dissensiones esse possunt. 120.c
In Ecclesia aliquid videtur, & aliquid creditur. 139.e
Extra Ecclesiam nemo saluatur. 102.a
Qui extra Ecclesiam sunt nullam habent auctoritatem aut iurisdictionem in Ecclesiam. 123.e
Ecclesiæ immunitates violare præsumentes, signis & prodigijs calamitate plenis à Deo puniti. 299.a
In Ecclesia diuersi gradus & ordines. 204.a
In Ecclesia militante tres hierarchiæ. 231.b
Communio Ecclesiæ triumphantis cum militante. 757.a
Ecclesiæ miracula in singulis ætatibus. 187.e.194.c
Ecclesiæ defensores. 199.d
Ecclesiæ oratio pro defunctis. 137.d.& seq.559.c
Ecclesiæ figuræ fuerunt tabernaculum & templum. 883.a
Solis iustis Ecclesiam constare error est. 172.e
Ecclesiæ Christianorum quare non vocentur templa. 773.a Vide v. templum.
Ecclesiæ nomen vnde. 774.b.c
Ecclesiasticum regimen à politico distinctum esse, Scripturæ sancta docent. 290.e.& seq.

Eleemosyna.

Eleemosyna an magis danda templis quàm pauperibus. 792.e
Eleemosynæ prosunt defunctis. 546.b
Debent fieri liberè, id est, non coactè. 391.d
Dandæ magis indigenti. 456.d
Iusto potius quàm iniusto. 593.e
Illis iuuantur animæ Purgatorij. 592.d
Error eorum qui existimarûnt omnes illos esse saluandos per ignem Purgatorij, qui eleemosynas fecissent. 564.c
Eloquentia. 463.b
Epiphaniæ festus dies. 824.b.c

Episcopus.

Episcopus irreprehensibilis & sine crimine debet esse. 274.d
Episcopus esse non potest qui in episcopatu filios gignat. 269.b
Pœna incontinentis episcopi. ibid.
Vide explicationem eius loci, episcopum vnius vxoris virũ. 257.b.271.a.274.b.276.d.& seq.
Et qua de caussa debet esse Monogamus. 275.b
An olim potuerint episcopi alere vxores quas habebant antequam sacris initiarentur. 266.a
Vide v. Sacerdotis cœlibatus.
Episcopus malus quomodo verum caput sue Ecclesiæ. 118.e 123.e.217.b
Quilibet episcopus personam gerit suæ ecclesiæ. 29.b.c
Vt aliquis episcopus dicatur ab Apostolis legitimè descendere, & esse legitimum episcopum duo requiruntur. 164.a
Episcopus verus qui habeatur in ecclesia. 163.d
Episcopus nomine ecclesiæ aliquando intelligitur. 93.a
Episcopus potest cogere populum ad temporalia danda. 452.d
Episcopi maximus labor in regendis subditis. 117.a
Episcop. & presbyteri iurisdictio an de iure diuino distinguatur. 241.a.& 242.c
Nomen vtrorumq; commune olim erat. 164.c.213.c.240.a 244.c
Episcopi succedunt Apostolis. 163.d.238.d
Omnes & soli in Concilijs habent ius suffragij decisiuè, ordinariè. 26.d.& seq.
Aliqui rudes Episcopi fuerunt in Concilio Nicæno I. 34.b
A tribus Episcopis ordinari debent. 164.c.213.c
Quomodo cum Clericis, & Laicis se gerere debeant. 211.b
Soli, aliquem ordinare possunt. 213.e.237.a.240.c.& 244.a
Eliguntur, non nascuntur per successionem. 218.c
Ministri Ecclesiæ regendo. 223.b
Quinque modis eligi consueuerunt. 227.d
De electione Episcoporũ, videlicet Regibus concessa à Pontificibus. 225.d
Quod non pertineat iure diuino ad clerum. 226.d
Quod ordinariè assumebantur ex Presbyteris & Diaconis. 231.c
Episcopi & Presbyteri quomodo distinguantur. vbi de maioritate, & auctoritate Episcoporum. 236.b.244.c
Nomen Episcopi & Presbyteri olim commune erat. 164.d 213.b.240. b.244.b
Episcopi veri tempore Apostolorum, dicebantur Apostoli. 240.a.244.c
Episcopi & Presbyteri varijs modis à Patribus cõparãtur. 244.d
Quinque Episcopi olim præferebantur Cardinalibus non Episcopis. 249.c
Episcopi dicuntur serui suarum plebium. 456.c
An dari possit casus, vt omnes Episcopi in vno Concilio fecti sint. 73.d
Vel vt omnes Ecclesiæ Pastores errare possint. 145.a
Quot Episcopi requirantur ad generale Concilium. 31.e
Episcopi in Concilijs non sunt consiliarij, sed iudices. 32.e
An omnes Episcopi simul, siue Concilium sunt supra Papã. 82.a
Qui sint veri Episcopi. 163.d.e.& seq.
Hæretici non sunt veri Episcopi. 165.a
Episcoporum legitimus conuentus. 74.a
Episcoporum consessus in Concilijs legitimis est verum iudicium, ipsique veri iudices. 33.b
Episcoporum successio in Romana Ecclesia. 104.e
Sine Episcopis Ecclesia esse non potest. 163.c

Episcopos veros esse Episcopos an nobis certo constet. 129.c.
Episcoporum varia electio. 165.b
Episcoporum institutio siue electio à col. 216. vsque ad 232
Ordinatio. 213.d
Vocatio seu missio. 216.c. vide infrà v. Pastores & Ministri Ecclesiæ.
Episcoporum electio per sortes reprobatur. 217.e
Episcoporum electio non conuenit populo. 219.c.& seq.
Episcoporum doctrina vera vel falsa, quomodo iudicanda. 222.c
Episcoporum proprium est officium prædicandi. 235.e
Episcoporum & Cardinalium comparatio. 247.e
Episcoporum perfectio qualis esse debeat. 232.c
Argumentum insolubile contra hæreticos ex successione & ordinatione Episcoporum. 165.a
In Episcopo munus sacrificandi, studium orationis, efficacia prædicationis, cura pastoralis, cura pauperum, & administratio Sacramentorum. 258.c
In Episcopis duo considerantur, quod locum Christi teneat, & quod habeant potestatem ordinis & iurisdictionis. 129.c
Episcopatus ambitione multi hæresiarchæ facti sunt. 185.c & seq.
Episcopatus dignitate magis grauantur homines. 209.e
Episcopatum inuiti susceperunt Sancti, illumque fugerunt. 324.a
Episcopatuum nouorum institutio ad Romanum Pontificem pertinet. 164.b
Epistolæ decretales an numerentur inter Scripturas canonicas. 81.a
Eremitæ & Cœnobitæ. 312.b
Et de Eremitis fusè. 434.a
Esseni qui fuerint. 317.b
Euangelium politicas leges non tollit. 292.c
Ad Euangelij lectionem in Ecclesia accenduntur cerei. 692.a & 715.a.b

Eucharistia.

Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie an omnibus concedendum. 72.d.e
Hæreses contra Eucharistiam. 175.c.176.a
Eucharistiæ Sacramentum circumdatur Angelis in Ecclesia. 785.a.b
Transubstantiatio panis & vini. 72.c
Signum habens coniunctũ Christi corpus, siue verum Christi corpus ibi præsens existens frangitur & teritur: non tamen in se, sed in signo. ibid.d
Dies festus corporis Domini. 824.d
Eugenio Papæ falsò ascribitur epistola ad Michaelem Balbum contra adorationem imaginum. 762.d.e.& seq.
Euidentia veritatis & credibilitatis quæ sit. 152.c
Eunomius reliquiarum cultum primus reprehendit. 677.b
Eunuchi voluntarij. 328.c.375.b.& 400.e
Euthymius errauit opinando animas iustorum non conscendere cœlum ante diem iudicij. 613.b

Excommunicati.

Excommunicati sunt extra Ecclesiam. 130.a
Excommunicati occulti sunt de Ecclesia numero, non merito; de facto, non de iure. ibid.b
Excommunicationis pœna quæ sit. 108.c. & 500.a

F.

FElicitas humana & Christiana. 455.c
Ferdinandus Imperator. 9.c
Florini hæresis. 170.c

Festi dies.

Sententiæ hæreticorum de festis. 803.c.d.e
Mendacia & ineptiæ illorum. 805.a.b
Nullo modo licet Christianis Sabbathũ Iudæorum aut alias ferias Testamenti veteris obseruare. ibid.& seq.
Festa Christianorum non solùm ratione ordinis, & politiæ, sed etiam ratione mysterij celebrari, esseque dies festos verè alijs sanctiores, & partem quandam diuini cultus. 806.a
Argumenta hæreticorum. Solutioque illorum. 807.c
Obseruationes certorum dierum festorum rectè præcipi in Ecclesia, lege obligante in conscientia, etiam citra contẽptum & scandalum. 809.d.e
Argumenta hæreticorum. 803.e.& seq.
Solutio. 811.a.b
Quænam opera diebus festis sint prohibita, & quæ mandata. 809.d.e
Non teneri nos diebus festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, siue ad actum cõtritionis, vel dilectionis Dei. 811.d.e
Dies festus hebdomadarum, & datæ legis, vnus & idem. 819.e.& 820.a
De die Dominica. nempe de antiquitate. 806.b.c.& 812.d.e
De ratione institutionis. 813.c
Et de ritibus antiquis in ea obseruatis. 814.d
De Paschate. quid sit. ibid.e
Errores circa celebrationem. 816.a.b
Error in quem incidimus à multis iam annis. 818.e.& seq.
Non debet esse libera & indifferens huiusmodi celebratio. 817.c.d
De Pentecoste. antiquitas huius festi. 819.b.c.d
An rectè celebretur die quinquagesima à die resurrectionis. ibid.d.e
De septuagesima, sexagesima, &c. 822.e.& seq.
De Dominicis Quadragesimæ & Passionis. 823.e. & sequen.
De reliquis festis Domini. 824.a.b.c.d
De festis Sanctorum. ibid.e.& seq.
De festo Conceptionis. 826.d.e
De alijs festis B. Virginis. 829.a.b.c
Fidelis nomen. 128.a

Fides.

Fides externa est forma Ecclesiæ. 128.a
Fidei perseuerantia. in quibus permanserit tempore Passionis Domini nostri. 164.a
Fidei seu credendi libertas non debet permitti. 489.c.d.e
Et qui permiserint. 490.b
Fidei dogmata inuiolatè seruanda. 492.a
Fidei dogma quatuor modis probari solet. 557.e
Fides quomodo faciat fillios Dei. 210.e
Fides & oratio præcipua arma Christianorum. 482.e
Omnis sententia de fide nascitur vel ex duabus propositionibus de fide, vel ex vna de fide, alteraeuidenti. 140.a
Fidem sine operibus sufficere, qui hæretici dixerint. 170.a
Accedens ad fidem an debeat explorare vires suas. 401.a
Fidei externa professio pertinet ad definitionem Ecclesiæ. 140.d
Item est vnum ex requisitis ad Ecclesiam constituendam. 119.c
Fides pro promissione & pacto. 378.b.& 384.d

Filius.

Filij Dei,& filij huius seculi, qui dicantur. 550.e
Filij nomẽ tribus modis accipitur in Scriptura, ratione productionis, imitationis, doctrinæ. 119.d
Filij tenentur obedire parentibus. 368.b
Filij quid debeant parentibus. 426.a
Filius licet ingredi religionem parentibus inuitis. 424.c
Filiorum magnorum generatio prædicta in Scriptura. 374.a
Nos sumus filij Dei per adoptionem secundum animam, nõ secundum corpus. 294.a.b
Fornicatio prohibita ab ipsis Apostolis. 60.b

B. Franciscus.

B. Francisci vita, miraculis plena. 192.a
Ipsius prophetia. 196.e
Vitæ asperitas. 321.d
Auctor fuit vitæ mendicantium. 453.b
Illius mors. 526.b
Fridericus I. 9.a
Fridericus I I. ibid.
Funera defunctorum. 596.b.c.& 692.a
Furtum apud Germanos non fuisse vitium, sed virtutem aliquando, ex Cæsaris commentarijs de bello Gallico constat. 296.e

G.

GAlerij Imperatoris exitus. 198.e
Galliæ regnum conuertit sanctus Kilianus. 184.b
Gaudium in Spiritu sancto est regnum Dei. 151.d

Gentiles.

Gentiles propter quas causas mouebantur ad credendum idola esse Deos. 723.b
Hominum mortuorum simulacra adorarunt. 760.c.d.e
Gentilium Dij homines erant. 703.c
Ipsorum simulacra Dij. 721.
Gentilium testimonijs quare vtuntur Patres, atque etiam sacra Scriptura interdum. 387

Germanus.

Germanos conuertit S. Bonifacius. 184.a
In Germania tempore Gregorij VII. Sacerdotes cœperunt vxores ducere. 259.e
Germani voluerunt & obtinuerunt quoddam Interim, anno M.D.XXVI. 489.a
SS. Geruasij & Protasij corpora diuinitus reuelata. 687.b.c
Gothi miserè decepti ab Arianis. 183.c

Græci.

Græci suspecti fuerũt de hæresi quæ Purgatorium tollebat, 511.a
Tamen nunquam dubitarunt de Purgatorio. 559.a
Græci professi sunt in Concilio Florentino, se non ponere ignem in Purgatorio. 586.a
Græci dixerunt animas Sanctorum non posse admitti ad beatitudinem vsque ad diem iudicij. 612.a
Imperatores Græci hæresi Iconomachorum patrocinabantur. 729.d
Græcorum sapientes supra modum impudici. 185.c
Græcorum Imperium cur translatum ad Gallos & Germanos. 70.b
Græcorum Episcoporum successio interrupta. 166.c
Apud Græcos non est Ecclesia. 167.b
Græcis permittitur vsus vxorum, quas habuerunt ante ordinationem. 252.c
Et quando incepit hic mos Græcorum. 253.c
Gradus naturalium præceptorum tres numero ponuntur. 296.a.b

Gratia.

Gratia sufficiens & efficax. 399.d. & 420.b
Gratia naturam sanat & dirigit. 347.c
Ad gratiam vocamur à Deo sine vllo opere nostro. 207.c

Gregorius Magnus.

Gregorius Magnus an sacerdotibus vxores ademerit, & deinde decretum rescinderit. 241.c
An orauerit pro Traiano. 679.c
Illius tempore fuit vera Ecclesia (contra hæreticos) 157.c. & 161.d
Illius humilitas. 324.a
Gregorius 4. Dialogorum cap. 40. & 55. videtur asserere animas Purgatorij purgari vbi peccauerunt, quod est improbabile. 575.
Gregorius Nyssenus libro de anima & resurrectione dicit locum pœnalem animarum esse aerem istum caliginosum. 576.a

H.

HAbitus Monachorum. 441.a
Hadrianus Papa II. curauit omnes iterum approbare septimam Synodum de cultu Imaginum. 764.a

Hæreses.

Hæreses enumerantur ordine seculorum, & à quibus Concilijs & Pontificibus damnatæ. Item hæreses XX. hæresiarcharum, cum eorum sectatoribus. 170. & seq.
Item multæ hæreses enumerantur, quæ ortæ sunt ex ambitione, inuidentia & odio. 185.d
Item diuisę in varias sectas. 178.c
Hæreses variæ permitti cœperunt paulò ante Christi aduentum. 490.e
Hæreses ferè omnes extinctæ. 159.c
Hæreses in vno loco exortæ, in alio damnantur. 46.e
An pp hæreses sint cogenda Cõcilia generalia. 14.e. & seq.
In hæresim manifestam aliquem incidisse, Concilia prouincialia & Diocœsana iudicare possunt. 75.e
Hæreses manifestæ contra fidem & mores. 181.d
Hæreses conferuntur cum idolis. 694.c

Hæretici.

Hæretici sunt simiæ Catholicorum. 102.e
Dicuntur Antichristi. 123.b
Comparantur lupis. 56.a. & 498.b
Furibus & latronibus. 498.c
Item Cancro. ibid.
Hostes sunt veritatis, & vera falsis permiscent. 495.d
Moderni & antiqui hæretici denominantur ab hominibus priuatis, quod signũ est, eos non esse in vera Christi Ecclesia. 154.d
Non diu durant illorum dogmata. 159.d
Ipsimet timent sibi interitum. ibid.e
Repugnant toti antiquitati. 168.a
Tantùm concordant cum antiquis hæreticis. 170.a
Concertant inter se. 172.e
Superbia eorum. 185.d
Mali mores. ibid. & 186.a.b
Destituti sunt gratia miraculorum. 488.b. & seq.
Martyrium ipsorum nullum est. 151.e
Eorumque falsi martyres. ibd.
Inter se, vnus habet alium pro hæretico. 180.a
Non possunt conciliari cum Catholicis. 491.a
Postularunt, & deinde contempserunt Concilia, in præfat. Secundi Tomi.
Varij in diuersis Concilijs damnati. 79.a
Non sunt in Ecclesia. 102.c.d.e
Neque habent veram Ecclesiam. 165.a. 215.b
Quare potest Ecclesia eos punire. 104.d
Ab Ecclesia damnati, temporalibus pœnis, atque etiã morte possunt mulctari. 497.c
Vide argumenta ipsorum in contrarium. à col. 501. vsque ad finem libri.
Infelix exitus ipsorum. 198.c
Hæretici vendicant sibi auctoritatem Ecclesiæ, more simiarum. 102.e
Non habere veros Episcopos. 293
Argumentum insolubile contra ipsos ex successione & ordinatione Episcoporum. 164.e. 215.b.c
An sint verè Christiani. 128.c
An sæpe simulent se esse Catholicos. 130.a
Occulti an sint de Ecclesia. 123.c
Nunquam conuerterunt Ethnicos aut Iudæos ad fidem, sed solùm peruerterunt Christianos. 183.c
Etiam ipsorum confessione habemus veram fidem. 179.c
Theobutes primus hæreticus, vide sequentes. 185.d
Dogmata ipsorum dicuntur desertum. 438.e
Ipsorum schisma ab Ecclesia figuratur per rebellionẽ Israelitarum tribu Iuda. 461.e
Ipsorum confusio cum Catholicis permitti non debet. 489.b
Ipsorum colloquia & libri vitandi sunt. 494.d
Hæreticos qua arte compescuit Theodosius. 168.a
Hebræorum numerus in Testamento veteri. 286.b
Vide de his v. Iudæi infrà.
Helena mater Constantini laudatur. 43.c

Helias.

Helias, & Helisæus, sine vxoribus & diuitijs in hoc mundo vixerunt. 236.e. 320.a. & 411.c
Helias Eremitarum princeps. 443.c
Heliæ tempore defecit populus Iudæorum. 141.e
Henoch vbi sit cum paradisus terrestris perierit aquis diluuij. 619.b.c

Henricus.

Henrici I. Imperatoris opera, plures Reges, & populi ad fidem conuersi. 184.d
Henricus IV. Rex propter multa scelera excommunicatus. 13.b
Henricus V. Imperator. 8.e
Henricus VII. Imperator. 9.b

Henricus Auceps Saxo non Imperator,sed Rex tãtùm fuit, & quare.
Heraclius Imperator. 200.b.& 747.d
Herodis magna simulatio. 493.c
Herodis Ascalonitæ & Tetrarchæ, exitus. 198.c
Hieremiam non coluerunt populi,sacrificijs. 194.e

B.Hieronymus.

Beatus Hieronymus fuit simplex Presbyter. 248.e
Ipsius humilitas in fugiendo Presbyteratum. 324.a
Et sacrificium altaris offerre non audebat. 179.c. & 325.b
Tentationes carnis patiebatur. 393.a.& 395.b
Hieronymus videtur in ea sententia fuisse,vt existimaret Episcopos, si de iurisdictione agatur, esse quidem Presbyteris maiores,sed iure Ecclesiastico,non diuino,quæ sententia falsa est. 241.c
Idem in commentario 1.cap.epistolæ ad Titum in quadam sententia non admodum constans videtur. 243.c
Idem memoria lapsus est,dicẽdo iuuenem illum de quo Matth.19.animo tentantis,non animo discentis ad Dominũ accessisse. 331.b
Quædam vebra ipsius in epistolam ad Ephesios,sunt dicta in personis Origenis asserentis,omnes malos,tam Dæmones,quàm homines tandem saluandos, & falsò Rufinus tribuit ea Hieronymo. 562.e
Idem in vltima verba Isaiæ non videtur existimasse, omnes & solos Catholicos in fide perseuerantes ad Purgatorium descendere, quamuis alioqui pessimè vixissent. 563.a.b
Hierosolymorum Ecclesia Patriarchalis. 64.a
Hierusalem recuperata à nostris. 487.b
Eius euersio prædicta à Daniele. 142.d
Historiæ aliquorum Sanctorum Apochryphæ. 674.d
Homicidæ puniendi gladio. 404.c

Homo.

Homo est animal sociale,& quare,& quomodo. 462.b.c.d
Est imago Dei. 701.d
Et vt sic, est dignus veneratione. 733.a
Potest dici membrum Christi,vel filius Christi. 113.a
Nullus est homo qui non peccet. 114.b
Homines nunquam vagati sunt more bestiarum, vt M.Tullius dixit. 463.a
Hosius Cardinalis à calumnijs hæretieorum defenditur. in præfatione huius tomi.
Humana lex vide v.Lex.
Hilarius dixit,Moysen adhuc viuere. 581.e

I.

D.Iacobus.

Iacobus Hierosolymorum primus Episcopus ordinatus fuit ab Apostolis. 164.d
Sedes lignea ipsius honoratur. 683.a
Sola linea veste vsus est. 441.b

Iconomachi.

Iconomachorum principes. 695.a
Eorum improbitas. 720.a
Infelix exitus. 721.a
Iconomachorum causam iuuare voluerunt, qui libellum de Imaginibus specioso titulo Synodus Parisiensis ornarũt. 758.b

Idola.

Idola quid sint. 693.b
Esse Deos,quare putabant Ethnici. 723.b.& seq.
Vbi de Idolorum cultu apud Gentiles & Iudæos, vsque ad 725.
Idolorum duo genera apud Hebræos. 722.d.e
Idola Gentium meritò execramur & confringimus. 729.a
Idolorum templa conuersa in Basilicas Martyrum. 669.c
Idolothytorum mensa. 770.e

Ieiunium.

Ieiunium est remedium pro tentationibus. 268.a
Est medium optimum ad orationem. 437.e
Confert ad sanitatem. 439.e
Religiosorum. 319.d
Pro defunctis. 516.b.c
Vide hæresim contra ieiunium Quadragesimæ,quatuor tẽporum & vigiliarum. 173.b.263.a
Ieiunium Sabbati. 263.e
Iesus nomen venerabile. 715.b

Ignis.

Ignis signum lætitiæ,gloriæ,& vitæ. 692.c.e
Signum honoris. 688.c
Ignis eruptiones quæ in terra apparent. 576.c
Ignis in genere,siue Gehennæ,siue Purgatorij. 554.a
Ignis Purgatorij an corporeus. 586.a
Quomodo animas vrat. ibid.e
Et quomodo animæ torqueantur ab igne. 587.a
Ignis vocatur iustum Dei iudicium. 524.e.& 562.a.b
Item pœna aliqua Purgatorij. 526.e.& 585.e

Imagines.

De nomine Imaginis, Idoli & Simulachri. 693.c
De principijs Iconomachorum. 695.a
Licere imagines facere & habere. 697.e
Non esse prohibitas imagines Dei. 699.d
Imagines in templis rectè collocati. 704.b
Imagines vtiles esse,etiam extra historiam. 710.b
Proponitur quæstio de cultu Imaginum. 712.c
Quo genere cultus imagines sint honorandæ. 733.c
Imagines per se,& propriè colendas. 735.a.& 736.b
Imagines Christi impropriè & per accidens posse honorari cultu latriæ. 737.b
Imagines per se & propriè non esse colendas eo cultu, quo exemplum ipsum colitur. 738.c
Quo genere cultus adorentur Imagines. 741.a
Non est dicendum,imaginibus deberi cultum latriæ. 69.b 736.b
De imaginibus quid statutũ sit in Concilio Francfordiensi. 67.b
Concilium Elibertinum an & quare prohibuerit imagines in templis. 707.a
Imaginum Sanctorum in templis antiquitas. 175.d
Vide hæreses. ibid.& 704.b
Imagines Sanctorum,vtilia signa diuinitus instituta. 716.c
Miracula facta per imagines Christi & Sanctorum. 717.e
Tres imagines factæ leguntur tempore Christi. 710.c
Imagines B.Mariæ Virginis. ibid.e
Infelix exitus eorum qui Imagines obliterare conabantur. 720.c
Imago vna cur magis frequentetur quam alia. 732.c
Imagines in pauimento non debent sculpi. 790.a
Imaginem Deiparæ & crucem Dominicam contumelię causa ad Iudæorum Synagogam deferentes,acriter à D.Gregorio reprehensi. 761.e
Imagines si nullæ extarent pictæ,nihil periret de fide,spe, & charitate. 763.a.b
Imaginibus sacris venerationem deberi, sed non maiorem quam viuificæ cruci, docuit Concilium Nicenum. 759.b.c
Imaginibus qui cultus præscribendus. 760.a.b.c.d.e

Imperatores.

Imperatores, qui iudicium de rebus fidei iudicandis Ecclesiæ Romanoque Pontifici remiserunt. 22.d.& seq.& 36.e & seq.
Imperatorum non est in causa fidei iudicare. 44.d
Imperatores non possunt conuocare Concilia generalia. 19.a.& seq.
Quomodo possint interesse Concilijs, ijsque subscribere. 27.e
Non possunt esse Præsides in Concilijs. 36.a.& seq.
Aliquando præsidebant tantum quoad locum materialem, non vt Iudices. ibid.
Vide obiectiones. 41.d. & seq.vsque ad 46.a.b.c.d
Qui sunt habiti optimi,fauerunt Christianis. 197.a
Imperatores optimi, qui contra hæreticos leges tulerunt. 498.d
Qui Ecclesiam defenderunt. 199.d
Aliquando habuerunt ius eligendi summum Pontificem. 227.& 228.d
Imperatores varij excommunicati, & depositi à summis Pontificibus. 17.e

Imperatorum imagines adorabantur. 719.b
Imperatoribus Romanis vbique præferebatur ignis. 691.c
Imperator in Ecclesia est,nō supra Ecclesiam, inquit D. Ambrosius 763.a
Imperij translatio à Græcis ad Gallos & Germanos. 70.d
Incarnatio dicitur Repromissio. 621
Incensum adolere in Ecclesia. 646.d
Indulgentiæ defunctorum per modum suffragij. 592.b

Infernus.

Infernus locus subterraneus. 575.c
Damnati,qui sunt in inferno,nunquam inde sunt liberandi. 582.b.d
Quid sentiendum de Trajano. 579.c
Quid de alijs,quorum animæ ex inferno ad corpora reuocatæ sunt. 581.d.582.b
Vtrum damnati aliquando subleuentur pœnis. 594.c
Error Origenis de inferno, nempe esse conscientiam accusantem, 171.c.529.e.& 530.a.b
Inimico mortem optare ex odio,malum est. 482.b
Innocentiæ status habuisset etiam politicum Principatum. 465.d
Innocentium puerorum dies festus. 825.b.c
Innocentius III. quod dixit lib.2. cap. vlt. de contemptu mundi,nempe Christum in forma Crucifixi apparere omnibus morientibus,tàm bonis,quàm malis, probabile nō est. 572.c
Inuocatio Sanctorum.à 651.vsque ad 737.a

B.Ioannes Baptista.

B.Ioannis Baptistæ desertum in quo fuit. 434.a
Vestis. 436.a
Victus. ibid.b
Miracula in eius ortu. 190.e
Eius conceptio celebratur à Græcis. 827.c
Fuit Monachorum & Eremitarum princeps.315.c.423.a.& 433.e
Præscripsit modum seruandum in bello. 485.d
Eius ossa igni cremantur. 685.a
Veneranda. ibid.
Ad eius sepulchrum Dæmones rugire consueuerunt. 686.b
Intentio eius capitis. 687.b

B.Ioannes Chrysostomus.

B.Ioan. Chrysostomus Presbyter ordinatus. 45.d
Episcopatum fugiebat. 324.a
Ab Episcopatu depositus. 91.a
Ad Reliquias ipsius procubuit Theodosius iunior. 540.a
Translatio Reliquiarum eius. 687.e
Ioannes Chrysostomus putauit locum pœnalem animarū esse istum aerem. 576.a
Ioannes Gerson lect.1.de vita spirituali,videtur negare animabus Purgatorij certitudinem suæ salutis. 670.d
Ioannis Rossensis contra artic.32.Lutheri,idem videtur sensisse,quod Gerson. ibid.
Ioannis Feri error,exponentis 26.cap. Matthæi: Qui acceperit gladium,gladio peribit: vbi docet,artem bellandi prohibitam esse à Christo. 477.a
Ioseph Patriarcha exemit à tributis,& iurisdictione principum secularium sacerdotes Ægyptiorum. 294.d.e
Iouiniani hæresis. 173.c.320.b.& 327.c
Iouinianus libertatem credendi concessit. 490.b
Irenæus asseruit Dæmones tradendos igni sempiterno in die Iudicij. 636.a
Israel,sub Rege Samariæ. 142.a

Iudas.

Iudas dicebantur ij,qui erant sub Rege Hierusalem. ibid.
Iudas de vera Ecclesia aliquando fuit. 110.c
Iudæ labia propter contactum sacri corporis non sunt propterea veneranda. 754.b

Iudæi.

Iudæi an reprehendantur in Euangelio,quod ædificarēt vel ornarent monumenta Prophetarum. 689.b
Vt facilius conuerterentur, Apostoli statuerunt illis legem de sanguine & suffocato. 60.b
Semper habuerunt aliquam Synagogam. 158.b
Post Christi aduentum nulla habuerunt miracula. 188.c
Cur tolerantur. 501.c
Erant propensi ad idololatriam. 690.c
Sunt primi Iconomachi. 695.d
Post Christi aduentum sunt superstitiosissimi contra imagines. 697.c
Vocabant Deos suos idola, 721.a.b.c. vsque ad 725. vbi de idolis,& idololatria ipsorum.
Quare vitulum aureum pro Deo coluerunt. 722.a
Putabant Deum corporeum. ibid.c
Duo genera idolorum apud ipsos. ibid.d
Orabant & orant ad occidentem. 768.d
Nimium confidebant in suo templo. 790.d
Iudeorum præclarum de Christo,& Christianis testimonium. 197.d.317.b
Manifesti errores ipsorum. 181.c
Ingratitudo quærentium Regem. 468.b
Cæremoniæ Iudaicæ. 356.c
Ecclesia eorum particularis erat,non vniuersalis, vt est Christianorum. 141.c.142.a.b
Eorum secta triplex. 317.c
Non fuit proprium ipsorum, vota facere,sed cum Christianis commune. 350.a
Religio eorum quādo florebat, non poterant Reges permittere libertatem Religionis. 490.a
Cultus ipsorum an fuerit tantùm externus. 775.c
Ritus & cultus Sabbathi. 805.d.e.& 813.c.d
Inter festa Christianorum & Iudæorum differentia. 808.e
Ipsorum festa grauia. 811.a.b
Lex ipsorum intolerabile iugum. ibid.c.d.e
Pentecostes ipsorum.819.e.& varia festa pro varijs temporibus instituta. 824.e. & seq.
Iudæis an permissum regimen politicum. 463.a
Item bellum. 477.a
Cum Iudæis quæ correptio facta à Deo. 108.a
Apud Iudæos eadem fuit quæstio de immortalitate animæ, & de Resurrectione. 514.c
A Iudæis cepit cœlibatus in Ecclesia. 387.a
Gentibus conuersis permisit Deus in infidelitatem ruere Iudæos. 563.d

Iudex.

Iudices populi. 459.a
Iudex politicus non potest punire Clericos. 459.a. vide de Iudice politico. ibid.a.b

Iudicium.

Iudicia publica exercere licet Christianis. 474.c
Iudicium infallibile in generalibus Concilijs. 49.c. & seq.
Iudicium Dei seuerum,& iustum vocatur Ignis. 524.e
Iudicium particulare, quo iudicantur animæ statim à morte, quale, à quo, & vbi iudicentur animæ. 571. & seq.
Iudicium generale ob quinque causas fiet. 634.b
Iudicij dies intelligitur per diem Domini. 523.b.& 634.b
Iudicij diem præcedet magna tribulatio. 510.a
Ante iudicij diem animæ Beatorum visuræ sunt Deum. 741.e

Iulianus.

Iulianus Apostata libertatem credendi concessit. 490.b
Idem persequebatur crucem, cùm tamen vsus sit signo crucis. 750.b.c
Idem voluit destruere omnia templa. 789.c
Iuniores vouere possunt vota monastica. 422.c

Iuramentum.

Iuramentum differt à voto. 352.a
Et accipitur pro voto. 354.a
Iuramento honoratur primariò Deus, secundariò id per quod iuratur. 715.a

Ius.

Ius gentium est quasi conclusio deducta ex iure naturæ per humanum discursum. 464.b
Ius diuinum aliud positiuum, aliud naturale est. 296.a.b
Ius naturæ secundarium est, quod aliàs Ius gentium appellatur. 301.c
Ius naturale purum quodnam sit. 297.c

Ius gentium partim naturale partim positiuum est, & quare. ibidem
Iure suo vtens, nemini facit iniuriam. 301.c
Iustificatio à peccato libertas dicitur. 470.d
Iustinus Apolog. 1. & 2. non potest defendi ab errore dicendo Dæmones nondum esse traditos igni sempiterno, sed tradendos in die iudicij. 635.d

Iustinianus.

Iustinianus Imperator Monachos & Clericos à seculari iudicio exemit in ciuilibus. 292.a
Iustinianus senior Augustus vocat Ioannem II. caput omnium sanctarum Ecclesiarum. 157.a
Idem voluit suam approbationem in creando summo Pontifice. 228.b
Ipsius laus in defensione Ecclesiæ. 199.d
Idem Basilicam fabricauit. 788.c.d
Idem aliquid addidit ad celebrationem Purificationis B. Virginis. 825.a.& 829.a.b.c
Iustinianus II. conuenit V. Synodum apud Constatinopolim, & Canones Trullanos edidit. 7.a.& 11.b.c
Iustitia legitima & moralis. 452.c.

L.

LAbarum Constantini. 744.e
Et quale fuerit ante ipsum. 748.d.e
Lactantius sensit, omnes transituros per ignem, licet non omnes lædendi sint ab igne, quæ opinio nec affirmari, nec negari potest. 562.a
Idem errauit asserendo animas Sanctorum non visuras Deũ ante Iudicij diem. 613.d.& 632.e

Laici.

Laici. vide. vide v. Magistratus politicus. Quomodo conuenire possunt in Concilijs. 26.b.& seq. præsertim 30.a
Laici nomen & distinctio à Clericis. 207.a
Lampadum vsus in Ecclesia. 688.c
Lanceæ Domini nostri inuentio. 746.a
Latria, dulia, & hyperdulia. 642.a
Latriæ cultus non debetur imaginibus. 736.e.& 737.b
Laus tribuitur aliquando omnibus, pro aliquibus. 55.b
Lazari narratio, an sit historia, vel parabola. 612.c.623.b 626.b.& 633.c
Leo Isaurus Iconomachus. 10.c.396.c.d.e
Leui familia. 283.d.& 287.d
Leuitis an respondeant nostri sacerdotes. 176.a

Lex.

Lex noua, cur lex libertatis, vetus autem lex terroris appelletur. 360.a
Lex data in Syna. 819.e.& 820.a
Lex Pontificia & ciuilis obligant in conscientia. 471.b.c.d.e
Lex ciuilis necessaria. 469.d
Lex humana quomodo obliget sub pœna mortis æternæ. 471.c.d
Lex ciuilis an possit condi à Christiano Principe. 469.c
Lex Domini facilis, & difficilis. 347.c
Lex Domini non est impossibilis. ibid.b.c
Lex Domini quomodo sit noster aduersarius. 533.a
Lex vetus quo die data sit. 820.a.b.c.d
Legis diuinæ custodes debent esse Reges. 42.c
Legis essentia vel passio, est obligatio. 471.c
Legis diuinæ & humanæ differentia. 473.a
Legi an possit fieri additio, & quomodo. 765.c
Leges varię multorum Philosophorum cõtra fidem & mores. 181.a
Imperfectio legum Philosophorum. 136.b
Leges ciuiles seruare tenentur Clerici. 291.c.d
Leges subijcientes Clericos Principum secularium potestati, de facto procedunt, non de iure. 299.e
Leuitæ apud Hebræos liberi à tributis. 298.a

Libertas.

Libertas in Religione permittenda non est. 489.c.& 491.b
Libertas triplex. 390.b. 470.e
Libertas in qua creati sumus, repugnat cum despotica subiectione. 466.b
Libertatis lex quæ sit. 360.c
Liberi arbitrij articulum habent pro fundamento suæ doctrinę Lutherani. 169.d
Hæreses circa liberum arbitrium. 172.a

Libri.

Libri qui vulgò tribuuntur Dionysio Areopagitæ, verè sunt illius. 316.b.c
Libri Carolo Magno adscripti contra Imagines. 670.a.& 729.b
Libri hæreticorum abolendi sunt. 493.c
Libellus inscriptus Synodus Parisiensis, quæ capita, & quas partes contineat. 757.d
Redolet apertas hæreticorum fraudes, & est cõfictus. 764.b
Eius falsa inscriptio. 757.a
Non continet vllam Synodum Parisiensem. ibidem
Limbus sanctorum Patrum. 577.b
Item limbus puerorum. ibid.a
Litaniæ quando inuentæ. 661.a
Locusti is vescebatur Ioannes Baptista. 436.b
Lotharius Imperator. 9.a
Lumen est signum honoris. 688.b

Lutherus.

Lutherus fuit Præses Conciliabuli Lutheranorum. 10.e
Lutheri hæreses. 149.e.154.c.158.a.169.d.171.a.& 182.d
Prima hæresis illius. 559.a
Superbia & initium suæ hæresis. 186.d
Miracula tentata. 189.c
Prophetia. 197.d
Mors. 199.b
Et fœtor in morte. 189.d.& 192.e
Lutherani vix nati arescere cœperunt. 159.e
Contra Lutherum & Lutheranos multa. 187.a.268.b
Comparatio Lutheri & Francisci Xauerij. 192.c
Testatur in Papatu esse omne bonum Christianum. 197.e
Lyranus in 35. Numeri, non benè quædam aduertit. 287.b

M.

MAgia omnis expellitur signo crucis. 755.b

Magistratus.

Magistratus politicus an possit esse apud Christianos. 457.a
Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus. 459.a
Exemplis Sanctorum Patrum. 460.e
Ex fine. 462.a
Item ratione ducta ab efficiente. 463.c
Antiquitate. 465.c
Origine. 466.b
Principatus siue dominium in impijs esse potest. 467.c
De potestate Magistratus. 462.e
Licet Christiano Principi leges condere. 469.c
Lex ciuilis obligat in conscientia. 471.c
Iudicia publica exercere non est Christianis illicitum. 474.c
Licet Christiano magistratui gladio punire perturbatores publicæ quietis. 475.c
Ad magistratum non pertinet iudicium de religione. 588.b
Sed pertinet ad illum defensio Religionis. ibid.e

Mahumetis.

Mahumetis eius hæreses. 181.c
Incontinentia. 186.c
Falsum miraculum. 188.e
Fuit iconomachus. 695.a
Docet Christianos saluari, Christum verò esse maximum Prophetarum, & ipsam Dei animam habere. 197.e
Huius secta nunquam transiuit ad Occidentem. 161.a
Mahumetani traxerunt quidem multos ad suam fidem, sed terrore armorum, non vi & efficacia doctrinæ. 183.b

Mali.

Mali sunt in Ecclesia à col. 115. vsque ad fin. cap.
Mali principes Principatum habere possunt. 467.c. vide etiam 457.d.& 461.d. vide v. Principatus.
Mali Prælati. vide v. Prælati.
Manichæi mors. 198.e
Manichæorum hæreses. 171.e.& 182.a
Manus impositio. 213.c. vide suprà v. Confirmatio.

Manus attollere erat signum suffragij. 223.d
Manibus laborare Monachis licet. 445.b
Non tamen tenentur. 446.c
Marcionis hæresis & ambitio. 186.a
B.Marcus Euangelista, fuit institutor Monachorum,& sacratum Virginum in Ægypto. 317.b
Marci Aurelij Imperatoris testimonium de laudibus Christianorum. 197.c
Marci Aurelij milites miraculum quoddam fecerunt. 478.b
Martiano Imperatore celebratum est Concilium Chalcedonense. 6.d.23.b.& 39.c
Martianus Imperator libertatem credendi auulsit. 490.a
B.Martini sanctitas. 686.b

Martyres.

Martyres statim ad præmium perueniunt. 561.a
Inuocantur in sacrificio Altaris. 665.d
Ad eorum memorias quomodo alligamus cultum & inuocationem. 689.e. Vide etiam 768.e.777.a.b.c.d.& 780.a
Eorum sanguis est semen Christianorum. 159.a
Eorum consolationes in tormentis. 559.a.
Eorum Reliquiæ venerandæ.677.b.Vide v.Reliquiæ.
Eorum dies festi prius celebrari cœperunt,quàm Confessorum. 828.c
Martyrum beneficia collata viuentibus. 590.a
Martyribus conuenit sustentare Ecclesiam. 657.e
Illis ædificantur & deducantur Basilicæ. 877
Non autem templa. 879
In Martyrum Basilicas cõuersa sunt templa idolorum.669.c
In Martyres translata est gloria Deorum. 664.a
Pro ipsis non est orandum. 538.e.584.b.594.c.663.c
Martyres falsi diuersorum hæreticorum. 152.a
Martyrium purgat reliquias peccatorum. 584.c
B.Matthiæ electio per sortes. 218.a.& 223.b

Matrimonium.

Matrimonium prohibetur sacerdotibus,& hominibus in sacris constitutis, Monachis, & ijs qui se voto virginitatis deuinxerunt. 34.c.61.c. 62.c.d.e. 173.e. 251.d.e. & seq. 253.e.266.a.375.b.vsque ad 390.item.352.vsque ad 390. item 397.d.416.d.e.& 417.a.b.c.d.e. Vide v.Clericus, & v.Sacerdos.
Matrimonium an necessarium. 406.a.b.c.d
An in præcepto. 264.d.320.a.& 400.e
Non æquatur virginitati. 173.d. Dicitur honorabile. 261.b
Post votum est peius adulterio. 411.e. & 417.e
Post votum simplex vel solẽne.381.b.383.a.b.c.397.c.398. a.b.c.d.416.a.419.a.b.c.d.e. & seq. & præcipuè 430.a.b c.d.e
Ante matrimonij cõsummationem multi continentiam voluerunt ex consensu. 427.c.429.a.& 431.c
An soluatur per conuersionem alterius coniugis ad fidem. 265.a
An dirimatur propter ordinis sacri susceptionem. 432.d
Matrimonium cum hæretico vel hæretica. 65.c
Matrimonium sacramentum,non pollutio vocatur. 413.b
Laudatur. 413
Ad matrimonium an sint creatæ mulieres. 319.e
Matrimonij Sacramentum triplicem habet significationem. 433.c
Ad matrimonium vocantur homines non ob solas tentationes,sed ob incontinentiam, & ob flagitia quæ committũt incontinentes. 392.e.& seq.
Matrimonium quo impedimento esset sacerdotibus. 259.b
Solennitas secundi matrimonij prohibetur. 60.e
Matrimonium B.Virginis cum Iosepho. 377.a.& 435.c
Maximiniani exitus. 198.d
Maximilianus Imperator. 9.c
Maximini imago dejecta. 719.e
Ipsius exitus. 521.b
Mediator Christus vt homo, non vt Deus. 655.c.& 664.a b.c.d.e
Melchisedech Rex & Pontifex. 658.e
Membra Christi secundum prædestinationem, & secundum præsentiam iustitiam. 113.b
Membra Christi viua & mortua quæ. 118.c.d.e
Mendicitas.de hac vide. 449.c.& seq.

Meritum.

Meritum Christi quomodo sufficiens & efficax. 553.a
Merẽtur homines in hac vita posse purgari, & iuuari in alia. 559.b.& 560.a
Meritum non est post hanc vitam in Purgatorio. 565.a
Et quare. 569.e
Ad meriti essentiam non concurrit nisi sola anima. 635.a
Meriti & satisfactionis propria. 555.c

Michael.

Michael Balbus Græcorum Imperator re & nomine balbus,vir impius & sceleratus. 758.d.e
Interfecto legitimo Imperatore inuasit Orientis Imperiũ. 763.a
Quid scripserit Ludouico Pio Rom.Imperatori circa cultũ Imaginibus præstandum. 757.b
Hæresis labe infectus. 759.a
Eiusdem aduersus Christianos, de crucis contemptu, de Imaginum adoratione cultu latrię,deq; sacrificando ipsis imaginibus,falsæ calumniæ ac impostura. ibid.a.b
Michaelis Baij error dicentis; nostra opera esse tantùm conditionem sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio,vel ad summum, esse tantum dispositiones. 554.e
Idem negauit animabus Purgatorij certitudinẽ suæ salutis. 570.c 570.c
Malitia vide v.Bellum.
Militiæ cingulus olim fuit res magni honoris. 61.d

Miracula.

Miracula quæ Deus operatur per Sanctos, cur maiora per minores,& contra. 676.b
Miracula facta ad Reliquias. 685.d.e
Miracula,quæ in ipsis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur. 686.c
Miracula facta per imagines Christi & Sanctorum. 717.d & seq.
Miracula facta ipsa cruce Dominĩ. 742.e
Item signo Crucis. 752.c
Miracula Ecclesiæ in singulis ætatibus enumerantur. 191.a & seq.
Miracula paganorum & hæreticorum ficta,vel contra se patrata. 188.d.& seq.
Miraculorum necessitas & sufficientia in confirmata fide. 188.b. & seq.
Ex miraculis demonstratur Ecclesia. 194.c
Miraculorum præcipuum fuit, quod pauci Apostoli totum mundum subegerint. 184.a
Miracula facta pro inuocatione Sanctorum. 664.d

Missa.

Missæ sacrificium.vide v.Sacrificium infrà.
Missas pro defunctis offerre. 173.b.& 693.c
Triginta Missæ pro defunctis. 547.a
Missa S.Petri,&c.cur sic dicatur. 471.c

Monachi & Monastice.

Monachis & Monastice. Varia nomina indita Monachis. 309.a
Explicatio huius nominis monachus. ibid.d
Antiquitas monastices. 314.c.321.c
Caussa instituendæ monastices. 318.e
Eadem est essentia monastices nostrorum, & antiquorum Monachorum. 319.b
Habitus Monachorum. 441.a
Tonsura. ibid.
Labor manuum. 445.b.& 446.c
Licitum est illis viuere ex bonis patrimonialibus in communi. 449.a
Item ex rebus spontè oblatis,& donatis. ibid.c
Item ex mendicatione. ibid.e
Soluuntur obiectiones contra mendicitatem istam. 453.b
Monachi antiqui habuerũt proprium altare,& Sacerdotes. 179.b.225.b
Monachi omnium ætatum,sunt iuuenes,senes,&c. 321.c.& 422.e
Monachi qui inuiti,facti sunt Episcopi. 323.e
Monachi similes Crucifixo esse debent. 368.a
Monachi est,spiritus vtilitatem quærere. 321.d

Monachorum sanctitas tempore D. Augustini. 185.b
Monachorum ordinatio. 230.e
Monachorũ opera possunt cõmunicari aliis fidelibus. 321.e
Hæreticorum maledicta in Monachos. 303. in præfat. lib. 2. de Monacho.
Monacho domum redire non licet. 418.a
Monachis bellum interdictum. 482.d
Monachatus laudatur. 323.a
Monastica vita melior seculari. 324.a. à Domino approbata. 225.e
Monachos & Clericos a seculari iudicio exemit Imperator Iustinianus in ciuilibus tantùm, ius autem Canonicum etiam in criminalibus. 292.a
Monasteria qualia fuerint tempore D. Augustini. 321.b.c.d.e
Monasteria ædificata ex rebus sponte oblatis. 449.e
Mons Syon, Ecclesia triumphans. 134.d
Montani ambitio. 186.b. Hæreses. 181.e

Mors.

Mors fœlix Sanctorum. vide Patres. 622.e. & 627.c
Mori in Domino & non in Domino qui dicantur. 550.e
In morte aliquando reliquiæ peccatorum purgantur. 584.c
Mors est pœna peccati originalis. 545.b
Morte violenta puniti in Scriptura veteri. ibid.c
Mortem secundùm se vnusquisque abhorret. 408.a
Mori licet pro opere supererogationis. 339.a. & 406.d
Mortuo Christo an fides mâserit in Apostolis, & aliis. 145.e

Moses.

Moses erat summus sacerdos, sed extraordinarius. 213.b
Moses non errauit in illa adoratione vituli. 141.d
Moses solitus erat orare pro populo etiam mortuus. 655.e
Mosis sepulchrum cur occultatum Iudæis. 677.d. 690.a
Moses summus sacerdos erat, & Aarone maior, quanquam extraordinaria potestate. 301.a
Fuit Pontifex, Rex, & Legislator Hebræorum. ibid.a.b

Mulier.

Mulier subiecta viro. 466.d
Circa principatum mulieris error. 171.c
Mulieres creatæ ad aliud, quàm ad nuptias. 320.a
Mulieres non occiduntur in bello. 486.a
Mulieres prohibentur habere sacerdotes & Diaconi domi suæ. 255.c. 257.d. & 264.a
Mulieres velari debent. 412.d
Mulieres quæ sequebantur Apostolos. 262.a
Mundus creatus die Dominico. 814.b
Mundus ornatur ex malis, sed per accidens. 120.d

N.

NAbuchodonosoris regnum amplissimum. 465.a
Natalis Domini nostri dies. 807.b.c. & 824.a
Natiuitas Christi attulit pacem mundo. 479.e. & 481.d
Naturalis propensio ad gignendum prolem. 508.d
Nazaræorum vota. 315.d
Necessitas triplex. 461.c
Neronis exitus. 198.d
Nestorii hæresis. 175.b. Superbia. 186.c. Exitus. 199.a
Nicæna Synodus de cultu sacrarum imaginum cur ab aliquibus improbata. 759.e
Nomen ὁμοούσιος 492.b
Noruegiam ad fidem conuertit Adrianus IV. ante Pontificatum. 148.e
Nouatiani ambitio. 186.b. Hæresis 171.d. & 491.d
Nouum quod est, suspicione carere non potest. 491.e
Nuptiæ. vide v. Matrimonium.
Secundæ nuptiæ. 272.d. 275.d. 381.b. 382.b. 398.b. 418.d.e. & seq.
Nuptiæ post votum. vide similiter v. Matrimonium.

O.

Obedientia.

OBedientia religiosorum. 319.c
Obedientia consilium Euangelicum, & quale. 354. & 355.
Rectè vouetur Deo. vbi de Obedientia. 357.c. & seq.
Inter inferiorem & superiorem. 465.
Obedientiam legibus Regum debent clerici, cùm nõ sint sacris Canonibus contrariæ. 300.c.d
Occidere sontes licitum est publico magistratui. 475.c
Occisio sui. 516.a
Cur peccatum. 407.c
Odores suaues in Ecclesia imaginibus, & reliquiis offerũtur. 646.d
Oecumenius in cap. vlt. 1. Petri, dicit dæmones non modò damnationem suam ignorasse, sed etiam salutẽ per Christi aduentum sperasse. 635.d
Oleo quare vtimur in consecratione Ecclesiarum. 783.c
Olei benedictio. 796.a

Opera.

Opera Consilii & præcepti quomodo distinguantur. 323.a
Opera quæ fiunt ex voto magis grata sunt Deo, quàm sine voto. 389.b. & 392.a
Opera bona impiorum non fraudantur temporali mercede. 549.a
Operum nostrorum virtus a sanguine Christi. 554.d
Opus seruile quod sit 809.d.ee
Opus non imperatum, an sit melius facere, quàm imperatũ. 392.a
Oracula Apollinis. 195.

Oratio.

Oratio est res nobilissima. 774.d.e
Vbique fieri potest. 775.a.b
Requirit dispositionem in orante ad hoc vt impetret. 672.d
Est remedium pro tentationibus carnis. 297.e. & 393.b
Est arma Christianorum. 482.e
In oratione quid petendum. 402.b. & 673.b
Media ad orationem sunt austeritas, solitudo, & ieiunium. 437.d
Orationis ritus. 139.a
Ad orandum etiam priuata oratione instituuntur templa.
Et exempla eorum qui magis exauditi sunt in templis. 773. b. & seq.
Orantes conuertebantur ad Orientem. 767.e. & 768.a
Oratio & psalmodia non est nota veræ Ecclesiæ. 151.b
Oratio & votum apud Latinos idem est. 351.e
Orationi insistentes debent ab opere nuptiarum vacare. 554.a
Quia oratio requirit mentem purgatam. 259.c
Orationes fidelium pro defunctis. 514.a. & seq. 537.e. & seq. 559.b. 574.b. 592.a
Vide v. Defunctorum suffragia, & v. sacrificium.
Orationes mortuorum pro aliis exaudiuntur. 174.b
Orationes animarum Purgatorii pro nobis. 590.b
Orationes sanctorum pro nobis. 655.c
Oratio sacerdotis sacrificium offerentis, debet offerri ad Patrem. 665.e
Orationes petendæ etiam a viuis. 760 b. 766.b. & seq.
Orationes viuentium quomodo cognoscantur a Sanctis. 670.d
Christiani diebus Dominicis, & a Pascha vsque ad Pentecosten stando orare soliti erant. 725.c. & 814.c
Oratoria dicuntur Ecclesiæ. 774.b

Ordo.

Ordinum Ecclesiasticorum numerus. 229.c
Antiquitas. 232.a
Officium singulorum ordinum. ibid.c.d.e
Canonistæ nouem ordines faciunt. 231.d
Ordines religiosorum. vide v. Religio.

Origenes.

Origenes in multis errauit. sensit enim præter alia, infernũ nihil esse, nisi conscientiæ horrorem. 171.b. 575.c
Adamum perdidisse imaginem Dei, ad quam creatus fuerat. 171.b
In futuro seculo negat futuram sexnũ distinctionem. 320.a
Nullas alias agnouit pœnas nisi Purgatorias. 510.b. 521.c
Pœnas inferni negauit esse æternas, & omnes tam dæmones, quàm homines malos, dixit esse saluandos. 562.b
Purgari debere post hanc vitam tam bonos, quàm malos, vno Christo excepto. 561.a. 583.b
Similiter sensit, Sanctos paulatim proficere in alia uita. 611.b.c.d. & 624.b.c
Origenes damnatus a Vigilio Papa. 7.b

Visus est in gehenna. 581.b
Ouili comparatur Ecclesia. 110.b.
Oues dicuntur prædestinati. 112.d.e.& sequentib.
Ouis vt pastorem suum quocunque modo iudicare præsumat est absurdum. 292.a

P.

Pagani.

PAganorum errores. 180.a. Miracula. 188.d
Laus de Christianis. 197.b
Palmarum benedictio. 796.a
Pani comparatur Ecclesia. 118.b
Panis benedictio. 795.b.c
Panormitanus in cap. Cùm olim, de Clericis coniugatis, vtile iudicauit, & male, si sacerdotibus ius coniugii concederetur. 254.a. Idem in cap. Aliquibus, de decimis, tenet, decimas, quoad determinationem quantitatis, esse de iure diuino, quod error est. 283.a
Paphnutij consilium in Concilio Nicæno. 34.b.& 264.a
Parabolæ non oportet, vt omni ex parte quadrent. 620.e

Paradisus.

Paradisi nomen pro terrestri, & cœlesti. 618.d
An latro primus omnium in Paradisum sit ingressus. 625.d Vide etiam 535. d. 549.d. Vbi de explicatione illius loci (hodie mecum eris in Paradiso) agitur.
Paschatis celebratio. 814.e. vbi multa de Paschate.
Passio Christi die Veneris. 820.a
Passionis Christi instrumenta. 754.c

Pastores seu ministri Ecclesiæ.

Pastores, seu ministri Ecclesiæ. vide v. Episcopus, & v. Pontifex. A quo sint instituendi Pastores, & ministri Ecclesiæ. 211.e
Ordinatio tum Episcoporũ, tum aliorum Ecclesiæ ministrorũ, non ad plebẽ, sed ad solos Episcopos pertinet. 213.b
Vocatio seu missio Pastorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summũ Pontificẽ. 216.c
Electio ministrorum Ecclesiæ non fit a solo Deo. ibid.e
Non decuit Christianos sacerdotes, & pastores carnali successione propagari. 218.d
Ius eligendi summum Pontificem, cetero sque Ecclesiæ pastores, & ministros, non conuenit populo iure diuino; sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniuentia vel concessione Pontificum. 219.c
Electio Episcoporum non pertinet iure diuino ad clerum, sed ad summum Pontificem, vt vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum. 226.d
Ratio eligendi summum Pontificẽ per solos cardinales est omnino optima, & meritò conseruanda, etsi absolutè posset Pontifex eam mutare, si vellet. 227.a
Si nulla extaret Pontificia constitutio de electione summi Pontificis vel casu aliquo oẽs electores a iure designati, id est, omnes Cardinales simul perirent, ius electionis ad Episcopos vicinos, & Clerum Romanũ pertineret, cum dependentia tamen aliqua a Concilio generali Episcoporum. 228.e
Pastor Ecclesiæ summus Pontifex. vide v. Põtifex, & v. Episcopus.
Pastorum Ecclesiæ munus. 27.b

Patres.

Patrũ doctrinam habere næuos, dixerunt hæretici. 160.a.b.c
Patres Testamenti veteris accusantur ab hæreticis. 172.b
Patrum errores excusantur. 495.c
S. Patres in limbo, nullos patiebantur dolores. 536.d. 588.c
Sanctorum Patrum locus ante Christi aduentum. 549.a
Patres noui Testamenti minori tempore laborarunt, quã fecerunt Patres Testamenti veteris. 621.a
Cur Patribus in limbo non reuelarentur preces viuentium. 671.b. Quia non erant beati. ibid.

Patriarchę.

Patriarchales sedes quæ sint, & quo ordine, & numero. 63.d
Defecerunt a fide, excepta Romana Sede. 167.b
Patriarchæ an ad Concilij generale conuenire debeãt. 32.a
Patriarchæ & Metropolitani, quando possint nouos Episcopatus erigere. 164.c
Patriarcha Constantinopolitano nunquam videtur caruisse Ecclesia Constantinopolitana. 176.a

B. Paulus.

B. Paulus Apostolus prius fuit lupus, deinde ouis. 110.c
Apostolus a Christo post ascensionem in cœlum factus. 163.e. An habuerit vxorem. 263.b
Gratis Euangelium prædicauit. 338.a. Cur circumcidit Timotheum. 816.c.d.e. Multis hebraismis abundat. 813.a.b
Pauli epistola ad Corinthios quo tempore scripta. 262.a.
Catena illius. 685.c.d
Paulus Apostolus coactus Cæsarem appellauit, cùm esset præsul Ecclesiasticus, Iudæorum scilicet calumniis, & prę sidis Romani iniustitia oppressus. 300.a
Paulus 1. Eremita. 314.c.d.e.437.a.b.c

Paupertas.

Paupertas Christi. 450.d
Paupertatis commoda & incommoda. 309.d
Consilium perfectionis vendendi omnia pro Christo, & dandi pauperibus. 330.e.& sequen.
Paupertas religiosorum. 619.c
Paupertas consilium Euangelicum. 326.d.& sequent.
Paupertas volũtaria rectè suscipitur, ac vouetur Deo. 363.c. vbi multa de paupertate.
Pax tempore Christi. 479.e.481.c.& 501.e

Peccator.

Peccator non potest velle bonum ordinatum ad vitam ęternam. 470.d
Peccatores graues, occulti, & manifesti sunt in Ecclesia. 115.d.& seq.
Peccatores, & homines impij dicuntur filij, & alieni. 122.e
Peccatores & perturbatores publicæ quietis, gladio punire licet. 475.b
Peccatorum opera. 348.b. Non fraudantur temporali mercede. 549.b

Peccatum.

Peccati caussa non est Deus. 171.b
Contra peccatum Originale hæresis. 176.c.d
Peccati subiectum & caussa efficiens est anima. 583.c
Peccatum in renatis semper viuere dixerunt Proclus, Lutherus, &c. 171.c
Peccatum post Baptismum negatur ab hęrericis. 173.d.
Per peccatum homo fit similis bestiis. 467.b
Peccatum quod in purgatorio punitur. 560.c
Peccata parentum an puniantur in filiis. 591.e
Peccata in Spiritum sanctum quare irremissibilia dicantur. 517.d
Peccatorum reliquiæ. 584.c
Peccata commissa in die festo an aggrauentur ratione diei festi. 812.a
Peccatum veniale dari probatur. 554.b. Culpa venialis dimittitur in purgatorio per actum dilectionis & patientiæ. 556.c. Item quomodo remittantur venialia secundum Scotum. ibid.b
Peccata venialia delentur per aquam benedictam. 796.c
Pelagianorum hæresis. 175.a
Pentecostes festum. 812.d.e.819.a.& 820.b.c
Peregrinationes ad loca sacra. 797.d.e.& 801.b

Perfectio.

Perfecti & non perfecti quomodo ad Ecclesiam pertineãt. 114.b
Perfectio vera in charitate consistit. 310.c
Perfectio Christiana essentialiter consistit in obseruatione præceptorum. 323.a
Perfectio duplex in qualibet re naturali ad esse, & ad bene esse. 342.a
perfectio ad excellentiorem gradum gloriæ. 333.b.
Medium ad perfectionem est vendere omnia, &c. ibid.c
perfectionis quatuor gradus. 310.e
perfectio hominis in tribus consistit. ibid.d
persecutio Diocletiani vnde ortum habuerit. 61.c
persecutiones Ecclesiæ. 487.c
persona una in Christo. 175.b

D. Petrus.

D. Petrus in persona totius Ecclesiæ claues accepit. 222.a
Petro tribuuntur nomina quæ dicuntur de Christo in Scriptura. 88.a
Petrus Romæ sepultus. 684.a.& 693.a

Pe-

Petri & Pauli reliquiæ in magna veneratione habentur. 679.c.& 684.a
D. Philippus pugnauit contra hostes Theodosij. 478.d
Philonis error, dicentis, Infernum, & purgatorium nihil aliud esse, quàm conscientiam accusantem. 528.d

Philosophi.

Philosophi dicti sunt monachi. 309.c
philosophorum errores. 181.b
philosophorum superbia, & impuritas. 185.d
philosophorum antiquorum sapientia imperfecta. 183.b
philosophiam naturalem execrantibus quomodo respondeatur. 268.c
Phocas Imperator edidit sanctionem pro Romanæ Ecclesiæ primatu. 157.a

Pictura.

Pictores reprehenduntur aliquando. 626.d
picturæ vtilitates. 711.b
pingendi, & sculpendi ars bona est. 698.d
pingi potest aliquid tribus modis. 702.b
Pilati infelix exitus. 198.c
Pipinus & Carolus Magnus. 70.e
Plato dixit Angelos adorandos tanquam minores Deos. 668.e
Plato locum pestilentem elegit, vbi versaretur, & doceret. 437.e
plebs quomodo potest interesse Conciliis Episcoporũ. 28. d. Vide v. populus.

Pœna.

Pœna respondet culpæ. vide infrà v. Satisfactio.
pœna purgatorii qualis. 539.c. Vbi de pœna damni, & sensus. Grauitas pœnæ purgatorii. 587.c
pœna damni an summa omnium. 588.a
pœnæ purgatorii paulatim remittuntur. 589.a
pœnas omnes purgatorias esse existimauit Origenes. 512. a. 521.b.& 562.d.e
pœnas horruit Dominus. 568.a.b

Pœnitentia.

Pœnitentia. vide v. Dolor de peccatis.
pœnitentiæ tempus vtile vsq; ad extremum spiritum. 572.b
pœnitentiæ fructus peragendi. 438.c
pœnitentia dicitur Baptismus. 530.d. Quomodo peccata remittat. 553.c
pœnitentium habitus. 442.b. Item tonsura. 443.c

Pontifex Romanus.

Pontifex Romanus se Christi vicarium, & famulum profitetur. 85.e. Est pastor & caput non solùm omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius vniuersalis Ecclesiæ simul congregatæ. 84.b. Illi tribuuntur nomina, quæ de Christo dicuntur. 88.a
põtifex summus seruum seruorum Dei se nominat. 466.c
Vide supra v. Gregorii humilitas. Est summum caput in Ecclesia militante quoad influxum exteriorem. 107.b
pontificum successio a temporibus Apostolorum usq; ad hæc nostra tempora. 160.d
pontificis electio non conuenit populo. 219.b
Sed Cardinalibus. 227.b
pontifices olim eligebantur ab Episcopis vicinis. ibid.e
Atque hi Episcopi dicebantur Cardinales. 246.b
pontifici non expedit eligere successorem. 228.c
pontificis eligendi forma temperata est ex omnibus aliis bonis & legitimis formis. 227.c.228.d.e
pontifex a nemine iudicari, neque deponi potest. 82.a.87.e. 89.a.b.c.d
pontificum depositio tentata. 81.c.89.a.92.c.95.c.142.b.c. vide loca, quod a nemine iudicari potest.
propter malum exemplum uitæ deponi non potest. ibid.
pontifex malus quomodo verum caput Ecclesiæ. 118.e. Et in vniuersum, & quomodo, & quando errare possit. 48.e
pontifex est supra Ecclesiam. 584.e. Eius est congregare Concilia generalia. 18.d. Vide v. Concilia.
Ad ipsum iure pertinet præsidentia in Conciliis. 36.d
Cùm adest sententia summi pontificis, intelligitur Concilium absolutè generale. 78.a
pontificum decretales an numerentur inter Scripturas Canonicas. 81.a. Coniunctio cum Romano pontifice est nota veræ Ecclesiæ. 176.c
pontifex ultimus quis fuerit, secundum hæreticos. 157.a. Vide pontificis auctoritas distinguitur ab imperiali. 291.e
pontifex Romanus præsidet Conciliis. 35.c. Argumenta. 41. d. An Concilium sit suprà pontificem. 81.e
pontifex nec a Concilio, nec ab vllo mortalium iudicari, aut puniri potest. 87.e. Neque potest seipsum subiicere sententiæ coactiuæ Conciliorum. 91.e. Soluũtur argumenta aduersariorum. 92.a. Electio Episcoporum pertinet ad summum pontificem, vt vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum. 226.e. Ratio eligẽdi summũ pontificem per solos Cardinales, est omnium optima, & merito conseruanda, etsi absolutè posset pontifex eã mutare si vellet. 227.a. Si nulla extaret pontificia constitutio de electione summi pontificis, vel casu aliquo omnes electores a iure designati, id est, Cardinales omnes simul perirent, ius electionis ad Episcopos vicinos, & clerum Romanũ pertineret, cum dependentia tamen aliqua a Cõcilio generali Episcoporum. 228.e. De quibusdam Romanis põtificibus, quibus hæretici, errores & vitia obiiciũt.
De Ioanne XXII. 615.c. De Leone I. 92.e. De Liberio. ibidem d. De Marcellino. 13.c.88.e.& 92.a. De D. Petro. 708.c
pontifex Christianorum maioris est in Ecclesia Christi auctoritatis, quàm fuerit Aaron in Synagoga Iudęorum. 294.c.& 295.a
pontifex Maximus eximere homines non potest a debito seruitutis vel pecuniario, uel uxorio sine consensu patria citra iniuriam. 301.c.d
pontificatus a Deo immediatè est institutus, ideò ab hominibus mutari non non potest. 293.a

Populus.

Populus Episcopos, & presbyteros creare non potest, ac ius eligendi summum pontificem non conuenit illi de iure diuino. 219.c.& seq. Non potest ordinare Episcopos, sed nominare & postulare. 213.b.c. Quando & quomodo cœpit suffragia dare super electione episcoporum. 221.d.& 224.c. Qua regula iudicare debeat doctrinam sui pastoris, an sit vera vel falsa. 222.c.
populo an aliquando sit datum iudicium priuatum de rebus fidei. 31.a
Populus an melius regatur legibus, quàm arbitrio principis. 469.d

Potestas.

Potestas summa Ecclesiastica data Petro. 86.b.& seq.
potestas spiritualis est quasi anima, & temporalis quasi corpus. 490.c
potestas politica. vide suprà V. Magistratus politicus.
potestatis Ecclesiasticæ, & politicæ differentia. 464.b
potestas politica est à Deo immediatè, & de iure naturæ, & diuino, eiusque subiectum quod sit. 463.e
potestas ligandi & soluendi peccatores non est in populo. 222.a

Præceptum.

Præceptum. vide suprà v. Lex.
præcepta moralia Scripturæ veteris non minus ad Christianos, quàm ad Iudæos pertinent. 358.c
præcepta Decalogi sunt explicationes iuris naturæ excepto illo die Sabbathi. 698.b.& 699.a
Consilia non præponuntur præceptis. 323.e
præceptorum & Consiliorum differentia. 326.c
De præceptis iustitiæ non dicitur, qui potest facere, faciat. 330.b
præcipi potest aliquid duobus modis. 345.a
Deus non præcipit impossibile. 347.b.& 348.a
prædestinati soli an sint de Ecclesia. 109.d
Secundum prædestinationem, & secundum præsentem iustitiam, oues & membra Christi quæ dicantur. 112.e.& seq.

Prædicatio.

Prædicatio vera quæ sit. 149.a
prædicatio Pauli gratis sine præmio temporali. 338.a.& 452.c
prædicationis verbi Dei efficacia. 183.a
prædicationis officium proprium est Episcoporum. 235.c
prædicatores primi fuerunt Apostoli. 522.a
prædicatoribus concessum est, vt iure exigant sustentationem 452.c
prælatorum mali mores non impediunt, quo minus illi vere prælati sint, & nos illi obedire teneamur. 119.a.& 144.d

Presbyter.

Presbyter. vide infrà v. Sacerdos.
Presbyteri nomen commune erat olim presbyteris,& Episcopis. 213.c.240.a.& seq.
Distinctio inter Episcopos & presbyteros. 236.b
presbyteri & Episcopi iurisdictio, an de iure diuino distinguatur. 241.c
presbyteri & Episcopi variis modis a Patribus comparantur.244.e. Non sunt pares Episcopis. 173.b
presbyteri ordinare non possunt. 214.a. 237.a.& 244.a
presbyteri an per suffragia populi creabantur . 220.d.221.a.c.& 223.c. Succedunt LXXII. discipulis. 238.
presbyteri dignitas an conferat ad salutem. 209.d.e.
primatus semper viguit in Romana Ecclesia. 45.b
princeps politicus. vide de politica potestate.454.a.& seq.
principatus in impiis esse potest. 457.c.d.461.c.467.d. & sequentib.

Prophetæ.

Prophetę falsi Testamenti veteris. 195.e
prophetæ qui errauerunt tempore Micheæ. 58.e
prophetæ Baal. 189.a
prophetarum filii. 315.b
prophetis quędam stulta videbantur aliquando præcipi. 440.b
prophetiæ donum in Ecclesia. 195.d
psalmista an ordo. 20.& 21.
psalmodia Religiosorum. 319.d
psalmos canunt lingua vulgari,hęretici. 151.c
pubertatis anni. 474.e

Purgatorium.

Vis & significatio nominis purgatorium. 510.a
purgatorium esse,probatur Scripturis Testamenti veteris. 512.d. Idem ex Testamento nouo.517.d. Asseritur testimoniis Conciliorum.537.c. Testimoniis Patrũ Græcorum,& Latinorum.539.c. Asseritur ratione. 544.a
Soluuntur argumenta contra purgatorium sumpta ex scripturis.548.a. Ex patribus.550.e. Ex ratione. 553.a
purgatorii confessio ad fidem Catholicam pertinet. 557.a
Quibus personis purgatorium subeundum sit. 561.a
In purgatorio non possunt animę mereri,vel peccare.565.a
Soluuntur obiectiones. 566.c
Animæ in purgatorio certæ sunt de sua æterna salute.570.c
Vbi sit purgatorium. 575.c
Genus quoddã purgatorii mitissimũ in amœno loco.578. e
Vtrũ qui sunt in purgatorio,possint reuocari ad vitã. 579.b
post extremum iudicium non erit amplius purgatorium. 583.b. Quot annis duret purgatorium. 585.a. Qualis sit purgatorii pœna.ibid.c. Ignis purgatorii est corporeus.586.a. Scri non potest,quomodo ignis corporeus animas vrat.ibid.d. An in purgatorio torqueantur aiæ a dæmonibus.ibid.e. Grauitas pœnarũ purgatorii.587.b
Non est incredibile etiam animas purgatorii pro nobis orare,& impetrare. 590.b
Animę purgatorii possunt dici perfectę, & imperfectæ. 577.c. Non sunt in via,& quomodo. 568.b. Affligatur grauissimis pœnis. 585.c.& 587.b. Quæ pœnæ paulatim remittuntur.589.a. Multis rebus iuuantur.586.a.589.d. & 592.a. Vide v.suffragia,& v. Defuncti.
pœna temporalis purgatorii per ignem significatur. 526.e
Homines,merętur in hac vita purgari & iuuari in alia.550.d.& 560.a.b.
An omnes tam boni quàm mali debeant transire per purgatorium saltem materialiter, sine vlla scilicet læsione bonorum. 561.b.
Quod genus peccati in purgatorio punitur. 560.b
purgatorium est pro ijs tantùm, qui cum uenialibus culpis, vel cũ reatu pœnæ,culpis iam remissis moriuntur.564.e. & 583.e
purgatorii pœnas non sentiunt, qui mox a baptismo decedunt. 561.d.& 583.e
Non alias pœnas agnouit,Origenes,quã purgatorias. 512.a 521.b.& 562.c
purificationis B. Virginis festus dies. 828.e
pusillanimitatis vitium. 151.e

Q.

Quadragesima.

Quadragesimæ ieiunium est Apostolica traditio. 263.e Vide v.Ieiunium. Quomodo dicatur indictum a Domino.284.b.Integram quadragesimam sine vllo cibo & potu ieiunauit S.Simeon.440.e. Dominicę quadragesimę. 823.a. In Quadragesima celebrari dies festos sanctorũ prohibuit Concilium Laodicenum. 825.e
Quartodecimani cur sic nominati. 815.c.& 816.a

R.

Redemptio nostra per sanguinem & mortem corporalẽ Christi. 560.a.b
Redemptionem corporis expectamus. 294.a

Regnum.

Regnum Dei dicitur gratia & charitas. 138.d
Regnum Dei gaudium in Spiritu sancto. 151.d
Regni Dei signum est concordia. 142.a
Regnum Christi est Ecclesia. 80.b
Et Ecclesia comparatur Regno. ibid.
Regna sæpe sunt iustè,& iniustè occupata a Deo, & non à Deo. 464.c
Regni filii dicuntur Clerici & Monachi. 295.b

Religio.

Religio defendi debet a regibus. 428.e
Religionis libertatem qui concesserint. 490.a
Religionem remittere nemo audere debet. 492.c.d.e. Iudicium de religione ad magistratum non pertinet.487.b
In omni mutatione religionis sex demõstrari possunt.522.c

Religio,& Religiosi.

Religionis natura & definitio explicatur. 310.a. Diuersa genera religionum.312.b. Vtilitas diuersarum religionum.313.a. Confirmatio Religionum.ibid.e Quando inceperint.314.d. Caussa instituendarum religionum. 318.e
Religionem ingredi licet iunioribus. 422.d
Licet filiij ingredi religionem,parentibus inuitis. 428.c
Mendacia contra religionem deteguntur, & calumniæ refutantur longissimè. 319.e
Primi vituperatores earum. 327.c
Religiones mendicantium sanctæ sunt, & perfectæ. 450.a. 454.a. & seq. Soluuntur obiectiones contra ordinem mendicantium.319.& seq. In ingressu religionis piè creditur remitti totam pœnam,remissa culpa.322.b. Laudes religionis. ibid. Inter religionis professionem, & Baptismum quędam similitudo. ibid.
Religiosus similis crucifixo esse debet. 368.d
Religiosorum opera quid mereantur,& quomodo communicentur aliis. 322.b
Religiosæ vitæ essentia in tribus virtutibus consistit. 319.b
Contra Religiosorum vota sensit Vigilantius.174.b.176.a

Reliquię.

Reliquiæ. Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.677.a. Deteguntur mendacia Centuriatorum. 678.d. Asseritur veritas & probatur primò exemplis. 681.d. Conciliis. 682.c. Patribus. 683. Ex miraculis factis ad reliquias.194.b.& 685.d. Ex miraculis,quę sæpe in ipsis sanctorum mortuis corporibus cernuntur. 686.d. Ex inuentione & reuelatione diuinitus facta sanctorum corporum.687.d. Ex translatione reliquiarum de vno loco ad alium.191.b.680.d.687.c. Ex eo, quòd reliquiæ sub altaribus reconduntur.688.a. Ex usu cereorum & lampadũ,quibus honorãtur sacrę reliquię.ibid.e. Ex ratione dicta ab vtili,& honesto. ibid.
Reliquiarum cultus a Deo inspiratus. 691.a
Qui reliquias tangunt,aliquo modo sanctificantur. 756.d
Reliquiarum nomine quæ intelligantur. 756.d
Reliquiarum nomine quæ intelligantur. 779.c.d
Reliquijs sanctorum idem vel maior honor debetur, qui debebatur arcæ Mosaicæ.ibi.b. Hæreses contra veneratione Reliquiarum. 174.b
Respublica an possit indicere bellum. 483.c

Resurrectio.

Resurrectionis fides an fuerit in Apostolis tempore passionis Domini nostri. 167.e
Resurrectio mortuorum probatur. 528.c.
Ex quibus locis possint mortui reuocari ad vitam. 581.c
Resurrectio mortuorum cum corporibus in die iudicii quale gaudium futurum sit.623.c. An post resurrectionem sit futura gloria animæ maior,quàm antea. 630.b

Re-

Resurrectionis quæstio fuit habita eadem cum quæstione de animæ immortalitate. 514.b.c.d

Rex.

Rex. vide supra v. Princeps, & v. Principatus.
Regis nomen unde dictum. 467.a
Rex magis propriè dicitur seruus, quàm Dominus. 466.e
Regia potestas quomodo a Deo sit. 472.c
Regis electio ad populum. 219.b
Reges Israel an omnes mali. 461.e
Reges qui sanctissimè regnauerunt. ibid.d
Reges mali quare permittantur regnare. 217.b.& 468.c
Reges habent primum locum inter Christianos, vt Christiani homines sunt. 488.c
Custodes esse debent legum diuinarum, non interpretes, & negotiis sacerdotalibus non se debent miscere. 42.d
Sunt ministri Dei. 473.a
Eorum palatia dicuntur Basilicæ. 779.c.d
Possunt indicere bellum contra hostes. 483.c
Non debent permittere confusionem hæreticorum cũ Catholicis, neque libertatem credendi, sed religionem defendere. 448.e.& seq.
Reges habent ius eligendi Episcopos ex concessione pontificum. 225.d.& 228.b
Reges politici. Vide v. Magistratus politicus.
Regibus quare tributa soluantur. 294.a

Roma.

Romæ dignitas propter reliquias martyrum, præcipuè Apostolorum Petri, & Pauli. 684.a.b.c
Romani & Romanensis nomen. 153.e
Romani cupiditate gloriæ quærebant Monarchiam. 465.a
Romani Imperii defectio, nomine discessionis ab aliquibus significatur. 143.a
Rugæ nomine quid intelligatur. 125.d

S.

Sabellij superbia. 186.b
Item hæresis eiusdem. 171.e

Sabbathum.

Sabbatum fuit dies festus antiquissimus, & præstantissimus. 813.c.d
Sabbathum Iudæorum Christianis obseruare non licet. 805.c.d
Vna Sabbathorum quid significet. 814.e.& seq.

Sacerdos.

Sacerdos. Vide etiam v. presbyter.
Summus sacerdos, ac sacerdotes minores, & Leuitæ. 237.a
Summus Sacerdos Testamenti noui. Vide v. Pontifex. Dũ sacra mysteria peragit, Christi personam sustinet. 255.a.
Dicitur Mediator. 667.c. Eius oratio sacrificium offerẽtis debet offerri ad Deum. 665.e
In Testamento veteri nullierant, nisi qui descendebãt à Leui per Aaronem. 163.e. Respondent Leuitis. 176.a. Nõ propagantur carnali successione. 218.d. Prohibentur in teresse nuptiis digamorum. 274.c. Cur olim non radebantur. 444.e. Mali Sacerdotes comparantur canali lapideo. 122.a. Dei prouidentia erga sacerdotes. 287.e. Eorum officia reges inuadere non possunt. 42.d. Eorum cælibatus Vide supra v. cælibatus.
Sacerdotum vxores ducentium pœna. 269.a
Sacerdotibus præstanda obedientia. 497.e
Ad illos recurrendum in dubiis circa legem. 33.b.42.d.& 55.d
Priuilegium illis concessum, non errandi in docendo populo, vsque ad Christum durauit. 145.c. Prohibetur illis coniugium, & quo iure. Vide supra v. Coniugium. item 251.d.& seq.
Quare Monogami debent esse. 275.b
Illis prohiberur mulieres domi suæ habere. 255.c. 257.c.& 264.b
A sacerdotibus quædam requiruntur. 259.a
Sacerdotium Aaronicum durauit usque ad Christum, & quale fuerit. 166.b.& 219.a
Cur abstinebant patres a nomine sacerdotij. 772.e

Sacramentum.

Sacramentum Euharistiæ. vide suprà v. Eucharistia.
Sacramentorum communicatio pertinet ad definitionem Ecclesiæ. 100.c.
Mali ministri comparantur canali lapideo. 122.a
Eorum administratio impediretur, si sacerdotibus concederentur vxores. 259.e
Sacramenta rectè ministrantur certo loco, 769.c

Sacrificium.

Sacrificium. vide v. Missa.
Sacrificium soli Deo exhiberi potest. 642.e.& 646.c
Sacrificium gratiarum actionis offerimus pro sanctis. 539.a.& 594.b
Sacrificandi munus summam puritatem requirit. 259.b
In sacrificio oratio sacerdotis debet offerri ad patrem. 665.c. Ad sacrificia offerenda instituntæ sunt Ecclesię Christianorum. 771.a
Sacrificium pro defunctis, quo iuuantur animæ purgatorij. Vide suprà v. Defunctorũ suffragia. & v. Oratio. & hæresin contra hoc. 173.b. Item vide 585.b.& 592.d
Salomon S. Augustini sententia, a Deo reprobatus est. 581.a
Samson an saluatus. ibid.
Samuel etiãsi mortuus, solitus erat orare pro populo. 675.c
Anima ipsius Samuelis verè apparuit Sauli. 577.b.c.d

Sancti.

Sancti miraculis clari in singulis seculis enumerantur. 191.c.d.e
Sancti post mortem impetrant a Domino quidquid postulant, quia id meruerunt in hac vita, rectè viuendo. 550.c
Post hanc vitam an debeant transire per purgatorium saltem materialiter sine læsione. 562.a
In cœlo orant pro animabus purgatorij. 580.e
Eorum præmia paria dixit Iouinianus. 665.e
Eorum beneficia exhibita viuentibus. 590.a
Eorum precibus iuuantur homines post hanc vitam. 535.e.
Pro illis non est orandum. 538.c.584.e.& 593.e
Sanctis an gloriam petat Ecclesia. 594.b
Multi sancti bella gesserunt. 478.a
Mendacia hæreticorum in Sanctos. 604.& seq.
Item contumeliæ. 606.& seq.674.b
Argumenta quibus illi probare nituntur Sanctos nondum esse beatos. 611.a
Contraria Catholica assertio demonstratur testimonio Ecclesiæ. 615.d. Scripturarum testimoniis. 616.b. Ex Patrib. Græcis. 621.c. Ex Latinis. 627.c. Rationibus. 633.a
Sancti rectè ab Ecclesia canonizantur. 636.c
Cuius sit sanctos canonisare. 637.d
Credendum est Põtificem non errare in canonizatione sanctorum. 638.d
Sancti non canonizati, priuatim possunt coli, non publicè. 639.e
Quæstio de cultu sanctorum. 640.d.& seq
Controuersia de inuocatione sanctorum. 651.b
Quomodo sancti inuocandi non sint. 654.a
Sancti pro nobis orant. 655.c.& 673.d
Sancti inuocandi, & orandi. 157.d.& hæresim contra hoc. 174.d.& 659.d
Soluuntur argumenta cõtra inuocationem sanctorũ. 665.e
Possunt aliquo modo sanctis vota nuncupari. 801.d.e
Sancti quomodo sint mediatores. 667.e
Quomodo cognoscant viuentium preces. 696.d.& seq.
Vident in verbo quæ ad eos pertinent. 671.b
Vident quæ fiunt in terris. 674.a
Non est signum diffidentiæ eos inuocare. 672.c
Sanctorum aliquorum historiæ apocryphæ. 674.e
Sanctorum dies festi. 824.e.& 825.a. vide v. Festi dies.
Sanctis rectè ædificantur, & dedicanrur templa. 777.a
Sanctarum reliquiarum veneratio. 681.d. Miracula. 685.d.
Inuẽtio. 677.b. Translatio. 687.c.d.e. vide sup. v. Reliquię.
Sanctimoniales iuniores possunt vouere, vide v. virgines sacræ, &c. Continentiæ votum, &c. 321.b.422.c.& seq.
Sãctimonialium vota. 381.382.383.& seq.437.d.e.& seq.
Sanctimonialium habitus, eiusque antiquitas. 442.a. Item tonsura. 443.a.& 444.a
Sanctimonialium ancillæ. 419.a
Sanguinis, & suffocati lex. 33.d.59.e

Sa-

Satisfactio.

Satisfactio Christi sufficiens & efficax. 553.a
Satisfactio Christi quæ applicatur nobis per opera nostra, an sit vna vel duæ, vna Christi, alteta nostra. 554.d
Satisfactionis nostræ virtus est a sanguine Christi. ibid.
Satisfactio ante & post iustificationem. ibid.c
Opera satisfactoria defuncto prosunt. 592.a
Satisfactionis & meriti propria quædam. 555.c
Schismatici non sunt de Ecclesia. 105.a. Vide etiam 179.e
Scriptores sacri mirificè inter se consentiunt. 177.c

Scriptura sacra.

Scriptura sacra quomodo differat a Cõciliorũ decretis. 79.c
Non est simpliciter notior quam Ecclesia. 150.d
Quæ sit vera Scriptura, & quis verus sensus ipsius, ex Ecclesia peti debet. 149.a
Est antiquior ipsis Diis gentilium. 154.b
Pendet ab Ecclesia, non contra. 150.d
In Scriptura nullum est verbum frustrà, & omnia ad fidem pertinent. 80.d. In Scriptura nullus potest esse error. ibi.c
Scripturas Canonicas credere, an sit absolutè necessarium ad salutem. 137.d. De scriptoribus librorum sacrorum, seu canonicorum. 79. An sit maior auctoritas Concilii, quàm Scripturæ. ibid.c
Sedes Petri comparatur capiti, radici, fonti, soli. 152.b. Vide suprà v. Ecclesiæ comparationes.

Sepulchrum.

Sepulchrum Domini gloriosum. 682.a. & 690.e
Sepulchra sanctorum dicuntur memoriæ. 690.e
Sepulturam esse rem bonam, & vtilem, & ritus Ecclesiæ in sepeliendis mortuis esse antiquos, & sanctos. 596.d
Serpens æneus colebatur. 714.d. Confractus ab Ezechia. 732.a
Seruitutis duplex genus. 466.b
Sexuum distinctio futura in alia vita, negatur ab Origenistis. 320.a
Si aliquando non est dubitantis, sed affirmantis. 672.a
Sibillæ. ibid.
Sigismundus Imperator. 12.a
S. Simeon Stylites in columna plurimos annos vixit. 440.a
Eius imagines frequentissimæ. 711.a.e

Simon Magus.

Simon Magus imaginem suam & Helenæ meretriculę suæ iussit a suis discipulis adorari. 769.b
Eius ambitio. 185.e. Fictum miraculum. 186.a. Hęresis. 632.c. Mors. 190.e
Simonianorum hæresis. 17c.c
Simulacrum quid sit. 694.e
Socrates hęreticus Nouatianus. 811.b
Socrates in historia multa mentitur. 263.e
Solitudo & austeritas vitæ. 434.a. & 437.c
Sortium vsus in electione prælatorum damnatus. 287.e
Quando licitus. 218.b
Sozomeni historia à S. Gregorio reprobatur, quia multa mẽtitur. 263.c
Spirituale dicitur aliquid vel secundum substantiam, vel secundum ordinationem ad Spiritum. 139.e

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus inhabitat per charitatem. 316.d. Eius dona sunt anima corporis Ecclesię. 101.a. Eius aduentus die Dominica. 812.d.e. Vide de hac die, & de Pentecoste. 819.e. & seq. Eius imago sub specie columbæ an rectè pingatur. 700.e
Sponsæ quæ sint. 431.e
S. Stephani inuentio. 687.b. Miracula. 686.b
Subiectio politica & despotica. 466.b. & 649.c
Suffragii signum erat attollere manus. 223.d

Suffragia defunctorum.

Suffragia defunctorum. Vide suprà v. Defuncti. v. Oratio, & v. Sacrificium.
Suffragia Ecclesiæ defunctis prosunt. 580.b
Suffragiorum genera quæ sint. 592.a
Quis possit defunctis suffragari. 593.b
Quibus prosint suffragia. ibid.d. An etiam restitutio rei alienæ sit genus quoddam suffragii. 592.e
Superbia commune vitium hęresiarcharum. 185.d

Supplicationes.

In supplicationibus gestari debet theca reliquiarum. 682.e
Debet præferri crux cum ardentibus facibus. 649.c
Supplicia a Deo intentata in hac vita, sunt comminatoria. 568.e
Symbolum Apostolorum recipere an satis sit. 491.d
Synagoga, particularis Ecclesia. 161.a. An repudiata. 276.c

T.

Tabernaculum.

TAbernaculi Mosaici ornatus. 786.d.e
Hic ornatus fuit typicus. 791.b.c
Et moralis. ibid.c.d
Tau signum. 742.e

Templum.

Templum. De erroribus circa templa. 765.a
Eorum erectio. 767.a. Forma. ibid.c. Finis. 768.e
Rectè instituuntur quædam loca in quibus verbum Dei & Sacramenta populo ministrentur. 769.e
Ecclesiæ Christianorũ ad sacrificia offerenda institutæ sunt, & ideo verè & propriè templa appellari possunt. 771.a
Ecclesiæ Christianorum rectè ad orandum etiam priuata oratione instituuntur. 773.c.d
Sacræ domus non solùm Deo, sed etiam sanctis rectè ędificantur, & dedicantur. 777.a.b.c
Meritò templa Dei cum ingenti lætitia & solennitate dedicantur. 780.b.c
Meritò ab Ecclesia varijs precibus, & cæremonijs templa consecrari. 782.c.d
Templum consecratum meritò sanctum, & venerabile, ac virtute quadam diuina prędituin existimari debet. 784.c.d.e
Opus bonum & pium est ex genere suo ingentibus sumptibus templa Dei ædificare, aut ornare. 786.d.e
Potest tamen eiusmodi opus ex defectu circumstantiarum facilè vitiari. 789.d.e
Templi Salomonis partes. 767.b.c.d
Templum Salomonis fuit typicum & morale. 791.b.c.d.e
Fuit etiam ad conseruandam arcam. 778.b
Quare uoluit Deus vt euerteretur. 772.e
Templi repurgatio & dedicatio quoties facta. ibid.
Cur Patres abstinent a nomine templi. 773.b.c.d.e
Qui autem Patres nomine Templi vtuntur. 771.c.d.e
Templum uocatur domus orationis. 773.d
Varia tępla a uarijs fabricata, & dedicata. 777.b.c. & 785.c
Templa idolorum conuersa in Basilicas Martyrum. 669.c
In templis eriguntur altaria. 681.a. 682.d. & 688.a
In templis rectè collocantur imagines. 704.b
In templis Deus est magis, quàm alibi, & citius exaudit. 774.b.c.d
Miraculum in erectione templi. 681.a
Templum destructores. 789.d.e
Templorum Christianorum magnificentia, ędificia, ornatus, & splendor sacrorum vasorum. 786.e. & 787.a
An magis danda eleemosyna templis, quàm pauperibus. 792.a

Tentatio.

Tentatio carnis, eiusque remedia. 268.a. & 748.e
Ob solas tentationes carnis non vocãtur homines ad nuptias. 392.e. & seq.
Tentari non est viri. 393.e. & seq.
Loca Scripturę pro tentationibus iustorum. 394.b.c

Tertullianus.

Tertulliani quidam locus defenditur. 412.c
Eius hæresis fuit, animas beatorum nondum esse admissas ad beatitudinem 611.b
Item animarum apparitiones dixit fuisse dæmonum, qui fingunt se esse animas. 581.c

Testamentum.

Testamentum vetus licet per nouum sit abrogatum, eius tamen cęremonialia tantùm sunt abrogata, non autẽ moralia. 299.c
Discrimen inter vtrumque Testamentum. 138.
In Testamento veteri qui erant de populo Dei. 163.e
In signũ cessationis status veteris Testamenti voluit Deus vt euerteretur templum Salomonis. 772.e
Testamenti noui proprius cultus est internus. 775.e. & 776.a

Theodosius senior.

Theodosij senioris laus in defensione Ecclesiæ. 199.e
Eo Imperatore celebrata est Synodus Cõstantinopolitana. 5.c.& 22.c
Qua arte compescuit hæreticos. 168.d
Adorauit sepulchra Apostolorum, & Martyrum. 459.d
Cum eo pugnauit S.Ioannes Chrysostomus contra hostes eius. 478.d
Reprehensus est ab Ambrosio, quòd sine delectu obuios quosque necari iussit. 486.b
Libertatem credendi auulsit. 489.a
Iussit idola vbique destrui. 720.d
Nihil iudicauit in caussa fidei. 44.e

Theodosius iunior.

Theodosius iunior laudatur pro defensione Synodi, & Ecclesiæ. 38.c
Eo imperatore celebratum est Concilium Ephesinum I.6.b
Item Ephesinum II.reprobatum. 10.c
Beatus Thomas post hanc vitam posuit meritum, non respectu præmij essentialis,sed accidentalis, quam tamen opinionem mutauit. 569.e
Thomas Caietanus videtur incautè concedere,licere facere idola quæ habeãtur pro Dijs,modò non habeat pro Dijs ille qui facit. 699.c
Thomistæ,& Scotistæ in quibus dissentiant. 179.c
Tonsura Monachorum. 441.a
Prima Tonsura non est ordo. 230.232.d
Timor Christi in passione qualis. 568.a
Timor an repugnet charitati. ibid.

Traianus.

Traiani historia an vera 79.& seq.Eius exitus. 198.d
Traianus mortuus triumphauit. 734.c

Traditiones.

Traditiones non scriptas non recipiebant Ariani. 172.e
Ad traditiones Apostolicas quæ referantur. 558.c
Doctrina quando conseruabatur traditione. ibid.
Transfigurationis Domini nostri dies festus. 824.c

Tribulationes.

Tribulationes aliquando dicuntur Purgatorium. 510.a
Tribulationes per diem Domini aliqui intelligunt. 522.d
In tribulationibus perficitur virtus. 569.c
Vide etiam suprà Persecutio.
Tribus duodecim vel tredecim erant. 283.d.& 287.d
Vbi particulatim de tribu Leui.

Tributa.

Tributa soluere non tenebatur Christus. 293.c
Tributa non tenentur clerici soluere principibus secularib. ibid.a.b.c.d
Tributum soluit Christus Saluator noster,nõ quia debuit, sed quia voluit. ibid.c
Tributum quod Cæsari soluebatur, tempore Christi non erat didragma,sed denarius. ibid.e
Trinitatis imagines an faciendæ vel pingendæ. 700.c.& 702.d
Trinitatis festus dies. 824.c.d
Turca. Contra Turcas bellum gerere licet. 486.c
Tyrannus suam quærit vtilitatem. 466.c

V.

VAlens Imperator libertatem credendi concessit. 490.b
Idem Gothos miserè decepit. 183.c

Valentinianus.

Valentinianus senior noluit Concilium conuocare, neque Episcopum eligere. 220.e
Concessit polygamiam. 272.b
Valentinianus iunior libertatem credendi auulsit. 489.e
Qui posuerit super altare S.Petri. 706.a
Valentiniani hæretici ambitio. 186.a
Vasorum sacrorum splendor. 786.d.e
An liceat aliquando vendere sacra vasa templi. 789.b.c. & sequent.

Verbum Dei.

Verbi Dei prædicatio. Vide v.Prædicatio.
Verbi Dei efficacia. 183.a
Verbum Dei rectè ministratur certo loco. 769.e
Vespasianus cæcum & claudum non curauit,vt aliqui dixerunt. 195.b
Vexillum Imperatoris milites adorabant. 748.c
Vexillum Christi est crux. 743.c
Via intelligitur vita præsens. 531.c
In via Dei non progredi est retrogredi. 568.c
Viduæ quæ alebantur ab Ecclesia. 379.a
Vigilantii hæreses. 174.b.257.c.651.c.& 678.a
Vigiliæ in profestis magnorum dierum. 829.c
B.Vincentii efficacia in prædicando. 184.e
Eius miracula. 192.b
Vindicta non est appetenda. 476.b
Virga ferrea quæ sit. 657.d

Virgines sacræ.

Virgines sacræ. Vide suprà v.Sanctimoniales.
Virgines sacræ nubere non possunt. 381.a.382.c.& seq.
Vide etiam 398.c.& 419.a

Virginitas.

Virginimitas hostia Christi dicitur. 338.c
Virginitas an virtus. 408.c
Virginitatis consilium.320.e.& 326.e.Præmium.339.e.& seq. Laus.387.d.388.b.& 409.a
Virginitatem vouit B.Virgo ante Matrimonium. 320.d. 373.a.& seq.
Virginitati non æquatur coniugium. 173.c.320.c.327.d. & 421.a

B.Virgo.

B.Virgo. In B.Virgine fuit fides explicita resurrectionis in triduo mortis Christi. 146.d
Hæreticorum contumelia in beatam Virginem. 607.a.in præfat.
B.Virginis inuocatio. 624.a.& seq.& 664.b.
B.Virginis imago posita posita Constantinopoli. 706.a
Aliæ imagines ipsius depictæ a S.Luca. 710.d
Item miraculum ex imagine beatæ Virginis. 718.e
Illas imagines timet diabolus. 720.c
B.Virgini templa an sint dedicanda. 778.e
Dies B.Virginis vt conceptionis. 827.d.e.& seq.
Natiuitatis,Annũciationis,Purificationis,& Assumptionis. 828.d.e
Virtutis medium. 456.d
Virtutes quare pingantur. 702.c
Visiones & miracula quibus hæreses condemnantur. 191. a.b.c.d.e.& seq.
Visiones seu potius somnia quorũdam hæreticorum. 194.b

Vita.

Vita præsens intelligitur nomine viæ. 531.c
Vitæ sanctitas auctorum seu primorum patrum nostræ religionis. 185.b
Vitæ austeritas & solitudo. 434.a.437.c.& seq.
Vitæ impuritas in homine docto quid efficiat. 495.d
Vita vna melior alia. 393.c
In hac vita merentur homines posse purgari & iuuari in alia. 550.b
Vitia Prelatorum, vide v.Prælati.
Vitulus in summo honore apud Iudæos. 721.c
Vnio membrorum Ecclesiæ cum capite,& inter se. 176.e
Vnitas multiplex reperitur in Ecclesia. 399.a

Votum.

Voti definitio. 351.d
Dicta hæreticorum de votis. 353.b.& 422.d
Omne quod fit ex voto,esse cultum Dei. 353.c
Non est propriè votum promissio quæ fit in Baptismo. 361.a
Num res a Deo imperatæ,sub votum propriè cadere possint. ibid.b
Vota paruulorum facta a parentibus non sunt rata, nisi ab ipsis confirmentur in ætate adulta. 362.a
Melius est cum voto aliquid facere, quàm sine voto. 389.a. & 390.c
Etiam iuniores possunt vouere. 422.c
Licet coniugatis ex consensu vouere continentiam. 427.c
Per vota soluitur Matrimonium ratum,non consummatũ. 420.d.& 430.a
Incitamur ad vota emittenda. 389.a
Votum ex se lætitiam gignit. 390.d
Votũ ab inuito,aut temerè susceptum,dicitur laqueus. ibid.e

Vota Religionis cuius efficaciæ. 282.c
Voti vsus etiam in primitiua Ecclesia. 320.d
Posse aliquo modo sanctis vota nuncupari. 801.a.b.c.& 802.a.b.c.d.e
Argumentum in contrarium. ibid.
Responsio. ibid.
Vstio incontinentiam significat. 393.e
Vsuræ prohibitio. 358.e
Vvaldensium hæresis quando exorta. 510.b
Vvandalos quidam Monachi conuerterunt. 184.d
Vviclephi ambitio. 186.d

Vxor.

Vxor ducta sine dote, & externa solennitate, dicitur concubina. 64.d
Vxores nõ permittũtur hominib. in sacris constitutis. 34.d. 273.e. 251.d.e. 253.d.& 265.e. Vide v. Matrimonium, & v. Sacerdos, vel clerici.
Apostoli an habuerint vxores. 261.d. 388.e.& 410.e
Continentia ab vxoribus aliquando à Deo requirebatur. 254.c
Vxorum pluralitas an aliquando licuerit. 270.c. 271.e.& sequentib.

Z.

ZOnaras & Cedrenus res gestas Græcorum Principum literis mandarunt. 758.d.e

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA